






THEOLOGIA MORALIS DECALOGALIS, ET SACRAMENTALIS

PER MODUM CONFERENTIARUM

CASIBUS PRACTICIS ILLUSTRATA, ET APPLICATA

Ad usum tum Confessariorum, tum præsertim pro Animarum Curæ examinandorum.

AUTHORE

R. P. F. BENJAMIN ELBEL

Ordinis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ Argentinæ SS. Theologiæ Lectore Jubilato.

OPUS

TRIBUS TOMIS DISTRIBUTUM.

TOMUS TERTIUS.

AUGUSTÆ VINDELICORUM MDCCXLVIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Prostat Venetiis,

Apud Joannem Baptistam Recurti.

T.3

THEOLOGIA MORALIS
DECALOGALIS,
ET SACRAMENTALIS
PER MODUM CONFERENTIARUM

CASIBUS PRACTICIS ILLUSTRATA,

ET APPLICATA

Ad usum tum Curatorum, tum præsertim pro Animarum Curâ examinandorum.

A U T H O R E

R. P. F. BENJAMIN ELBEL

Ordinis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ Argentinæ SS. Theologiæ Lectore Jubilato.

O P U S

TRIBUS TOMIS DISTRIBUTUM.

TOMUS TERTIUS.

AUGUSTÆ VINDELICORUM MDCCXLVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Prostant Venetiis

APUD JOANNEM BAPTISTAM RECURTI.

THEOLOGIÆ MORALIS DECALOGALIS

PARS TERTIA

IN SECUNDUM, TERTIUM ET QUARTUM PRÆCEPTUM DECALOGI

DE

BLASPHEMIA, JURAMENTIS, AC VOTIS,

NEC NON

DE OBLIGATIONE AUDIENDI SACRUM, ET FERIANDI; ITEM DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES, INFERIORUM ERGA SUPERIORES, ET VICE VERSA.



PRÆFATIO AD LECTOREM.



Uam priori anno jam promiſeram, partem primam, ad complendam Theologiam Sacramentalem, ecce tibi exhibeo, benevole Lector. Nec mireris, hanc, quæ alias ordine prima eſt, in executione ultimam prodire; non enim cogitaveram initio materiam de ſingulis Sacramentis typis evulgare, quippe quam ab aliis doctiſſimis, & in praxi verſatiſſimis Viris toties jam pridem evulgatam reperi. Verum, ut aliorum voluntati ac deſiderio me accommodarem, univerſam materiam de Sacramentis in tres partes diſtribui, quarum hæc prima complectitur ea, quæ de Sacramentis in genere, nec non de Baptiſmo, Confirmatione, extrema Unctione, Euchariſtia, & Ordine in ſpecie, pro praxi frequentius occurrere ſolent: alteram de Pœnitentiæ, & tertiam de Matrimonii Sacramentis, utpote amplioris praxeos adornavi; hanc enim diviſionem magis commodam exiſtimavi, tum ad ſervandam partium æqualitatem, tum etiam ad majorem legentium commoditatem. Quæſtionibus ſpeculativis vel omnino prætermiſſis, vel obiter duntaxat inſinuatis, practica quæſita, quorum notitiam Curatis, vel etiam Curandis neceſſariam duxi, perſcrutari ſtudui, eadem-

que succincte non tam meo, quam aliorum probatissimorum Virorum judicio & assensu resolvere conatus sui. Qui hisce angustiis non contentus, fusiorem moralium notitiam ambit, Auctores citatos consulat & inquirat; in hunc enim finem passim inveniet citatos. Porro seriem Conferentiarum in cujusvis opusculi frontispicio posui, ut ea, quæ in corpore continentur, vel ex fronte paterent. Rursus cuilibet Conferentiæ præmisi summarium, in quo singulæ quasi resolutiones velut in compendio expressæ cernerentur; nec dubito, quin earum recapitulatione, & attenta Lectione, ii, qui Examen proxime subire cogitant, totius materiæ in corpore contentæ species facile sint recollecturi. Opto jam tibi animitus benevole Lector, ut hæc omnia tam ad animæ propriæ, quam ad aliorum etiam salutem, & vel maxime ad majorem Dei gloriam cedant, ut sic in Servulis suis laudetur & ab omnibus glorificetur Deus ter Optimus Maximus.



ELEN-

I. 2, do końca

ELENCHUS

Conferentiarum & Casuum.

CONFERENTIA I.

De Blasphemia. Pag. 1

CASUS

I. Cujusdam Mariti, qui nedum contra Uxorem, sed & contra Deum excandescens, imaginem Crucifixi indigne tractavit. 5

II. De quodam Auriga sese accusante, quod blasphemaverit & maledixerit hominibus & equis &c. 6

III. De alio quodam, qui animo terrendi & pecunias extorquendi in Clericum protulit verba blasphema. 7

CONFERENTIA II.

De natura & distinctione Juramentorum. 11

CASUS

I. Cujusdam puellæ rusticanæ se accusantis, quod bis contra jusjurandum egerit. 14

II. Cujusdam militis desertoris (ut vocant) quem Confessarius voluit adstringere, ut ad castra reverteretur. 16

III. De quodam Mercatore, assueto suas merces verbis juramentum sonantibus extollere, & quidem contra mentem. 17

CONFERENTIA III.

De conditionibus ad validum juramentum requisitis, nec non de interpretatione & obligatione juramentorum. 19

CASUS

I. De quodam famulo, quem Dominus jurejurando adstrinxerat, tum ad ferendum sibi auxilium in excudenda moneta spuria, tum etiam ad silentium. 27

II. De quadam puella, quæ jurejurando se obligaverat ad fugiendum omne commercium cum quodam Juvene, ejusdemque Parentibus. ibid.

III. De quodam Patrefamilias, qui juraverat, quod incolam velit domo sua ejicere &c. 29

CONFERENTIA IV.

De conditionibus ad licitum juramentum requisitis. 33

CASUS

I. Cujusdam Automatarii, qui alium concivem ob non præstitam solutionem horologii coram Judice convenit. 36

II. Cujusdam Domicellæ, quæ jurejurando sese adstrinxerat ad nubendum etiam contra voluntatem Parentum. 37

III. De quodam milite anserum fure, & inductore aliorum ad pejerandum. 38

CONFERENTIA V.

De juramento ficto, nec non de amphibologico. 41

CASUS

I. Cujusdam Canonici, qui ante actum electionis juramentum *de eligendo digniore* deposuerat sine animo jurandi, præcise per modum ceremoniæ politicæ. 47

II. Cujusdam Mercatoris, qui creditore nimium prætendente simpliciter negavit, se ei aliquid debere, jussus propterea coram Judice juramento sese purgare. 49

III. De quadam puerpera non nupta, quæ prolem adscripserat suo amasio, tametsi ipsamet dubitaverit, an non ab alio conceperit. 50

CONFERENTIA VI.

De adjuratione, præsertim dæmonum. 54

CASUS

I. De quodam plebejo ad Confessa-

rium asportante diabolum in sarcinula, & desiderante ab eodem liberari. 59
II. De quodam Sacerdote, actu exorcizante Energumentum. 60
III. Cujusdam lanionis, assueto adjurare vitulos eo fine, ut illos cicuraret. 61

CONFERENTIA VII.

De natura, distinctione, & materia votorum. 63

CASUS

I. De quodam Juvene, qui suo Confessario coram Deo promiserat, se deinceps altera die semper jejunaturum, casu quo pridie certum quoddam vitium incidisset. 68
II. Cujusdam puellæ, quæ intuitu laureolæ in cœlo obtinendæ virginitatem suam perpetuo devoverat B. Virgini Mariæ. 69
III. Cujusdam Conjugatæ, quæ sese obstrinxerat voto certis diebus jejunandi, si deinceps ex congressu maritali nunquam amplius evaderet gravida. 71

CONFERENTIA VIII.

De obligatione, & interpretatione votorum. 73

CASUS

I. Cujusdam prædivitis, qui voto sese obstrinxerat, deinceps quotidie pauperem quendam studiosum alendi. 78
II. De quibusdam Religiosis, recusantibus jejunare in vigilia S. M. Floriani propter votum ab ipsorum Prælato factum. 79
III. Cujusdam prædivitis, hæredibus suis notabile votum, aliaque pia legata, non sine præjudicio legitimæ solvenda relinquentis. 81

CONFERENTIA IX.

De votorum deobligatione, præsertim per irritationem. 84

CASUS

I. Cujusdam Domicellæ, quæ voverat ingredi Monasterium S. Ordinis Benedictini. 89
II. De quodam Religioso, qui qua sæcularis adhuc voverat diebus Sabbathinis perpetuo abstinere a vino. 90
III. Cujusdam Conjugatæ, quæ voverat castitatem perpetuam etiam in matrimonio servare. 91

CONFERENTIA X.

De dispensatione votorum, & juramentorum. 95

CASUS

I. Cujusdam Sponsæ, interrogantis, an stante voto castitatis possit tuta conscientia nubere? 99
II. Cujusdam Parentis, desiderantis dispensari in voto procurandi paramenta ecclesiastica filio suo Religioso primitias celebraturo. 101
III. De quodam Juvene, petente a Confessario dispensari in voto castitatis, tempore gravis infirmitatis sub conditione recuperandæ sanitatis emisso. 102

CONFERENTIA XI.

De commutatione votorum, & juramentorum. 105

CASUS

I. Cujusdam pœnitentis, qui petiit commutationem voti in favorem cujusdam Ecclesiæ facti, & a R. D. Parocho ejusdem Ecclesiæ acceptati. 111
II. Cujusdam pœnitentis, qui & lusum & potum excessivum sub voto pœnali sibimet interdixerat, sed sine effectu. 112
III. Cujusdam personæ conjugatæ, quæ votum peregrinationis sibimet mutaverat in quotidianam auditionem Sacri: postea tamen a Confessario petiit illud aliter commutari. 114

CONFERENTIA XII.

In tertium Præceptum Decalogi.

De obligatione audiendi Sacrum. 118

CASUS

I. Cujusdam personæ dubitantis, an satisfecerit huic præcepto, eo quod per notabilem partem Sacrificii fuerit

rit intenta confessioni deponendæ. 123
II. Cujusdam pœnitentis, qui jussus duo audire Sacra, interfuit quidem duobus, sed simul à diversis Sacerdotibus lectis. 124
III. Cujusdam Nobilis, qui Roma obtinuit licentiam audiendi Sacrum in suo Oratorio privato infirmitatis tempore, quo Ecclesiam accedere non posset. 126

CONFERENTIA XIII.

De causis excusantibus ab auditione Sacri. 130

CASUS

I. De quodam Comite Catholico, qui ut alium Acatholicum præveniret, in die festo instituit venationem clamorosam. 135
II. De quodam Parente, qui proles suas noluit ad Divina mittere, ne forte in itinere ab aliis seducerentur. 136
III. Cujusdam peregrini, dubitantis, utrum non teneatur interesse divinis in quodam Festo particulari loci, ubi per unum, alterumve diem fuerat commoratus. 137

CONFERENTIA XIV.

De Obligatione feriandi, seu abstinendi ab operibus servilibus. 140

CASUS

I. Cujusdam Sartoris acuti, contendentis, exercitium suæ artis esse ab Ecclesia permissum, vel certe permittendum, etiam diebus festivis. 146
II. De quodam Comite, qui Conjugem suam prægnantem in festis Pentecostalibus fecit per famulos suos in lectica alio asportari. 147
III. De quibusdam Rusticis. qui tempore messis segetes die festivo collegerunt in horreum irrequisito R. D. Parocho. 149

CONFERENTIA XV.

De natura, seu essentia jejunii Ecclesiastici. 151

CASUS

I. Cujusdam pauperculæ, quæ die jejunii destituta oleo & butyro pro se suisque miseris prolibus præparavit cibum ex farina frixa in sebo & sagimine. 156
II. Cujusdam Parasiti soliti assidere cum aliis etiam diebus jejunii convivio per quatuor vel quinque horas protracto. 157
III. De quodam Bibulo assueto singulis quasi diebus etiam jejuniorum sese ingurgitare potu excessivo. 159

CONFERENTIA XVI.

De Obligatione, Subjecto, & Tempore jejunii Ecclesiastici. 162

CASUS

I. Cujusdam militis carnes comedentis in pervigilio immaculatæ Conceptionis, non obstante quod eadem die in Diœcesi fuerit præceptum jejunium. 168
II. De quodam Concionatore tempore Quadragesimæ ter vel quater per septimanam ad populum dicente, sed non jejunante &c. 169
III. De duobus Studiosis, tempore vacantiarum peregrinantibus more solito, minime tamen servantibus jejunium. 170

CONFERENTIA XVII.

De Collatiuncula Vespertina. 174

CASUS

I. De quodam assueto tempore Quadragesimæ in cœna sumere duplicem portionem, quatenus hoc modo facilius posset esse contentus refectiuncula. 177
II. Cujusdam, qui pro refectiuncula præter alios cibos solus comedit portionem lactucæ pro quatuor personis præparatæ, idque per modum medicinæ, ut ipse ajebat. 178
III. Cujusdam honesti viri, qui quantumvis modicum comedendo sentit se plane faturari tam in cœna, quam in refectiuncula. 179

CONFERENTIA XVIII.

De Causis excusantibus a jejunio Ecclesiastico. 182

CASUS

I. Cujusdam, qui oblata pecunia a Medico obtinuit testimonium, quod indigeat esu carnium. 186

II. Cujusdam pœnitentis, qui ad initium Quadragesimæ ob aliqualem infirmitatem dispensatus in jejunio, postea recuperata etiam valetudine perrexit sumere secundam refectionem. 187

III. De quodam rustico, qui, tametsi potuisset, stantibus etiam laboribus suis, non tamen abstinuit a pluribus refectionibus, sed ab esu carnium duntaxat. 189

CONFERENTIA XIX.

De Obligatione pietatis & observantiæ Parentibus debitæ. 192

CASUS

I. Cujusdam Filii, qui Parenti suo decrepito negaverat pecunias pro haustu extraordinario. 196

II. Cujusdam Puellæ sciscitantis, an non invitis etiam Parentibus sibi liceat nubere militi haud ignobili, neque indigno. 198

III. Cujusdam Uxoratæ, hinc ex parte sui Parentis graviter decumbentis, illinc ex parte Mariti sibi contradicentis valde afflictæ & angustiatæ. 199

CONFERENTIA XX.

De Obligatione Parentum erga Filios. 202

CASUS

I. Cujusdam puellæ luxuriosæ, quæ ob iteratam imprægnationem a parentibus suis derelicta, duos gemellos recenter natos occidit. 207

II. De quodam parvulo, qui Catechistæ respondendo mirum in modum confudit Matrem prope adstantem. 208

III. De quodam Malefactore, qui ad mortem condemnatus supra scalas elevatus, & in manibus carnificis constitutus, Parentem suum de neglecta educationis debita cura accusavit. 209

CONFERENTIA XXI.

De Obligatione Superiorum erga subditos, & vice versa subditorum erga Superiores. 212

CASUS

I. De quodam rustico, qui suum Parochum insigniter decepit in solutione decimarum. 217

II. De quodam marito, qui ob distortos uxoris mores eandem cum prolibus domi reliquit, castra secutus. 219

III. De quodam famulo, qui in odium cujusdam alterius conservi aliquoties notabiliter damnificavit suum Dominum Postarum Præfectum. 220

R. P. Fr.



R. P. F. BENIAMIN ELBEL THEOLOGIA MORALIS,

Per modum Conferentiarum casibus practicis applicata, & illustrata.

PARS TERTIA.

CONFERENTIA PRIMA.

De Blasphemia.

SUMMARIUM.

1. *Vi secundi Præcepti Decalogalis probibetur inbonoratio Divini Nominis.*
2. *Nomine blasphemiæ intelligitur verbum convitii vel contumeliæ adversus Deum.*
3. *Hæc quinque potissimum modis fieri potest.*
4. *Blasphemia alia dicitur directa, alia indirecta: alia hæreticalis, alia non hæreticalis seu simplex.*
5. *Maledicta in Sanctos vel res sacras qua tales, merito dicuntur blasphemiæ.*
6. *Non item si fiant sub alia ratione, sine omni relatione ad Deum.*
7. *Blasphemia ex suo genere est peccatum mortale gravissimum.*
8. *Unde raro admodum excusari potest a culpa mortali, nisi forte defectu inadvertentiæ aut indeliberationis.*
9. *Omnes quidem blasphemiæ qua tales sunt ejusdem speciei.*
10. *Nihilominus ratione diversarum circumstantiarum non raro contrahunt diversas malitias in confessione necessario exprimendas.*
11. *Resolvitur Casus I. cujusdam Mariti, qui nedum contra uxorem, sed & contra Deum excandescens, imaginem Crucifixi indigne tractaverat:*
12. *Propterea que velut blasphemus ad extremum supplicium justissime fuit condemnatus.*
13. *Quomodo vel quando pœnæ de jure in blasphemos statutæ subsient arbitrio Judicis.*
14. *Resolvitur Casus II. de quodam Auriga sese accusante, quod blasphemaverit & maledixerit tum hominibus, tum etiam bestiis, præsertim equis suis.*
15. *Quidnam Confessario circa hujusmodi pœnitentem observandum vel indagandum sit.*

16. *Et an possit, vel debeat absolvi, præsertim si deprehendatur habituatus, & inveteratus in similibus peccatis.*
17. *Resolvitur Casus III. de alio quodam, qui in Clericum verba blasphema effutiit, non quidem animo blasphemandi vel Deum injuriandi, sed terrendi eundem Clericum, & ab eo pecuniam extorquendi.*
18. *Quo non obstante dici potest ac debet verus blasphemus.*
19. *Propествqe incurrisse Casum reservatum, si Casus supponatur factus in loco vel Diœcesi, ubi blasphemia formalis reservatur Episcopo.*
20. *Qui creaturis sine ordine ad Deum sumptis maledicunt, nequeunt dici blasphemi.*
21. *Quin immo subinde in certis quibusdam circumstantiis ab omni culpa excusari possunt.*
22. *Quid judicii de illis, qui maledicunt pluviis, vento, vel elementis &c.*
23. *An, vel quando blasphemiæ sint arguendi, qui verbis Sacræ Scripturæ abutuntur?*
24. *Insinuantur breviter aliæ nonnullæ propositiones pessime sonantes, & hoc ipso a Confessario dissuadendæ pœnitentibus.*
25. *Quo modo Confessario practice procedendum, vel quid interrogandum, dum pœnitens germanice sese accusando simpliciter dicit:* Er habe gescholten, geflucht und geschworen?
26. *Qui ex perversa consuetudine blasphemare Deum, aut creaturis maledicere solent, tenentur sub reatu gravis culpæ hujusmodi abusum deponere.*
27. *Quibus motivis aut mediis ab hac pessima consuetudine pœnitentes a Confessariis dimovendi sunt.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Blasphemis.

QUæres primo, quidnam per secundum Decalogi præceptum nobis prohibeatur?

1. R. Prohibetur nobis inhonoratio Divini Nominis, veluti liquet ex tenore præcepti ita sonantis: *Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum: Exod. c. 20. v. 7.* Quemadmodum autem Nomen Dei quatuor potissimum modis honorari potest, scilicet 1. illud frequenter cum reverentia pronuntiando, 2. invocando & laudando, 3. per illud jurando, quarto denique vovendo & promittendo; ita ex opposito sanctissimum illud Nomen quatuor modis seu peccatis oppositis inhonorari potest, scilicet 1. sine reverentia vel devotione quamlibet ob causam impertinentem, ex consuetudine quasi, irreverenter pronuntiando, 2. illud blasphemando, 3. temere jurando seu in testimonium invocando, 4. vovendo ac promittendo, ast sine animo servandi promissum &c. Primus modus inhonorandi utpote non graviter injuriosus vel peccaminosus nihil nobis facessit negotii pro praxi, bene tamen reliqui tres; de quibus in subsequentibus Conferentiis plura. Itaque

Quæres jam secundo, quid sit blasphemia, & quot modis hæc committi possit aut soleat?

2. R. ad primam partem hujus quæsiti. Blasphemia proprie dicta est verbum maledictionis, convitii sive contumeliæ adversus Deum. Ita *in re communissime* Doctores teste Reiffenstuel *Theolog. mor. tr. 5. dist. 3. nu. 54.* Explico brevissime. Dicitur 1. *verbum* seu etiam *locutio contumeliæ* &c. Blasphemia namque ex sua natura opponitur laudi divinæ, quemadmodum ergo laus divina præcipue consistit in verbis aut locutione, quibus DEI Majestas, bonitas, munificentia vel alia tributa extolluntur &c. ita e contrario blasphemia proprie dicta præcipue consistit in verbis seu etiam locutione contumeliosa adversus DEUM &c. licet Reiffenstuel, Illsung, Babenstuber, Michel & alii non abs re putent, aliquando etiam blasphemiam committi posse factis, utputa si quis in cœlum exspuat, vel me frendeat dentibus, vel medium digitum monstret &c. quia inquit Illsung *tr. 5. disp. 3. nu. 293.* non tantum per sonum vocis, sed etiam per scripturam & alia signa externa Dei contumeliam loqui possumus. Dicitur. 2. *adversus Deum*, in quantum scilicet hoc modo

modo minuitur laus & honor Dei: unde qui de Deo ipso, vel de B. Virgine aliisve Sanctis quatenus sunt aliquid Dei &c. malevole aut perverse loquitur, blasphemus dici debet; sicut enim Deus in Sanctis suis, eorumque gloria verissime laudatur, ita ex opposito si Sancti qua tales inhonorentur aut vilipendantur conviciis impetiti, Deus quodammodo vilificatur & contemnitur non sine blasphemia. Dixi etiam: *Blasphemia proprie talis* est verbum convitii adversus Deum &c. ut per hoc innuerem, nomine blasphemiæ in latiori sensu intellectæ intelligi posse quodvis maledictum, quo honor aut dignitas alicujus etiam hominis læditur: at vero hodie Theologi nomine blasphemiæ non intelligunt nisi verbum contumeliosum in Deum, quo scilicet divinæ Majestati detrahitur, veluti jam pridem advertit D. Augustinus *lib.* 2. *de moribus Manichæor. cap.* 11. ubi ait: *Est autem blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere: de hominibus namque dubitari potest: Deus autem sine controversia bonus est.*

3. R. jam ad alteram partem ejusdem quæsiti. Blasphemia quinque potissimum modis committi potest ac solet. Primo. Cum Deo aliquid tribuitur, quod ei non convenit, sed potius repugnat, ut si dicatur crudelis, injustus &c. 2. Dum ei aliquid conveniens negatur v. g. quod sit omnipotens, omniscius, providus &c. 3. Dum creaturæ tribuitur id, quod est Deo proprium, veluti subinde faciunt perversi & lascivi amatores, appellando personam amatam Deum aut Deam, omne bonum, suam beatitudinem &c. 4. Dum de Deo vera quidem dicuntur, sed irreverenter, utputa jurando per corpus & sanguinem Christi ex indignatione vel iracundia contra Deum. 5. Denique dum convitia vel contumeliæ aciuntur in Beatissimam Virginem aut Cœlites, quatenus sunt amici Dei, vel a Deo specialiter honorati &c. Ita post Filliucium Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *a.* 1. *n.* 3.

Quæres tertio, quotuplex sit blasphemia?

4. R. breviter. Blasphemia mox descripta recte partitur 1. in *directam* & *indirectam*. 2. in *hæreticam* & *non hæreticam*, seu simplicem. Ita *ex communi* Doctorum Sporer *tr.* 2. *in Decalog. cap.* 10. *sect.* 3. *num.* 12. Directa blasphemia appellatur, quæ fit cum directa seu expressa intentione inhonorandi Deum, ejusdemve honori detrahendi: quæ si sola mente duntaxat fiat, dicitur mere interna seu etiam *cordis*, si autem oretenus simul proferantur hujusmodi verba, dicitur blasphemia *cordis & oris simul*. Addunt alii blasphemiam *realem* seu *operis* aut *facti*, quam appellant tunc, dum quis secundum dicta *num.* 2. signis externis ceu quibusdam characteribus mentis internæ internuntiis v. g. exspuendo in cœlum, pugnum illuc monstrando &c. Deum inhonorare nititur &c. Indirecta blasphemia appellatur, quæ fit cum virtuali tantum seu interpretativa intentione inhonorandi Deum, veluti contingit, dum quis scienter & deliberate loquitur verba divinæ Majestatis inhonorativa, esto proferens contemptum Dei positive non intendat, modo advertat hujusmodi verba esse diminutiva honoris divini, & nihilominus seriose illa proferat; hoc ipso enim virtualiter censetur, imo convincitur velle blasphemare Deum: utraque hæc blasphemia recte appellatur *formalis*, id est, malitia blasphemiæ quodammodo informata, ut distinguatur a blasphemia merum *materiali*, quæ tunc fit, dum verba honoris divini diminutiva vel merum inadvertenter proferuntur, vel advertenter quidem, sed in talibus circumstantiis, in quibus satis liquet, ea non proferri serio, vel animo inhonorandi Deum, prout subinde in theatris contingere natum est.

Porro blasphemia hæretica appellatur, dum verba sensum orthodoxæ fidei contrarium exprimunt, ut si quis diceret: proh *Deum injustum*, *insipientem*! &c. Quodsi talis blasphemia proferatur sine interno assensu, a nonnullis *hæreticalis* appellari consuevit. Non hæretica dicitur, dum aliquid contumeliosum erga Deum, non tamen fidei contrarium profertur; ut si quis dicat: *Velit*, *nolitve*

Deus hoc vel illud, nihilominus faciam: aut modo optativo v. g. *pereat Deus* &c. vel denique irrisorio, prout olim fecerunt Judæi erga Christum Dominum dicendo: *Vah qui destruis templum Dei!* Videatur Henno *in decalog. disp.* 2. *q.* 1. *conclus.* 2. vel Sporer *loc. proxime cit.*

Quæres quarto, an maledicta in homines Sanctos, vel in res sacras dici possint blasphemiæ?

5. R. Si fiant erga Sanctos aut res sacras qua tales, id est, quatenus sunt aliquid sanctum vel honorem Dei concernens, vere blasphemiæ sunt, & dici merentur. Ita communissime DD. Sanchez *lib.* 2. *in decalog. c.* 32. *n.* 27. Filliuc. *tr.* 25. *cap.* 1. *num.* 19. Laymann, Sporer & alii. Ratio est: quia talis injuria ultimato redundat in Deum, velut etiam inter homines injuria Ministro Principis qua tali illata, censetur illata Principi: unde etiam S. Thomas 2. 2. *q.* 13. *a.* 1. *ad* 2. ait, sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit; ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequente in Deum redundat. Eadem est ratio de injuria rebus sanctis qua talibus illata.

6. Dixi tamen: *in Sanctos, vel res sacras qua tales*, id est cum habitudine saltem virtuali in Deum; nam si hujusmodi contumeliæ effutiantur in Sanctos non ut Sancti sunt, sed ut homines fragiles aut defectuosi fuerunt &c. quibus nunc status beatitudinis fuit collatus, non committitur blasphemia, sed aliud peccatum contra virtutem duliæ Sanctis debitam juxta dicta *in tract.* 2. *in decalog. Confer.* 14. *num.* 431. Hujus culpæ rei efficiuntur, qui contra Protoparentes velut transgressores divinæ legis murmurant, item, qui S. Petrum calvum piscatorem, S. Carolum Borromæum nasonem, SS. Crispum & Crispinianum sutores appellant, vel qui de his profanas cantilenas componunt, aut compositas decantant, quæ quidem, si ex levitate vel joci causa duntaxat fiant, a culpa mortali excusari possunt, minime vero si fiant ex contemptu vel indignatione aliave passione erga Sanctos concepta, uti bene advertit Sanchez *cit. num.* 22. Laymann *lib.* 4. *tr.* 10. *cap.* 6. *num.* 14. Sporer *tr.* 2. *in decalog. cap.* 10. *num.* 14. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *a.* 1. *num.* 9.

Quæres quinto, quale vel quantum peccatum sit blasphemia?

7. R. Est ex suo genere peccatum mortale, & quidem gravissimum. Ratio liquet ex hactenus dictis: quia blasphemia ex sua natura involvit gravissimam injuriam erga divinam Majestatem, propterea que *Levit.* 24. *v.* 16. fuit prohibita sub pœna mortis. Unde a culpa mortali, nunquam excusari potest ob parvitatem materiæ juxta *communissimam DD.* videndam apud Sanchez *lib.* 2. *decalog. cap.* 32. *num.* 40. Bonacinam, & alios.

8. Dixi rursus *ex suo genere*, ut per hoc innuerem, posse subinde (rarius tamen, ob nimis evidentem deordinationem in ea repertam) excusari a peccato mortali, formali, idque ob indeliberationem, aut prædominantem passionem v. g. iracundiæ, vi cujus homo ita perturbari potest, ut tam cito sese recolligere, aut ad rectæ rationis regulas se reflectere non valeat. Minime tamen a peccato mortali excusandi sunt illi, qui blasphemando utuntur formulis quibusdam quasi exquisitis ad blasphemandum, quin potius de talibus præsumendum est, quod nedum *ore*, sed & *corde* blasphemare intenderint, prout bene advertit Illsung *tr.* 5. *disp.* 3. *num.* 95. *circa fin.* idque in foro externo præsertim præsumi debet, ubi non obstante allegatione motus, vel indeliberationis procedi solet, adeoque talis homo velut blasphemus debet puniri, ait Sporer *tr.* 2. *in decalog. cap.* 10. *sect.* 3. *n.* 22.

Quæres sexto, an omnes blasphemiæ sint ejusdem speciei?

9. R. In ratione blasphemiæ præcise probabilius omnes sunt ejusdem speciei. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *q.* 10. Filliuc. *tr.* 25. *cap.* 1. *num.* 25. Illsung *l. cit. num.* 294. Ratio est: quia omnes blasphemiæ, qua tales conveniunt in ratione inhonorandi Deum, esto in modo tendendi aut inhonorandi D. Majestatem nonnihil disconveniant: ergo quemadmodum omnes diffamationes in ratione diffamiæ, omnes

item hæreses in ratione hæreseos, omnia denique perjuria in ratione perjurii conveniunt; ita pariter omnes blasphemiæ in ratione blasphemiæ, sive dein supponantur immediate Deo illatæ, sive mediate, id est, inhonorando Sanctos qua tales &c.

10. Dixi tamen: *in ratione blasphemiæ præcise*; certum quippe est, quod blasphemia ratione diversarum circumstantiarum, diversas, etiam specie distinctas malitias contrahant: sic enim absque dubio blasphemia hæreticalis qua talis specie differt a non hæreticali: similiter blasphemia facta cum scandalo vel perjurio, idololatria vel odio Dei &c. procul dubio specie morali differt a blasphemia simplici, utputa facta sine scandalo aut perjurio &c. atque hinc hujusmodi circumstantiæ in actu confessionis necessario sunt exprimendæ secundum *omnes*.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Blasphemis.

CASUS PRIMUS.

Titius ab uxore sua exacerbatus, nedum eidem uxori & prolibus suis maledixit, sed & in DEUM (a quo tam malignam uxorem sortitus fuerat) excandescens, pileum suum contra Crucifixi imaginem in quodam elatiori angulo cubiculi (uti assolent) expositam projecit, ita, ut eadem effigies hujus impetu dejecta utroque brachio truncata remanserit, truncatam vero, nescio quibus injuriis affecerit. Re ab uxore ad judicem delata Titius nedum in vincula conjectus, verum insuper ut blasphemus capitis condemnatus fuit; quod supplicium cum ingenti compunctione cordis subiit, eandem Crucifixi imaginem nedum copiosis lacrymis & osculis detiniens, sed & propriis manibus secum deferens usque ad locum supplicii. Jam ad nostrum propositum dubitare licet 1. An Titius fuerit vere blasphemus? 2. An propterea potuerit juste capitis condemnari?

11. R. Titium vere blasphemum esse ob injurias imagini Crucifixi illatas. Et licet Sanchez, Castropalao, aliique plures bene doceant, eum, qui facto duntaxat injuriosus est Deo, Sacrilegum potius dicendum esse, quam blasphemum, quandoquidem blasphemia secundum dicta in verbo seu locutione potius, quam in facto consistit; practice tamen loquendo minime dubitandum videtur, quin Titius noster blasphemis adnumerandus sit, quippe qui facto tam indigno tamque injurioso Salvatori nostro, satis expressit vilipensionem & contemptum Dei animo conceptum: quemadmodum etiam in humanis nedum verbis, sed & factis non raro exprimitur mens vel injuria erga proximum, juxta illud Apostoli *Tit.* 1. *v.* 16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*: ergo & Titius noster dici potest vere blasphemus, sin minus verbalis, saltem realis: immo nec dubitandum, quin & plura verba injuriosa erga Deum vel Christum Dominum effutierit. Videatur R. D. August. Michel *in Theolog. Canon. Morali tom.* 2. *appendice* 2. §. 9. *num.* 8. *folio mihi* 820.

12. R. Si Titius memoratas injurias erga Deum & imaginem Crucifixi voluntarie, & satis sibi præsens (quod Judici examinandum relinquimus) exercuit, potuit etiam juste capitis condemnari. Enimvero præterquam quod mortis supplicium jam pridem a Deo in blasphemos fuerit decretum *Levit.* 24. *v.* 16. insuper & in jure civili *Authent. collat.* 6. *tit.* 6. *Novella* 77. *c.* 1. §. 2. statutum hoc renovatum legitur, blasphemos scilicet ultimo supplicio esse afficiendos. Idipsum habetur decisum a Carolo V. *constitut. crimin. art.* 106. Et quamvis justissimus rigor pœnarum (inquit R. P. Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 26. *num.* 23.) contra blasphemos pluribus in locis ob invalescentem abusum blasphemandi exacte non observetur, tamen recte monet Clarus §. *Blasphemia num.* 3. cum aliis ibidem allegatis, id fieri ex defectu justitiæ & Religionis; cum utraque hæc virtus exigat, ut nil magis puniatur, & terrore pœnæ extirpetur, quam blasphemia, utpote vitium omnium maximum.

At, inquies, esto gravissimæ pœnæ tam jure civili, quam Canonico etiam, in

in blaſphemos fuerint olim ſtatutæ, utputa excommunicatio in laicum, & depoſitio in Clericum (ferendæ, non latæ ſententiæ) *Can.* 10. *c.* 22. *q.* 1. Item ignominioſa ſtatio præ foribus Eccleſiæ nudo capite & pedibus, fune collo injecto. *cap.* 2. *de Maledicis*. Incarceratio vel miſſio ad triremes *in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ.* 9. & aliis Bullis, præſertim Julii III. & Pii V. nihilominus fatentur Catholici etiam Doctores, nominatim Azorius *tom.* 1. *l.* 9. *c.* 28. *q.* 9. Filliucius *tr.* 25. *num.* 32. & alii plures, hujuſmodi pœnas hodie non eſſe uſu receptas, ſed totum hoc negotium quantum ad punitionem blaſphemorum arbitrio Judicis permitti: ergo cum aliunde conſtet, interpretatione legum pœnas moliendas potius eſſe, quam aſperandas; *lib. interpretatione ff. de pœnis*, & odia eſſe reſtringenda *per cap. odia de R. J. in ſexto*; hinc dicendum potius videtur, quod Judex in noſtro caſu Titium capitis condemnando injuſte egerit.

13. R. Azorium *loc. cit.* ſolum loqui de pœna Canonica ſeu graviſſima pœnitentia a Confeſſario juxta conſtitutionem Concilii Lateranenſis blaſphemo injungenda, quam dicit hodie non amplius eſſe in uſu: non autem loquitur de aliis pœnis. Et licet Filliucius *loco citato* videatur etiam loqui de pœna capitis; contrarium tamen conſtat ex ſpecie facti in noſtro caſu, & in aliis pluribus. Unde non abs re R. D. Michel *loc. prox. cit. num.* 13. ait: *In enormibus blaſphemiis præſertim realibus adhuc hodie ad capitale ſupplicium procedi ſolet*. Verum cum hæc non tam forum Confeſſarii, quam Judicis politici concernant: hinc ne videamur velle falcem mittere in alienam meſſem, eorum conſcientiis relinquimus hoc negotium, quod noverint ſecundum leges communes aut municipales, vel denique ſecundum approbatas conſuetudines locorum tractandum, ſeu decidendum.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius conditione Auriga fatetur, ſe ſæpius blaſphemaſſe & maledixiſſe nedum domeſticis ſuis, ſed vel maxime etiam equis, ſeu (ut germanicis utamur terminis) Er habe offt geſcholten/ *ſacramenti* err und geſfluecht uber Leuth und Vich: *hunc cum Confeſſarius nonnihil reprehendere aut ſerius dehortari voluit, repoſuit ille: Domine equidem libentiſſime abſtinerem a ſimilibus, at vero uſus jamjam videtur invaluiſſe, ut nec homines neque jumenta amplius obtemperent, prinſquam blaſphemias & execrationes audiant. Immo vero (ſubdidit idem) jam ſæpius rem tentavi, equos meos per nomen Domini adhortando, & quaſi obſecrando ad laborandum &c. ſed in caſſum: quamprimum vero blaſphemare, iiſdemque maledicere incæpi, pariter & ipſi opus ſuum ſtrenue fuerunt executi. Jam ad noſtrum propoſitum quæritur primo, quidnam Confeſſarius habeat obſervare circa talem pœnitentem? ſecundo an tuta conſcientia poſſit eundem abſolvere non obſtante, quod videatur prorſus incorrigibilis & inveteratus peccator?*

14. R. ad primum quæſitum. Confeſſarius in tali caſu debet indagare, an pœnitens revera fuerit uſus terminis blaſphemis, utputa dicendo: *mille Sacramenta &c. perdat vos ſanguis Chriſti &c.* tunc enim probabilius (ſaltem per ſe loquendo) peccaſſet mortaliter toties quoties. Et ratio hujus eſt: Quia quemadmodum fides nos obligat ad nunquam proferenda talia verba, quibus vera fides negatur; ita virtus Religionis nos adſtringit ſub gravi culpa ad nunquam proferenda talia verba, quibus Deo aut rebus divinis gravis injuria irrogatur; quemadmodum ergo in priori caſu per ſe loquendo graviter peccatur, eſto fortaſſis proferens verba non tam intendat negare fidem, quam v. g. evadere periculum ſibi imminens; ita & in poſteriori caſu per ſe loquendo graviter peccatur contra virtutem Religionis. Secundo debuit Sempronio eximi ſiniſtra & prorſus Deo injurioſa perſuaſio, quod ſcilicet blaſphemando plus effici poſſit, quam

quam orando &c. prorsus inquam impia & injuriosa est hæc persuasio; animalia quippe non tam terreri vel ad laborem impelli possunt blasfemiis, quam aliis clamoribus aut verberibus, prout experientia probat. Videantur de hoc Illsung *tract. 5. disp. 3. numer. 295.* vel Babenstuber *tr. 5. disp. 3. art. 1. num. 8.*

15. Dixi tamen: *Si revera usus fuerit terminis seu verbis blasphemis*; nam secus dicendum, si (uti quamplures faciunt) ex fine non blasphemandi verba ita immutavit aut dimidiavit, ut non amplius significarent rem sacram, & per consequens nec blasphemiam, ut si loco: **GOtts Sacrament** dixit: **botts Salament**, vel **Saprement** aut **Saffrement** &c. quia hæc & similia verba non continent injuriosam locutionem vel inhonorationem Dei aut rei sacræ, veluti cuivis terminos intelligenti aut perpendenti patebit: ergo ex hoc supposito Sempronius noster non commisisset veram blasphemiam, esto fortassis adhuc potuisset peccare graviter ratione scandali, si forte alii audientes existimassent eum revera protulisse verba blasphema seu inhonorativa Sacramentorum vel Dei. Prout sapienter advertit R. P. Claudius de la Croix *lib. 3. part. 1. n. 252.* Gobat, Tamburinus & alii plures.

16. R. Jam ad secundum sub data distinctione. Nam si revera non protulit verba contumeliosa erga Deum seu blasphemantia, potest ac debet absolvi citra omnem controversiam. At vero si verba vere blasphema, & Deo injuriosa proferre assuevit, seriose dehortandus est a similibus, & admonendus, ut pro viribus conetur pessimam hanc consuetudinem deponere; secus enim velut destitutus efficaci proposito in materia necessaria, non foret capax absolutionis, veluti ex hactenus dictis constare potest.

Porro si verba supponantur non continere adeo enormen contumeliam in Deum vel Sacramenta, nec falsitatem aliquam hæreticam, ut si blasphemus simpliciter soleat proferre *Sacramenta, Dei Sacramenta, Chrisma, Crux Christi* &c. omnino a peccato mortali excusari possunt. Similiter imprecationes, quas milites vel rustici, aut aurigæ faciunt in sua jumenta vel subditos, a mortali peccato excusandos censent quamplures Doctores, eo quod hæc, & similia non fiant serio, vel non satis deliberate. Ita Sporer *tr. 2. in decalog. cap. 10. nu. 24.* Gobat, Laymann, itemque Matthæucci, Cajetanus, Toletus, & alii plures, quos refert & sequitur Filliucius *tr. 25. num. 31.* & R. D. Augustinus Michel *loc. cit. n. 5.* Quo supposito Sempronius noster facilius adhuc potest absolvi, tametsi omnes Doctores moneant, pœnitentes ab hujusmodi corruptelis serio esse dehortandos a Confessariis.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus fatetur, se aliquando Clericum quemdam violenter adegisse ad dandas sibi pecunias, eo vero id recusante & multum tergiversante, se porro in hæc verba (haud equidem animo blasphemandi, sed præcise terrorem incutiendi) prorupisse:* **Du millions rausent Sacraments Pfaff:** *diabolus me in mille frusta discerpat, nisi te vel in minimo adhuc tergiversantem sine mora occidero. Quin & ulterius majoris terroris incutiendi causa breviarium manibus ejusdem Clerici ereptum (fuerat enim is actu occupatus in persolvendo penso suo canonico) projecisse in terram, Sanctorum imagines inde delapsas ac dispersas pedibus conculcasse, quatenus se hoc modo monstraret totum quantum in rabiem actum. Jam ad nostrum propositum quæri potest de Cajo 1. an dici possit aut debeat blasphemus? 2. an non incurrerit casum reservatum blasphemiæ formalis, qui in nonnullis Diœcesibus, nominatim in Passaviensi, solet reservari Reverendissimo ac Celsissimo Ordinario?*

17. R. ad primum quæsitum, Cajum vere dicendum esse blasphemum; quia, ut ex specie facti liquet, protulit verba nedum in Sacerdotem, sed & in ipsum DEUM summopere contumeliosa, ob vilipensionem, & contemptibilem, immo vero de se hæreticam etiam multiplicationem Sacramentorum. Ita post Tannerum, Laymannum & Gobat, Sporer *tract. 2. in decalog. cap. 10. num. 29.* merito subdens, patibulo, li-

gno, igne, & orco dignos esse ribaldos illos, qui consueverunt eructare tonnas, milliones, & integras galeras Sacramentorum, quorum e censu procul dubio fuit Cajus noster, ex meritis de condigno ad altiora, furcam scilicet, promotus.

At, inquies fortassis, Cajus non supponitur habuisse animum inhonorandi Deum vel Sacramenta, sed solum incutiendi terrorem per hujusmodi verba, & hoc modo extorquendi pecunias, quas quantumvis bonis, immo vero optimis etiam verbis nunquam impetrasset: esto proin ob hanc injustam extorsionem graviter deliquerit nedum contra charitatem, sed & contra justitiam (de quo nemo dubitat) revera tamen blasphemiam non commisit.

18. R. Negando hanc consequentiam; nam ad rationem blasphemiæ minime necessum est, ut quis habeat positivum animum inhonorandi Deum (quod vere diabolicum esset, & raro admodum inter vere fideles contingere natum) sed sufficit, quod quis verba Deum inhonorantia proferat in iis circumstantiis, in quibus ab aliis creditur serio loqui: fere quemadmodum ad veram infamiam vel contumeliam proximo inferendam satis est, quod proferas verba eundem vilificantia, ita, ut hæc ab aliis ut vere talia & animo serio prolata apprehendantur, esto fortassis non habueris serium animum eundem diffamandi, prout recte arguit Castropalao *part.* 3. *tract.* 17. *disp.* 2. *pu.* 2. §. 1. *num.* 3. Sanchez, Suarez, Valentia & alii. Secus dicendum merito existimat Illsung *loco citato*, eumque secutus Babenstuber ubi supra *art.* 1. *numer.* 8. si verba blasphema proferantur in talibus circumstantiis, in quibus alii bene apprehendunt, ea non proferri serio, sed merum materialiter, prout fieri posset in theatris seu comœdiis, ubi nonnunquam idololatria repræsentari solet, utique sine omni peccato. Vide etiam, si placet, de la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 250. vel Gobat *alphabeto quadruplici part.* 3. *de blasphemia casu* 20.

19. R. Jam ad alterum quæsitum ejusdem casus, Cajum probabilius incurrisse casum reservatum blasphemiæ. Et ratio hujus liquet ex proxime dictis; quia revera protulit verba blasphema: idque potissimum præsumendum est pro foro externo, utpote in quo nullatenus constat, eum dicta verba non nisi materialiter, & præcise animo terrorem incutiendi usurpasse, licet hanc ob causam in foro conscientiæ fortassis excusari possit a formali blasphemia, & per consequens a pœna reservationis. Ceterum ex eo præcise, quod breviarium in terram projecerit, & imagines inde delapsas pedibus conculcaverit, potius Sacrilegus dici meretur, quam blasphemus: & licet suo modo secundum dicta *num.* 2. dici possit blasphemus realis: quia tamen decreta reservativa casuum velut restrictiva potestatis jurisdictionis odiosa sunt, & hoc ipso stricte interpretanda; hinc non videntur extendenda ad blasphemiam realem, sed potius restringenda ad verbalem duntaxat, ceu blasphemiam proprie talem.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

20. Colliges ex hactenus dictis primo, non esse condemnandos blasphemiæ illos, qui proximo suo (vel etiam jumentis) maledicunt, seu mala imprecantur, v. g. mortem, fulmen, furcam, rotam, aliamve infirmitatem. Ratio est: quia similia maledicta non solent effundere in hominem quatenus is est creatura Dei aut aliquid dicens ordinem ad Deum, sed potius quatenus est creatura suo modo culpabilis vel defectibilis, aut certe eo fine, ut indignationem conceptam vel iram exprimant. Tametsi autem similia maledicta per se loquendo sint graviter peccaminosa, nihilominus quia plerumque fieri solent ex subitanea commotione, inadvertentia, aut certe non animo serio; hinc plerumque in praxi fiunt absque peccato mortali: nam si hujusmodi pœnitentes interrogentur, an hujusmodi mala serio exoptarint, plerumque respondent, quod non: immo vero quod ægerrime tulissent, si quid simile evenisset. Videatur Sporer *tr.* 2. *in decalog.*

calog. c. 10. *sect.* 3. *n.* 25. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 1. *n.* 10.

21. Quinimmo hujusmodi maledictiones in res præsertim inanimatas non raro ob honestum finem factæ excusari possunt ab omni culpa, veluti plura nobis exstant exempla ex sacris paginis, e quibus habetur, quod David maledixerit montibus Gelboe ob interfectos ibi Saulem & Jonatham. Similiter Job & Jeremias leguntur maledixisse diei ac nocti, in qua nati & concepti fuere, scilicet ob peccatum originale tunc incursum &c. Simili modo absque omni peccato maledicimus diabolo, velut incitatori & auctori omnis malitiæ: licite insuper & sancte unusquisque maledicit horæ, diei, vel occasioni, qua seductus vel ad offendendum Deum ceu summum bonum nostrum inductus fuit.

Sed quid tenendum, inquies fortassis, de iis, qui maledicunt vento, pluviæ, igni, aliisve Elementis?

22. R. Similia maledicta plerumque fieri absque mortali peccato; eo quod non fiant erga eleementa, quatenus sunt aliquid Dei, vel quatenus DEUS iisdem utitur ad castiganda nostra peccata, sed præcise ad exprimendam indignationem vel aversionem erga malum nobis inde imminens; quæ expressio graviter non est peccaminosa, quandoquidem affectus maledicentis vi hujus nullo modo redundet in Deum. At vero si filius maledicat horæ, in qua conceptus vel natus fuit, idque in odium & aversionem suorum Parentum, præsertim si hoc exprobret in faciem illorum, nemo facile eundem excusabit a peccato mortali nedum contra charitatem, sed & contra pietatem parentibus debitam, veluti sana ratio cuivis prudentum facile dictabit. Sporer *loc. cit. n.* 25. *fin.*

23. Colliges secundo, eum, qui verbis vel textibus Sacræ Scripturæ abutitur ad jocos profanos, reprehensione quidem dignum esse, non tamen proprie blasphemum, eo quod hujusmodi verba non supponantur contumeliosa Deo, modo absque contemptu, & non nimis frequenter fiant. At vero, si quis abutatur verbis Sacræ Scripturæ ad impia, utputa Canticis Canticorum ad lasciva, prout de nonnullis impiissimis & sceleratis hominibus legitur, procul dubio committitur peccatum mortale blasphemiæ orco dignum, uti post Tambur. & Gobat recte docet de la Croix *lib.* 3. *p.* 1. *n.* 251.

Dices rursus: sed quid tenendum de sequentibus formulis: 1. *Stultus es*, inquit nonnemo, *tametsi DEUM haberes Patrem*. 2. Alius ait: *Hoc quod dico, tam est verum, quam vere Deus vivit*, aut: *quam vere Deus in cælo existit*. 3. *Bone DEUS!* audiuntur subin alii dicere, *quid feci tibi, quod me tam dure tractes?*

24. R. Has & similes formulas excusari posse, licet ægre a blasphemia, & prima quidem, in hoc sensu intellecta, quod hic vel ille homo sit stultus, tametsi supponeretur habere Patrem tam sapientem, quam Deus est sapiens. Secunda, si hoc modo intelligatur, quod, quemadmodum DEUS non potest non vivere vel non existere in cœlo, ita & hoc assertum non possit non esse verum, eo quod a parte rei res ita se habeat, uti asseritur. Tertia denique formula excusari potest, si sumatur vel intelligatur præcise in sensu admirantis vel non scientis, quam ob causam Deus hanc vel illam gravem tribulationem sibi immiserit. Verum quia hujusmodi propositiones pessime sonant, & hoc ipso quod pias fidelium aures lædant, de se natæ sint præbere scandalum audientibus, vel minus intelligentibus: hinc prorsus interdicendæ sunt a Confessario, & a Fidelibus nunquam usurpandæ, prout cum P. Sporer & aliis bene monet de la Croix *l. cit. n.* 254.

25. Colliges tertio, a Confessario caute tractandum & examinandum esse pœnitentem, qui (uti simpliciores sane sæpissime faciunt) sese accusando nihil aliud dicit germanice, quam Herr gescholten / geflucht und geschwört. Enimvero oportet præ primis scire quidnam intelligant per hujusmodi terminos, utpote multum inter se differentes; nam schelten Germanorum idiomate idem significat, ac blasphemare: fluechen idem, ac maledicere, seu

seu male imprecari : schrodren idem, ac jurare : & hoc ipso quod simpliciores soleant in sacro tribunali confundere dictos terminos, aut certe, non nisi generaliter & admodum rude se exprimere; tunc necessum est, ut in simili casu Confessarius studeat supplere defectum, examinando pœnitentem, quibusnam verbis fuerit usus? Et siquidem deprehenderit verba revera non fuisse blasphema aut certe dubia, mitius tractari debet pœnitens, neque censeri incurrisse casum reservatum : si vero verbis vere blasphemis fuit usus, interrogandum porro erit, an hæc protulerit vero animo inhonorandi Deum; nam hæc intentio foret indicium cujusdam odii vel aversionis erga Deum concepti, & hoc ipso distincti peccati a blasphemia : si autem dicat, se minime intendisse Deo maledicere vel inhonorare Eundem, sed ex ira erga hominem vel jumentum concepta similia protulisse, non tam graviter deliquisse censendus est, licet reipsa blasphemiam commiserit, modo supponatur apprehendisse vilipensionem Dei, vel rei sacræ, hujuscemodi verbis expressam. Videatur Tamburinus *lib.* 2. *in decalog. c.* 6. §. 4. *n.* 19. Laymann *lib.* 4. *tr.* 10. *c.* 6. *num.* 12.

26. Colliges quarto, eos, qui ex perversa consuetudine blasphemare solent, aut maledicere creaturis, sæpius quidem a peccato mortali formaliter tali excusari posse, idque ob nimiam præcipitantiam & indeliberationem, passionemve prædominantem; nihilominus manere obligatos sub reatu mortalis peccati ad dandam operam in ordine ad deponendam hanc pravam & pessimam consuetudinem.

Ratio est : quia consuetudo perversa seu habitus vitiosus inclinare solet ad verba blasphemiæ, & hoc ipso hominem constituere in periculo blasphemandi saltem materialiter, & forte alios audientes scandalizandi : ergo tenetur contra hanc perversam consuetudinem luctari; secus enim blasphemiæ velut indirecte & in causa voluntariæ merito eidem imputari deberent ad culpam, ita, ut per se loquendo in actu Confessionis teneretur nedum exprimere numerum blasphemiarum, verum insuper consuetudinem blasphemandi voluntarie retentam, ceu distinctum peccatum, juxta *communem Doctorum* videndam apud Laymannum *lib.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *num.* 6. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 1. *nu.* 7. de la Croix *ubi supra num.* 249.

At, inquies fortassis, quibus ergo motivis aut mediis retrahendus est talis pœnitens ab hujusmodi perversa consuetudine?

27. R. Motiva (ni fallor) satis efficacia erunt 1. quod blasphemando Deum sine causa gravissime offendat, & hoc ipso 2. Divinam Nemesin contra semetipsum provocet, 3. proximum scandalizet, & honestioribus saltem se ipsum odiosum reddat, sibique 4. irascendo vitam abbreviet &c. Medicinæ loco autem eidem salubriter præscribi potest 1. ut sæpius contra hanc pessimam consuetudinem animum obfirmet, firmiter scilicet proponendo, quod deinceps ab ejusmodi verbis velit omnino abstinere, aut certe 2. verba ita immature, ut non amplius significent blasphemiam. 3. quod si denuo quacunque demum occasione vel passione in hujusmodi verba proruperit, velit illico seipsum castigare, v. g. recitando Pater noster & Ave Maria, aut devote tundendo pectus, aspiciendo Crucifixi imaginem, cum proposito imitandi exemplum patientiæ &c. Plura hujusmodi remedia dictabit unctio Spiritus Sancti : quocirca vel maxime etiam habenda erit consideratio personarum; quod enim uni prudenter, alteri fortassis sine nota imprudentiæ consuli, aut præscribi non posset, veluti pariter experientia docet Medicos corporis. Videatur Pontas *in direction. cas. V. blasphemia cas.* 2.

CONFERENTIA SECUNDA.

De natura & distinctione Juramentorum.

SUMMARIUM.

28. *Juramentum idem est, ac invocatio Divini Nominis in testimonium &c.*
29. *Ad quod essentialiter requiruntur duæ conditiones.*
30. *Per se loquendo licitum est jurare, servatis tamen certis conditionibus & circumstantiis.*
31. *Insinuatur breviter distinctio juramentorum, tum ex parte rei juratæ, tum etiam ex parte modi jurandi petita.*
32. *Quid sit juramentum assertorium, & quid promissorium?*
33. *Quid juramentum explicitum, & quid implicitum?*
34. *Quid juramentum simplex, & quid solenne?*
35. *Quid juramentum judiciale, & quotuplex; & quid extrajudiciale?*
36. *Quænam conditiones requirantur ad hoc, ut quis in judicio licite juret.*
37. *Quid sit juramentum contestatorium, & quid execratorium?*
38. *Ubi verba jurandi fuere dubia, a Confessario examinanda est mens, & intentio jurantis.*
39. *Præsertim dum juravit per creaturas.*
40. *In foro externo a Judice solent attendi verba, quibus jurans fuit usus, & aliæ circumstantiæ.*
41. *Resolvitur Casus I. cujusdam puellæ rusticæ sese accusantis, quod bina vice egerit contra jusjurandum.*
42. *An hæc agendo contra fidem sponsalitiam revera peccaverit contra virtutem Religionis.*
43. *Et quid, si dicat, sponsum prius egisse contra eandem fidem seu fidelitatem sponsaliorum.*
44. *Resolvitur Casus II. cujusdam militis desertoris, uti vocant, quem Confessarius voluit adstringere, ut ad castra reverteretur.*
45. *Utrum ex eo, quod cum aliis commilitonibus in signum juramenti duos digitos elevaverit, dicendus sit vere jurasse?*
46. *An vere jurent, qui interponunt fidem Sacerdotalem, vel fidem Nobilium?*
47. *Resolvitur Casus III. de quodam Mercatore assueto suas merces contra mentem verbis juramentum sonantibus extollere.*
48. *Unde per se loquendo censeri debet perjurus.*
49. *In praxi tamen ad ferendum congruum judicium Confessarius debet uti una alterave cautela.*
50. *Quemadmodum omnia juramenta quæ talia sunt ejusdem speciei; ita vicissim omnia perjuria.*
51. *Per accidens tamen multæ aliæ peccatorum species conjungi solent perjuriis.*
52. *Affirmantes vel negantes aliquod per modum sponsionis, dici non possunt, neque debent, vere jurare.*
53. *Afferuntur breviter nonnullæ aliæ formulæ a vero juramento alienæ.*
54. *Falso jurans committit gravissimum peccatum perjurii dictum.*
55. *Quando, vel quomodo Confessarii Concionatores & Catechistæ debeant auditores suos dehortari a consuetudine jurandi, vel etiam in hac materia errantes instruere.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus circa naturam Juramenti.

QUæres primo, quid sit Juramentum? & quænam conditiones ad hujus naturam essentialiter requirantur?

28. R. ad primum: Juramentum ut sic recte describitur, quod sit invocatio Divini Nominis in testimonium alicujus rei. Ita DD. *communissime*. Explico brevissime. Dicitur. 1. *invocatio*, ut detur intelligi, juramentum esse actum Religionis, & quidem latriæ; nam ut ait

ait S. Hieronymus *in cap.* 5. *Matth. Qui jurat, aut veneratur, aut diligit Eum, per quem jurat*. Poteſt autem hæc invocatio fieri dupliciter, ſcilicet vel 1. expreſſe, ut dum quis dicit: *Teſtor Deum* &c. vel implicite ut ſi quis dicit: *Teſtis ſit mihi cælum & terra* &c. quia hoc modo cenſetur invocare Auctorem ſeu Creatorem cœli ac terræ; unde & nata eſt illa diviſio juramenti in ex- & implicitum, prout mox dicetur. Dicitur 2. *in teſtimonium* &c. ut per hoc innuatur finis juramenti, qui eſt dictis fidem facere, & alterum de re jurata reddere ſecurum, quod aptius fieri nequiret, quam recurrendo & implorando teſtimonium Dei, quippe qui ſolus infallibilis eſt in tantum, ut nec falli poſſit, neque fallere, uti bene notant Laymann, Filliucius, & alii DD.

29. R. Jam ad alteram partem quæſiti. Ad naturam veri juramenti eſſentialiter requiruntur duæ conditiones, 1. imo ut fiat per verum, & non per falſum aliquem Deum, per diabolum vel aliam quamlibet creaturam. 2. Ut fiat animo & intentione jurandi, ſeu implorandi teſtimonii Divini. Ita *in re communiter Doctores*. Ratio prioris eſt: quia juramentum fit in ordine ad confirmandam aliquam veritatem, & quidem teſtimonio firmiſſimo ac infallibili: atqui ſolus verus Deus, utpote falli & fallere neſcius poteſt reddere teſtimonium firmiſſimum & infallibile: ergo &c.

Ratio autem poſterioris eſt: quia vis juramenti pendet ab intentione loquentis, ſicut vis voti ab intentione & mente voventis; ergo quemadmodum votum ſine intentione vovendi a parte rei nullum eſt; ita & juramentum ſine intentione jurandi ſeu invocandi Deum in teſtem; nam actus non operantur ultra intentionem agentis. Illud tamen poſt Tannerum ſapienter notat R. D. Michel *Theolog. can-mor. tom.* 2. *part.* 2. §. 4. *pu.* 4. *num.* 20. *fol.* 478. ſcilicet non ſemper neceſſum eſſe, ut interveniat formalis intentio jurandi, ſed ſufficere virtualem, quæ tunc præſumitur intervenire, quando quis uſurpat verba juratoria in ſenſu uſitato: etſi expreſſe & formaliter non cogitet de invocando divino teſtimonio.

Quæres ſecundo, ſitne licitum jurare?

30. R. Per ſe loquendo omnino licet, at ſervatis duntaxat certis circumſtantiis & conditionibus. Ita *omnes Catholici*.

Ratio hujus petenda eſt tum ex illo *Deuter.* 6. *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen ejus jurabis*; tum etiam, quia juramentum debitis conditionibus (de quibus in proxima Conferentia) veſtitum, eſt actus latriæ & Religionis: ergo recte exhibetur Deo; hac de cauſa Doctor Gentium in ſuis Epiſtolis ſæpius juraſſe legitur, & nedum in jure civili, ſed & Canonico certa juramenta pro diverſitate perſonarum & conditione officiorum præſcribuntur & præcipiuntur. Nec obſtat, quod Jacobus Apoſtolus in ſua Epiſtola, immo vero Chriſtus ipſe *Matth.* 5. videantur prohibuiſſe omne juramentum; nam per illa verba ſolum prohibetur, ne paſſim, & facile, vel temere abſque neceſſitate aut reliquis conditionibus juretur, uti bene interpretatur Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 1. eumque ſecutus Babenſtuber *tr.* 5. *diſp.* 3. *a.* 2. *n.* 12. Quænam autem conditiones requirantur ad hoc, ut licite etiam juretur, dicemus *Conferent. quarta a n.* 93.

Quæres tertio, quotuplex ſit juramentum?

31. R. Juramentum ut ſic prima ſui diviſione recte diſtinguitur ex parte *rei juratæ* in aſſertorium & promiſſorium:

Ex parte modi jurandi dividitur 1. in explicitum & implicitum. 2. in ſimplex & ſolenne. 3. in judiciale, & extrajudiciale. 4. in conteſtatorium & execratorium. Ita Henno *tract. in decalog. diſp.* 2. *q.* 2. *art.* 3. Ratio hujus partitionis conſtabit amplius ex jamjam dicendis. Unde pro majori claritate

Quæres jam quarto, quid ſit juramentum aſſertorium, & quid promiſſorium?

32. R. Juramentum aſſertorium eſt, quo ſub invocatione Divini Nominis aliquid præſens aut præteritum aſſeritur; ut ſi quis dicat: Teſtor Deum, me eſſe innocentem: juro per Deum, me hoc vel illud feciſſe v. g. ſolviſſe debitum &c. Promiſſorium dicitur quo aliquid promiſſum ut futurum confirmatur; ut ſi quis dicat: juro me tot & tot daturum pauperibus, vel ad pias cauſas &c. vel

Deus ſit mihi teſtis, quod velim hanc vel illam ducere in conjugem &c. Huc pariter revocari poteſt ac debet juramentum comminatorium, id eſt, illud, quo quis jurat, ſe hanc vel illam pœnam inflicturum delinquenti &c. Illud porro diſcriminis advertunt Doctores inter juramentum aſſertorium, & promiſſorium, quod ad illud prius non requiratur, niſi una veritas, rei ſcilicet, quæ aſſeritur: ad poſterius autem, id eſt, promiſſorium requiritur duplex, ſcilicet 1. quod jurans habeat hic & nunc intentionem exequendi promiſſum, & 2. quod hoc ſuum promiſſum, revera exequatur. Ceterum quomodo peccetur, ſi quis juret ſine veritate, dicemus paulo inferius *Confer. quarta a n. 95.*

Quæres quinto, quid ſit juramentum explicitum, & quid implicitum?

33. R. Explicitum illud appellatur, quod fit cum expreſſa invocatione Dei, utputa dicendo: *Juro per Deum: Deus ſit mihi teſtis*: vel, *ſic me Deus adjuvet*: vel, *diſperëam, diabolus me rapiat &c. niſi ita ſit &c.* Vel Germanice loquendo: Auf mein Ayd: auf mein Seel: So wahr GOtt lebt: So wahr GOtt im Himmel iſt &c. Implicitum juramentum appellatur, quando juratur per tales creaturas, in quibus Deus ſpecialiter relucet, utputa *per Cælum, per Fidem Catholicam, per Deiparam, per Sanctos &c*

Quæres ſexto, quid ſit juramentum ſimplex, & quid ſolenne?

34. R. Juramentum ſimplex nuncupatur, quod fit communi & placita jurandi formula abſque ulla ceremonia: ſolenne e contra appellatur, quod fit cum forma aliqua ſeu ritu ſolenni ex præſcripto juris, utputa manus aut priorum digitorum elevatione, eorumve poſitione ſupra librum Evangelii, vel ſupra pectus, quod alio nomine vocari ſolet Juramentum corporale (germanice) ein Cörperlicher Ayd.

Quæres ſeptimo quid intelligatur nomine juramenti extrajudicialis, & quid nomine judicialis?

35. R. Extrajudiciale illud appellari, quod ſine Judice; judiciale vero, quod coram Judice legitimo deponitur, veluti ex ipſo nomine utriuſque datur intelligi. Hoc poſterius, judiciale ſcilicet, adhuc multipliciter partitur a Juriſtis; nam. 1. aliud vocant *calumniæ*, & *malitiæ*, aliud *credulitatis* & *veritatis*, de quibus fuſiſſime tractant Juriſtæ *ad tit. de juram. cœlum, & de teſtibus*; ad quos proin Lectorem remittimus. 2. Aliud appellant *litis deciſorium*, & aliud *juramentum in litem*. Juramentum in litem dicunt, quo lis, ſive res, de qua in lite contenditur, æſtimatur, eſtque juramentum *veræ æſtimationis*, vel *affectionis*, vel *ſuper intereſſe ſingulari*. Juramentum litis deciſivum eſt, quod præſtatur ab alterutra parte litigante litis finiendæ gratia, in defectu aliarum probationum: Et hoc, caſu quo ab alterutra parti colitiganti defertur approbante Judice dicitur *voluntarium*, vel quia *a volente* defertur, vel quia altera pars delatum non tenetur niſi *volens* acceptare. At vero ſi hoc juramentum ob defectum probationum alterutri parti litigantium deferatur ab ipſo Judice, ſive ex officio, ſive ad inſtantiam alterius partis, in ordine ad indagandam veritatem, appellatur juramentum *neceſſarium*, idque in cauſis criminalibus vocari ſolet *purgatorium*, quia eo mediante reus quodammodo purgatur a crimine: in cauſis autem civilibus dicitur *ſuppletorium*, ſeu ſuppletivum alterius ſufficientis probationis. Videantur de his Laymann *lib. 4. tr. 3. c. 5.* Sporer *tr. 3. in decalog. c. 1. ſect. 1. n. 15.* Pichler *in Compend. J. C. lib. 2. tit. 24. n. 2.* vel Reiffenſtuel *eodem tit. §. 1. a n. 11.*

At, inquies, quænam conditiones neceſſariæ ſunt de jure communi ad hoc, ut quis in judicio licite juret?

36. R. Breviter cum P. Henno *l. cit. art. 3. concl. 2.* tres requiri. 1. Ut jurans ſit jejunus *cap. 16. 22. q. 5.* ſed hoc tantum de conſilio eſt, non de præcepto, ait idem. 2. Ut juramentum non deponatur diebus dominicis aut feſtis, niſi pro bono pacis, aut piæ cauſæ. *c. 5. de feriis.* 3. Ut is, qui jurat, non ſit in judicio de perjurio convictus & damnatus, nec impubes, vel ſi ſit Clericus, nec juret, nec teſtificetur, nec præſtet juramentum de calumnia (id eſt, jurando, quod cauſam moveat bona fide, & non ani-

animo calumniandi) coram laico sine licentia sui Episcopi: potest tamen Clericus hoc facere, si a laico non cogatur ad illud faciendum, nec ipsum Superiorem agnoscat. *per cap.* 22. *causa* 22. *q.* 5. Ita *Doctor citatus*.

Quæres octavo, quid sit juramentum contestatorium & quid execratorium?

37. R. Contestatorium illud appellatur, in quo Deus simpliciter vocatur in testem, sive de re præsenti sive de præterita aut futura, utputa dicendo: testor Deum, quod semper fuerim, quod sim hodie, & semper futurus Catholicus &c. Execratorium dicitur illud, quo nobis vel alteri aliquid mali imprecamur quasi sub conditione, nisi hoc vel illud, quod asserimus verum sit, & sic quodammodo nosmetipsos divinæ ultioni submittimus, invocando Deum in testem, immo & in vindicem, ut is pœnam infligat, nisi verum loquamur. Et hæc juramenta inter homines sunt valde frequentia ac familiaria, veluti amplius patebit ex dictis in casibus subsequentibus.

Quæres nono, quid judicii a Confessario ferendum sit, casu quo intelligit, illum qui juravit, usum fuisse verbis ambiguis, aut suo modo dubiis?

38. R. cum P. Tamburino *lib.* 3. *in decalog. cap.* 1. *§.* 3. *n.* 6. Sporer *tr.* 3. *c.* 1. *n.* 9. & aliis pluribus, in foro conscientiæ a Confessario semper esse attendendum ad mentem seu intentionem jurantis. Vel enim is positive intendit Deum invocare in testem, vel hoc positive non intendit, seu non voluit, vel denique omnino præscidit ab utroque, ita ut nec positive intenderit invocare, neque etiam positive intenderit non invocare divinum testimonium? Si primum censendus est jurasse, quibuscunque demum verbis quantumvis dubiis fuerit usus. Si secundum, rursus liquet, eum revera non jurasse. Si denique tertium, concludendum rursus est, quod revera non juraverit; enimvero qui abstrahit ab invocatione & non invocatione Dei, dici non potest Deum invocare, ut de se liquet. Hac regula bene observata, facile erit discernere, an pœnitens juraverit nec ne?

At, quid, ais, de illis censendum, qui jurant per creaturas?

39. R. Distinguendum esse & attendendum, an juraverint per talem creaturam, in qua Dei bonitas specialiter relucet, vel cujus invocatione Dei memoria excitari solet vel non? Si prius: censendum est & præsumendum pro juramento, non item si posterius. Ratio disparitatis est: quia qui jurat per creaturam, in qua bonitas Dei specialiter relucet, aut quæ specialem Dei cognitionem ingerit, censetur implicite appellare Creatorem. Unde qui jurat per cœlum, merito creditur appellare Creatorem cœli velut residentem in eo loco &c. non item qui jurat v. g. per suam barbam, velut per suum capillum &c. talis enim in prudentum existimatione jocari potius, quam jurare voluisse reputatur, præsertim in foro interno.

40. Dixi: *in foro interno* &c. Nam in foro externo a Judice attendi solet ad verba prolata, quæ, si ex sua natura seu institutione hominum, vel in talibus circumstantiis, ex usu aut consuetudine loci &c. juramentum sonent, solet pariter præsumi pro juramento: secus si neque ex sua natura, neque etiam ex circumstantiis significent juramentum. Ita Doctores allegati, eosque secutus Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 2. *num.* 8.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de natura Juramentorum.

CASUS PRIMUS.

Titia puella rustica *sponso suo jam pridem sese obligaverat ad servandam fidem, & quidem sequentibus verbis*: Neque Deus habeat partem in me, neque ego in Regno cœlorum, nisi tibi soli (*Sponso scilicet*) servavero fidem; *insuper cum nuper ob frequentiores relapsus occasione chorearum & hospitii cum eodem Sponso frequentati Confessarius noluisset eam absolvere, prorupit in hæc verba*: Domine Sacrosancta Eucharistia non amplius tangat linguam meam, si deinceps

vel femel adhuc cum fponfo meo hofpitium frequentavero. *Jam vero fatetur eadem, quod ab ultima confeffione fua femel cum fponfo, & alia vice cum alio quodam frequentaverit hofpitium, & infuper huic pofteriori corporis fui copiam fecerit. Quam ob rem dubitare licet 1. an Confeffarius in hoc cafu potuerit effe contentus fine ulteriori indagine? 2. an Titia condemnanda fit duplicis perjurii contra virtutem Religionis?*

41. R. ad primum. Confeffarius non debuit effe contentus fine ulteriori examine; efto enim multi Doctores exiftiment, nihil amplius effe interrogandum, cafu quo verba clare fignificant juramentum, veluti verba Titiæ noftræ fignificant; fallit tamen hoc non raro apud perfonas plebeas & fimpliciores, quippe quæ fubin utuntur verbis revera juramentum continentibus, quin tamen vim juramenti apprehendant; fubin autem exiftimant fe revera jurare, & fpecialem obligationem contrahere, dum reipfa utuntur verbis nec umbram juramenti comprehendentibus: atqui Titia noftra fupponitur fuiffe communi de plebe: debuit proin interrogari a Confeffario 1. an proferendo præfata verba apprehenderit fpecialem obligationem, & fefe fub juramento voluerit obligare in utroque cafu? 2. an etiam illo tempore, quo hofpitium frequentavit, vel ufum corporis conceffit, fuerit memor promiffionis tum Confeffario, tum etiam fponfo factæ, & an exiftimaverit fe committere gravius peccatum ob prædictam promiffionem? 3. Infuper oportuit indagare, ob quam caufam frequentaverit hofpitium, vel non fervaverit fidem fponfo? Ratio hujus patebit proxime. Unde

42. R. ad fecundum quæfitum. Titia probabilius condemnanda videtur duplicis perjurii. Ratio eft: quia bis in materia gravi egit contra fidem juratam; utraque enim formula mox recenfita continet verum juramentum imprecatorium, quo Titia grande malum a Deo Vindice fibi irrogari voluit, cafu quo non ftaret promiffis. Dixi tamen *probabilius condemnandam videri*: fecus quippe dicendum foret, fi Titia habuiffet juftam caufam cum fponfo accedendi hofpitium, utputa quia ob nuptias vel aliam folennitatem illud declinare non potuit; aut certe, quia prævidit in tali occafione nullum prorfus fubeffe periculum peccandi v. g. ob præfentiam Parentum, aliorumve amicorum &c. Vel fi habuiffet juftam caufam non amplius fervandi fidem fuo fponfo &c. aut contra fidem eidem promiffam ofculum duntaxat, aut tactum impudicum admififfet: quibus fuppofitis a peccato mortali perjurii potuiffet excufari; non enim verofimile eft, quod voluerit fefe jurejurando adftringere vel ad non ingrediendum hofpitium, vel ad fervandam fidem fponfalitiam in iis circumftantiis, in quibus aliunde non amplius teneretur fidem fervare, aut ab ingreffu hofpitii moraliter non poffet abftinere; velut amplius conftabit ex dicendis *in Conferent. proxima a n. 67. ubi de interpretatione juramentorum*.

Sed quid, fi Titia Confeffario refpondeat, fe ideo alteri poteftatem corporis fui feciffe, quia audiverat, fponfum prius fidem fregiffe, habendo rem cum alia?

43. R. Si de hoc moraliter certo conftaret, Titia admittendo alium revera non egiffet contra juramentum fidelitatis, efto fortaffis ex confcientia erronea putaverit, fe contra agere. Ratio eft: quia fponfi fefe obligando ad fervandam fidem, femper cenfentur faltem tacite fubintelligere conditionem, *fi*, & *quamdiu altera compars fidem fervaverit*; fecus enim *frangenti fidem, fides frangetur eidem* juxta *cap. 75. de R. J. in fexto*. Juramentum autem fequitur conditionem auctus: ergo ubi moraliter certo conftat, quod fponfus modo præfato fidem fponfalitiam fregerit, fponfa nedum ab obligatione ejufdem fidei fponfalitiæ, fed infuper etiam a juramento fuperaddito abfolvitur. Dixi rurfus; *Si moraliter certo conftet*; quamdiu enim de hoc non conftat, fed prudenter dubitare licet, tamdiu fponfalia, (& confequenter etiam juramentum adjectum) manent in poffeffione valoris certi, & obligationis; tum quia in dubio non debet præfumi delictum *l. merito ff. pro focio*; tum etiam quia ob delictum dubium nemini po-

potest vel debet auferri jus certum semel acquisitum.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius rogabundus petiit a quodam Confessario matrimonialiter copulari cuidam puellæ sibi desponsatæ; examinatus vero quis sit & unde? respondit candide, se haud nuper castra deseruisse, tum quia in Italiam, utpote sibi valde invisam, noluit amplius ire; tum etiam quia a suo Duce hactenus non potuit obtinere licentiam ducendi uxorem. Confessarius id audiens, mi bone Vir, ajebat: noveris procul dubio, dimitti non posse peccatum, nisi restituatur ablatum: tu teipsum, & quidem contra jusjurandum abstulisti, vel potius subtraxisti e castris, si ergo nolis redire, ego te non possum absolvere, multo minus matrimonialiter copulare, quandoquidem non sum Parochus. Sempronius e contra replicavit: Domine, inquiens, ego nunquam intendi memet jurejurando adstringere, esto aliorum more, dum jurandi formula nobis fuit prælecta, duos elevaverim digitos in signum juramenti. De cetero sciat, me non amplius rediturum ad castra, neque posse redire sine dispendio vitæ, si ergo nolit me absolvere, malo manere ligatus peccatorum vinculis, quam fune aut catenula suspendi in patibulo. Quæritur jam 1. an Confessarius prudenter egerit Sempronium quodammodo adstringendo ad redeundum, & tergiversantem dimittendo sine absolutione? 2. an Sempronius more aliorum elevando duos priores digitos revera non juraverit, consequenter & deserendo castra perjurii reus sit?

44. R. ad prius quæsitum, Confessarium imprudenter & male egisse adstringendo Sempronium ad reditum; cum enim is sine evidenti periculo vitæ redire non potuerit, profecto ad hoc sine nota imprudentiæ a Confessario adstringi nec potuit, neque debuit, multo minus ob tergiversationem privari beneficio absolutionis. Illud autem effatum D. Augustini: *Non dimittitur peccatum* &c. intelligit S. Doctor cum grano salis, scilicet tunc non dimitti, quando restitutio non fit, tametsi posset fieri: quo supposito pœnitens nequit dici vere contritus aut retractans suum peccatum: non item quando restitutio moraliter est impossibilis, prout accidit in nostro casu, ad quem proin illud principium non nisi inepte & imprudenter applicari potuit; quandoquidem apud omnes in confesso est, impossibilitatem physicam vel moralem excusare ab onere restitutionis, veluti constare potest ex iis, quæ diximus *de Restitut. c. 12. n. 325.* Aliter discurrendum foret, dato, quod Sempronius absque tali periculo potuisset reverti ad castra; quod cum prudenter præsumi non possit, eo ipso etiam a Confessario non debet suaderi, multo minus præcipi.

45. R. jam ad posterius quæsitum. Si Sempronius revera nunquam habuit animum jurandi, revera coram Deo perjurus dici non potest ex eo, quod deseruerit castra (licet fortassis tunc graviter deliquerit, dum se jurare simulavit) Ratio hujus colligi potest ex dictis *num. 29.* nam ad verum juramentum essentialiter requiritur animus & intentio jurandi, & se obligandi, prout teste Thoma Sanchez omnes Doctores fatentur: ergo hac præcisa juramentum nullum fuit. Dixi tamen: *coram Deo*, seu etiam in foro conscientiæ &c. Nam in foro fori procul dubio haberetur pro perjurio, & ut talis puniretur; tum quia ad verum juramentum, & quidem solemne, sufficit elevatio digitorum, facta in signum invocations testimonii divini; tum etiam quia in hoc foro (in quo de contraria intentione vel mente Sempronii nihil constat) præsumitur voluisse elevando digitos facere id, quod fuit jussus, & quod alii commilitones fecerunt: at, alii vere jurarunt, & præsumuntur voluisse jurare elevando duos priores digitos: ergo &c. Quin & in foro conscientiæ idipsum præsumendum foret de Sempronio, casu quo is habet intentionem faciendi id, quod mandatum fuerat, vel quod alii commilitones fecerunt; hoc quippe modo convinceretur voluisse saltem implicite invocare Deum in testem.

Sed quid, inquies, tenendum est de illis, qui dum aliquid affirmant vel promittunt, solent interponere fidem Sacerdotalem, vel fidem Nobilitatis, ut-

puta

puta germanice dicendo: Bey meinen Priesterlichen Ehrn: so wahr ich Priester bin: vel/ so wahr ich ein ehrlicher Cavalier bin: bey Cavalliers Parole? &c.

46. R. Multi insignes Doctores existimant, per hujusmodi verba non fieri verum juramentum, neque interponi auctoritatem divinam, sed fidem vel auctoritatem humanam duntaxat, id', quod haud obscure deduci posse existimant ex Jure Canon. *cap. si quis Presbyter cap.2. q. 4.* ubi habetur: *Presbyter vero vice juramenti per sanctam consecrationem interrogetur: quia Sacerdotes ex levi causa jurare non debent*: ergo supponitur, interrogare, vel etiam affirmare aliquid per sanctam consecrationem, non esse idem ac jurare. Alii tamen Doctores existimant, quod Sacerdos interponens fidem Sacerdotalem, vel Princeps fidem Principis &c. vere jurent, saltem in iis circumstantiis, in quibus exigi solet juramentum, ita ut teneantur in utroque foro præstare omnia, perinde, ac si jurassent per Evangelia: idem est, inquit de la Croix, si in judicio jurasti v. g. per fidem Nobilis, quando tenebaris jurare per DEUM: & certe multi Pseudo-Politici potius Religioni aut piaculo sibi ducerent non præstare id, quod sub fide Nobilis seu ben Caballiers Parole, quam quod per verum juramentum præstandum promiserunt. Unde non immerito Sanchez, Dicastillo, Gobat *tr. 11. n.* 488. aliique aiunt, hujusmodi verba etiam extra judicium deliberate prolata per consuetudinem accipi & haberi velut juramenta. Videatur de la Croix *l. 3. p. 1. n.* 258.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus Mercator merces suas Emptoribus nedum commendare, sed & mirum in modum extollere assolet: ubi vero advertit, dictis suis ab aliis fidem non adhiberi, ad hanc reconciliandam addit*: per animam meam: per meum juramentum, seu germanice: auf mein Ayd: ita res se habet, puniat me Deus, si verum non est: *alia vice dicit*: coram Deo loquor: in meam conscientiam: quam vere vivo; quam vere sum homo &c. hæc merx non est vitiata: mihi constat tanti &c. *hæc & similia Cajus sæpius, quam par est, dixisse se refert, etiam tunc, quando evidenter scivit, rem aliter se habere, utputa merces esse vitiatas, tanto sibi pretio non venisse &c. unde fatetur quidem, quod sæpius contra mentem fuerit locutus, at vero quod insuper pejeraverit, ne verbulo quidem insinuat; hinc dubium relinquitur, an prædictæ formulæ revera contineant jusjurandum? 2. An Cajus a Confessario condemnandus sit perjurii?*

47. R. ad primum quæsitum hujus Casus, tres priores formulas verum continere juramentum, sive assertorium, sive execratorium; quandoquidem per eas Deus vere invocatur in testem veritatis, aut vindicem perjurii. Posteriores vero quatuor formulæ non continent verum juramentum; quia per eas Deus non invocatur in testem, sed per primam solum significatur, Deum habere notitiam illius asserti &c. per secundam, quod loquens ita in animo & conscientia sua sentiat &c. per tertiam & quartam, quod quam vere Deus non potest esse non Deus, vel homo non homo, ita pariter hoc assertum, utpote a parte rei subsistens, non possit non esse verum, vel (ut exponit Busenbaum apud de la Croix *cit. num.* 256.) hoc esse verum suo modo, sicut alterum, puta quod Deus sit Deus, & homo sit homo &c. est verum. Nihilominus R. D. August. Michel *Theolog. can moral. tom. 2. part. 2. pu. 4. nu.* 17. Sanchez *l. 3. in decalog. cap. 2. num.* 7. Illsung & alii plures recte advertunt, quod si hujusmodi verba *Deus scit: coram Deo loquor* &c. proferantur non merum enuntiative, sed vero animo Deum in testem invocandi &c. ea sint signum veri juramenti; quandoquidem juramentum in quantum est actus externus, pendet ex intentione jurantis: & quod hac intentione sæpius usurpentur prædicta verba, vel inde haud obscure colligere fas est, quod alias sola pronuntiatio vel enuntiatio dictorum verborum parum haberet vigoris in ordine ad conciliandam fidem dictis.

48. R. jam ad alterum quæsitum, per se loquendo præsumendum esse, Cajum toties pejerasse, quoties tribus prioribus formulis proxime allegatis contra mentem fuit usus. Ratio liquet ex dictis: quia dictæ formulæ reipsa continent verum juramentum: ergo quisquis illis utitur ad confirmandam falsitatem sui dicti, pejerat; consequenter mortaliter peccat secundum *omnes*.

49. Dixi: *per se loquendo* &c. Ut innuerem, quod dum pœnitens fatetur, se mendaciter jurasse per animam, per conscientiam suam, non illico citra ulterius examen condemnandus sit perjurii, sed interrogandus, an vere intenderit jurare, & Deum per hujusmodi verba invocare vel non? si non, non est in praxi condemnandus perjurii. Si fateatur, se hoc intendisse, erit condemnandus perjurii, & ulterius examinandus, quoties id contigerit. Neque vero dubium, quin simpliciores præsertim a mortali peccato perjurii excusari quandoque possint ob inconsiderationem & incuriam aliquam, qua fit, ut quantumvis usurpent formulas juratorias, puta, dicendo: per animam meam: puniat me Deus &c. revera tamen non apprehendant, se propterea graviter peccare, eo præsertim, quod non serio exoptent sibi talia mala: licet agnoscant aliam rationem malitiæ quasi in confuso non magni momenti, propterea que sese accusare solent in confessione. Sapienter autem monent Doctores universim, hujusmodi pœnitentes esse serio dehortandos ob periculum formalis perjurii, scandali &c. partim etiam instruendos, ut si quidem hanc inveteratam consuetudinem tam facile deponere nequeant, affirmando immo & jurando hanc vel illam mercem tanti, vel pluries etiam sibi constare &c. tacite subintelligant, eam sibi tanti constare computato & attento non solo & præciso pretio mercis, sed æstimato simul labore, cura, periculo, expensis hinc inde factis &c. Videantur de hoc Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 2. *num.* 9. & *num.* 20. Gobat *cit. tr.* 11. *num.* 672. & 529. Sporer *tr.* 3. *cap.* 1. *sect.* 2. *num.* 41. de la Croix *lib.* 3. *pag.* 1. *num.* 301. vel Kresslinger *addit.* 4. *ad Theolog. mor.* R. P. *Reiffenstuel tract.* 6. *dist.* 2. *post. num.* 30.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda:

50. COlliges ex hactenus dictis primo, quod, quemadmodum omnia juramenta in ratione juramenti sunt ejusdem speciei; omnia quippe essentialiter consistunt in invocatione Divini Nominis in testimonium &c. ita pariter omnia perjuria in ratione perjurii: & sicut juramentum debitis conditionibus vestitum importat actum Religionis latriæ dictum; ita perjurium actum irreligiositatis, Deo summopere præjudiciosum, ut proin in praxi parum referat, fueritne juramentum vel perjurium in judicio vel extra, cum, vel sine solennitate factum; hæc enim merum contingenter & per accidens se habent in ordine ad illud, uti bene advertit Henno *in decalog. disp.* 2. *q.* 2. *art.* 3. *concl.* 3.

51. Dixi tamen: *In ratione juramenti aut perjurii esse ejusdem speciei;* per quod minime negarim, quin perjurii falsum jurando possit committere diversa specie peccata; enimvero qui falsum jurat per mortem, per caput Christi, per SS. Eucharistiæ Sacramentum, præter perjurium insuper committit blasphemiam; qui cum execratione sui, lædit charitatem sibi debitam; qui contra voluntatem Superioris legitime præcipientis, ultra perjurium committit inobedientiam; qui cum damno vel præjudicio tertii, injustitiam, ut de se satis liquet: ideoque præter peccatum perjurii tenetur insuper explicare in confessione aliud peccatum annexum per modum accessorii secundum *omnes*.

52. Colliges secundo, non committi juramentum, dum aliquid asseritur vel negatur per modum sponsionis, utputa dicendo: *Amputentur mihi aures & nares, nisi ita res se habeat: dabo caput: non sim homo ingenuus: moriar, si hoc non sit verum.*

Ratio liquet ex hactenus dictis: ubi enim non intervenit invocatio Divini Nominis in testimonium veritatis, ibi

ibi nullum intervenit juramentum : atqui in his casibus & formulis non fit invocatio Divini Nominis : ergo &c. Secus dicendum foret, si quis diceret: *Puniat me DEUS &c. auferat mihi vitam, nisi verum loquar; faciat me obmutescere* &c. Videatur Sanchez *lib.* 3. *moral. c.* 2. *n.* 42. Busenbaum apud *de la Croix cit. n.* 256. *VI.*

53. Colliges tertio, pariter non esse juramenta, dum aliqui dicunt: *vere: certe: in veritate: fide boni viri: fide boni Christiani* &c. vel: *quam vere sol lucet: quam vere hic sto, sedeo, ambulo* &c. aut si quis dicat: *quod assero, est de fide; est instar fidei: est Evangelium &c.* Quia in his omnibus non intervenit invocatio Divini Nominis, veluti consideranti patebit: unde si re ipsa id quod asseritur, falsum sit, committitur mendacium quidem, non tamen perjurium. Videatur Laymann *lib.* 3. *c.* 2. *num.* 4. Lessius *lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 1. *num.* 4. Kressinger *addit.* 1. *post. n.* 11. *Theolog. mor. tr.* 6. *dist.* 2.

54. Colliges quarto, illum, qui falso jurat, reipsa jurare, & hoc ipso committere peccatum perjurii non sine gravissima offensa Dei. Ratio est: quia tametsi non velit, ut Deus testetur suam falsitatem, cum sciat, hoc prorsus esse impossibile; nihilominus quantum in se est, vult, & invocat Deum, ut testetur, id quod falso asserit, esse verum: & in hoc consistit gravissima malitia perjurii: fere quemadmodum ille, qui materiam ineptam consecraret, adhuc committeret gravissimum Sacrilegium; quia quantum est in se, significat, hoc esse Sacramentum, seu signum collativum gratiæ ex institutione Christi, licet re ipsa Sacramentum non sit. Videatur Castropalao *part.* 3. *tr.* 14. *disp.* 1. *pu.* 1. *n.* 8. vel de la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 259.

55. Colliges tandem quinto, Confessariis, Concionatoribus & Catechistis incumbere, ut non solum pessimas consuetudines & abusum jurandi dedoceant suos auditores, demonstrando iisdem grande animarum periculum, quod communiter incurrere solent sive pejerando, sive etiam alios scandalizando, & hoc ipso Divinam Nemesin contra se ipsos provocando &c. Verum ut insuper erudiant illos, quos advertunt laborare aliqua ignorantia vel sinistra opinione circa materiam, quam valde frequenter deprehendent in communi plebe; alii namque revera sæpius, quam par est, jurant, esto minime apprehendant aut putent se jurare, dum proferunt verba juramentum sonantia &c. qui, tametsi stante vel supposita ignorantia invincibili formalem injuriam Deo non irrogent, irrogant tamen materialem, quam quivis prudens Confessarius vel Concionator tenetur pro viribus impedire secundum dicta *de pœnitentia, ubi de officio Confessarii*. Alii econtra inveniuntur, qui quasi quodlibet verbum velut juramentum apprehendunt, ut dum dicunt: *vere: in veritate: non sim homo: moriar* &c. *nisi sit verum* &c. Et hi propterea instrui debent, ne protinus ex conscientia erronea delinquendo Deum offendant, veluti sapienter advertunt Lessius *l. cit.* & Busenbaum apud *de la Croix cit. n.* 256.

CONFERENTIA
TERTIA.

De conditionibus ad validum Juramentum requisitis, nec non de interpretatione & obligatione Juramentorum.

SUMMARIUM.

56. *Ad validum juramentum præter intentionem jurandi insuper necessum est, ut fiat cum libertate perfecta, & (si sit promissorium) cum intentione sese obligandi.*
57. *Valet nihilominus juramentum gravi metu etiam injuste incusso extortum.*
58. *Ad valorem juramenti promissorii requiritur, ut sit de re honesta ac licita, & (si sit Deo immediate factum) non impeditiva majoris boni.*
59. *At vero si sit homini factum, valet, modo sit de re honesta, seu non mala moraliter & peccaminosa.*

 60. Non

60. *Non valet juramentum præstandi id, quod est lege probibitum, bene, vero id, quod est lege permissum.*
61. *Contractus de jure naturæ invalidi, vel quomodocunque illiciti, non firmantur juramento.*
62. *Neque illi, qui in favorem privatorum lege positiva sunt irritati, licet hi ex virtute Religionis debeant servari.*
63. *Afferuntur breviter nonnulla exempla hujusmodi contractuum.*
64. *Quanti referat, nosse, an tales contractus juramento firmentur, vel non firmentur.*
65. *Quo sensu intelligi debeat, cum dicitur*, juramentum sortiri conditiones actus, cui adjicitur.
66. *Quo item sensu verum sit, quod* accessorium sequatur principale.
67. *Juramenta in foro externo sunt stricte interpretanda, in interno autem juxta mentem jurantis;*
68. *Nisi iste supponatur in dolo & fraude jurasse ad decipiendum alterum.*
69. *Juramenta autem tangentia materiam juris debent interpretari juxta dispositionem juris.*
70. *Quæ, & quot conditiones fictione juris in omni juramento promissorio tacite subintelligantur.*
71. *In juramento promissorio duplex veritas notatur.*
72. *Quo sensu intelligi debeat, dum quæritur*, qualiter obliget juramentum promissorium?
73. *Omne juramentum promissorium in materia gravi obligat graviter: in materia levi leviter.*
74. *Resolvitur Casus I. de quodam famulo, quem Dominus suus jurejurando adstrinxerat tum ad ferendum sibi auxilium in excudenda moneta spuria, tum etiam ad servandum silentium in hac causa.*
75. *Famulus iste vi juramenti non tenebatur ad servandum silentium.*
76. *Quid a Confessario eidem fuerit suadendum in hac causa.*
77. *Resolvitur Casus II. de quadam puella, quæ jurejurando sese adstrinxerat tum ad fugiendum omne commercium cum Parentibus cujusdam Juvenis, tum etiam ad non amplius accedendum domum illorum.*
78. *Quo non obstante licite accederet illam domum præcise animo contrahendi sponsalia cum illo Juvene.*
79. *Nec est, cur propterea timeat malum exitum matrimonii.*
80. *Resolvitur Casus III. de quodam cive, qui jurejurando se obligavit ad expellendum alium civem domo sua ob non observatum juramentum de non amplius ludendo.*
81. *An, quantum, vel quomodo obliget juramentum non amplius ludendi, & quando contra hoc graviter delinquatur.*
82. *Dictus Paterfamilias vi sui juramenti probabiliter non tenetur civem illum domo sua ejicere.*
83. *Et quid, si is positive jurasset, quod illum non velit expellere.*
84. *Amentes & Ebrii non sunt capaces ad deponendum verum juramentum.*
85. *Juramentum promissorium factum cum, vel ex errore circa substantiam rei promissæ nullum est, bene vero factum cum errore circa aliquid merum accidentale.*
86. *Juramentum factum circa rem indifferentem qua talem, nullius est roboris.*
87. *Similiter juramenta parentum de castigandis aut puniendis prolibus plerumque nullius sunt valoris.*
88. *Juramentum de faciendo quocunque opere illicito nullum est, non item juramentum de solvenda mercede pro tali opere jam præstito.*
89. *An, vel quando contra juramentuum suum peccet Medicus, qui graviter decumbentem non admonet de confessione deponenda.*
90. *Quomodo obligent juramenta de servandis sub rosa iis, quæ in Electionibus, Capitulis aut Congregationibus tractantur.*
91. *Quantum obliget juramentum de servandis certis quibusdam constitutionibus Universitatum vel Collegiorum.*
92. *Quo modo nonnulli Officiales contra juramentum fidelitatis peccent, dum sua officia non satis diligenter aut fideliter administrant.*

§. I.

§. I.

Praemittuntur, & breviter resolvuntur quaesita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa valorem, obligationem & interpretationem Juramentorum.

QUæres primo, quænam conditiones requirantur ad hoc, ut juramentum valeat, & obliget?

56. R. ad hoc quæsitum primo. Præter intentionem jurandi jam supra *num.* 29. requisitam, insuper ad hoc, ut juramentum promissorium valeat & obliget, necessum est, ut fiat cum libertate perfecta, & 2. cum intentione sese obligandi, esto talis fortassis non habeat intentionem adimplendi id, quod jurato promisit. Ita ex communi DD. Sporer *tr.* 3. *in decalog. c.* 1. *sect.* 2. *n.* 17. Ratio prioris est: quia obligatio, quam parit juramentum, est gravissima, utpote nata stringere sub reatu peccati mortalis: ergo ad hanc introducendam necessaria est libertas sufficiens ad mortaliter peccandum: atqui ad hoc requiritur libertas perfecta secundum dicta *in tr. prælim. de actibus hum. Confer.* 1. *n.* 10. ergo etiam ad juramentum. Ratio posterioris est: quia juramentum promissorium velut accessorium sequitur naturam promissionis: atqui promissio sine intentione se obligandi nulla est, bene vero facta sine intentione adimplendi id, quod fuit promissum, veluti constat a pari de promissione sponsalitia, ad quam juxta communissimam DD. requiritur libertas plena & perfecta cum intentione se obligandi, non tamen intentio standi promissis; quia actualis contractus matrimonii velut actus secundus est separabilis ab actu primo obligationis sponsalitiæ, quemadmodum actualis redditio debiti, vel observatio fidei matrimonialis separabilis est ab obligatione servandi fidem conjugalem, veluti experientia multiplex probat.

Sed quid, inquies, de valore juramenti gravi metu injuste incusso extorti tenendum est?

57. R. ex communissima Doctorum: tale juramentum validum est & obligat, modo res promissa præstari possit moraliter, & sine peccato. Ratio est: quia *omne juramentum voluntarium, quod non vergit in interitum salutis ob reverentiam divini Nominis debet observari*, prout expresse habetur *c. si vero de Jurejur.* & *c. ad audientiam de his, quæ vi metusve causa*. Atqui tale juramentum gravi metu extortum est & manet simpliciter voluntarium: siquidem metus quantumvis gravis (nisi usum rationis supponatur omnino subvertisse) non tollit simpliciter voluntarium, esto reddat involuntarium secundum quid: ex altera etiam parte, eo ipso quod res promissa absque peccato præstari valeat, non vergit in interitum salutis: ergo debet observari. Quisquis ergo injusto invasori jurato promisit solvere tantam vel tantam summam, tenetur solvere, ob rationem jam datam: quo non obstante potest a Judice petere restitutionem in integrum, nisi simul jurasset, quod non amplius velit petere talem restitutionem. Et dato etiam quod ab invasore injuste fuisset adactus ad jurandum, de non repetenda tali summa, neque etiam de unquam accusando injusto invasore, teneretur quidem vi juramenti abstinere a repetitione summæ, non tamen ab accusatione; cum enim plurimum intersit, ut hujusmodi injusti invasores denuntientur & puniantur a Judicibus; hinc juramentum de non denuntiando, utpote factum de re illicita, non obligat, saltem in casu, quo talis delatio videtur necessaria ad pacem Reipublicæ, & avertendam injuriam bono publico perniciosam. Videantur de hoc Laymann *lib.* 4. *tr.* 3. *c.* 7. *n.* 2. Illsung *tr.* 5. *disp.* 1. *n.* 62. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 2. *n.* 57.

58. R. jam ad prius quæsitum secundo. Ad hoc, ut juramentum promissorium valeat & obliget, debet esse de re honesta & licita, aut certe moraliter non mala, & 2. siquidem Deo immediate sit factum, debet esse non impeditivum majoris boni. Ita *omnes*. Ratio prioris est: quia absolute repugnat quempiam per actum Religionis (uti est juramentum) obligari posse ad aliquid peccaminosum; quidquid enim peccaminosum

sum est, eo ipso faciendum non est: profecto si juramentum ad hoc adstringeret, non amplius esset actus Religionis: ergo ad hoc, ut juramentum valeat & obliget, debet esse de objecto honesto moraliter; Id quod etiam innuitur *Reg.* 58. *J. in sexto* ubi habetur: *Non est obligatorium, contra bonos mores præstitum juramentum*.

Ratio autem posterioris hæc est: quia juramentum & votum pari passu ambulant, utriusque proin est par ratio & conditio: atqui ut votum valeat, debet esse de meliori bono, aut certe non impeditivum majoris boni: ergo & juramentum; secus enim per talem promissionem Deo exiguum præstaretur obsequium, veluti cuivis rem ponderanti patebit.

59. Dixi autem: *Siquidem Deo immediate sit factum* &c. Nam ad hoc, ut valeat juramentum promissorium homini factum, sufficit rem promissam esse honestam, ita ut absque peccato præstari possit, tametsi obstet majori perfectioni &c.

Ratio est: quia in juramento homini facto non attenditur, an materia sit magis vel minus honesta aut proficua ad salutem & honorem Dei (uti fieri debet in juramento promissorio Deo immediate facto) sed solum attenditur, an sit utilis illi, cui facta fuit: atqui potest esse utilis promissario, esto sit minus proficua ad honorem Dei aut salutem promittentis: ergo. Unde Doctores recte inferunt, quod si jurasti v. g. Titio pauperi in eleemosynam dare decem &c. hoc juramentum sine consensu Titii promissarii mutare non valeas in aliud opus absolute perfectius, uti esset 100. dare aliis pauperibus, fortassis magis indigentibus, sicut tamen mutari posset, si promissio fuisset immediate Deo facta. Etenim homo non solet attendere ad id, quod est simpliciter perfectius vel melius, (uti Deus, qui nullius indiget) sed ad id, quod sibi est utilius: atqui Titio pauperi utilius est accipere decem, quam 100. erogari in alios quantumvis pauperes: ergo præsumi non potest nec debet, quod in talem commutationem consentiat. Videatur de his Sporer *cit. tr.* 3. *in decalog. c.* 1. *sect.* 2. *n.* 37. Henno *in decalog. disp.* 2. *q.* 2. *artic.* 4. *concl.* 5.

Quæres secundo, an valeat juramentum de præstando aliquid, quod est lege prohibitum?

60. R. Nunquam valet tale juramentum: bene tamen 2. valet de præstando id, quod est lege permissum duntaxat. Ita Tamburinus *in decalog. lib.* 3. *c.* 3. §. 5. *num.* 42. referens pro eadem Regula Onate *tom.* 1. *de contr. tr.* 4. *disp.* 11. *sect.* 2. *num.* 49. Idipsum tenet Castropalao *part.* 3. *tract.* 17. *disput.* 2. *pu.* 8. *n.* 7. Ratio prioris colligi potest ex proxime dictis *n.* 58. quod enim fit contra legem justam prohibentem, fieri nequit sine peccato; & dato etiam, quod leges illud prohiberent præcise, sub pœna & non sub culpa, certum tamen est, quod contrafaciens agat contra bonum publicum, dum non servatur lex justa Superiorum: atqui juramentum nequit esse vinculum iniquitatis, neque etiam obligare ad id, quod est contra bonos mores: ergo &c. Ratio autem posterioris est: quia quod fit contra leges merum permittentes ex se non est malum, uti supponitur. Neque etiam ex lege, quippe quæ supponitur permissiva: ergo. Res hæc clarior fiet exemplis mox *n.* 63. adducendis.

Quæres tertio, an juramentum additum contractui per leges irrito valeat, & an contractum firmet, ita quidem, ut non solum ex virtute Religionis servari debeat promissum, sed etiam ex justitia, ac proin promissario jus justitiæ tribuat?

61. R. Ad hanc quæstionem primo. Quando contractus de jure naturæ nullus est, aut in præjudicium tertii vergens, vel aliunde quocunque demum ex capite illicitus, tunc juramento nullatenus firmatur: quin immo tale juramentum est irritum & nullius prorsus valoris. Ita unanimis & certa sententia Doctorum. Liquet ratio huius ex proxime dictis: nam tale juramentum foret vinculum iniquitatis, & hoc ipso non esse actus Religionis; consequenter non est verum juramentum, sed blasphemia potius. Hinc sequitur juramentum de celebrandis nuptiis cum impedimento dirimente quocunque, nullum esse.

62. R. secundo ad idem quæsitum. Quando contractus per leges civiles fuit irritatus, & quidem in favorem privatorum duntaxat, tunc juramentum superadditum valet quidem in tantum, ut ex virtute Religionis debeat adimpleri promissum; at 2. non firmat contractum ita, ut promissario tribuat jus justitiæ. Pars prior hujus resolutionis est recepta ab omnibus: quia secundum dicta *num.*47. omne juramentum non vergens in interitum salutis, ob reverentiam Divini Nominis debet observari. Posterior autem pars contra Azorium, Sanchez & alios non paucos sustinetur a Tamburino *in decalog. c.* 3. *c.* 3. §. 6. *n.* 6. Sporer *tr.* 3. *c.* 1. *sect.* 2. *n.* 53. Henno *ubi supra disp.* 2. *q.* 2. *art.* 7. *conclus.* 1. Felice Potestate *in Exam. Confessar. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 1639. & ex Juristis eandem tenent Wiestner *de jurejur. n.* 78. Pichler *in Compend. Jur. Can. lib.* 2. *tit.* 24. *n.* 7. Ratio hujus posterioris partis inde deducitur: quia juramentum neque ex sua natura habet vim firmandi hujusmodi contractus nullos, neque eandem habet ex lege. Non ex se: quia solum obligat ex virtute Religionis, ut declarum: insuper contractui solum est quid accessorium: ergo hunc relinquit in suo esse: ergo ubi is nullus est, relinquit nullum. Neque id habet ex jure positivo: esto enim jura dicant, quod talis contractus ob reverentiam Divini Nominis servari debeat, *cap. cum contingat* 28. *de jurejur. cap. quamvis de pactis in sexto*. Item *c. Ad aures* 3. & *c. cum dilectus* 6. *de his quæ vi metusve*, quod & nos gratis fatemur; nullo tamen verbulo innuunt, quod debeat servari ex justitia: ergo cum jura aliunde doceant nos, odia esse restringenda, nullatenus dici debet, quod juramentum pariat onus justitiæ, quod utique esset valde odiosum, & hoc ipso sine claro jure non imponendum humeris hominum. Dixi tamen: *Juramento non firmari contractus in favorem privatorum irritatos, servandos nihilominus esse ex virtute Religionis* &c.

Nam si contractus sit irritatus propter bonum publicum, tunc juramentum ne quidem ex virtute Religionis stringit ad sui executionem. Ratio disparitatis inter utrumque est hæc, quia privati renuntiare possunt favori propter se principaliter introducto: & hoc ipso, quod actui per leges positivas irritato adjiciant juramentum absque peccato observabile, præsumuntur voluisse renuntiare: at vero favori publico, vel spectanti principaliter bonum publicum, nullus privatus potest renuntiare *c.* 12. *de foro compet.* ergo nec juramento se ad id adstringere.

63. Ex his autem sequitur 1. quod si fœmina male & nulliter alienavit prædium dotale, vel si fecit testamentum ob defectum solennitatis de jure requisitæ nullum, adjecit tamen juramentum, quo promisit non revocare alienationem aut testamentum taliter factum, tenebitur servare juramentum: idem tenendum est 2. si filia dote contenta cum juramento renuntiet hæreditati paternæ, vel 3. si Minor sine auctoritate Curatoris juramento celebret contractum. 4. si quis donat ultra 500. solidos jurato absque insinuatione apud Judicem &c. Videantur de his Pichler *loc. cit. n.* 6. vel Reiffenstuel *lib.* 2. *decret. tit.* 24. §. 4. *num.* 127.

At, inquies fortassis, resolutio mox data *num.* 62. videtur prorsus vana, & merum de lana caprina: si enim (uti nos fassi sumus) talis teneatur stare contractui, & solvere vi juramenti, quid juvat asserere vel manutenere, eum non teneri ex justitia?

64. R. Hanc controversiam non esse de lana caprina, nec sine causa multum agitari inter Doctores; Enimvero si dicatur, quod talis contractus juramento firmetur, ita ut inde oriatur obligatio justitiæ, pariter fatendum foret 1. hanc obligationem transire ad hæredes jurantis, ad quos non transiret sola obligatio juramenti. 2. fatendum foret, relaxato etiam juramento manere obligationem justitiæ. 3. Hoc juramentum tam facile relaxari non posse propter jus Promissario inde aquisitum. Plures adhuc alias sequelas inde deducit Castropalao *cit. disp.* 2. *punct.* 9. §. 1. quem vide, si placet.

Quæres quarto, quo sensu verum sit, quod juramentum sortiatur conditiones & qualitates actus, cui adjicitur?

65. R. Hoc dictum non esse universaliter verum; certum quippe est ex hactenus dictis, posse juramentum esse validum, esto contractus, cui adjectum fuerat, sit invalidus. Similiter potest actus esse revocabilis, non item juramentum; nam si proposuisti duntaxat, dare eleemosynam, exercere hoc vel illud opus charitatis, penes te stabit revocare hujusmodi propositum, ast, si hoc confirmasti juramento, non amplius manet tibi liberum revocare juramentum hoc, vel propositum juratum, sed teneris illud ob reverentiam Divini Nominis exequi. Dicendum itaque breviter est, quod juramentum sequatur naturam actus, cui adjicitur, non quoad obligationem, nec quoad esse firmum vel irritum, sed 1. quoad sensum verborum, ita, ut si cum juramento promisisti v. g. 10. flor. tenearis decem tantum & non plures solvere. Item 2. quoad rationem liciti vel illiciti. 3. insuper quoad alias conditiones seu limitationes, in contractu vel de jure, vel de consuetudine recepta, tacite inclusas, de quibus mox *n.* 70. plura differemus. Videantur de hoc Lessius *de J. & J. l. 2. c. 42. dubit. 6. n.* 32. Illsung *tr. 4. disp. 3. n.* 233. vel de la Croix *l. 2. part. 1. n.* 315.

Dices contra hanc resolutionem, per *cap. 42. de R. J. in sexto accessorium naturam sequi congruit principalis*: ergo quotiescunque actus principalis (puta contractus &c.) est nullus, pariter juramentum velut quid accessorium nullum esse debet, & nullius prorsus valoris.

66. R. Distinguendo & explicando illam Regulam. Accessorium congruit sequi naturam principalis, quando in illo accessorio non reperitur specialis ratio, *concedo*. Si reperiatur specialis ratio, ob quam corruente etiam principali sustineri debeat accessorium, prout in juramento occurrit reverentia divinæ auctoritatis in testem invocatæ, *nego*. In hoc sensu dictam regulam exponunt Abbas *c. debitores de jurejur. nu.* 2. eumque secutus Reiffenstuel *eodem tit. n.* 99.

Quæres quinto, quomodo juramenta sint interpretanda?

67. R. 1. Juramentum in foro externo stricte interpretari debet, & nequaquam extendi ultra proprietatem verborum. 2. In foro autem interno debet interpretari juxta mentem jurantis, nisi hic supponatur in dolo vel fraude jurasse ad decipiendum alterum. Ratio prioris est: quia ubicunque de introducenda nova obligatione agitur, debet fieri stricta interpretatio, juxta *cap. odia restringi.* 15. *de R. J. in sexto*, atqui hic agitur de introducenda nova obligatione: ergo &c. Ita Abbas *de jurejur. cap. Clericus*. Suarez *lib. 2. de juram. cap.* 32. Pirhing. *eod. tit. num.* 102. Ratio autem posterioris est: quia *actus agentium* (in foro interno præcipue) *non operantur ultra intentionem eorum l. 10. ff. de l. non omnis*, 19. *ff. de Reb. cred. si cert. petatur*, ergo juramentum in foro interno interpretari debet juxta mentem jurantis. Hinc D. Gregorius relatus *can. Humanæ aures cap. 22. q.* 5. sapienter dixit: *Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant: divina vero judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Quodsi tamen de ipsa jurantis intentione non constet, tunc etiam in foro animæ ac pœnitentiali stricte interpretandum esse juramentum, recte monet Reiffenstuel *ubi supra §. 2. n.* 33.

68. Dictum vero fuit: *Nisi jurans supponatur in dolo vel fraude jurasse ad decipiendum* &c. Hoc enim supposito juramentum non juxta mentem & intentionem jurantis, sed juxta intentionem recipientis interpretandum esse cum S. Thoma *2. 2. q. 89. art. 7. ad quartum* tenet Sanchez *in decalog. lib. 3. c. 10. n.* 14. Covarruvias, Navarrus & alii. Idque propterea: tum *quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent. c. sedes* 15. *de Rescript.* tum etiam, *quia non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, l. non debet* 74. *ff. de Reg. Jur.* atqui utrumque contingeret, casu quo tale juramentum dolosum juxta mentem jurantis, non vero juxta mentem accipientis deberet interpretari. Et certe si secus fieret a quopiam, fraudulentus deceptor in conscientia teneretur virtute justitiæ ante omnem sententiam Judicis ad resarciendum omne damnum vi sui juramenti dolosi illatum.

69. R. jam ad idem quæsitum secundo. Quando juramentum tangit materiam juris, id est, talem, de qua jus ipsum dispo-

nit,

nit, tunc interpretari debet juxta dispositionem juris communis. Ita *ex communi DD.* Laymann *lib.* 4. *tr.* 3. *c.* 9. *n.* 2. Pirhing *l.* 2. *decret. tit.* 24. *n.* 107. Ratio est: quia in omni juramento promissorio fictione juris tacite subintelligitur conditio, quod jurans velit id præstare *salva auctoritate Superioris*, qualis est Legislator supremus: ergo debet interpretari juxta mentem Legislatoris jure communi manifestatam & declaratam. Ex quo Reiffenstuel *cit.* §. 2. *a n.* 38. infert 1. Clericum, qui juravit perpetuam residentiam, hoc non obstante posse in casibus a jure permissis abesse. 2. Eum, qui juravit se pariturum Judici, vel mandatis Ecclesiæ, posse appellare, casu quo se injuste gravatum sentit. 3. Illum qui jurejurando promisit, se non revelaturum secretum aut consilium alterius, posse nihilominus absque piaculo revelare consilium malum ac perniciosum Reipublicæ. Plures hujusmodi sequelæ videri poterunt apud Sanchez *cit. c.* 14. Laymann *c.* 9. & Reiffenstuel *loc. proxime citato.*

Quæres sexto, quot vel quænam conditiones omni juramento promissorio fictione juris tacite censeantur inexistere?

70. R. In omni juramento promissorio (non item in assertorio) fictione juris tacite subintelliguntur sequentes conditiones 1. *si potuero.* 2. *Salvo jure & auctoritate Superiorum.* 3. *Si is, cui fit promissio, acceptet, vel non remittat obligationem.* 4. *Si res in eodem statu permanserint, sive notabiliter mutatæ non fuerint.* 5. *Si & altera pars fidem servaverit.* Ita *communissime* Doctores. Accipe breviter rationem singulorum & majorem declarationem.

I. Ratio primi est: quia nemo censetur se voluisse obligare ad id, quod est impossibile physice: immo neque ad id, quod est impossibile moraliter, ita scilicet, ut sine permagna difficultate præstari non possit, nisi talem difficultatem præviderit, & tamen jurejurando sponte se obligaverit. Attamen si una pars objecti promissi maneat possibilis, & altera reddatur impossibilis, manet obligatio servandi, seu etiam præstandi id, quod est possibile, uti si jurando promisisti peregrinationem ad ædem Lauretanam & simul oblationem certam v. g. in cera aut pecunia, & unum non possis, bene vero alterutrum, teneris. Ita Laymann *lib.* 4. *tr.* 3. *c.* 9. *num.* 4. Sporer *tr.* 3. *c.* 1. *sect.* 2. *num.* 77.

II. Ratio secundi est: quia nemo potest se obligare in præjudicium Superioris, prout amplius constabit ex dicendis *de votis Confer.* 7. *a num.* 184. Et hoc clare decisum legitur *c. venientes* 19. *de jurejur.* ibi. *cum prædictum juramentum vos excusare non possit, in quo debet intelligi jus Superioris exceptum. Omnes.*

III. Ratio tertii est: quia quemadmodum omnis promissio, ita & omnis obligatio juramenti promissorii, utpote quod secundum dicta sequitur naturam promissionis, dependet a voluntate promissarii sive creditoris: ergo si is, cui jurando aliquid promisisti, remittat hanc obligationem sive tacite sive expresse, tu manes solutus seu deobligatus; nam quivis potest juri suo cedere.

IV. Ratio quarti est: quia notabilis mutatio (prudentum arbitrio decernenda) variat quodammodo objectum, ita, ut ad hoc promittentis intentionem se nullatenus extendisse, prudenter credatur. Hac de causa ab omnibus absolvitur sponsus ab obligatione etiam jurata sponsalium, casu quo ex post facto sponsa cum alio fuerit fornicata, vel morbum incurabilem, paupertatemque inciderit. Sicut & ille, qui gratuito aliquid promisit, absolvendus est, casu quo promissarius ante hujus executionem se exhibeat ingratum.

V. Ratio denique quinti (quod duntaxat locum habet in promissione mutua v. g. sponsalium) desumitur ex illo *c.* 75. *de R. J. in sexto*, ubi dicitur; *Frustra sibi quis fidem postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.*

Quæres septimo, qualis & quanta sit obligatio juramenti promissorii?

71. Ante responsionem directam notandum & supponendum est primo, in omni juramento promissorio duas affirmari

mari veritates. Una *de præsenti* (quæ dicitur primaria) quod scilicet jurans habeat animum præstandi, & adimplendi id, quod promisit: altera (quæ appellatur secundaria) *de futuro*, quod nempe suo tempore præstiturus sit id, quod promisit, sive promittat Deo immediate v. g. peregrinationem certam: & tunc nuncupatur *votum juratum*, sive homini v. g. matrimonium &c. & tunc appellatur *jurata promissio humana*. Quocirca extra omnem controversiam videtur, eum, qui jurat sine omni animo adimplendi promissum, peccare mortaliter & committere perjurium; siquidem Deum invocat in testem falsitatis. Unde.

72. Notandum est secundo, impræsentiarum duntaxat dubitari, an, vel quantum obliget juramentum promissorium ad præstandum id, quod fuit promissum: insuper hæc quæstio debet solum intelligi de juramento valido; nam quod juramentum invalidum nullam prorsus pariat obligationem, apud omnes in confesso est; etenim *Non entis nullæ sunt qualitates l. 23. C. de probat.* Item *Non entis nulla est operatio argum. l. 208. ff. de R. J.* Hac de causa non tenetur stare promissis, qui juravit se facturum aliquid illicitum v. g. occisurum hominem privata auctoritate, procuraturum abortum &c. vel aliquid per leges saltem impossibile, puta contracturum matrimonium cum impedimento dirimente, vel qui Deo immediate promisit aliquid merum indifferens, aut impeditivum etiam majoris boni. His velut certis suppositis

73. R. ad præsens quæsitum: Juramentum promissorium, sive Deo, sive etiam homini factum obligat ad sui executionem sub gravi peccato, quando res promissa est gravis: at vero 2. ubi hæc non est gravis, sed levis duntaxat momenti probabilius non obligat, nisi sub culpa veniali. Prior pars hujus resolutionis est recepta ab omnibus. Secundam vero partem tenent Castropalao *part. 3. tr. 14. disp. 1. punct. 6. num. 8.* Cardenas *in 2. crisi dissert. 17. num. 19.* Illsung *tr. 5. disp. 1. num. 52.* de la Croix *lib. 3. part. 1. num. 305.* Henno *tr. in decalog. disp. 2. quæst. 2. art. 4. concl. 3.* & alii contra Lessium, Dicastillo, Matthæucci, & alios nonnullos, volentes, etiam illum, qui jurejurando promisit v. g. unicum tantum Pater & Ave, peccare mortaliter omittendo illud. Ratio autem prioris partis hujus nostræ resolutionis est: quia reverentia & fidelitas juramento, vel potius ipsi Deo in testem vocato debita exigit, ut res jurata executioni mandetur: ergo ubi res promissa est gravis, debet obligare graviter; sequitur enim naturam promissionis, uti jam dictum fuit. Ratio autem posterioris est: quia qui non adimplet id, quod promisit, non mentitur propterea, veluti expresse docet S. Thomas 2. 2. *quæst. 110. art. 3. ad 5.* sequentibus verbis: *Qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur; quia non loquitur contra id, quod gerit in mente: si vero non faciat id, quod promisit, tunc videtur infideliter agere, per hoc quod animum mutat*: ergo talis juxta D. Thomam non agit contra veritatem, sed contra fidelitatem duntaxat: at, qui contra fidelitatem solum agit in materia levi, non peccat nisi leviter juxta *communem doctrinam* apud Lugo *disput. 23. de justit. nu. 92.* Neque verum est, quod (ut ait Dicastillo) Deus per tale juramentum invocetur in testem & fidejussorem veritatis futuræ, quæ si non servetur, eo ipso redditur testis falsitatis, non sine gravissima injuria; non enim a jurante vocatur in testem veritatis futuræ, sed in testem veritatis præsentis, seu voluntatis quam jurans actu habet, adimplendi scilicet id, quod promisit, & quasi in fidejussorem hujus obligationis substituit, quæ, tametsi non impleatur, semper adhuc manet, sed ratione materiæ potest esse gravis vel levis. Ita vix non in terminis R.P.Claudius de la Croix *loco proxime citato*.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa valorem, obligationem & interpretationem Juramentorum.

CASUS PRIMUS.

Titio famulo herus suus sancte promiserat largam recompensationem, modo is jurejurando sibi repromitteret fidelem in opere, ad quod assumeretur, assistentiam & perpetuum silentium: quo obtento idem herus Titio sub rosa, ut ajunt, concredidit & monstravit diversa instrumenta ad excudendam monetam necessaria, postulans ut se adjuvaret nedum ad excudendam, sed etiam ad distrahendam monetam falsam. Titius malleum inter & incudem constitutum se sentiens, partim largioris recompensationis amore allectus, partim etiam Religionis zelo, ob præstitum scilicet juramentum, ductus, Dominum suum per aliquod tempus fideliter adjuvit, non sine permagno fœnore. Jam vero nedum timore ultionis, casu quo res patefieret, sibi imminentis, sed & conscientiæ stimulis exagitatus, sciscitatur e Confessario 1. an vi juramenti teneatur protinus Dominum suum adjuvare in præfato opere & servare silentium, an vero 2. potius teneatur rem loco suo manifestare, tum ad declinandam pœnam, tum etiam ad avertendum damnum Reipublicæ inde secuturum? Quid Confessarius Titio respondebit?

74. R. Ad primum quæsitum, Titium nec teneri neque etiam posse deinceps tuta conscientia Dominum suum adjuvare; tum quia tale adjutorium est prorsus illicitum, utpote justis legibus contrarium, & bono publico summopere perniciosum; tum etiam quia secundum dicta *n.* 58. & 60. juramentum nequit esse vinculum iniquitatis per *cap.* 18. *de jurejurand.* ergo vi hujus Titius nequit adstringi ad ferendum auxilium suo hero, vel ad distrahendam monetam spuriam; tum denique, quia secundum dicta *num.* 70. omnis jurans fictione juris censetur saltem tacite subintelligere hanc conditionem: *si moraliter possim* præstare id, quod exigitur: atqui Titius moraliter non potuit obsequi suo Domino in hac causa, utpote non minus peccaminosa, quam periculosa vitæ ac famæ: ergo &c.

75. R. Jam ad secundum. Titius vi juramenti non tenetur ad servandum silentium; non enim oportet, ut juramentum evadat iniquitatis fomentum. Nec refert, quod observatio silentii videatur res de se indifferens: omne autem juramentum etiam de re indifferente præstitum proximo, sit observandum per dicta *n.* 59. Enimvero in hoc casu observatio silentii non amplius manet indifferens, sed potius evadit mala, utpote pernicioso bono publico, quod virtute justitiæ legalis quivis homo privatus tenetur pro viribus impedire: ergo Titius vi juramenti non tenetur ad servandum silentium, sed ex charitate & justitia legali potius obligatur ad manifestandum, saltem per se loquendo.

76. Dico notanter: *saltem per se loquendo*, ut innuam, quod Confessarius in hoc casu aliisque similibus non debeat esse nimis præceps, neque illico præcipere pœnitenti, ut rem manifestet Judici aut Principi &c. Cum enim id fieri nequeat absque periculo vitæ saltem hero, sin minus famulo imminente, posset Confessarius exinde incurrere notam irregularitatis. Eo proin Confessarius studia & consilia sua impendat, oportet, ut modo ac via securiori damna tam Clienti, quam Communitati imminentia avertat; quem in finem juvabit bene ponderare 1. an Herus ille non possit a concepto scelere dimoveri per admonitionem seu correctionem fraternam? vel 2. an non saltem per minas, utputa per litteras ignota manu scriptas eidem proponendo periculum manifestationis, & consequenter etiam capitis? 3. an huic Clienti non expediat fuga, aut declinatio hujus servitii, saltem sub alio titulo aut prætextu?

CASUS SECUNDUS.

Sempronia puella haud ignobilis sæpius convenire assueverat quendam juvenem paris conditionis; verum hujusmodi conventicula nedum Parentibus ejusdem juvenis,

venis, sed & aliis fuere multum invisa atque suspecta; inde (ut communiter assolet) natæ sunt diversæ murmurationes, immo & detractiones, quas, ubi Sempronia inaudiit, jurejurando sese adstrinxit 1. quod deinceps cum illo juvene (a quo jam pridem seducta fuerat) non solum nihil amplius negotii aut commercii velit habere, sed insuper 2. & domum & parentes ejusdem (a quibus potissimum rumorem sparsum fuisse intellexerat) cane pejus & angue fugere. Tandem (nescio quo disponente) ab ipsismet Parentibus utriusque partis agitari cæptum est de matrimonio Semproniam inter, & dictum Juvenem celebrando. Hinc Sempronia juramenti sui haud ignara vel immemor sciscitatur e Confessore suo 1. an stante juramento sibi liceat habere quoddam commercium cum parentibus dicti Juveniis? 2. an domum vel Juvenem sibi liceat accedere ob sponsalia celebranda? 3. denique, an non juste timere debeat, statum matrimonialem fore sibi ter infaustum, si contra juramentum nupserit eidem Juveni? Quid ad hæc Confessor?

77. R. ad primum quæsitum, Semproniam stante & non obstante juramento posse inire familiaritatem & commercium cum parentibus dicti juvenis. Ratio est: quia juramentum, in quantum se extendit ad fugam commercii cum parentibus, processit non intuitu Religionis, sed potius ex vindicta, aversione vel odio erga parentes concepto; & hoc ipso fuit nullum, utpote de re mala & charitati proximo debitæ contraria. Hac de causa Sporer & noster A. R. P. Kazenberger *in Supplem. P. P. Sargar Confer.* 104. *n.* 220. aliique Doctores communiter docent, eos, qui ex inimicitia erga proximum concepta jurant, se nec unicum amplius verbulum locuturos cum tali &c. peccare mortaliter nedum contra virtutem charitatis, verum insuper contra virtutem Religionis, in quantum per hujusmodi juramentum volunt Deum fieri quodammodo complicem iniquitatis suæ, non sine gravissima erga Deum irreverentia.

78. R. ad secundum. Semproniam posse tuta conscientia accedere domum ac Parentes Juvenis, at in illis duntaxat circumstantiis, in quibus prævidet se non incursuram periculum incontinentiæ. Ratio: quia non est verosimile, quod jurejurando voluerit sese obligare ad vitandam domum illam, etiam in illis circumstantiis, in quibus nihil periculi, infamiæ aut sinistræ suspicionis deberet timere, bene autem liceret aliquid commodi & honesti emolumenti, matrimonium scilicet, sperare. Profecto casu quo aliam habuisset intentionem, rationabiliter concludendum foret, juramentum illud non amore Religionis aut honestatis, sed potius ex sinistra passione fuisse conceptum, & hoc ipso nullius esse momenti. Adde insuper ex dictis *n.* 70. in omni juramentum promissorio tacite subintelligi conditionem hanc: *Si potuero salvo jure & auctoritate Superioris*: atqui in his circumstantiis Sempronia nequit moraliter loquendo abstinere ab ingressu domus salva auctoritate parentum; secus enim procul dubio graviter offenderet parentes, & insuper præberet ansam diversis suspicionibus, præsertim odii, aversionis vel inimicitiæ erga juvenem eusdemve parentes conceptæ &c. utique non sine periculo scandali: ergo &c. Tenetur nihilominus Sempronia vi juramenti abstinere ab ingressu domus, aliisve conventiculis dicti juvenis in illis circumstantiis, in quibus prævidet periculum incontinentiæ: nam ad hoc vi juramenti se adstrinxisse merito præsumitur, ac proin contraveniendo nedum in virtutem castitatis, sed & in virtutem Religionis graviter impingeret secundum *omnes*, idque ob rationes jam datas.

79. R. jam ad tertium quæsitum. Semproniam posse absque scrupulo nubere dicto Juveni. Ratio liquet ex modo dictis: quia juramentum non potuit se rationabiliter extendere ad fugam omnis consortii, etiam honesti, uti est illud matrimonii: ergo non est, cur Sempronia sibi timeat de perjurio, vel ratione perjurii infaustum matrimonii exitum. Ratione perjurii, inquam, utrum enim ratione peccatorum carnalium olim cum sponso perpetratorum nil mali habeat timere, rationabilius dubitari posset, quandoquidem non raro compertum habeatur, amorem lascivum spon-

sponsorum secuto postea connubio versum fuisse in odium & aversionem, Deo per hoc peccata prius perpetrata justissime in hunc modum castigante. Sed de hoc viderint illi.

CASUS TERTIUS.

Cajus cum ludendo sæpe sæpius invidam sensisset fortunam, tandem ad evitandas plures inconvenientias & pauperiem extremam suadente uxore sua jurejurando sibimet interdixit omnem lusum; Verum cum posthabito juramento nuper notabilem summam ludendo rursus perdidisset, ita, ut non amplius potuerit præstare censum pro domo sibi locata; Paterfamilias ejusdem inaudiens non absque severiori objurgatione Cajo dixit: quia tu juramento de non amplius ludendo non stetisti, jam ego juro, quod te post elapsum terminum locationis non sin amplius toleraturus in domo mea. Experieris sane nolens volens, me sanctius staturum hoc meo juramento. Jam dubitare licet ad hanc speciem facti 1. an vel qualiter Cajus peccaverit ludendo? 2. An dictus Paterfamilias vi sui juramenti teneatur illum cum sua familia domo ejicere?

80. R. ad primum, Cajum procul dubio condemnandum esse peccati mortalis, quippe qui in materia gravi egit contra juramentum, dum ludendo perdidit notabilem summam, ita, ut non amplius potuerit præstare censum, neque aliis necessitatibus familiæ suæ debite providere. Nec dubium, quin præterea & contra pietatem & contra justitiam peccaverit, dum inordinato lusu uxorem & familiam suam magnis miseriis exposuit, & seipsum sponte reddidit impotentem ad solvendum creditoribus, quibus de jure debebat. Esto etiam supponatur non habuisse animum perdendi, sed lucrandi potius, sponte tamen sese exposuit huic periculo, quod prudenter prævidere potuit ac debuit, utpote multiplici experientia doctus, prout fertur in casu.

Ergone, inquies, omnis, qui jurejurando sibi interdixerit lusum, peccat mortaliter, si contra suum juramentum denuo ludat?

81. R. Hoc quidem universaliter dici non posse nec debere, sed ad discernendam gravitatem peccati a Confessario attendendum esse vel maxime ad finem & intentionem jurantis: vel enim is lusum execratus fuit, ne deinceps amplius inutiliter tempus perdat? vel ne perdat pecunias? vel ne incidat in rixas cum aliis collusoribus? Si primum, gravitas peccati dimetienda erit ex diuturnitate temporis: & vi hujus de facili non est condemnandus peccati mortalis, nisi valde frequenter ludendo multum temporis perdidisset. Si secundum, attendendum erit ad quantitatem pecuniæ comparative ad personam divitem aut pauperem, plus vel minus habentem dimetiendam, vel certe ad periculum perdendi quantitatem, quæ, si respectu hujus personæ pensatis omnibus circumstantiis fuerit magna, condemnandus est pœnitens peccati gravis: sin autem fuerit exigua (quod ex natura lusus aut pretii, de quo ludendo contenderunt, colligendum est) non nisi peccati venialis condemnari potest pœnitens. Denique si supponatur tertium, rursus attendendum erit, an pœnitens luserit cum talibus sociis, aut tali sorte ludendi, qua potuisset incidere rixas graves, vel non? Si non: excusandus est a culpa gravi: Si sic; condemnandus est culpæ gravis, sive dein pro se, sive pro alio luserit: quia in materia gravi egit contra jusjurandum. Videantur de hoc Sanchez *lib. 3. in decalog. c.* 18. Castropalao *part. 3. tr. 14. disp. 2. pu. 7. §. 1.* Sporer *p. 3. in decalog. c. 1. sect. 2. n.* 43. vel Henno ubi supra *art.* 8.

82. R. ad alterum quæsitum hujus Casus. Paterfamilias vi juramenti probabiliter non tenetur Cajum domo sua expellere; tum quia tale juramentum fuit de re de se merum indifferente; tum etiam quia non ex motivo virtutis, sed potius ex passionis impulsu factum est. Et dato etiam quod dictus Paterfamilias habuisset intentionem corrigendi, & hac via reducendi Cajum ad meliorem frugem; tamen si prævideat, fore, ut vi talis expulsionis Cajus cum integra sua familia sit multum affligendus & magnis subjiciendus miseriis (de quo in similibus circumstantiis vix unquam prudenter dubitare licet) poterit

non

non obstante juramento eundem retinere in domo sua; quia juramentum non debet esse contrarium charitati.

Dices adhuc: Sed quid, si memoratus Paterfamilias e contrario jurasset, se Cajum domo sua nunquam ejecturum, possetne stante hoc juramento eum ejicere, posito, quod censum sibi debitum non solveret?

83. R. Posse, saltem tunc, si Cajus biennio conductionis pensionem debitam non solveret. Ita tenet Gomez *tom. 2. cap. de locat. & conduct. n. 6.* Covarruvias & Sanchez, quos refert & sequitur Castropalao *ubi supra disp. 2. pu. 14. n. 10.* Ratio est: quia secundum dicta *n. 69.* juramentum tangens materiam juris intelligi debet & interpretari secundum constitutiones juris: atqui de jure contractus locationis censetur habere hanc tacitam conditionem, ut conducto biennio non solvens expelli valeat. *l. quæro §. inter locatorem ff. locati* &c. ergo. Secus ego resolvendum existimarem, dato quod Cajus ex altiori motivo v. g. pietatis aut misericordiæ jurasset expresse, se nunquam Cajum expulsurum, tametsi pensionem non solvisset: quo supposito juramentum fuisset honestum & sanctum, simulque observabile a Paterfamilias absque omni peccato: ergo ob reverentiam Divini Nominis deberet observari, nihil prorsus sibi suffragante mox allegata juris constitutione, utpote cui potuit, & jurando censetur voluisse renuntiare, ductus altiori motivo.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

83. Colliges ex hactenus dictis primo, amentes, ebrios, sicut etjam pueros ante usum rationis plene adeptum non esse capaces ad deponendum verum juramentum, & hoc ipso a Judice nunquam esse admittendos. Ratio hujus est: quia cum perfectæ deliberationis non sint capaces, ipso jure naturæ invalida censeri debent juramenta ab iisdem deposita. Pessime proin factum arbitror a quodam certo Ludimagistro, qui a pueris postulaverat, ut duobus digitis prioribus in signum juramenti elevatis testarentur, se hoc vel illud delictum quantumvis puerile, non commisisse, aut nihil de eo vidisse, ex intelisse &c. pessime inquam factum arbitror; cum enim juventus illa valde sit prona ad mendacia, prudenter debuisset timere perjuria ab illis, qui doli capaces fuere: non debent autem homines ob leves culpas subjici aut exponi periculis animarum: ab aliis autem doli nondum capacibus prudenter nec potuit, neque etiam debuit exigere juramentum, velut ex hactenus dictis liquet: nec dubitandum, quin hujusmodi perjuria Ludimagistro potius, quam pueris sint imputanda, vel ex hoc ipso capite magis castigando virgis, quam pueri.

85. Colliges secundo, Juramentum promissorium quodcunque, factum cum errore aliquo substantiali, id est, circa substantiam rei promissæ, vel subjectum cui promissio fit, nullum esse & invalidum: validum vero, si error contigit solum circa qualitatem mere accidentalem non redundantem in substantiam. Ita omnes cum Sanchezio, Molina &c. Ratio est: quia juramentum promissorium sequitur naturam & conditionem promissionis: atqui ad omnem promissionem validam essentialiter requiritur consensus in substantiam, qui consensus subsistere non valet cum errore substantiali, bene vero cum errore accidentali duntaxat: ergo ubi contigit error circa substantiam, ibi non valet, neque obligat juramentum promissorium: & quemadmodum secundum dicta *in Theolog. Sacrament. part. 3. confer. 4. n. 88.* matrimonium cum errore circa substantiam personæ contractum nullum est, bene autem cum errore circa qualitatem mere accidentalem non redundantem in substantiam: ita sane promissio jurata seu juramentum promissorium v. g. matrimonii cum errore substantiali factum, prorsus nullum est, ac nullius valoris. Videatur Sporer *cit. c. 1. sect. 2. n. 20. & seqq.*

86. Colliges tertio, juramentum promissorium factum de præstanda re merum indifferente quatenus tali, pariter nullius esse vigoris aut obligationis. Ratio est

est: quia talis actio est omnino inutilis: invocatio autem Divini Nominis nequit obligare ad rem vel actionem inutilem: ergo nec ad rem indifferentem qua talem. Hinc sequitur, juramentum v. g. non levandi festucam, non egrediendi domo tali hora, non ducendi filum tali die v. g. Martis &c. non solum nullam prorsus parere obligationem, sed potius injuriosum esse Deo: secus dicendum foret, casu quo hujusmodi actio mere indifferens fuisset ordinata ad altiorem finem v. g. ingredi hanc domum ad consolandum seu etiam sublevandum infirmum; vel abstinere ab ingressu, alloquio hujus vel illius &c. ob evitandum periculum incontinentiæ &c. quo casu utique valeret juramentum, utpote factum de re meliori & Deo perquam grata atque animarum saluti proficua. Quocirca insuper advertendum est, hujusmodi juramenta circa rem mere indifferentem qua talem facta tractu temporis mutatis etiam circumstantiis non convalescere, si ab initio fuere nulla. Ex. gr. Titia juravit non egredi domo die Veneris, vel non ingredi domum alterius &c. juramentum hoc, si supponatur altiori fine destitutum, ab initio fuisse nullum; contingat postea Titiam habere rationabilem causam non egrediendi domo, vel non ingrediendi alienam domum, eo quod ibi advertat periculum etiam proximum incontinentiæ &c. in tali casu de jure naturali equidem tenetur abstinere ab ingressu, at non tenetur ad hoc vi juramenti, utpote ab initio nulliter facti: *Non firmatur autem tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* per *c.* 18. *de Reg. J. in sexto.* Videatur Laymann *lib.* 4. *tr.* 3. *c.* 6. *n.* 4. Reiffenstuel *l.* 2. *tit.* 24. §. 3. *a n.* 76. Babenstuber cit. *a.* 2. *n.* 50. *&* 51.

87. Colliges quarto, juramenta Parentum de castigando filio, vel filia delinquente tali vel tali modo, itemque juramenta Dominorum aut Dominarum de ejiciendo famulo vel famula e domo &c. plerumque non esse vera juramenta; tum quia sæpe sæpius non habent intentionem jurandi, sed tantum terrendi; tum quia solent plerumque fieri ex passione duntaxat, & non raro ex animo inordinate vindicandi delicta; atque hoc ipso de re saltem venialiter mala; consequenter nullius sunt momenti. His de causis Laymann *lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 14. *n.* 9. Gobat *tr.* 11. *Theolog. experim. a n.* 528. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 6. *dist.* 2. *n.* 22. aliique Doctores satis communiter monent, raro hujusmodi homines peccare, postea non faciant id, quod serio facturos se jurarunt; idque vel quia delinquentes sese jam emendarunt, vel errorem suum agnoverunt humiliter, deprecando veniam cum promissione emendationis; vel quia juramentum fuit de re inutili, indifferenti, aut de vindicta inordinata, uti jam dictum.

88. Colliges quinto, juramenta de opere malo, vel ad malum finem facta, uti est v. g. juramentum dandi puellæ vel mulieri tot & tot, si corporis sui copiam præstet, vel juramentum dandi v. g. sicario hanc vel illam summam, si inimicum tuum occiderit &c. nullius esse momenti, ob rationes jam datas; sunt enim de re illicita, & hoc ipso ante opus præstitum retractanda &c. nihilosecius opere semel exhibito, tenetur jurans stare promissis suis &c. Ratio est: quia tale juramentum potest licite servari: esto enim opus ipsum v. g. homicidium injustum fuerit illicitum & gravissime peccaminosum, solutio tamen mercedis promissæ, supra quam cecidit juramentum, non est quid illicitum: ergo debet præstari ob regulam illam jam supra *num.* 57. traditam, quod scilicet omne juramentum de re honesta & utili, non vergens in detrimentum salutis ob reverentiam Divini Nominis debeat adimpleri: improprie igitur (inquit cum Laymanno *cit. cap.* 6. *num.* 2. Sporer *tr.* 3. *in decalog. cap.* 1. *sect.* 2. *num.* 55.) loquuntur quidam Doctores, præsertim Canonistæ, dum dicunt, *juramentum illicitum servandum non esse:* deberent enim dicere, *juramentum de re illicita servari non debere.*

89. Colliges sexto, Medicos contravenientes juramento in susceptione gradus emisso de admonendo periculose infirmo in ordine ad confessionem peccatorum deponendam (juxta decretum Innocentii III. *c. cum infirmitas, de pœnit.*

nit. & remiſs.) nec non de non amplius viſitando eodem infirmo, niſi intra triduum poſt factam admonitionem fuerit confeſſus ſacramentaliter (prout ſtatuit S. Pius V. in Motu proprio: *ſupra Gregem dominicum* anno 1566.) tales inquam Medicos graviter peccare. Quocirca tamen advertendum, eos excuſari poſſe a gravi peccato ex triplici capite 1. ſcilicet, ſi admoneant infirmum ſaltem per alium; quia per talem admonitionem adhuc obtineri poteſt finis conſtitutionis. 2. Si morbus non judicetur periculoſus, vel ſi intra triduum ob ſumpta medicamina infirmus ſupponatur evaſiſſe periculum. 3. Si prævideant moraliter ſe nihil effecturos, tametſi infirmum admonerent ad deponendam confeſſionem &c. Ratio prioris eſt: quia ſi infirmus ſupponatur poſitus extra periculum mortis, eo ipſo ſupponi poteſt ac debet eſſe extra periculum decedendi ex hac vita ſine Sacramentis: finis autem Summi Pontificis videtur non fuiſſe alius, quam declinatio talis periculi: ergo hoc ceſſante ceſſat obligatio legis. Ratio autem poſterioris eſt: quia ſicut ſecundum dicta *tr. 2. Theolog. decalog. conf.* 10. *n.* 298. & 322. præceptum de correctione fraterna ceſſat obligare, ubi prævidetur nihil fructificatura & inutilis: ita, pariter in hoc caſu ceſſare debet obligatio admonendi infirmum, caſu quo moraliter certo prævidetur nihil fructificatura admonitio: *moraliter certo* dico; nam in dubio lex manet in poſſeſſione, ideoque urget ad admonendum: nec de facili præſumendum eſt, quod nihil ſit profutura. Videantur de hoc Sanchez *lib.* 3. *in decalog. c.* 16. *num.* 7. Tamburin. *lib.* 3. *c.* 3. §. 5. *num.* 51. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *qu.* 1. *pu.* 16. *num.* 10. Babenſtuber *tr.* 5. *diſp.* 3. *art.* 2. *num.* 68.

90. Colliges ſeptimo, juramenta de ſervando ſilentio circa ea quæ in electionibus, capitulis vel congregationibus præſtari ſubinde debent, obligare juxta proportionem materiæ, id eſt, graviter in materia gravi ſeu tali, ex cujus revelatione oriri poſſet cuipiam grave nocumentum aut præjudicium; leviter vero in materia levi, id eſt, tali, ex cujus revelatione vel nullum prorſus, vel non, niſi exiguum præjudicium poteſt redundare in proximum &c. Ita recte Henno noſter *tract. in decalog. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 4. *Reſol.* 3. *poſt concluſ.* 3. Ratio eſt: quia obligatio hujus juramenti promiſſorii ſequitur naturam & obligationem ſecreti: ergo ubi hoc eſt magni momenti, obligat graviter, ubi vero eſt exigui, non niſi leviter obligat. Idipſum tenendum eſt de juramento ſervandi ſecretum v. g. circa artem conficiendi hanc vel illam medicinam. Excipiunt tamen Doctores caſum, quo defectu talis medicinæ homo aliquis, vel tota etiam communitas deberet ſubire grave damnum vel vitæ periculum, niſi ſecretum, ſeu ars conficiendi illam medicinam reveletur &c. His enim ſuppoſitis charitas proximo indigenti debita obligaret ad revelandum ſecretum: juramentum autem præſtitum non debet pugnare contra præceptum charitatis; ſecus enim evaderet vinculum iniquitatis. Videatur Sporer *cit. c.* 1. *ſect.* 2. *num.* 42. de la Croix *lib.* 3. *p.* 1. *num.* 329. vel Kreſslinger *in addit.* 3. *poſt nu.* 30. *Theolog. mor. tr.* 6. *diſt.* 2. *R. P. Reiffenſtuel.*

91. Colliges ulterius octavo, idipſum quod proxime dictum fuit de revelatione ſecretorum, pariter proportionate dicendum eſſe de violatione ſtatutorum, ad quorum obſervantiam v. g. DD. Studioſi Univerſitatum, vel alia membra certarum Congregationum vel Capitulorum ſub juramento ſolent adſtringi; quia utrobique juramentum ſequitur naturam promiſſionis. Quare ſi rector Academiæ vel Univerſitatis ſub obligatione præſtiti juramenti præcipiat Studioſis, ut interſint Sacrificio Miſſæ vel proceſſioni publicæ, tranſgreſſores per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo ac contemptu non peccant plus quam venialiter; eo quod hæc materia ſpectato fine præcipientis videatur omnino levis. Econtra ſi idem Rector ſub eadem obligatione juramenti præſtiti vocet aliquem ad decidendam cauſam gravem, non obtemperans vel non comparens abſque juſta cauſa peccabit graviter contra virtutem Religionis, eo quia

in

in materia gravi agit contra fidelitatem juramenti præstiti. Ita Babenstuber *tract.* 5. *disputat.* 3. *art.* 2. *numer.* 67. referens pro eadem opinione Sanchezium *lib.* 3. *in decalog. c.* 14. *num.* 2. 4. & 6. Salmanticenses *tom.* 4. *tr.* 17. *c.* 2. *pu.* 7. *numer.* 78. & 81.

92. Colliges denique nono, Officiales quoscunque demum, qui sese in susceptione officii sui jurejurando adstrinxerunt ad fideliter illud administrandum, peccare graviter vel leviter contra virtutem Religionis secundum proportionem culpæ, neglectus, seu etiam infidelitatis commissæ in administratione. Idipsum dicendum est de Scribis, Procuratoribus, Advocatis, Consiliariis & aliis, qui jurarunt, se non petituros, aut recepturos pro salario ultra id, quod lege taxatum fuit. Peccant inquam graviter vel leviter non solum contra virtutem Religionis, sed & contra virtutem Justitiæ, juxta proportionem materiæ, quam ultra taxam sibi debitam exigunt aut recipiunt, non obstante eorum paupertie, quam multi prætendunt. Ratio manet eadem: quia in tali casu nedum virtutem Religionis, sed & virtutem Justitiæ violant juxta proportionem materiæ gravis, vel levis: ergo graviter vel leviter peccant duplici peccato. Ita Henno *cit. disputat.* 2. *quæstion.* 2. *art.* 4. *concl.* 3. *Resolution.* 4.

CONFERENTIA QUARTA.

De conditionibus ad Juramentum licitum necessariis.

SUMMARIUM.

93. *Ad omne juramentum licitum necessario debent concurrere tres conditiones, scilicet ut fiat in* veritate, ju. stitia & judicio.
94. *Veritas juramenti consistit in eo, quod non contra, sed juxta mentem juretur.*
95. *Unde omne juramentum contra mentem factum est mortaliter peccaminosum.*
96. *Justitia juramenti in eo sita est, quod Divinum Numen non invocetur in testimonium rei illicitæ seu peccaminosæ.*
97. *Qui jurat, se commissurum id, quod est peccaminosum, peccat mortaliter.*
98. *Judicium juramenti consistit in eo, quod fiat prudenter, & non sine justa ac rationabili causa.*
99. *Juramentum carens judicio, per se loquendo non est plus, quam venialiter peccaminosum.*
100. *Per accidens tamen potest quandoque defectu judicii peccari mortaliter.*
101. *Resolvitur Casus I. cujusdam Automatarii, qui alium quendam concivem ob non præstitam sibi solutionem pro horologio eidem dato accusavit apud Judicem.*
102. *An tuta conscientia potuerit alium quendam amicum rogare, ut testaretur jurato, horologium fuisse datum, esto non viderit, quando datum fuit.*
103. *An supposita condemnatione ad solutionem horologii, Automatarius vel amicus ille seu juratus testis teneantur ad restitutionem pretii.*
104. *Resolvitur Casus II. cujusdam Domicellæ, quæ jurejurando promiserat nubere certo cuidam juveni, etiam contra voluntatem suorum Parentum.*
105. *Quid judicii de juramento eo fine facto, ut a quadam vidua facilius obtineretur usus corporis.*
106. *An ille, qui huic Viduæ jurato promiserat,* se non aliam ducturum, *teneatur vi juramenti hanc ducere.*
107. *Quid tenendum de juramento, quo sponsi subin se obligant, ad non permittendum tactum lascivum ab alia quacunque persona.*
108. *Resolvitur Casus III. de quodam milite anserum fure.*
109. *Qui, ut ab hoc delicto sese purgaret, alios duos commilitones persuasit ad deponendum perjurium.*
110. *An Judex vel etiam Rusticus, ceu actor & accusator, potuerit a præfatis militibus prætendere juramentum, tametsi moraliter certo præviderit eos pejeraturos.*
111. *In nullo unquam casu fas est inducere alium ad perjurium.*
112. *An liceat inducere saltem ad perjurium materiale, id est, talem, qui ex errore*

rore putat rem ita se habere, licet inducens sciat contrarium.

113. *Omne perjurium etiam joci causa factum est mortaliter peccaminosum.*

114. *Peccat insuper mortaliter, qui rem sibi dubiam jurejurando confirmat velut certam, aut vicissim.*

115. *Confessarius non debet de facili a pœnitente exigere juramentum emendandi se, vel restituendi &c.*

116. *Quomodo practice sit examinandus pœnitens, qui se accusat de juramentis factis &c.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Juramentis licitis vel illicitis.

Quæres primo, quæ & quot conditiones generatim sint necessariæ ad omne juramentum licitum?

93. R. Generaliter loquendo ad omne juramentum licitum debent necessario concurrere tres conditiones, velut quidam comites, scilicet 1. Veritas, 2. Justitia, & 3. Judicium. Ita unanimiter Doctores. Et habetur expressum jure divino *Jeremiæ* 4. ubi dicitur: *Jurabis: vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia*. Verum pro pleniori horum intellectu

Quæres secundo, quid intelligatur per veritatem, seu quid sit jurare in veritate?

94. R. Jurare in veritate idem est, ac jurare juxta mentem ipsius loquentis: itaque per veritatem juramenti hic non intelligitur conformitas dicti ad rem ipsam, prout est a parte rei, sed conformitas dicti ad mentem loquentis. Unde si Petrus firmiter credat se esse filium Joannis, idque jurejurando affirmet, dicitur jurare in veritate, & juramentum hoc esse formaliter verum, esto fortassis Petrus non sit filius Joannis sed alterius: e contra autem si firmiter sibi persuasum habeat, se non esse filium Joannis, & tamen juret se esse talem, committit perjurium, etsi supponatur esse Joannis filius. In juramento autem promissorio secundum dicta superius *num.* 32. duplex debet intervenire veritas scilicet una, quod jurans revera velit se ad hoc vel illud obligare, & quod velit promissum adimplere, in cujus confirmationem Deum velut fidejussorem jurando quodammodo substituit, & altera, quod suum promissum effective exequatur.

Quæres tertio quomodo peccet ille, qui jurat sine veritate?

95. R. Peccat mortaliter, quisquis sine veritate, seu contra mentem jurat, sive dein res sit magni, sive exigui momenti. Ita ex communi Doctorum Illsung *tr.* 5. *disp.* 1. *num.* 50. Viva *ad proposit.* 24. *ab Innocent. XI. damnatam num.* 5.

Ratio est: quia quisquis contra mentem jurat, quantum est de se, nititur quodammodo Deum reddere testem falsitatis: at hoc ne quidem in materia exigui momenti fieri potest sine gravissima Dei injuria; nam si Deus in quacunque etiam minimi momenti materia falsum attestaretur, eo ipso non amplius esset infinite verax, & per consequens non amplius foret Deus: ex quo profecto ad oculum liquet, Deo æque grandem irrogari injuriam, dum invocatur in testem levis mendacii, quam dum invocatur ad contestandam rem falsam gravissimi momenti: ergo semper committitur peccatum mortale. Patet insuper ex hoc, quam juste Innocentius XI. præter alias plures damnaverit sequentem *num.* 24. propositionem: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

Quæres quarto, quid intelligatur per justitiam juramenti?

96. R. Justitia juramenti in eo consistit, quod non juretur res iniqua seu peccaminosa & injusta, vel quomodocunque illicita: ideoque in justitia jurare dicitur, qui jurat rem justam, seu honestam ac licitam: e contra sine justitia jurare dicitur, qui jurando asserit se facturum id, quod non est licitum, & hoc ipso injustum seu contra jus divinum, aut humanum. Ita rursus communiter Doctores.

Quæres quinto, quomodo peccet, qui jurat sine justitia, id est, rem in-

injustam, seu illicitam & peccaminosam?

97. R. Probabilius semper committi peccatum mortale, dum quis jurat se commissurum peccatum etiam veniale duntaxat. Ita Marchantius Tribun. *to.* 2. *tr.* 3. *tit.* 2. *q.* 3. *Reg.* 2. R. D. Augustinus Michel *Theolog. can-mor. tom.* 2. *part.* 2. *punct.* 5. *numer.* 6. referens pro eadem opinione Turrianum *in select. disput. cent.* 3. *censuræ Theolog. dub.* 3. Ratio me movens ad hanc resolutionem est: quia juxta communissimam Doctorum proxime insinuatam *num.* 95. qui Deum jurando invocat in testem falsitatis seu mendacii quantumvis levis, revera Deo non levem, sed gravem irrogat injuriam, eo quod quantum in se est, velit eundem substituere, quasi fidejussorem falsitatis: quod simpliciter & æqualiter repugnat Ejusdem infinitæ veracitati tam in materia gravi, quam in materia levi: at, non minus repugnat sanctitati divinæ, agere fidejussorem quasi de committendo levi peccato, quam de gravi: ergo si is, qui jurando invocat Deum in testem etiam levis mendacii, non levem sed gravem injuriam eidem irrogat, profecto etiam ille, qui eundem invocat in testem ac fidejussorem levis seu venialis peccati committendi, non levem, sed gravem injuriam divinæ Sanctitati irrogare censendus est. Unde ad fundamentum sententiæ contrariæ, quam plures etiam insignes Doctores, uti Tannerus, Sanchez, Sporer, Tamburinus, Bonacina & alii tenent, simpliciter negandum est; quod per jusjurandum de committendo peccato veniali &c. Deo levis tantum & non gravis injuria irrogetur; secus enim pariter dicendum foret, non gravem, sed levem duntaxat injuriam Deo irrogari, dum jurejurando invocatur in testem levis mendacii.

Quæres sexto, quid sit jurare in judicio, vel quidnam hic intelligatur nomine judicii ad licitum juramentum necessarii?

98. R. Nomine judicii intelligitur discretio & prudentia christiana, consistens in eo, quod Divinum Numen non invocetur in testimonium sine rationabili causa: ideoque in judicio jurare, dici potest ac debet ille, qui non passim, sed cum prudenti intellectus consideratione ad id, de quo jurat, & reverenti ac pia voluntatis affectione invocat Divinum Numen in contestationem veritatis, eo quod hoc judicetur necessarium in ordine ad faciendam fidem de aliqua veritate, quam oporteret habere exploratam. Ita *ex communi DD.* Sporer *cit. c.* 1. *sect.* 3. *n.* 92. Vega, aliique.

Quæres septimo, quale peccatum sit jurare absque judicio?

99. R. Per se loquendo non est, nisi peccatum veniale. Ita *cum communi DD.* Sanchez *lib.* 4. *in decalog. c.* 4. *num.* 35. Ratio est: quia per hoc præcise, quod juretur sine judicio, Deo non irrogatur gravis, sed levis irreverentia tantum; non enim supponitur invocari in testem veritatis potius ac justitiæ, esto ex parte invocantis interveniat aliqua irreverentia defectu judicii & discretionis sufficientis.

100. Dixi tamen, *per se loquendo non esse, nisi peccatum veniale*, ut innuerem, posse quandoque defectu judicii peccari mortaliter, quasi per accidens: & revera hoc modo peccare censendi sunt illi, qui ex inveterata consuetudine passim jurare solent sine attentione vel discretione, verumne an falsum jurent, parum insuper solliciti de indaganda veritate, vel extirpanda hac consuetudine. Qua de causa *Eccli.* 23. dicitur: *Jurationi non assuescas os tuum, multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo: & nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis.* Et Sanctus Augustinus *Serm.* 30. *de verbis Apostoli*, *duo sunt* (ait) *quæ damnabo nunquam; veram jurationem, & nullam jurationem: damno autem falsam jurationem: falsa juratio exitiosa est: vera juratio periculosa est: nulla juratio secura est.* Videatur Vega *in summa p.* 1. *cap.* 116. *de juramento. cas.* 19.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici contingentes liceitatem Juramentorum.

CASUS PRIMUS.

Titius Automatarius cuidam Concivi horologium 40. florenorum ad probam (uti postulatum fuerat) dedit : post aliquot septimanas dum Titius ab eodem vel horologium, vel pretium competens sibi rependi postulavit, Concivis ille rotunde negavit, se unquam ab Automatario horologium recepisse; quam ob causam Titius illum coram Judice accusavit, & quia alia via factum probare non potuerat, sese obtulit ad deponendum juramentum de tradito horologio. At vero Judex neque Titium, neque etiam uxorem illius velut interessatam & hoc ipso suspectam voluit admittere ad juramentum. Rem totam paulo post Titius narravit tertio cuidam bono amico suo, qui dum de veritate facti nullatenus ambigendum existimaverit ob sinceritatem Titii in multis casibus sibi jam pridem perspectam, illico cum eodem Judicem accessit, jurejurando deponens, se scire horologium ab Automatario alteri fuisse traditum: quo audito Judex hunc nedum ad solutionem, sed insuper etiam ad certam mulctam compulit. Jam ad hanc speciem facti dubitatur primo, an Judex bene fecerit non admittendo Titium ejusque Uxorem ad deponendum juramentum suppletorium? 2. An tertius ille, bonus amicus Titii non commiserit perjurium, dum jurejurando asseruit, se scire, & sibi constare de dato horologio? &c.

101. R. ad primum quæsitum. Judex bene egit repudiando juramentum a Titio ejusdemve uxore deponendum. Ratio est : quia, ut supponitur in specie facti, Titius aliunde nihil probare potuit : at hoc ipso huic non potest nec debet deferri juramentum suppletorium, quippe quod solum præstari debet, quando habentur quidem aliæ probæ, sed non sufficientes.

Et certe quisquis sponte se offert ad jurandum, reddit se suspectum. *l. ait Prætor* 3. *§.* 1. *ff. de jurejur. & l. si legatarius ff. de dolo malo*. Profecto si in simili casu satis esset ab Actore deponi juramentum suppletorium, de facili contingere posset, ut plures quantumvis innocentes deferrentur & condemnarentur, veluti cuivis prudentum rem perpendenti facile constabit. Adde insuper, quod in tali casu juramentum Reo potius ad ostendendam suam innocentiam, quam Actori ad probandum delictum deferri debeat, veluti habetur *cap. ult. §. sane de jurejur.* Immo vero, si Actor deficiat in probatione, ita, ut pro se nec ullam præsumptionem habeat, Reus ne quidem adigi vel cogi debet ad jurandum, sed potius ab omni culpa absolvi, uti recte docet Pichler *in Comp. Jur. Can. tit.* 24. *num.* 8. referens pro eadem opinione Haunoldum, Wiestner, Menochium, & alios plures.

102. R. ad alterum quæsitum, illum amicum Titii condemnandum esse perjurii. Ratio est : quia testis in judicio requisitus vel adactus ad jurandum debet deponere de notitia certa & experimentali, qualis habetur per visum *c. testes. cap.* 3. *pag.* 9. atqui amicus ille non potuit agere testem de visu, quia supponitur non interfuisse, dum horologium fuit ab Automatario extraditum : ergo amicus commisit perjurium saltem formale, dum jurando testatus fuit *se scire*, id est, certo & experimentaliter cognoscere, horologium fuisse extraditum. Videatur Layman *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 14. *numer.* 5. vel Sporer *tract.* 3. *in decalog. cap.* 1. *sect.* 3. *num.* 97.

Ergone inquies, hic testis vel Automatarius a Confessario condemnandi sunt ad restitutionem seu refusionem tum solutionis, tum etiam mulctæ, ad quam concivis supponitur fuisse condemnatus?

103. R. Non esse condemnandos ad ullam restitutionem. Ratio est : quia, ut in specie facti supponitur, horologium 40. florenis constans fuit ab Automatario a parte rei datum : ergo hic potuit tuta conscientia exigere & acceptare quadraginta florenos sibi de jure debitos : consequenter non tenetur ad ullam restitutionem. Nec refert,

fert, quod fortassis alterum suum amicum induxerit ad perjurium, & uterque hoc modo dici valeat perjurus: per hoc enim non egerunt contra virtutem justitiæ, sed solum contra virtutem Religionis, vel contra virtutem charitatis forsitan: atqui obligatio restitutionis non oritur, nisi ex læsione solius justitiæ commutativæ, minime vero ex læsione aliarum virtutum, veluti ex communi aliorum diximus *de Restitut. Confer.* 1. *nu.* 5. ergo &c. Videatur de hoc in simili casu Sporer *loco proxime citato*.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia nobilibus Parentibus progenita cuidam Adolescenti (quem Sempronium baptizamus) paris nobilitatis, sed inferioris fortunæ multis verborum lenociniis inducta tandem ad ineundum cum eodem matrimonium jurejurando sequenti verborum formula concepto scriptotenus sese obstrinxit: Ego Sempronia promitto Charissimo meo D. Sempronio fidem & fidelitatem, jurans per SS. Trinitatem, per Sancta Evangelia, & per locum, quem spero in cœlis, me huic, & non alteri nupturam, etiamsi hoc nostrum matrimonium intra multos annos non sequatur, si forte ejus parentes, vel mei vellent id impedire: supra hoc do hanc meam signaturam prædicto Nobili. Jam dubitatur, an Sempronia vi hujus juramenti teneatur nubere Sempronio?

104. R. Sempronia vi juramenti ad hoc tenetur, supposito saltem casu, quod Parentes non habeant causam rationabilem & multum ponderosam contradicendi, non item in casu, quo Parentes rationabiliter contradicerent, ita, ut sine gravi Eorundem offensa matrimonium celebrari non posset. Ratio hujus resolutionis est: quia omnis actus sic interpretari debet, ut magis valeat, quam non valeat, *l.* 21. *ff. de Reb. dub.* at, si Sempronia jurando voluisset se obligare ad hoc matrimonium contra rationabilem Parentum voluntatem, & eo ipso illicite contrahendum, juramentum fuisset nullum: nulla pariter fuisset promissio sponsalitia: ergo præsumendum potius est, quod vi prædictæ formulæ ac promissionis voluerit duntaxat sese obligare ad matrimonium pro casu, quo Parentes non haberent causam rationabilem contradicendi. Neque ex hoc, quod se voluerit obligare ad nubendum huic, *etiamsi Parentes hoc voluissent impedire*, inferendum est, quod intenderit se obligare ad matrimonium illicite contrahendum, & hoc ipso juramentum sit nullum: non enim omne matrimonium, quod parentes impedire nituntur, eo ipso illicite contrahitur, cum & ipsi parentes possint duci motivo irrationabili, & contra jus naturæ libertatem filii aut filiæ restringere; quo supposito audiendi non sunt: cum ergo aliunde delicta non sint præsumenda *l. merito ff. pro socio*: pariter in hoc casu nostro præsumendum est, Semproniam per prædictam formulam juramenti non voluisse se obligare ad matrimonium illicitum, sed potius ad licite contrahendum.

Sed quid de illo tenendum (inquies) qui, ut mulierem viduam induceret ad concubitum, dixit: *Juro tibi, me nullam ducturum Uxorem, nisi te, neque aliam mulierem ingressuram in meam domum, nisi te ipsam*: peccavitne taliter jurando? Item teneturne hanc ducere, posito quod intuitu juramenti hujus obtinuerit usum corporis?

105. R. Ad primam partem hujus dubii, hunc hominem (quisquis demum fuerit) jurando probabilius peccasse mortaliter, haud equidem eo ex capite, quod juraverit, se non aliam, nisi hanc viduam ducturum (hoc enim potuisset licite facere) sed quia juravit eo fine, *ut viduam induceret ad concubitum*, & juramento ceu actu Religionis pessime abusus fuit ad finem mortaliter malum, quod procul dubio graviter repugnat virtuti Religionis, prout nemo prudentum non videt vel primo intuitu. Videatur de hoc Castropalao *tr.* 14. *disp.* 1. *pu.* 4. *num.* 3. & *punct.* 5. *nu.* 4. Sanchez *lib.* 3. *decalog. c.* 4. *n.* 33. *circa finem*, vel de la Croix *lib.* 3. *p.* 1. *n.* 265.

106. R. Jam ad alterum dubium. Si jurans supponatur habuisse verum animum ineundi sponsalia per prædicta verba,

verba, minime ambigendum est, quin teneatur ducere dictam viduam; tum quia juxta tritum illud verbiverbium: *Omne promissum cadit in debitum*, & nunquam non *studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur; cap. qualiter de pactis*. Tum insuper, quia omne juramentum non vergens in exitium animæ observandum est: at hoc juramentum consummato semel peccato, non vergit in exitium animæ; esto enim graviter deliquerit viduam cognoscendo, non tamen peccabit eandem ducendo: ergo ad hoc tenetur vi juramenti. At vero, si supponatur non habuisse animum jurandi vel vera sponsalia ineundi per prædicta verba, tunc equidem in foro conscientiæ non tenebitur illam ducere: quandoquidem juxta verosimiliorem opinionem Laymanni *lib. 5. moral. tract. 10. part. 1. capit. 1. numer. 2.* Gobati *Theolog. experiment. tract. 10. numer. 59.* Dicastillo & aliorum prædicta verba non sonant vera sponsalia, sed solum contrahitur obligatio *vel nullam Uxorem ducendi, vel si aliquam, hanc*. Nihilominus in foro externo procul dubio compelleretur ad ducendam viduam; quisquis enim sub ficta spe matrimonii persuadet mulierem ad concubitum, tenetur eam ducere, sin minus vi promissionis, utpote fictæ duntaxat, saltem virtute justitiæ, vi cujus tenebatur non ficte aut simulate, sed sincere promittere, adeoque habere animum promittendi & sese obligandi ad illam ducendam: & hoc nedum pro foro externo, sed & pro interno concludendum foret, si mulier non aliter, quam sub conditione & onere matrimonii secum ineundi, supponatur usum sui corporis concessisse: quia secundum dicta superius *numer. 68.* juramentum dolo aut fraude factum non juxta mentem jurantis, sed juxta mentem acceptantis juramentum interpretandum est, æquitate naturali etiam idipsum exigente. Videantur de hoc Gobat *Theolog. experim. tract. 10. num. 230.* Lugo *de justit. tom. 1. disp. 12. numer. 20.* vel ea, quæ ex communi aliorum tradidimus *part. 3. Theolog. Sacram. Confer. 1. num. 13.*

Dices adhuc: sed quid tenendum de juramento, quo subin sponsi sese mutuo obligare solent ad non permittendum tactum impudicum ab alia quacunque persona?

107. R. breviter, id esse explorandum a Confessario dependenter ab eorum intentione. Vel enim id fecerunt sincero animo, ad cavendum scilicet & præcludendum omne periculum, ne cum aliis commisceantur? & tunc juramentum est validum, ita, ut huic contraveniendo committant duplex peccatum, scilicet contra virtutem castitatis & Religionis; & probabilius juxta alibi dicta, etiam contra virtutem justitiæ. Vel supponuntur id fecisse animo firmandi & fovendi malam inter se amicitiam? & tunc juramentum fuisset nullum, utpote factum ad malum finem, cujus nequit esse vinculum. Denique si pœnitens ipse dubitet, quo fine jurando voluerint sese obligare, præsumendum erit, quod noluerint hoc facere, nisi ad finem honestum, secundum dicta *num. 104.* & hoc ipso etiam standum erit pro valore juramenti. Videatur Claudius de la Croix *lib. 3. part. 1. num. 320.*

CASUS TERTIUS.

Cajus milles attentaverat quosdam anseres e campo furtim auferre, jamque unum, alterumque mactaverat, dum ecce! reliqui (quorum ingens agmen exstitit) in fugam se convertentes & avolantes inconditis clamoribus rustici, ad quem spectaverant, subsidium quodammodo videbantur implorare: hoc sine mora succurrente Cajus relicta præda, in castra se recepit: paulo post a rustico insequente accusatus apud Officialem, & satisfactionem pro damno illato postulatus, alios duos commilitones secum adduxit, qui jurejurando deposuere, Cajum eo tempore fuisse in hospitio, & hoc ipso innocentem a crimine sibi objecto. Unde contigit, ut bonus rusticus velut injustus delator & accusator ab eodem Officiali præter gravissimam objurgationem non reportaverit aliam satisfactionem, nisi tergum verberibus bene onustum. Jam ad nostrum propositum quæritur primo, quomodo Cajus & reliqui duo comi-

commilitones deliquerint in hoc facto? An Officialis vel etiam rusticus tuta conscientia potuerint a dictis militibus prætendere juramentum, vel ad hoc eos admittere, tametsi fortassis certo præviderint, eos pejeraturos?

108. R. Ad primum quæsitum, tam Cajum, quam reliquos duos commilitones condemnandos esse perjurii: Cajum quidem, quia reliquos induxit ad deponendum falsum juramentum: commilitones vero, quia supponuntur pejerasse: quemadmodum enim virtute castitatis quivis tenetur nedum abstinere a fornicatione, sed & ab inductione aliorum ad idem crimen; ita sane virtute Religionis, quivis obligatur nedum abstinere a perjurio, sed etiam ab inductione ad pejerandum, uti bene ex *communi DD.* tradunt Azorius *part. 1. institut. moral. lib. 11. c. 11. quæst. 3.* Sanchez *in decalog. lib. 3. c. 8. num. 10.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. quæst. 1. pu. 11. circa fin.* Ex quo liquet, Cajum insuper commisisse peccatum scandali: injustitiæ porro omnes tres condemnandi sunt; enimvero damnum illud, quod Cajus rustico physice intulit, reliqui duo commilitones pejerando moraliter intulerunt, vel potius continuarunt. Quare principaliter quidem in foro conscientiæ Cajus a Confessario condemnandus est ad refusionem damni, in defectum vero hujus reliqui duo, quippe qui deponendo falsum juramentum causam dedere, quo minus fuerit satisfactum rustico: & hæc omnia in foro conscientiæ & coram Deo certissima sunt & explorata, licet ob perversam militum praxin rusticus vix aliam satisfactionem sperare vel Confessarius eidem promittere possit.

109. R. Ad alterum quæsitum. Nedum officialis, velut Judex in hac causa, sed & rusticus tuta conscientia potuisset prætendere juramentum, esto præviderint dictos milites pejeraturos. Ratio est: quia in petitione juramenti nihil mali involvitur, quippe quod bene & laudabiliter fieri potest. Deinde nedum Judicis in ordine an terminandam litem, sed & actoris in ordine ad recuperandum jus suum sæpesæpius interest petere juramentum, utpote medium de se valde conducibile in hunc finem: quod autem alter prævideatur depositurus falsum juramentum, id solius deponentis malitiæ tribuendum est, minime vero petenti, quippe qui cum suo gravi detrimento non tenetur impedire peccatum alterius, veluti pluribus exemplis monstratum fuit *part. 2. in decalog. Confer. 12. ubi de scandalo.*

At, inquies, juxta communem doctrinam *loc. cit. numer. 365.* itemque *a numer. 377.* traditam, nunquam fas est petere opus, quod alter prævidetur præstiturus cum peccato, nisi subsit justa, & gravis quidem causa petendi: atqui in hoc casu nostro non suppetit causa justa; cum enim proximus prævideatur pejeraturus, tale perjurium nec Judici, neque actori quidquam proderit, quin potius reus propterea absolvi debet: ergo non licet postulare juramentum in his circumstantiis.

110. R. *Concess. Maj.* negando suppositum *min.* Enimvero nec Judex, neque etiam Actor petunt juramentum falsum seu perjurium, sed solum intendunt, ut reus vel testes jurent de veritate, prout scilicet res se habet a parte rei: quod, si præstiterint, procul dubio apprime nedum Judici, sed & actori ad finem intentum deserviet: sin vero nolint præstare, id pejerantium malitiæ imputandum est. Unde Castropalao *part. 3. tract. 14. disp. 1. punct. 10. numer. 9.* sapienter ait: Regula ergo generalis sit, ad licitam petitionem juramenti ab eo, quem scis falso juraturum, vel juraturum per falsos Deos, nihil aliud requiri, nisi quod ex honesta causa & utili arbitrio prudentis petatur, & ex alia parte petatur juramentum absolute, non tamen ea intentione aut conditione, ut falsum juretur: quod exemplo petitionis mutui ab usurario, & Sacramenti a Ministro peccatore manifestum est. Hactenus Castropalao.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

111. COlliges ex hactenus dictis, in nullo casu ex quocunque demum prætextu fas esse quempiam inducere ad deponendum falsum juramentum, aut ad jurandum per falsos Deos. Ratio est: quia hæc sunt intrinsece mala, & hoc ipso nulla ratione aut fine quantumvis bono cohonestabilia. Ita *omnes Doctores* teste Palao *l. cit. num.* 1. Secus dicendum, casu quo tibi non constat alterum pejeraturum; quia in dubio de nullo præsumi debet delictum. Nihilominus tanto major & rationabiliter causa exigitur ad cohonestandam talem petitionem, quanto verosimilius videtur, talem non juraturum juxta, sed contra conscientiæ suæ dictamen, veluti constare potest ex dictis de Scandalo.

Sed quid, inquies, si ego prævideam alterum pejeraturum non formaliter, sed materialiter duntaxat, eo quod firmiter sibi persuasum habeat, rem ita se habere v. g. me solvisse alteri debitum, cujus contrarium mihi certo constat? possumne tuta conscientia suppetente saltem aliqua causa rationabili, illum inducere, ut jurejurando testetur, me creditori jamjam satisfecisse solvendo?

112. R. Nequaquam licet, sed peccabis mortaliter. Ratio est: quia hoc modo reputaris mediante altero Deum invocare in testem falsitatis, & licet alter ad bonam fidem vel ignorantiam invincibilem non peccet nisi materialiter, tu tamen utpote sciens & agnoscens falsitatem asserti, in cujus testimonium Deus invocatur, peccabis formaliter; fere quemadmodum formaliter peccaret, qui v. g. amentem induceret aut persuaderet ad fornicandum, vel qui maritum induceret ad carnaliter cognoscendam illam, quam quidem is bona fide existimat suam, revera autem non sua est, prout olim contigisse legitur Patriarchæ Jacobo *Gen.* 29. *v.* 24.

113. Colliges secundo, etiam illum peccare mortaliter, qui joci causa mendacium quantumvis leve jurejurando confirmat.

Ratio est: quia malitia perjurii in eo sita est, quod Deus infinite verax invocetur in testem falsitatis: atqui hoc non minus contingit, dum juratur ex joco, quam dum juratur ob finem serio intentum: ergo etiam in hoc casu peccatur mortaliter: Unde ob levitatem materiæ tales nunquam excusari possunt a peccato mortali, licet subin ob imperfectionem actus seu etiam indeliberationem, nisi forte in similibus juramentis supponantur habituati & consuetudinarii. Videatur de hoc Viva *ad proposit.* 24. *numer.* 5. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 5. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 2. *nu.* 16. Castropalao *tr.* 14. *disp.* 1. *punct.* 10. *num.* 2.

114. Colliges tertio, eum qui rem sibi dubiam jurando asserit ut dubiam, non esse condemnandum perjurii, bene vero, qui rem sibi certam asserit, vel potius jurat ut dubiam. Ratio est: quia in priori casu jurans non loquitur contra mentem, bene vero in posteriori. Ob hanc eandem rationem ulterius inferendum est, eum committere perjurium mortaliter malum, qui rem sibi dubiam jurando confirmat ut certam, esto a parte rei supponatur certissima; vel qui rem, quam putat esse falsam, jurat veram, licet reipsa non falsa sit, sed verissima; nam in his omnibus casibus juramentum destituitur veritate; at omne juramentum veritate destitutum est mortaliter malum: ergo &c. Videatur Tamburinus *lib.* 3. *in decalog. c.* 1. §. 4. *num.* 1. Vega *in Summa part.* 1. *cap.* 116. *casu* 17.

115. Colliges quarto, imprudenter acturum Confessarium, qui passim a suis clientibus seu pœnitentibus quantumvis inveteratis & gravibus peccatoribus exigeret juramentum, quo sese obstringant ad seriam emendationem, vel ad restitutionem &c. Ita Sanchez *lib.* 3. *decalog. c.* 8. *numer.* 8. Castropalao *ubi supra punct.* 10. *numer.* 12. referens pro eadem opinione Sayrum *in clav. Reg. l.* 5. *c.* 5. *nu.* 3. Navarrum,

Suarez

Suarez & alios. Ratio est: quia hoc modo pœnitentem exponit quodammodo periculo duplicis peccati, qui præciso hoc juramento simplex duntaxat commisisset. Unde & *in c. Clericos de cohabit. Cler. & mulier.* cavetur, ne juramentum petatur a Clericis de dimittendis concubinis, ob periculum violationis; & quia aliis remediis juvari possunt.

Loquimur tamen de Confessario *passim exigente juramenta* &c. nam in hoc casu magna discretione ac prudentia opus est; enimvero si Confessarius ex certis circumstantiis v. g. personæ prævideret, fore, ut timore juramenti violandi possit retrahi a peccato, vel certe a frequentia peccandi, aut ab hac vel illa peccandi occasione, non imprudenter posset exigi juramentum, esto etiam pœnitens una alterave vice per accidens & contra intentionem Confessarii postea peccando incideret duplex peccatum, uti sapienter advertit Castropalao *loc. cit.* Nihilominus regulariter aut passim hoc non debet fieri.

116. Colliges denique quinto, pœnitentem qui se accusat de juramentis subinde dictis &c. fere eodem modo examinandum esse, quo superius *Confer.* 1. *num.* 25. diximus examinandum esse, dum quis sese accusat de blasphemiis. Itaque ante omnia interrogandus est 1. an scienter & deliberate juraverit? 2. quibus verbis fuerit usus? 3. si verba videantur dubia, an scilicet verum juramentum contineant, ulterius quæratur, an per illa verba vere intenderit jurare, seu Deum invocare in testem? Simpliciores enim sæpius putant se jurare, dum verba ex se nullum prorsus juramentum continentia proferunt, etiam sine intentione jurandi: & quod plus est, dum ex post facto intelligunt, rem aliter se habuisse, ac ipsi crediderunt eo tempore, quo talia verba protulerunt, pejerasse se existimant, esto contra mentem nunquam fuerint locuti. Nihilominus casu quo Confessarius ex responsis animadvertit, quod pœnitens vere intenderit Deum invocare in testem, illud solum erit advertendum, an intervenerint reliquæ conditiones ad licitum juramentum necessariæ, utputa veritas, judicium & justitia? quibus bene observatis haud quaquam erit amplius difficile formare iudicium competens, an scilicet, quantum, vel quoties jurejurando deliquerit. Videatur de hoc Sporer *tr. 3. in decalog. tr. 1. sect. 1. num. 9.* vel Kresslinger *in addit. 2. post num. 30. tract. 6. dist. 2. Theolog. mor. R. P. Reiffenstuel.*

CONFERENTIA QUINTA.

De Juramento ficto, nec non de amphibologico.

SUMMARIUM.

117. *Nomine juramenti ficti intelligitur illud, quod fit cum aliqua simulatione animi seu fictione.*

118. *Aliud dicitur factum cum dolo, aliud sine dolo.*

119. *In nullo casu fas est jurare absque animo jurandi.*

120. *Qui sine animo jurandi Deum invocat in testem veritatis, venialiter; qui vero in testem falsitatis in quacunque materia invocat, mortaliter peccat.*

121. *Jurans sine animo se obligandi ad promissium, semper quidem peccat, non tamen semper graviter.*

122. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*

123. *Jurans cum animo se obligandi, nunquam tamen servandi promissum, semper peccat mortaliter.*

124. *Satisfit rursus alteri objectioni in contrarium.*

125. *Juramentum fictum dolo factum obligat in conscientia saltem ex virtute Religionis.*

126. *Quidnam intelligatur nomine amphibologiæ seu etiam restrictionis mentalis, & quotupliciter possit fieri.*

127. *Referuntur nonnullæ propositiones circa hanc materiam ab Innocentio XI. damnatæ.*

128. *In nullo casu fas est, loqui aut jurare cum restrictione pure mentali.*

129. *Quin & cum restrictione non pure mentali jurare nefas est, nisi subsit justa causa.*
130. *Quænam censeatur causa justa & sufficiens ad jurandum cum restrictione non pure mentali.*
131. *Qua subsistente jurans excusari potest a peccato.*
132. *Satisfit rursus cuidam alteri objectioni contra hanc resolutionem factæ.*
133. *Resolvitur Casus I. cujusdam Canonici, qui ante actum electionis juramentum* de eligendo digniore *deposuerat sine animo jurandi, præcise per modum ceremoniæ politicæ.*
134. *An in hoc casu licuisset jurare cum restrictione mentali, intelligendo nomine* dignioris utiliorem *non quidem Ecclesiæ, sed sibi vel suæ familiæ.*
135. *Sitne consultum aut expediens Electores adstringere ad juramentum de non eligendo minus digno, neque de illo, qui noscitur inordinate aspirare vel affectare eandem dignitatem.*
136. *An contra juramentum postea eligens minus dignum arguendus sit peccati mortalis.*
137. *Resolvitur Casus II. cuinsdam Mercatoris, qui creditore nimium prætendente, simpliciter negavit se ei aliquid debere, jussus propterea coram Judice juramento sese purgare.*
138. & 139. *Quid consilii a Confessario desuper consulto huic pœnitenti fuerit subministrandum.*
140. *Resolvitur Casus III. de quadam puerpera non nupta, quæ prolem adscripserat suo amasio, esto ipsamet dubitaverit, an non ab alio conceperit.*
141. *Utrum in casu, quo amasius fatetur quidem copulam, sed imperfectam tantum, a Judice credendum sit mulieri, vel huic deferendum juramentum.*
142. *Quomodo in tali casu instruenda sit mulier, ne committat periurium, vel Deum offendat.*
143. *Tam Reus, quam etiam Testis illegitime examinatus potest negare crimen sibi objectum, jurando cum restrictione non pure mentali.*
144. *An etiam legitime interrogatus id possit? acrius controvertitur inter Doctores.*
145. *Illud certius videtur, quod etiam legitime examinatus possit negare crimen, casu quo illud commisit sine culpa.*
146. *Ob rationabilem & urgentem causam fas est uti amphibologia, quando verba ex se habent duplicem significationem.*
147. *Item quando ex circumstantiis evadunt æquivoca.*
148. *Item quando responsio datur ad mentem interrogantis, ita, ut ad huius mentem intellecta reddant sensum verum, licet interrogans per accidens hunc non assequatur.*
149. *Confessarius a tyranno adactus ad revelandum sigillum Sacramentale, licite negat etiam cum juramento, se aliquid scire de tali peccato.*
150. *Quid si tyrannus expresse petat, ut Confessarius de hoc juret sine omni restrictione mentali?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Juramento ficto, nec non de amphibologico.

QUæres primo, quidnam intelligatur nomine juramenti ficti, & quotuplex hoc sit?

117. R. ad primum. Nomine juramenti ficti intelligitur illud, quod fit cum aliqua simulatione animi, seu quod idem est, cum fictione. Hæc autem simulatio animi seu fictio tripliciter fieri amat. 1. Ita, ut quis juret sine animo jurandi. 2. Ita, ut quis iuret quidem cum animo invocandi Deum, sed sine animo se obligandi. 3. Ita, ut quis habeat & animum jurandi, & se obligandi ad promissum, v. g. ad matrimonium contrahendum &c. nunquam tamen præstandi id, quod promisit. Tribus hisce modis P. Babenstuber superaddendum censet quartum, qui tunc contingit, dum iurans utitur verbis æquivocis aut amphibologicis eo fine, ut proximum decipiat.

118. R. Jam ad alteram partem quæsiti. Juramentum fictum duplex est, sci-

cilicet dolosum & non dolosum. Dolosum dicitur illud, cujus fictio adversatur juri alterius aquisito ratione alicujus oneris in se suscepti ex. gr. aliquis ex fine obtinendi usum corporis jurejurando, ficte tamen promittit matrimonium puellæ, si consentiat &c. hæc quantumvis illicite aquiescendo acquirit jus, ut læso ille non ficte, sed sincere juret, quod si non faciat, dicitur non solum ficte, sed etiam dolose jurare. Non dolosum appellatur, quando is, cui juratur non habet tale jus; dolus namque non est qualiscunque fictio aut mendacium, sed est fictio injusta, inquit sapienter Illsung *tr.* 5. *disp.* 1. *n.* 56. Unde si tali puellæ absque omni onere jurejurando promitteres matrimonium sine animo unquam eam ducendi, dicereris quidem ficte, sed sine dolo promisisse, aut jurasse.

Quæres secundo, sitne aliquando licitum jurare sine animo jurandi?

119. Nunquam prorsus licet jurare sine animo jurandi, juxta *communem DD.* sententiam; cujus ratio est: quia nunquam licet mentiri: at, jurans sine animo jurandi mentitur, sicut qui sine animo donandi, dicit se donare. Immo vero talis etiam impingit in virtutem Religionis, quatenus in vanum assumit Divinum Numen, & quidem in confirmationem fœderis aut asserti contra mentem &c. quod si aliquando licite posset fieri, rueret plane omnis fidelitas & confidentia inter homines non sine maximo detrimento societatis humanæ.

Ergone inquies semper graviter peccat, qui jurat sine animo jurandi?

120. R. cum distinctione. Vel enim supponitur urare verum vel falsum? si verum: probabiliter non peccat plus quam venialiter contra virtutem Religionis, quia aliquo modo in vanum assumit nomen Domini &c. Si autem falsum, probabilius peccabit semper mortaliter, sive materia sit levis, sive gravis momenti. Ita post Vericellium & alios plures Viva *ad proposit.* 25. *ab Innocent. XI. num.* 6. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 2. *num.* 24. & 25. D. August. Michel *Theolog. can. mor. tom.* 2. *part.* 2. *pu.* 4. *n.* 21. Ratio horum colligitur a pari; nam qui sine animo Deum blasphemat, fidem exterius negat, aut thus v. g. idolo immolat ita, ut hanc suam simulationem exterius non manifestet, peccat mortaliter; in quacunque materia, eo quod semper Deo immediate gravem injuriam irroget, proptereaque in similibus non admittitur parvitas materiæ: at non minus gravem injuriam Deo irrogat, qui in materia quantumvis exigui momenti Deum jurando invocat in testem falsitatis; quia hoc modo immediate lædit aliquam perfectionem divinam, puta veracitatem infinitam: ergo falsum jurans etiam sine animo invocandi Deum in testem, semper peccat graviter.

Quæres tertio, sitne grave peccatum jurare sine animo obligandi se ad servandum promissum?

121. R. Jurare sine animo se obligandi ad promissum semper quidem illicitum est, at 2. non semper graviter peccaminosum. Ita post alios plures Babenstuber *loc. cit. n.* 28. Ratio prioris est: quia qui facit juramentum promissorium sine animo obligandi, agit contra virtutem Religionis; quemadmodum enim promissio ex natura sua exigit animum obligandi se ad promissum, ita & juramentum promissorium utpote sequens naturam promissionis exigit, ut taliter jurans habeat animum se obligandi ad standum promissis, & ad reddendum id, ad quod Deum velut sponsorem quodammodo substituit: consequenter jurans sine animo sese obligandi, semper agit illicite, sicut semper illicite agit, qui jurat sine animo jurandi, veluti constat tum ex proxime dictis; tum insuper ex propositione 25. ab Innocentio XI. damnata, de qua videri potest Viva *part.* 2. *damnat. thesium ad eandem proposit. num.* 13. Ratio autem posterioris partis est: quia juramentum promissorium sine animo se obligandi factum, tunc solum est graviter illicitum, quando includit falsitatem assertionis de præsenti, ob gravem injuriam, quæ Deo irrogatur in tali casu: at, juramentum promissorium factum sine animo se obligandi &c. non necessario nec semper includit falsitatem de præsenti; qui enim jurat v. g. dare eleemosynam, potest habere animum dandi liberaliter, esto non habeat animum

mum

mum se obligandi ad dandum: ergo tale juramentum non includit necessario falsitatem de præsenti. Fatendum nihilominus est, quod tale juramentum non mereatur nomen juramenti promissorii, eo ipso quod sit factum sine animo se obligandi ad promissum, sicut & juramentum factum sine animo jurandi non meretur nomen juramenti, veluti bene advertit Viva *loc. cit.* & Sporer *tr.* 3. *in* 2. *præcept. decalog. cap.* 1. *num.* 134. recte subdens, in foro externo semper præsumi, quod habuerit animum se obligandi, quisquis deliberato animo profert verba juramentum promissorium significantia.

Dices tamen contra datam resolutionem. Si taliter sine intentione scilicet jurandi aut se obligandi jurans assertive verbis diceret: *juro me jurare*, aut: *juro me habere intentionem obligandi me ad promissum* v. g. *ad eleemosynam*, procul dubio committeret perjurium mortaliter peccaminosum: ergo etiam peccat mortaliter, dum jurat se daturum eleemosynam non habens intentionem se obligandi; quia quod in priori casu exprimitur verbis, hoc in posteriori casu vel supposito exprimitur facto.

122. R. Neg. conseq. & paritatem. Nam qui asserit se habere intentionem jurandi vel se obligandi, dum reipsa talem non habet, dicit falsum & committit perjurium, ut de se liquet: e contra vero qui dicit: juro me daturum hanc vel illam eleemosynam, & habet intentionem dandi, reipsa dicit verum, esto non habuerit intentionem sese obligandi per tale juramentum; quemadmodum pœnitens, dum serio animo dicit Confessario: *Promitto me hoc vel illud vitium, hanc occasionem, hanc personam &c. vitaturum deinceps &c.* reipsa verum dicit, esto non habuerit animum sese obligandi per hujusmodi promissum.

Quæres quarto, an vel quomodo peccet, qui jurat cum animo & intentione jurandi & obligandi se ad promissum v. g. ad matrimonium contrahendum, at sine animo unquam standi promisso?

123. R. Taliter jurans semper peccat mortaliter, esto res promissa supponatur exigui momenti. Ita Tamburinus *lib.* 3. *decalog. c.* 3. §. 1. Suarez, Bonacina, & alii communiter. Ratio hujus liquet: quia talis jurejurando asserit se velle hoc vel illud facere, reipsa autem non vult, utpote destitutus animo adimplendi promissum: ergo committit perjurium invocando Divinum Numen in testimonium falsitatis: at, talis invocatio semper est mortaliter peccaminosa in quacunque demum materia, veluti constare potest ac debet ex dictis *n.* 95. ergo &c.

Dices rursus. Secundum dicta superius *Confer.* 3. *n.* 73. ille, qui contra juramentum promissorium non præstat rem de se levem v. g. non recitat unum aut alterum Ave Maria &c. non peccat nisi venialiter: ergo similiter qui jurat se recitaturum unum alterumve Ave Maria cum expressa tamen intentione non recitandi, non peccat, nisi ad summum venialiter.

124. R. Rursus negando conseq. & paritatem: posterior enim committit perjurium, dum invocat Deum in testem falsitatis; in quo non datur parvitas materiæ, cum per hoc immediate lædatur aliqua perfectio Dei infinita & indivisibilis; ille autem prior non est perjurus, sed infidelis duntaxat: in peccato autem infidelitatis datur majus aut minus juxta proportionem materiæ: consequenter si non præstetur materia levis olim promissa, non peccatur, nisi leviter seu venialiter. Videantur dicta *loco citato*.

Quæres quinto, num etiam fictum juramentum pariat obligationem ita, ut is, qui juravit, ex justitia teneatur adimplere promissum?

125. R. Si sit factum cum dolo seu contra jus alterius, uti explicatum fuit *num.* 118. parit obligationem saltem ex virtute justitiæ; quia jurans cum dolo alteri infert injuriam talem, quam non potest compensare, nisi præstet id, quod promisit: at vero si supponatur fuisse factum sine dolo, tunc in foro conscientiæ nec parit obligationem Religionis; quandoquidem a parte rei juramentum supponitur fuisse nullum: neque obligationem justitiæ; quia supponitur factum sine injuria proximi. Ita Do-

Doctor Angelicus *in 3. dist. 39. q. 1. art. 3.* ubi ait: *Si autem simpliciter juret absque dolo, tunc in foro conscientiæ non obligatur, nisi secundum suam intentionem: sed in foro contentioso, ubi intentio ignoratur, obligatur, secundum quod verba communiter accipi solent.* Idipsum cum S. Bonaventura, Scoto & Suarezio tenet Filliucius *tr. 25. c. 6. n.* 153. Illsung *tr. 5. disp. 1. n. 56.*

Quæres sexto, fitne aliquando licitum urare cum amphibologia, seu etiam restrictione mentali?

126. Ante responsionem directam notandum & supponendum est primo, nomine amphibologiæ hic intelligi locutionem dubiam seu æquivocam, quæ scilicet in diverso sensu possit intelligi; hanc vero amphibologiam alii Doctores solent communiter confundere cum restrictione mentali, quæ proprie tunc fit, dum quis sua verba exterius prolata ad alium sensum, quam ex se habent, in sua mente quodammodo restringit: ex gr. Titius petit a te mutuum librum, quo tu ipse summopere indiges, ita ut moraliter loquendo dare aut commodare non possis, propterea que eidem dicis: *Non habeo hunc librum*, intelligendo intra te seu in mente: *ut tibi commodare possim* &c. hoc casu diceris loqui cum restrictione mentali. Solent autem Doctores communiter distinguere inter restrictionem *pure mentalem*, & *non pure mentalem*. Restrictio pure mentalis est quando oratio, seu etiam verba secundum se spectata seclusis omnibus circumstantiis significant falsum, id est, aliud quid ab eo, quod loquens habet in mente, quamvis prout coniuncta cum eo, quod loquens intra se retinet, habent sensum verum, ex. gr. *Tu me interrogas, an hodie viderim Pontificem aut Episcopum ad aram litantem, vel e pulpito ad populum dicentem?* &c. ergo respondeo: *vidi*, subintelligens, in suo Palatio vel conclavi &c. in hoc casu diceret loqui cum restrictione pure mentali, esto enim verum sit, quod illum viderim, quia tamen tu interrogas, an illum viderim ad aram? &c. & ego absolute respondeo, quod sic, hinc in his circumstantiis verba mea reddunt sensum falsum. Restrictio non pure mentalis est, quando verba ex se quidem habent unum significatum, ex circumstantiis tamen determinantur ad significandum quid aliud, proindeque licet secundum se præcise sumpta possint esse falsa, nihilominus ex circumstantiis personarum, loci, aut temporis &c. reddunt sensum verum. Ex. gr. Judex scit quidem notitia privata Petrum esse auctorem homicidii, quia tamen hic de delicto nec convictus fuit, neque confessus, hinc Judex pro tribunali sedens velut persona publica in veritate dicere potest, *Petrum esse innocentem*, intelligendo tacite: *in foro fori* &c. Plura huiusmodi exempla dabimus per decursum huius Conferentiæ. Videantur de hoc de la Croix *l. 3. part. 1. n.* 284. vel Matthæucci *in cautel. Confess. lib. 2. c. 17. n. 9. & n.* 13. Interim vero

127. Notandum est secundo, ab Innocentio XI. *die 2. Martii anno 1679.* circa hanc materiam damnatas fuisse tres propositiones sequentes, e quibus prima (ordine inter damnata 26.) ita sonat: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine, juret, se non fecisse aliquid, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus.* Altera: *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.* Tertia: *Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* His notatis ac præsuppositis.

128. R. ad quæsitum primo. In nullo casu unquam fas est loqui aut jurare cum restrictione pure mentali. Ita hodie *communissime Doctores*. Lavmann, de la Croix *cit. n.* 285. Matthæucci *lib. 2. c. 17. n.* 10. Felix Potestas *tom. 1. part. 2. c. 2. n.* 1730. Henno *tr. in decalog. disp. 2. q. 2. art. 9. §. 1.* Ratio hujus est: quia in

in nullo casu fas est committere mendacium aut perjurium utpote intrinsece malum: at, qui utitur restrictione pure mentali mentitur, & si id confirmet juramento, pejerat; nam aliud mente concipit, & aliud longe verbis exterius exprimit, ita quidem, ut audienti neque ex verbis, neque etiam ex circumstantiis det intelligere conceptum suæ mentis, quin etiam positive vult & intendit, ut audiens decipiatur, & aliquid aliud intelligat, quod loquens in mente non habet: quod utique est loqui contra mentem, seu mentiri: ergo &c. Profecto si aliquando posset cohonestari talis locutio cum restrictione pure mentali, facile e medio tolleretur & corrueret omnis fides, nedum humana ad societatem & commercium inter homines tantopere necessaria, verum etiam divina. Humana quidem; quia ex hac suppositione nemo amplius posset secure confidere assertioni, promissioni, aut testimonio humano quantumvis jurato, eo ipso, quod supponatur hominibus liberum dicere vel etiam jurare contra mentem, ideoque verum pro falso, aut falsum pro vero. Divina vero fides tolleretur ex eo capite: quia si hominibus sit permissa facultas utendi restrictione pure mentali non sine mendacio, idipsum pariter permittendum esset Deo, itemque Prophetis ac Apostolis: quo semel admisso, quivis defacto dubitare posset, an non fuerint locuti cum restrictione pure mentali contra mentem ad nos decipiendum &c.

129. R. jam ad idem quæsitum secundo. Ne quidem cum restrictione non pure mentali fas est loqui aut jurare sine justa & gravi, aut certe rationabili causa: bene tamen 2. ubi hujusmodi gravis & justa causa suppetit. Hæc resolutio quoad utrumque membrum hodie est receptissima inter DD. & præter de la Croix *cit. n.* 287. ac Henno *loc. cit.* §. 2. aliosque pro priori resolutione allegatos, eandem tenet Sporer *tr.* 3. *in decalog. cap.* 1. *sect.* 3. *n.* 104. referens Valentiam 2. 2. *disp.* 5. *q.* 11. *pu.* 2. *in solut. ad* 2. Lessium *de J. & J. lib.* 2. *cap.* 42. *n.* 48. Sayrum *in clavi Reg. lib.* 12. *c.* 17. *n.* 26. Azorium *institut. mor. part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *q.* 5. *reg.* 2. Navarrum, Bannes, & alios plures. Ratio prioris est: *Quia*, ut ait D. Thomas 2. 2. *q.* 109. *a.* 3. *ad* 1. *homo est animal sociale*, ideoque *naturaliter debet unus homo alteri id, sine quo societas humana servari non posset: non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus*: atqui (subsummo) si passim liceret loqui cum restrictione non pure mentali, etiam nulla vel futili causa subsistente, jam non amplius tam facile crederent sibi invicem, sed potius dubitarent, an non alter loquatur cum restrictione non pure mentali: ergo passim & sine justa causa non licet uti restrictione etiam non pure mentali; eo præsertim, quod etiam iste usus plerumque fiat eo animo, ut alter quodammodo decipiatur, aut genuinam loquentis mentem non assequatur.

130. Ceterum causa sufficiens & sat gravis censetur tunc subesse, quando usus hujusmodi restrictionis non pure mentalis est necessarius ad salutem corporis, honorem, res familiares conservandas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut hic & nunc occultatio veritatis censeatur medium expediens ad ejusmodi finem aliquem honestum. Ita Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 27. *n.* 37. *Viva ubi supra ad propos.* 26. & 27. *n.* 14. Sanchez *lib.* 3. *in decalog. c.* 6. *n.* 19. Sporer *loc. cit. c.* 1. *n.* 109.

131. Ratio autem posterioris, quod scilicet subsistente justa ac gravi causa fas sit loqui cum restrictione non pure mentali, hæc est: quia talis revera non mentitur, eo ipso quo verba conceptum mentis sui minus ex se, saltem ex circumstantiis exprimant, veluti constat in exemplo mox supra *n.* 126. allato, & amplius constabit ex dicendis: & licet audiens fortassis decipiatur, dum ea in alio sensu intelligit, id tamen merum per accidens se habet: potestque loquens permittere hujusmodi deceptionem, eo quod ob justam causam hic & nunc non teneatur aliter se & suam mentem exprimere. Confirmatur ex eo efficaciter, quod Christus subin cum tali restrictione non pure mentali fuerit locutus, ut dum *Joan.* 7. *cap.* discipulis ascensum Jerosolymam suadentibus ut se

se palam faceret mundo, respondit: *Non ascendam ad diem festum*, intelligendo scilicet *publice*, cum tamen ascenderit *quasi in occulto*. Similiter interrogantibus de die judicii, respondit: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius hominis*, subintelligendo *scientia hic & nunc communicabili* (qualem discipuli prætenderant) quod enim scientia incommunicabili Christus velut sapientia Patris id sciverit, nulli potest esse dubium: ergo &c. Ex quibus facile suadetur, quod urgente vel subsistente rationabili causa, uti jam dictum est, etiam fas sit jurare cum tali restrictione non pure mentali.

Nam tale juramentum habet omnes conditiones ad licite jurandum requisitas; habet quippe *veritatem*, ut constat ex dictis: habet etiam *justitiam*; quia (uti supponi debet) non fit in alterius præjudicium, neque de re mala, neque etiam ex malo fine, vel ad confirmandam alterius voluntatem in malitia: habet denique *judicium*, seu discretionem debitam, eo quod fiat ex rationabilibus motivis, & in talibus circumstantiis, in quibus loquens habet jus occultandi & quodammodo obnubilandi suam mentem: ergo ob hujusmodi gravem & rationabilem causam fas est nedum loqui, verum etiam jurare cum amphibologia seu restrictione non pure mentali. Videatur de hoc Sporer *cit. a n.* 105.

At vero, inquies fortassis: secundum dicta *n.* 128. cum restrictione pure mentali nunquam fas est loqui vel jurare, eo quod hoc modo corrueret omnis fides tam humana, quam divina: atqui idem absurdum maximum sequitur, si admittamus aliquando fas esse loqui cum restrictione non pure mentali; quia pariter quivis posset dubitare, an proximus, an Apostolus aut Propheta vel Christus ipse non fuerit hic & nunc locutus cum restrictione saltem non pure mentali: ergo neque hæc in ullo casu est permittenda.

n. 132. R. Negando minorem & paritatem. Contrarium enim constat in exemplis ex S. Evangelio proxime adductis; tum ex eo etiam, quia ubi locutio fit cum restrictione pure mentali, audiens nequit venire in notitiam mentis seu conceptus, quem loquens in mente habet: e contra quando fit cum restrictione non pure mentali, potest audiens saltem ex circumstantiis consignificantibus intelligere conceptum mentis, quem loquens intendit: si vero hunc ex inadvertentia, incuria, inscitia vel simplicitate non assequatur, debet hoc sibi, & non loquenti imputare, quippe qui ad illam deceptionem se merum habet permissive. Adde insuper, quod nos non universaliter, sed solum ob gravem causam admittamus, usum hujus restrictionis esse licitum: inepte proin faceret, qui semper & universaliter cuivis vellet diffidere, aut dubitare, an forte proximus non fuerit locutus cum restrictione non pure mentali. Ergo ex nostra doctrina non imminet periculum fidei humanæ vel divinæ. Videantur Salmaticenses *tom.* 4. *tr.* 17. *c.* 2. *punct.* 8. *n.* 133. *&* 134. vel Babenstuber *loc. cit. n.* 39.

§. II.

Proponuntur; & breviter resolvuntur Casus practici de Juramento ficto, & de amphibologico.

CASUS PRIMUS.

Titio Canonico ante actum electionis auctoritate legitima totius Capituli demandatum fuit, ut juraret 1. *quod nolit eligere minus dignum; nec* 2. *talem, quem sciret ad eandem dignitatem inordinate, seu etiam per media illicita aspirare: quo non obstante Titius votum suum dedit alicui, quem quidem Ecclesiæ minus congruum, & hoc ipso minus dignum, sibi tamen & suæ familiæ magis addictum, & eo ipso magis proficuum existimaverat. Reprehensus desuper in camera charitatis ab alio quodam bono suo amico, eo quod contra fidem Deo atque Ecclesiæ promissam egerit, respondit, nullum sibi scrupulum hac de causa venisse in mentem; tum quia nunquam habuit intentionem vere jurandi, sed potius illud juramentum per modum ceremoniæ politicæ deponendi; tum etiam (ajebat idem) quia hisce temporibus, in quibus quilibet quæ sua sunt quærit, non quæ Jesu Christi*

imprudenter facturus videretur, qui postbabito proprio interesse suo suffragio potius intenderet bono Capituli vel Ecclesiæ. Quæritur jam ad hanc speciem facti 1. an Titius commiserit perjurium, recitando formulam juramenti sine animo jurandi, & præcise per modum ceremoniæ politicæ? 2. an non eidem licuisset jurare cum quadam amphibologia, utputa cogitando intra se, quod velit eligere digniorem, id est, utiliorem, non quidem Capitulo aut Ecclesiæ, sed sibi, ac suæ familiæ?

133. R. ad primum quæsitum hujus Casus, Titium jurando, sine animo jurandi non commisisse quidem perjurium stricte dictum, nihilominus peccasse mortaliter contra virtutem obedientiæ Capitulo vi juramenti debitæ. Ratio prioris colligi potest ex dictis *num.* 121. quia perjurium proprie dictum tunc solum incurritur, quando quis Deum invocat in testem falsitatis, seu, ut loquitur Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 98. *art.* 1. *Perjurium proprie tale est mendacium juramento firmatum*: atqui Titius noster non invocavit Deum in testem; quia supponitur habuisse animum *non jurandi*, sed merum politice sese gerendi deponendo formulam juramenti: ergo &c.

Ceterum quod hoc non obstante mortaliter peccaverit contra obedientiam Capitulo debitam, facile suadetur ex eo, quia cum plurimum intersit Ecclesiæ animarumque saluti, ut ad hujusmodi dignitates Ecclesiasticas non, nisi digniores eligantur, hinc merito præsumitur, quod Capitulum sub gravi culpa voluerit adigere Electores, nedum ad eligendum digniorem, sed etiam ad jurandum de digniore eligendo, conformiter ad mentem Concilii Tridentini, quod *ss.* 24. *cap.* 1. *de Reform.* declarat, Electores sub reatu peccati mortalis teneri ad eligendos digniores, & NB. *Ecclesiæ magis utiles*. Quin etiam Titius noster contra virtutem Religionis suo modo egisse convincitur, partim ex eo, quod juxta dicta *n.* 121. jurando sine animo Deum invocandi commiserit mendacium irreligiosum; partim etiam quia egit contra obedientiam Capitulo debitam, ad quam olim jurejurando sese obstrinxerat. Videatur de hoc Reiffenstuel *l.* 2. *decret. tit.* 24. *n.* 86.

134. R. jam ad alterum quæsitum; nequaquam licuisse Titio in hoc casu jurare cum æquivocatione vel amphibologia. Ratio est: quia dum Superior vel legitimus Judex juramentum defert non in ordine ad sumendam vindictam vel puniendum delictum, sed ad avertendum aliquod damnum bono publico imminens, ibi tenetur subditus ad mentem interrogantis candide, sine fuco, amphibologia aut restrictione mentali respondere; bonum quippe publicum præponderat, & hoc ipso præferendum est bono privato, uti sapienter advertit Viva *ad proposit.* 28. *ab Innocentio XI. damnatam num.* 9. Matthæucci *in cautel. Confess. lib.* 2. *c.* 17. *n.* 21. & 22. at, ubi agitur de eligendo Capite Capituli, ibi procul dubio agitur de bono publico: ergo &c. Adde insuper, quod nedum formula ipsa juramenti, sed & aliæ circumstantiæ, utputa loci, temporis, finis &c. expresse determinent *digniorem* seu *utiliorem* non cuilibet privato, sed *Ecclesiæ*: ergo jurans hæc verba non potest determinare ad significandum *utiliorem sibi*, nisi per restrictionem pure mentalem, id est talem, quam nullus alius quantumvis astutus potest percipere: atqui usus restrictionis pure mentalis nunquam est permissus secundum dicta *n.* 128. ergo &c. Videatur de hoc P. Claudius de la Croix *cit. n.* 291.

Dices. Allegata formula iuramenti videtur nimium quantum illaqueare conscientias Eligentium: quis enim amabo! quis eorum erit tam perspicax, ut inter tot ac tantos nedum naturæ ac sanguinis, sed etiam gratiæ donis conspicuos possit discernere digniorem? ergo cum juramentum ipsum moraliter loquendo recusari non possit, expedit potius, vel iurare sine animo, vel cum restrictione mentali.

135. R. Dictam uramenti formulam parum vel nihil omnino illaqueaturam conscientias Eligentium, modo unusquisquisque seposito respectu ad interesse proprium (prout sane in hoc negotio deberet) bene attendat primo, quod non prohibeatur eligere quemcunque aspirantem, sed solum quem *scit* aspirare, & quidem *inordinate*, modo scilicet vel mediis illicitis, puta, per fas & nefas, vel

etiam mediante & procurante Simone &c. Secundo oportet scire, quod nomine *dignioris* intelligatur ille, qui creditur fore *magis utilis Ecclesiæ*, ita, ut hæc major dignitas non sit præcise desumenda ex majori doctrina, vel majori probitate vitæ, vel generis nobilitate (multo minus ex majori conjunctione sanguinis) sed ex omnibus animæ & corporis dotibus simul ac conjunctim, ipsaque aptitudine ad regendum, adeo, ut omnibus consideratis regimini Ecclesiæ aut Prælaturæ, cui præficitur, ceteris utilior fore credatur, uti recte advertit R. P. Reiffenstuel *lib.* 1. *decret. tit.* 6. §. 10. *num.* 236. Matthæucci *in cautel. Confessar. lib.* 2. *c.* 27. *n.* 2. & alii Doctores plures.

Sed quid, inquies fortassis, si dignum inter & digniorem mihi videatur versari modicum discrimen, propterea que non obstante juramento votum meum dem digno, relicto illo digniore, sumne perjurii reus, vel gravis peccati condemnandus?

136. R. Salvo defæcatiori judicio censeo te propterea gravis peccati condemnandum non esse. Rationem hujus colligo ex dictis *Confer.* 3. *n.* 69. quia juramenta tangentia materiam juris (uti est hoc, de quo discurrimus) interpretari debent juxta mentem Legislatoris: at, qui relicto digniore eligit vere dignum, & modice tantum ab illo digniori distantem, non graviter offendit mentem Legislatoris, sed leviter duntaxat. Deinde per digniorem, qui dicitur sub mortali præferendus, intelligitur notabiliter dignior, ait de la Croix *lib.* 4. *n.* 593. Immo vero, si hoc non fiat ex eo, quod Elector existimet illum digniorem utilius occupari vel reservari ad aliam prælaturam, vel ad beneficium aliud brevi vacaturum; vel si dignior credatur non diu permansurus in Prælatura aut beneficio: vel denique si non sit satis certum & manifestum, quis sit dignior, certum omnino videtur, quod talis Elector non incurrat reatum peccati mortalis, dando votum suum illi, quem judicat Ecclesiæ vere utilissimum, esto fortassis nonnihil seu mordice minus dignum altero. Videatur de hoc Pichler *in Compend. Jur. Can. lib.* 1. *tit.* 6. *num.* 16. Viva *ad proposit. num.* 47. *ab Innoc. XI. damnatam n.* 16. & 17. de la Croix *loc. cit. vel lib.* 5. *n.* 204. Lugo *de justit. disp.* 35. *n.* 21.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Mercator ab alio quodam amico (uti vocant) per lapsum integri anni obtinuit multas merces, eidemque vicissim multas diversi generis transmisit: elapso denique anno ubi utrinque ad computum perventum fuit, amicus ille a Sempronio prætendit quingentos sibi debitos: hic cum debitum absolute negasset, ad Judicem delatus & ab hoc jussus fuit jurejurando sese purgare de debito jamjam persoluto & extincto. Venit proin Sempronius ad Confessarium, ingenue fassus, sibi equidem constare, quod adhuc debeat illi amico quinquaginta non autem quingentos florenos, prævidere nihilominus, se condemnatum iri a Judice ad solutionem totius summæ, casu quo vel juramentum sibi delatum recusaret, vel fateretur se aliquid adhuc debere amico; hinc sciscitatur, an sibi non liceat cum restrictione mentali simpliciter jurare & jurejurando negare, quod aliquid debeat præfato amico. Quid ad hoc Confessarius?

137. R. ad hunc casum, Sempronium non posse tuta conscientia jurare, & simpliciter negare, se aliquid adhuc debere suo amico. Ratio liquet: quia in nullo casu fas est mentiri aut pejerare: atqui Sempronius propriissime pejerat negando simpliciter omne debitum; quandoquidem supponitur eidem certo constare, quod adhuc debeat quinquaginta florenos: ergo &c. Profecto non video, qua ratione dici posset loqui cum restrictione mentali, negando simpliciter omne debitum; tum quia per hujusmodi negationem nec ex verborum sensu, neque etiam ex circumstantiis consignificationem Judex aliive possent colligere genuinam mentem loquentis; tum præsertim, quia juxta communem Doctorum, quam etiam tenet R. P. Pichler *in Compend. Jur. Can. lib.* 2. *tit.* 18. *n.* 6. in causis civilibus, ubi agitur de debito, quod Reus agnoscit, a se fuisse contractum & nondum expunctum, tenetur iste (etiam non interrogatus, nisi velit clam satisfacere) fate-

ri debitum, utpote jure naturali justitia commutativa & imperio Judicis id exigentibus: ergo Sempronius tuta conscientia nequit simpliciter negare omne debitum, multo minus de hoc jurare.

Quid ergo (ais) consulendum est tali pœnitenti?

138. R. Consulerem, ut sincere fateatur Judici, se jamjam satisfecisse suo Creditori, & expunxisse debitum usque ad 50. florenos: in hujus vero fidem (nisi aliunde probare possit) offerat se ad deponendum juramentum. Vel etiam petat, ut Judex Creditori deferat juramentum, quod sibi a Sempronio etiamnum debeantur quingenti floreni.

At vero (dicet fortassis Sempronius) prius consultum non videtur amplectendum in hoc casu; cum enim ad primam instantiam coram Judice simpliciter negaverit se aliquid debere suo amico, sane timendum foret, ne, si defacto fateatur, se aliquid debere (50. scilicet) velut falsarius absolute condemnetur ad solvendam integram summam.

Posterius autem consilium minus adhuc conveniens videtur ex eo capite: quia cum amicus ille non obstante solutione jam semel eidem præstita audeat iterato prætendere debiti solutionem, pariter audebit deponere periurium, quo facto Sempronius cogetur solvere integram summam.

139. R. Mihi non videri tantum subesse periculum. Esto enim olim simpliciter negaverit omne debitum, poterit tamen Sempronius dicere, se post majorem inquisitionem vel reflexionem invenisse, quod adhuc restent quinquaginta floreni a se solvendi. Nec video, cur Judex propterea illum velut falsarium aut hominem nullius fidei condemnare possit aut debeat ad solutionem integræ summæ; nam eo ipso, quod jam nolit absolute jurare, quod nihil amplius debeat suo amico, sed quod non debeat ultra quinquaginta, Judex debet potius præsumere, Sempronium esse virum bonæ conscientiæ, qui nec Deum, neque hominem velit offendere. Illud alterum pariter tam facile credi non debet de amico; cum potius *quivis præsumendus sit bonus, donec ostendatur malus cap. ult. de præsumpt. Mala etenim fides, & injustitia non præsumuntur, l. penul. C. de evict.* Dato tandem, quod Sempronius nec unum neque alterum consilium possit amplecti sine periculo grandium incommodorum, posset eidem suggeri a Confessario, ut absque mora quinquaginta florenos per modum solutionis apud tertium quendam v. g. Nuncium vel aurigam deponat creditori deferendos, quo facto poterit tuta conscientia jurare, se eidem nihil amplius debere.

CASUS TERTIUS.

C*Aja per plures annos cuidam Juveni inordinato amore exstitit addicta, sæpissime corporis sui potestatem eidem tribuens, nunquam tamen prægnans. At vero dum semel alium maritatum admisisset, elapsis postea aliquot septimanis animadvertit, se concepisse, licet ignoraverit, an a suo amasio, an vero ab illo maritato: cum utroque enim circa idem tempus habuit rem. Tandem vero puerpera amasio suo prolem recens effusam adscripsit, partim ex eo, quod huic sæpius, quam alteri corporis sui potestatem fecerit: partim etiam quod si maritato illam adscripsisset, plus periculi ac pœnæ, & minus emolumenti sperare licuisset. Quia vero amasius coram Judice simpliciter negaverat, se unquam cum Caja habuisse copulam, & hoc ipso prolem non sibi sed alteri cuicunque demum adscribendam esse; hinc Judex voluit, ut Caja depositionem suam juramento confirmet, prius tamen rem hanc cum aliquo prudente & docto Confessario conferat: venit proin Caja ad Confessarium, rei totius, ut mox narrata fuit, seriem referens. Quocirca dubitare licet 1. An Judex Cajæ velut actrici, an vero potius amasio velut reo debuerit deferre juramentum? 2. An Caja tuta conscientia potuerit jurare, amasium esse Patrem prolis genitæ, vel quidnam huic a Confessario fuerit consulendum?*

140. R. ad primum quæsitum, in hoc casu juramentum non Cajæ actrici, sed amasio velut reo a Judice fuisse deferendum. Ratio est: quia soli attestationi mulieris licet juratæ, asserentis se ab hoc vel illo portare uterum, neutiquam defer-

deferri potest aut debet, casu quo reus id negat: at, hoc ipso frustra deferretur juramamentum Cajæ: ergo. Sed cur, ais, in hoc casu mulieris testimonio non debet deferri? Ideo quia *nullus idoneus testis in re sua intelligitur, text. l. nullus ff. de testibus*. Neque admittitur juramentum suppletorium probationis, quando agitur de probando interesse singulari, uti hic agitur de interesse mulieris. Et certe, si tali depositioni deferendum foret, daretur occasio puellis ignobilioribus aut pauperioribus falso nominandi opulentiores, aut nobiliores, quatenus hac ratione tum ipsæ, tum etiam proles conceptæ emergerent ad opes, & honoratiorem statum, veluti recte notat Baldus & Boerius apud Gobat *Theolog. experim. tr.* 10. *n.* 188. Adde insuper, quod juxta principia juris *actore non probante absolvendus sit reus l.* 4. *cod. de edendo* atqui nuda assertio vel attestatio mulieris non est probatio: ergo in tali casu juramentum non mulieri, sed potius amasio deferendum est; qui, si moraliter certus sit, se cum hac muliere nunquam habuisse copulam perfectam, seminando scilicet intra vas &c. poterit tuta conscientia jurare, se nunquam habuisse copulam cum illa (intelligendo scilicet perfectam) de qua sola Judex censetur hic & nunc loqui, utpote indagans in auctorem prolis, qui necessario debuit habuisse copulam perfectam. Videatur Gobat *loc. cit.* vel *in Theolog. juridico moral. tr.* 5. *cap.* 32. *num.* 31.

Sed quid, si amasius jam sit fassus coram Judice se cognovisse carnaliter Cajam, dicat tamen, copulam fuisse imperfectam duntaxat, seu cum dispersione seminis?

141. R. Hoc supposito Judex merito deferret juramentum Cajæ, vel etiam absque juramento amasium condemnaret ad alimentandam prolem. Ratio est: quia his suppositis assertio fœminæ, juncta gestationi uteri & communiori usui vigenti inter impuros istos lascivosque juvenes, reddit Judicem satis certum, veluti bene docet Gobat *Thelog. juridico moral. tr.* 5. *c.* 32. *nu.* 28. *& seqq.* Hac de causa in foro externo, ubi constat de congressu viri cum fœmina, & de copula cum ea exercita ulterius non indagandum sed pronunciandum esse pro impedimento affinitatis, & præsumpta seminum effusione ac commixtione, cum Sanchezio & Clericato *de matrim. dec.* 31. *n.* 7. diximus *part.* 3. *Theol. Sacram. confer.* 10. *num.* 236.

142. R. Jam ad alterum quæsitum hujus Casus, Cajam a Confessario singulariter esse admonendam, ut bene advertat ad formulam juramenti; nam si Judex petat, ut juret, quod nunquam habuerit rem cum alio, vel quod non sciat, alium Parentem, vel ab alio se imprægnatam &c. poterit tuta conscientia jurare; cum enim scientia importet notitiam certam, & Judex talem desideret, ipsa autem dubitet, a quonam conceperit, cum omni veritate potest dicere, *se nescire alium parentem*, vel etiam *se nescire, quod ab alio conceperit*: item, *se nunquam habuisse rem cum alio* (intelligendo) ita ut hic & nunc teneatur Judici hoc fateri; quia nisi aliunde exstent quasi certa indicia de crimine cum alio (scilicet maritato) patrato, & hoc supponatur mere occultum, Judici non competit facultas interrogandi: atqui hoc ipso Caja non tenetur respondere ad interrogata: ergo licite negat cum amphibologia jamjam insinuata. At vero, si Caja jubeatur jurare *se scire hunc suum amasium, & non alium esse Parentem hujus prolis*, nequaquam licite juraret: quia hoc in veritate dicere non potest, nisi sit moraliter certa: atqui moraliter certa non est, se ab amasio, & non ab illo altero concepisse: ergo nec potest de hoc licite jurare, nisi velit se ipsam exponere periculo perjurii. Itaque hoc supposito deberet potius amasio referre juramentum, vel petere, ut Judex huic velut Reo juramentum deferat.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

143. COlliges ex hactenus dictis primo, quod quemadmodum Reus ipse non legitime interrogatus de crimine, potest cum restrictione non pure mentali seu amphibologia jurare *se nihil scire*, vel *se non commisisse tale crimen* v. g. homi-

cidii, adulterii &c. intelligendo scilicet, *ita, ut hic & nunc fateri teneatur* &c. ita pariter testis non legitime examinatus cum eadem restrictione mentali potest negare, se quidpiam scire de tali delicto. Ratio est: quia Judex velut persona publica non habet jus indagandi in delicta mere occulta, unde nec præsumi potest aut debet, quod velit inquirere in tale delictum, quod nec Reus neque testis ei tenetur manifestare, sed potius capere talem delicti notitiam, qualem Reus vel testis tenetur dare: atqui si non constet saltem semiplene, quod hic vel ille sit Reus, tunc neque reus neque testis tenentur manifestare &c. ergo &c. Videantur de hoc Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 2. *n.* 41. Salmanticenses *tom.*4.*tr.* 17. *cap.*2. *punct.* 8. *n.* 139. vel Sporer *tr.*3. *in decalog. cap.* 1. *n.* 121.

Sed quid (inquies) si Judex vel Superior legitime Reum examinet de crimine, eo quod de hoc nedum gravia exstent indicia, sed & semiplena probatio: poteritne nihilominus Reus crimen sibi objectum negare etiam cum juramento?

144. R. Certum & exploratum videri apud omnes, quod Reus in his circumstantiis non possit negare crimen, nisi hoc sit capitale, id est, tale, ex cujus confessione ei immineat pœna capitis, vel alia huic quodammodo æquivalens, utputa exilii, carceris perpetui, amissionis bonorum, triremium &c. Quin etiam si talis pœna reo immineat, nunquam tamen fas esse negare crimen præsertim cum juramento, probabilius tenent D. Thomas 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. Sanchez *lib.*6.*consil. c.* 3. *dub.*29. Michel *Theolog. can-moral. tom.* 2. *part.* 2. *punct.* 4. *n.* 56. aliique gravissimi DD. hac potissimum ratione ducti: quia stante semiplena probatione Judex legitime præcipit reo, ut fateatur veritatem: ergo hic tenetur fateri, nam potestas interrogandi & obligatio respondendi sunt correlativa, & hoc ipso inseparabilia. Confirmant ulterius ex eo: quia sublata tali obligatione fatendi crimen homines flagitiosi redderentur multo audaciores ad delinquendum, non sine maximo præjudicio boni publici: ergo cum aliunde constet, bonum publicum præferendum esse bono cujuscunque hominis privati, dicendum absolute videtur, quod nunquam prorsus fas sit negare crimen objectum, supposito quod Judex reum legitime examinet. His tamen non obstantibus hodiedum probabile videtur, quod reus cum restrictione non pure mentali possit sine gravi saltem peccato negare crimen capitale sibi objectum etiam cum juramento, cogitando scilicet intra se, quod illud non commiserit, *ita scilicet, ut teneatur fateri, quam diu apparet spes evadendi*. Ita Card. de Lugo *tom.* 2. *de justit. disp.* 40. *sect.* 1. *n.* 15. Tamburinus *lib.* 3. *in decalog. c.* 4. §. 3. *n.* 5. Cardenas *in Crisi Theolog. dissert.* 16. *n.* 81. Sporer *tr.* 3. *in decalog. c.* 1. *n.* 115. Mezger *tom.* 3. *tr.* 13. *disp.* 47. *art.* 4. *n.* 5. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 2. *n.*46. & alii plures ab hoc relati. Ratio hujus opinionis est: quia præciso speciali pacto videtur nimis difficile, ut quis contra se ipsum reddat testimonium tale, quo reddito prævidet se condemnandum ad supplicium extremum: at, hoc ipso nequit potestate humana Judicis obligari ad fatendum crimen suum: ergo &c. Hac de causa Doctores mox allegati negant, quod Judex legitime præcipiat: negant insuper, quod inde reus reddatur magis audax &c. nam si non absterreatur timore torturæ, quam Judex in tali casu inferre solet, multo minus absterrebitur timore peccati mortalis, vel amore justitiæ. Hæc posterior sententia mihi videtur quidem minus probabilis priore; nihilominus pro solatio tum delinquentium, tum etiam Confessariorum eandem insinuandam duxi: & licet prior sententia speculative longe videatur probabilior atque tutior, dubito tamen vehementer, utrum in praxi tot inveniret Patronos, quot hodie habet in theoria.

145. Colliges secundo, in casu, quo quis legitime quidem examinatur de crimine contra leges commisso, sed sine culpa formali, utputa ex ignorantia invincibili, oblivione inculpabili &c. locum pariter cedendum esse juramento amphibologico. Ex. gr. occidisti hominem vel quia ex inculpabili ignoran-

tia

tia & errore existimasti te explodere in feram, vel quia injuste ab eo aggressus usus fuisti jure defensionis inculpatæ tutelæ. Vel surripuisti rem alterius in compensationem debiti alia via non amplius recuperabilis &c. proptereaque velut suspectus ex certis indiciis examinaris a Judice, an non occideris hunc hominem? an tibi, nihil constet de tali homicidio, de tali furto? &c. potes tuta conscientia jurare *quod non*, intelligendo ita, ut reipsa homicidium aut furtum formaliter tale commiseris: neque propterea timeas de perjurio; cum enim Judex interroget de facto criminoso & punibili, tu vero tale non commiseris, profecto cum omni veritate eidem respondebis (invocando etiam, si opus sit, Deum in testem) nihil tibi prorsus constare de tali facto; vel te non commisisse illud; te esse prorsus innocentem &c. Videantur Salmanticenses *loc. cit. n.* 239.

146. Colliges ulterius tertio, ob rationabilem & urgentem causam fas esse uti amphibologia, quando verba ex se habent duplicem sensum, quem audiens quidem non apprehendet, posset tamen apprehendere, v. g. qui ab insequente milite cæsareo interrogaretur, an non transierit gallus, tametsi aliquem transeuntem vidisset, posset nihilominus sine mendacio respondere, se non vidisse gallum, intelligendo gallinaceum &c. Rursus tempore hoc bellicoso aliquis te interrogat: non est hic miles hostilis? esto apud te, in tua domo &c. existat &c. poteris nihilominus ob gravem & urgentem causam respondere. *Non est*, intelligendo hoc verbum in alio sensu, prout ly *non est hic* idem sonat, ac *non comedit hic* &c. Ita Sanchez, Cardenas, Sbogar *Theolog. radic. tr.* 9. *cap. un. n.* 14. R. D. Michel *ubi supra n.* 27. Ratio est: quia in tali casu nullum prorsus intervenit mendacium, quandoquidem loquens conceptum mentis suæ exprimit per verba ex sua institutione eundem significantia: deceptionem vero alterius sinistre intelligentis ob gravem causam potest permittere, uti jam dictum fuit, & teste D. Michel *l. cit.* aperte insinuat Glossa *Canon. Ne quis causa* 2. 2. q. 3.

147. Colliges quarto, insuper fas esse, uti amphibologia, quando verba respondentis ex circumstantiis loci vel personarum &c. evadunt æquivoca: v. g. interrogatus, an non latro vel fur hac transierit, illico manum in manicam inserit (prout nonnulli S. P. N. Franciscum fecisse referunt) aut stans in loco figit signanter pedem super uno lapide & dicit. *Non transiit hac*, intelligendo scilicet *per manicam* vel *per hunc lapidem*, ad quod significandum dat sufficiens signum, dum statim ad interrogationem alterius, ponit manum intra manicam vel pedem figit supra lapidem. Videatur Sbogar *loc. cit. n.* 15. Cardenas *in crisi Theolog. dissert.* 19. *c.* 4. *n.* 36. vel de la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 288.

148. Colliges quinto: usum amphibologiæ & per consequens juramenti amphibologici ob gravem causam (uti semper supponi debet) esse permittendum, quando juxta mentem interrogantis respondetur in veritate, esto interrogans mentem respondentis per accidens quasi, utputa ob ruditatem, vel ignorantiam non advertat. Hujusmodi exempla quamplura passim referunt Doctores. 1. Examinatur quis a Judice, an non promiserit huic puellæ sponsalia: examinatus in hoc casu bene potest supponere Judicem non loqui nisi de sponsalibus validis, vi quorum vult adigere sponsum ad standum promissis, unde si hic supponatur quidem contraxisse sponsalia, sed invalida, vel valida quidem, ast hic & nunc non amplius obligantia v. g. ob notabilem mutationem in bonis animæ, corporis vel fortunæ, quæ interim supervenit ex parte sponsæ &c. potest sponsus jurare, se nunquam contraxisse sponsalia cum tali persona, intelligendo scilicet talia, quæ hic & nunc obligent &c. Rursus 2. petit vicinus tuus commodato a te panem, vel pecuniam, vel eleemosynam gratuitam: tu non habes, nisi panem tibi ac tuis necessarium, nec pecuniam, qua carere possis &c. poteris rursus respondere: te non habere panem, vel pecuniam, vel eleemosynam &c. Ita *ex communi DD.* Michel *ubi supra pu.* 4. *n.* 31. Sporer *tr.* 3. *in decal. c.* 1. *sect.* 3. *n.* 122.

Azorius, Suarez, Navarrus &c. aliique plures ab hoc citati.

149. Colliges denique sexto, Confessarium a tyranno adactum ad manifestandum aliquod peccatum ex sola Confessione Sacramentali sibi notum, licite posse, immo vero teneri negare etiam cum urejurando, si opus sit, sibi quidquam constare de tali peccato, vel se unquam a tali homine tale peccatum intellexisse, tametsi reipsa intellexisset ex sola Confessione Sacramentali. Ita communissime Doctores. Michel *l. cit. n.* 52. Matthæuccius *in cautel. Confess. lib.* 2. *c.* 17. *n.* 14. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 2. *n.* 45. Sporer *cit. n.* 119. Ratio est: quia tyrannus non potest a Confessario prætendere aliam scientiam vel notitiam, ipsi communicabilem: atqui talem non habet Confessarius de peccato, eo ipso quod jure naturali ac divino, teneatur servare sigillum: ergo &c. Nec refert, quod fortassis Confessarius tale peccatum audiverit ex confessione pœnitentis: non enim illud audivit ut homo, sed ut Minister Christi seu Confessarius qua talis: quidquid autem ut talis intelligit, eo ipso intelligit notitia incommunicabili, perinde, ac si nunquam illud intellexisset: ergo in foro externo recte respondet, immo & jurat, se nihil scire de tali peccato, intelligendo qua homo &c.

Sed quid, ais, si tyrannus ulterius instet & jubeat, ut Confessarius sine omni restrictione mentali juret, an v. g. Titius non fuerit confessus hoc vel illud peccatum? vel an non in Confessione saltem qua Minister Christi, qua Confessarius tale peccatum intellexerit?

150. R. Etiam in his circumstantiis probabilissime respondere potest, *se nihil scire* de tali peccato, vel *nihil prorsus sibi constare*, Titium fuisse confessum tale crimen &c. Ita Viva *ad proposit* 26. & 27. *ab Innocent. XI. damnatas n.* 3. & 13. Michel *ubi supra n.* 52. Babenstuber *loc. cit.* Ratio est: quia ex circumstantiis colligere fas est, quod Confessarius non respondeat nisi qua homo, non autem qua Confessarius, cum ut talis moraliter loquendo respondere non possit: atqui Confessarius qua homo, nihil prorsus scit de peccato in confessione intellecto: ergo potest jurare, se nihil scire &c.

Nec obstat, quod tyrannus supponatur reflexe interrogare & petere responsum sine restrictione mentali; quia ut sapienter notat R. D. Michel *l. cit.* etiam hæc reflexa interrogatio fit utique ab homine qua tali, & ad hominem qua talem; consequenter adhuc ad mentem interrogantis bene respondetur a Confessario sine restrictione mentis per verbum *nescio: nihil scio de tali delicto* &c. Scio quidem a Laymanno & aliis nonnullis doceri, quod Confessarius in tali casu deberet potius eludere interrogantem, dicendo v. g. *quid ad te?* aut: *interroga pœnitentem ipsum* &c. Verum quia in praxi satis periculosum foret ludere vel illudere tyranno; hinc censeo hanc nostram sententiam tuto practicari posse. Vide de hoc, si placet, P. Sporer *de pœnitent. tr.* 3. *num.* 817.

CONFERENTIA SEXTA.

De Adjuratione, præsertim dæmonum.

SUMMARIUM.

151. *Adjuratio est obtestatio Dei vel rei sacræ ad alterum movendum &c.*
152. *Alia dicitur privata, & alia solemnis: poteſtque utraque fieri vel deprecative, vel imperative.*
153. *Adjuratio est licita, modo fiat cum veritate, justitia, & judicio.*
154. *Omnes & solæ creaturæ intellectuales, etiam dæmones licite possunt adjurari.*
155. *Omnes insuper & solæ creaturæ ratione pollentes possunt adjurari, esto non omnes cum solemnitate.*
156. *Quisnam modus sit observandus in adjuratione dæmonis.*
157. *An, vel quænam interrogatoria ab Exorcista licite possint poni Cacodæmoni.*
158. *An, vel quando Minister Ecclesiæ teneatur exorcizare energumenum.*

159. *Quænam Exorcistæ specialiter sint observanda.*
160. *Utrum exorcismis Ecclesiæ competat vis infallibilis ejiciendi dæmones.*
161. *Unde potissimum proveniat, quod sæpe sæpius in cassum videantur adhiberi.*
162. *Resolvitur Casus I. de quodam plebeo, asportante diabolum in sarcinula, & desiderante ab eo liberari.*
163. *Quid si diabolus sæpius redire, & talem hominem infestare soleat.*
164. *Pecuniam a dæmone obtentam non tenetur eidem restituere, saltem per se loquendo.*
165. *Resolvitur Casus II. de quodam Sacerdote actu exorcizante energumenum.*
166. *Qui non bene fecit, interrogando diabolum de anima Salomonis &c.*
167. *Quid, si diabolus spondeat se egressurum, sub conditione tamen, ut permittatur intrare corpus alterius hominis, vel bestiæ.*
168. *Resolvitur Casus III. cujusdam Lanionis, assueti adjurare vitulos ad eos vel cicurandos.*
169. *Reprobantur adjuratores locustarum & vermium.*
170. *Dæmones nunquam adjurandi sunt eo fine, ut aliquid faciant vel omittant Divini honoris causa.*
171. *Nec adjurari debent deprecative, vel etiam imperative, seu cum pacto, ut exorcista sese illis quodammodo subjiciat.*
172. *Neque eo fine, ut circa agnitionem rerum occultarum, vel curationem morborum nobis opitulentur.*
173. *Fas tamen est nomen diaboli carthæ inscriptum comburere in contemptum ipsius.*
174. *Insuper fas est eundem cogere exorcismis ad dandum aliquod signum sui e corpore energumeni egressus.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa adjurationem dæmonum &c.

Quæres primo, quid sit adjuratio, & quotuplex?

151. R. Ad primam partem hujus quæsiti: adjuratio proprie dicta idem est ac invocatio, seu obtestatio Dei, vel alicujus rei sacræ ad alterum inducendum vel cogendum, ut is aliquid faciat vel intermittat. Ita *communis DD.* cum S. Thoma 2. 2. *q.* 90. *a.* 1. Dicitur *invocatio* seu *contestatio* &c. adjuratione enim proprie dicta divinum Numen quodammodo præsens adducitur, quatenus hujus præsentia vel auctoritate adjuratus promoveatur ad aliquid præstandum aut intermittendum veluti constat ex illa Apostoli *Rom.* 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam* &c. Dicitur 2. *Dei*, vel *alicujus rei sacræ*; adjuratio enim fieri potest vel per Deum ipsum, cujus auctoritas summa est; vel etiam per Sanctos, quatenus ad Deum relatos, id est, quatenus speciales Dei amici aut præpotentes intercessores sunt &c. Si vero fiat per dignitatem aut merita Sanctorum absque relatione ad Deum, non erit adjuratio proprie dicta, sicut non est juramentum proprie dictum, nisi invocetur in testem Sanctus, quatenus est aliquid Dei &c. prout sapienter advertit Castropalao *part.* 3. *tr.* 14. *disp.* 4. *pu.* 1. *num.* 2. multo minus adjuratio, sed potius amicabilis obtestatio dici debet, si quid ab altero petatur per obtestationem rei profanæ & non sacræ, v. g. per merita Parentum aut majorum &c.

152. R. Jam ad alteram quæsiti partem. Adjuratio mox descripta duplex est, alia scilicet solemnis, alia privata. Solemnis dicitur illa, quæ fit cum præscripta forma & ceremoniis ab Ecclesia institutis, & a Ministris ad id consecratis. Privata autem, quæ fit a laico, vel a Clerico quidem, sed absque dicta solemnitate. Porro utraque hæc adjuratio distingui solet in imperativam, & deprecativam: deprecativa, qua contestatione rei sacræ alterum obsecramus, velut liquet ex illa Apostoli proxime allegata: imperativa, qua mandamus, veluti Princeps Sacerdotum fecisse legitur *Matth.* 26. dicens ad Christum: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus* &c. Ad hujus generis adjurationem pertinent exorcismi Ecclesiæ, quibus dæmones adjurantur.

Quæres secundo, sitne adjuratio licita?

153. R. Est licita, modo fiat cum debitis conditionibus, scilicet 1. cum veritate. 2. cum justitia & 3. cum judicio. Ita rursus omnes Catholici teste Sporer *tr. 3. in decalog. c. 1. n. 163.*

Explico breviter singulas conditiones.

I. Veritas requiritur, & quidem triplex. 1. Ex parte rei contestatæ, id est, ut fiat per verum Deum aut rem vere Sacram, non item per fictitiam, utputa per Jovem, aliudve idolum. 2. Ex parte adjurantis, ut is habeat verum animum permovendi alterum ad præstandum id, quod intenditur; licet defectus hujus conditionis non excedat culpam venialem. 3. Requiritur veritas ex parte causæ motivæ ad adjurandum; inde fit, ut adjurans alterum per Dei amorem ad dandam sibi eleemosynam allegata paupertate fictitia peccet saltem venialiter. Sanchez *lib. 2. decalog. c. 42. num. 5.* Sporer *ubi supra n. 165.*

II. Ad licitam adjurationem requiritur justitia, quæ in eo sita est, ut res postulata vel impetranda justa sit atque honesta: sicut enim invocatione Divini Nominis ad rem turpem obtinendam Deo fit gravis injuria, secundum dicta superius *Confer. 4. nu. 97.* eo quod tali invocatione denotetur, Deo iniquitatem fore gratam; ita probabilius non levem sed gravem injuriam Deo irrogat, qui obtestata Dei auctoritate nititur alterum permovere ad faciendam rem iniquam: etsi me non lateat sententia Suarezii, Sanchezii, Bonacinæ & aliorum, existimantium, tunc solum gravem injuriam Deo irrogari, quando res postulata est graviter iniqua, seu mortaliter peccaminosa.

III. Ulterius ad honestatem adjurationis exigitur judicium, in eo consistens, ut adjuratio non fiat, nisi cum debita consideratione seu circumspectione; indecens quippe foret, passim & absque ratione Dei Sanctorumve nomina contestari; licet defectus hujus conditionis non excedat culpam venialem, prout in simili dictum fuit de Juramentis. Præter has conditiones insuper & modus adjurandi est observandus, ita scilicet, ut Deus aliique Superiores non nisi deprecative; inferiores autem, præsertim diabolus, imperative adjuretur, prout amplius constabit ex dicendis. Videatur Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 4. n. 9.* vel Sanchez *lib. 2. c. 42. n. 5.*

Quæres tertio, an omnes, vel quænam creaturæ licite adjurari possint?

154. R. Non omnes creaturæ, sed solæ intellectuales (quales etiam sunt dæmones & spectra &c.) directe & per se loquendo possunt adjurari. Ita *ex communi DD.* Suarez, Sanchez, Castropalao *cit. punct. 3. n. 3.* Ratio hujus facile eruitur ex dictis: quia adjuratio idem est, ac obtestatio Dei, vel alicujus rei sacræ, facta eo fine, ut adjuratus hujus intuitu moveatur ad aliquid præstandum: atqui solæ creaturæ intellectuales possunt intuitu talis obtestationis moveri ad aliquid præstandum: ergo solæ creaturæ intellectuales possunt per se & directe adjurari. Nec obstat, quod de mandato Ecclesiæ etiam sal, aqua, nubes &c. adjurari possint, vel omnino debeant; quia per hujusmodi exorcismos Ecclesia non intendit adjurare creaturas illas irrationales, sed potius Deum, vel dæmonem: Deum quidem, quatenus ad eorum usum velit nobis elargiri suam benedictionem cœlestem; dæmonem vero, ut fugiat, aut a nocendo sive per aquam, sive per nubes seu etiam grandines desistat. Ita Valentia *2. 2. disp. 6. q. 8. p. 2. ad fin.* Lessius, Bonacina & alii.

Quæres quarto, an etiam omnibus creaturis intellectualibus potestas seu facultas adjurandi competat?

155. R. Omnibus equidem competit potestas adjurandi privatim, at non omnibus sed solis Ministris Ecclesiæ in gradu seu ordine exorcistatus constitutis competit potestas solenniter adjurandi. Ita *omnes Catholici*. Ratio prioris est: quia omnis creatura ratione pollens potest alteri Nomen Dei, vel rei Sacræ obtestando repræsentare eo fine, ut horum amore vel timore moveatur ad aliquid præstandum: at, hoc idem est ac adjurare: ergo quævis creatura rationalis potest alteram adjurare saltem privatim. Ratio autem posterioris est: quia soli Ministri Ecclesiæ sunt ordinati seu consecrati ad exorcizandos dæmones, & ad eorum opera dissol-

dissolvenda &c. ergo hi soli gaudent potestate solenniter exorcizandi. Videatur Sanchez *lib.* 2. *decal. c.* 42. *n.* 18. vel Filliucius *tr.* 24. *c.* 8. *n.* 208.

Quæres quinto, qualisnam modus sit observandus in adjuratione dæmonis?

156. R. Sequens. 1. ut diabolus adjuretur adjuratione imperativa & non deprecativa, id est, non rogando, sed imperando & objurgando illum velut hostem omnis boni. 2. Ut adjuratio fiat ex fine a Christo præfixo, scilicet ad expellendum dæmonem, ejusdemve opera maligna dissolvenda, non vero ex mera curiositate aut vanitate. 3. Ut fiat a Ministro legitimo. Ita pluribus allegatis Valentia 2.2. *disp.* 6. *q.* 8. *pu.* 2. *q.* 2. Lessius *lib.* 2. *c.* 42. *dubit.* 13. *n.* 70. & 71. Castropalao *tr.* 14. *disp.* 4. *pu.* 4. *n.* 1. Ratio primi est: quia obsecrare aliquem idem est, ac se illi subjicere tanquam majori, ejusdemque benevolentiam quodammodo captare: at nefas est, dæmoni sese subjicere, ejusdemve benevolentiam captare, quippe qui velut hostis Dei, totiusque humani generis nunquam aliquid præstabit in nostrum vel Dei commodum aut obsequium: ergo &c. Ratio secundi est: quia Ministris Ecclesiæ potestas exorcizandi seu imponendi manus super energumenos non fuit concessa in alium finem, quam ad eos ejiciendos, & ad eorum opera dissolvenda: ergo quisquis in alium finem id facit, frustra laborare, suaque potestate abuti convincitur, utique non absque periculo prostitutionis. Ratio autem tertii patet ex proxime dictis.

Dices tamen contra hanc resolutionem: constat de pluribus viris Sanctis, quod exorcizando dæmones in humanis corporibus residentes plurima interrogarint, immo & præceperint nonnullas actiones prorsus alienas ab expulsione: ergo Ecclesiæ non competit sola potestas expellendi dæmones, vel in hunc præcise finem exorcizandi.

157. R. ad hoc cum Valentia, Silvestro & aliis, hoc quidem sæpius contigisse, ast non sine speciali instinctu Dei, idque ob virtutem specialem, quam hujusmodi homines Sancti habebant sibi communicatam a Deo, nec in alium finem, quam ad confundendos dæmones, veluti legitur de S. Antonio Eremicolarum Antesignano: neganda proin est consequentia: regulariter enim nulli licet aliud dæmonibus imperare, quam ut a nocendo desistant, & quæ in hunc finem conducere videntur.

Quæres sexto, an vel quinam Ministri Ecclesiæ obligentur ad exorcizandos dæmones vel etiam energumenos?

158. R. Supposita vera necessitate, & in defectu alterius quivis Exorcista tenetur ex charitate, Parochus autem proprius seu Pastor animarum insuper ex justitia obligatur adjurare seu exorcizare dæmonem Parochianum infestantem aut possidentem. Ita Sanchez *cit. c.* 42. *n.* 4. Tambur. *lib.* 3. *in decalog. c.* 8. §. 2. *n.* 22. Filliuc. *tr.* 24. *n.* 202. Ratio est: quia ex generali lege charitatis quivis pro possibili in defectu alterius tenetur succurrere proximo (suo in necessitate constituto: Pastor vero animarum (non minus, quam Medicus corporalis respectu infirmi corporaliter) tenetur ex justitia vi sui officii (sive per se, sive per alium) subvenire necessitati spirituali suorum fidelium per remedia convenientia & ab Ecclesia ordinata: atqui unum ex remediis pro sublevanda gravi necessitate stygiæ obsessionis vel infestationis est exorcizatio seu adjuratio per exorcismos Ecclesiæ: ergo Pastor nedum ex charitate, sicut quivis alius Exorcista, sed insuper ex justitia tenetur succurrere suo Parochiano a dæmone infestato.

Quæres septimo, quænam Exorcistæ in actuali adjuratione dæmonis sint specialiter observanda?

159. R. Quinque sequentia specialiter esse observanda.

I. Ante omnia conetur explorare, an talis homo sit vere a dæmone obsessus vel non? ad hanc autem possessionem necessum est 1. ut in tali homine diabolus vere & personaliter existat seu habitet, 2. ut in illum exerceat potestatem aliquam, utpote affligendo, torquendo, aliisve molestiis afficiendo &c. hoc autem non præcise ex agitatione inordinatisve corporis gestibus, sed vel maxime etiam inde colligi potest ac debet, si talis homo loquatur linguas antea sibi

sibi ignotas, aut ita loquentem exorcistam intelligat, & respondeat &c. vel si canat, scribat, aut legat, aliaque opera artium prius sibi incognitarum exerceat: si e loco, in quo existit, dimoveri nequeat, ne quidem a robustissimis &c. de quo videri potest Delrio *lib. 6. disquis. magic. cap. 2. sect. 2.* Thyræus *lib. de dæmoniac. part. 1. c. 22. usque ad 27.* Tambur. *lib. 3. decalog. c. 8. §. 2. n. 1.*

II. Explorata igitur vera obsessione dæmoniaci Exorcista sese muniat armis spiritualibus, & primo quidem scuto duplicis fidei, id est, non solum assentiendo omnibus, quæ fide catholica credere jubemur, sed etiam firma fiducia de divino succursu & adjutorio, de qua Christus *Luc. 17. Si habueritis tantam fidem, quantum granum sinapis, dicetis huic monti, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis*. Et quia fides sine charitate (juxta effatum Apostoli 1. *Cor.* 13.) mortua est; hinc 2. non præsumat aggredi hunc conflictum, nisi in statu gratiæ, & conscientia bene expurgata. Insuper 3. confugiat ad orationis præsidium, & 4. jejunio aliisve carnis macerationibus sese præparare satagat: & licet fortassis tantus armorum spiritualium apparatus non sit simpliciter necessarius, sine illo tamen sæpius parum vel nihil omnino adversus dæmonem efficiet Exorcista. Videatur de hoc Laymann *lib. 5. tr. 9. c. 14. n. 5.* Thyræus *part. 3. cap. 38. & 39.* vel *Complementum artis exorcisticæ part. 1. doctrin. 8. lit. B.*

III. Conetur personam energumenam persuadere ad exactam, seriam & dolorosam pœnitentiam seu confessionem Sacramentalem, & ad implorationem divinæ misericordiæ, nec non ad firmam confidentiam, tum in potestatem Ministri, tum etiam in divinam clementiam, fore scilicet, ut ex merito Christi liberetur a tyrannide, nisi eidem placuerit aliud disponere ad majorem gloriam suam & animæ salutem. Videatur de hoc Brognolus *tom. 2. Alexic. disp. 4. part. 3. cap. 3. ab articulo secundo*.

IV. Exorcizando dæmones utatur exorcismis in Ecclesia Romana, vel in sua saltem diœcesi approbatis; nam peculiares formulæ vel ritus exorcizandi merito solent esse suspecti: proptereaque ejusmodi formulæ diligenter sunt examinandæ ab Episcopis, nec facile permittendæ, nisi judicio piorum & doctorum Virorum sint approbatæ, uti bene advertunt Del Rio, Sanchez, Filliucius & Babenstuber *tr. 5. disp. 3. art. 3. n. 21.*

V. Demum caveat Exorcista, ne adjurando dæmonem jocetur cum eo, longosve inutiles discursus cum eo instituat, sed potius secutus exemplum Christi Domini *Luc. 4. cap.* paucis jubeat malignum hostem tacere. Ratio est: quia per ejusmodi discursus dæmon non quærit, nisi occasionem vel confundendi Sacerdotem seu exorcistam, vel alios circumstantes sandalizandi, effutiendo diversos errores, detractiones &c. revelando occulta crimina, vel infamando alios, quatenus circumstantes male de ipsis judicent. Quin immo quosdam suis discursibus ad avaritiam, alios ad lasciviam vel inordinatum amorem concipiendum inducere satagit, velut experientia multiplex docuit, non absque detrimento animarum. Videatur de hoc Del Rio *lib. 6. disquis. magic. c. 2. sect. 3. q. 3. §. quartum Remedium*, Sanchez *lib. 2. c. 42. n. 26.* vel Tamburinus *lib. 3. decalog. c. 8. §. 2. n. 4.*

Quæres tandem octavo, an Exorcismi Ecclesiæ habeant vim infallibilem expellendi dæmones?

160. R. Multi Doctores, nominatim Valentia, & V. P. Ubaldus Stoiber in suo Armamentario Ecclesiastico probabiliter existimant, eis competere vim infallibilem; eo quod hanc virtutem habeant ex opere operato, sicut Sacramenta. Et licet experientia constet, eos sæpius quam par est, suo frustrari effectu, id tamen haudquam debilitati Exorcismorum, sed vel indignitati, seu etiam indispositioni Ministrorum, aut certe Energumenorum adscribendum esse putant. Nihilominus ego cum Del Rio, Thyræo, Castropalao *cit. tr. 14. disp. 4. pu. 4. num. 19.* probabilius arbitror, hanc virtutem (esto ex opere operato) exorcismis non infallibiliter competere, sed frequenter duntaxat, quando scilicet, & quoties Divinæ Providentiæ visum fuerit conveniens tum ad Dei gloriam,

tum etiam ad Energumenorum aliorumve salutem; fere quemadmodum Sacramentum extremæ unctionis ex opere operato quidem confert etiam ad salutem corporis, non tamen infallibiliter vel universaliter: sæpe enim ob aliorum utilitatem & exemplum, aut energumeni fructum Deus permittit, ne dæmones exorcismis expellantur, idque sine ulla Ministri, vel ejus, qui curandus est, indignitate, ut ex historiis Sanctorum constat, & tradit S. Augustinus *l.83. q. 79. apud Palao loc. cit.*

Unde igitur, inquies, potissimum oriri putandum est, quod exorcismi Ecclesiæ toties videantur in cassum adhiberi?

161. R. Id a diversis in diversas causas refundi, & primo quidem fieri assolet vel ob defectum fidei ac debitæ præparationis ex parte Ministri requisitæ, secundum proxime dicta; vel 2. ob defectum fidei ac præparationis ex parte Energumeni necessariæ; vel 3. ob puniencda peccata energumeni. Vel denique quarto solet illud contingere ex occulta Dei providentia, ob majorem utilitatem spiritualem animæ, vel propter aliud Ecclesiæ commodum, vel denique ad magis exaltandam Divinæ potentiæ majestatem, ob quem finem Deus subin permittit hominem a dæmone agitari & affligi etiam sine sua culpa, quemadmodum in Evangelio ex eodem fine absque sua, suorumque parentum culpa quidam homo legitur fuisse cæcus natus, ut manifestarentur opera Dei in illo. *Joannis 9. cap. v. 2.* Videatur Bonacina *tom. 2. disp. 4. q. 1. punct. ult. num. 7.* Laymann *lib. 5. tr. 9. cap. 14. num. 6.* vel Babenstuber *tr. 5. disp. 3. art. 3. n. 30.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa Adjurationem dæmonum.

CASUS PRIMUS.

Titius homo plebejus venit ad portam certi cujusdam Monasterii nostri Ordinis, portans in tergo quandam sarcinulam, postulansque, ut portarius omnium e toto Conventu sapientissimum sibi vocaret. Res hæc per portarium Venerabili Communitati proposita, prima fronte videbatur omnibus risu digna, nullusque voluit portam accedere, ne plus quam oportet sapiendo prærogativam omnium sapientissimi sibi videretur arrogare. Necessum proin fuit, ut Superior Monasterii quendam ablegaret, visurum, quid causæ portaret Nuncius. Vix dum is ad portam pervenit, tum peregrinus ille Pater ait: habeo aliquod secretum, quod, ut secrete prout oportet, tractemus, vellem deduci ad aliquam cameram privatam: ad hanc illico deductus: porto, inquiebat, in hac mea sarcinula diabolum, seu (uti germanice appellare solent, den Alraun) cui ductus cupiditate pecuniarum memet quinque abhinc annis tradidi in perpetuum, jamque proxime imminet terminus, quo elapso me secum abripiet in infernum. Rogo jam instantissime, velit me ab hoc hospite inviso liberare, moxque aperta sarcinula prodiit quidem homunciolus nigerrimus, hinc inde per cameram saliens & exiliens. Jam quæritur ad nostrum propositum, quid in hoc vel simili casu Confessario sit agendum?

162. R. Conformiter ad dicta *n. 159.* quod, cum in hoc casu vix dubitare liceat de quodam commercio a Titio cum hoste maligno inito, Confessarius præprimis debeat sese munire armis spiritualibus, utpote certaturus cum hoste vaferrimo & astutissimo. Tum vero 2. conetur Titium excitare ad firmam fidem ac fiduciam, qua firmissime credat, dari in Ecclesia potestatem super omnia dæmonia, Deumque velut Patrem misericordiarum nedum posse, sed & quotidie velle peccatorem recipere ad veniam & pristinum statum gratiæ; quo semel obtento eundem 3. disponat ad veram contritionem, sinceram confessionem peccatorum, seriamque detestationem præcipue commercii cum diabolo initi, idque non tam timore pœnæ aut supplicii sibi imminentis, quam amore Dei. Post hæc quarto procedat ad exorcizandum hominem, hostemque stygium fugandum per approbatos Ecclesiæ exorcismos (quorum ingentem numerum reperiet in libro, cui titulus *Dæmoniasix*

&c.

&c. edito a R. P. Hieronymo Mengo.) Neque vero dubitandum, quin in hoc casu hostis malignus sit abiturus, relicta in manibus Exorcistæ præda. Quinto demum satagat pœnitentem spiritualibus armis munire atque instruere circa modum pugnandi cum diabolo, eidemque resistendi, casu quo is reversus niteretur eum denuo seducere. Hujusmodi autem arma erunt actus fidei, spei, charitatis, contritionis, confessionis frequentioris, præsertim apud unum eundemque Confessarium deponendæ, Sacræ Communionis: oratio item & imploratio auxilii divini, nec non patrocinii B. Virginis ceu Refugii specialis omnium peccatorum &c. aliorumque Sanctorum &c.

Sed quid, inquies, si talis homo denuo seductus incidat in statum pristinum, ac denuo revertatur ad pœnitentiam?

163. R. In hoc casu non fore tantum periculum relapsus; nam timore gehennæ difficilius a diabolo persuadebitur ad consortium protinus continuandum. Dato tamen & supposito quod relapsus fuisset, eodem fere modo cum illo procedendum foret, quo cum constitutis in occasione proxima, velut in casu haud multum absimili resolvimus *in Theolog. moral. Sacram. part.* 2. *Confer.* 16. *num.* 424. quo benevolum lectorem remittimus.

Dices fortassis. Sed nunquid pecuniam a diabolo obtentam tenebitur Titius restituere eidem?

164. R. Nequaquam; tum quia omne commercium cum maligno hoste deinceps cane pejus & angue fugiendum est Titio: tum etiam quia diabolus non habuit verum dominium in illam, uti bene advertit Lessius *de J. & J. l.* 2. *c.* 4. *dubit.* 1. *n.* 3. De jure tamen positivo quidquid per artem magicam aut prohibitam fuit acquisitum debet dari pauperibus, vel applicari fisco, at non, nisi post sententiam Judicis. Quin immo, si constaret talem pecuniam a diabolo fuisse cuidam alteri furtive subtractam, huic tanquam vero proprietario ante omnem sententiam Judicis deberet restitui, prout bene docet R. P. Claudius de la Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 292. & nos insinuavimus *part.* 2. *Theolog. decalog. Conf.* 17. *n.* 554.

CASUS SECUNDUS.

Sempronio Parocho oblatus fuit homo viginti circiter annorum, qui a dæmone mirum in modum exagitatus fuerat & vexatus, utpote in terram sæpius illisus, mox iterum in aquam præcipitatus, aut in præceps actus: diversa insuper loquebatur linguarum genera &c. Sempronius ergo suo muneri satisfacturus, diabolum exorcismis Ecclesiasticis fuit aggressus, eidemque inter exorcizandum diversas movit quæstiones: primo quidem qua de causa, & a quo tempore creaturam hanc possideat? 2. An solus ipse, an vero & alii plures Angeli Apostatæ, & quot hanc creaturam inhabitent? 3. Quidnam ex omnibus in Symbolo Apostolorum contentis maxime horreant seu formident? quarto demum, utrum anima Salomonis defacto sit in inferno, an vero in cœlo? Cui diabolus respondit ad primum, se jam ultra quinquennium hanc creaturam possidere, propterea, quod Parentes ipsius sæpius fuerint imprecati, ut a dæmone possideretur. Ad secundum, se multos alios habere collegas & inquilinos ejusdem creaturæ. Ad tertium, se omnium maxime perhorrescere illud: inde venturus est judicare vivos & mortuos. Ad quartum dedit responsum non minus invisum, quam probrosum exorcistæ. Jam ad nostrum propositum quæri potest 1. An D. Parochus fuerit obligatus ad exorcizandum diabolum possessorem sui clientis seu Parochiani? 2. An bene egerit exorcizando, & memorata interrogatoria formando?

165. R. ad prius quæsitum, D. Parochum per se loquendo fuisse obligatum, non solum ex charitate (prout quivis Exorcista debite instructus) sed insuper ex justitia. Ratio hujus patet ex proxime dictis *num.* 158. Dixi: *per se loquendo*, nam si adfuisset alius in hac arte magis peritus, qui hoc charitatis obsequium voluisset in se suscipere, potuisset per illum satisfacere suo muneri. Quocirca insinuandum existimavi monitum sapientissimi Gobat *Theolog. experim. tr.* 8. *n.* 69. ubi ait: „ Quia longe difficillimum „ est, cognoscere, utrum aliqua per„ sona sit vere infesta a stygio hospi-

„ te,

„ te, nec ne? quia etiam communiter „ multi menses, ne dicam, anni impendendi sunt exorcismis, interveniuntque „ interea multi valde perplexi casus, suadeo in primis, ne quisquam hoc muneris in se suscipiat, nisi ex consilio „ plurium virorum sapientum, piorumque, & singulariter, ne sine præscitu „ Superioris. Deinde, ne quis Capellanus etiam curatus id auspicetur, „ sed potius relinquat suo Parocho; „ huic enim præcipue incumbunt hæc „ extraordinaria, & majorem prudentiam exigentia ministeria. Ita Gobat *l. cit.*

166. R. Jam ad posterius quæsitum, Sempronium bene egisse formando tria priora interrogatoria, non item formando illud quartum. Ratio hujus resolutionis facile eruitur ex dictis: Exorcista enim vi sui officii potest dæmoni injungere seu etiam præcipere, quidquid ad ejectionem, vel etiam ad dissolvenda ejusdem opera conducere videtur: atqui scire, quo tempore, qua de causa, & quot cum sociis, quidnam insuper omnium maxime formidet? &c. suo modo conducit ad facilitandam ejectionem: e contra nosse, utrum anima Salomonis sit in cœlo vel alibi &c. prorsus nihil contribuit in ordine ad expulsionem cacodæmonis: ergo Exorcista bene fecit movendo tria priora interrogatoria, non item movendo illud quartum. Videantur de hoc Filliucius *tr.* 24. *n.* 212. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *a.* 3. *num.* 22. Tambur. *lib.* 3. *in decalog. cap.* 8. §. 2. *num.* 4.

Sed quid, si dæmon spondeat, se egressurum, sub conditione tamen, ut permittatur invadere seu possidere aliam creaturam rationalem, vel saltem irrationalem prout olim a Christo Domino postulasse legitur *Matth.* 8. *v.* 31.

167. R. Hoc probabilius permitti non posse salva conscientia. Ita Thyræus, Tamburinus, Bonacinna & alii plures contra Castropalao & alios nonnullos, existimantes posse permitti suppositis saltem quibusdam conditionibus, videndis apud Castropalaum *cit. tr.* 14. *pu.* 4. *n.* 13. Ratio autem nostra hæc est: quia Exorcista assentiendo hujusmodi petitioni, in præjudicium tertii vergentis, suo modo inhonorat exorcismos Ecclesiæ, & potestatem a Christo concessam, dum ad expulsionem acceptat conditionem a dæmone libere præscriptam: quod utique absque injuria Christi & Ecclesiæ neutiquam fieri potest. Illud tamen certius ac verosimilius existimo, posse scilicet dæmoni permitti, ut ab Exorcista non relegetur in infernum novis ibi cruciatibus affligendus; tum quia per hoc neque proximo infertur injuria: tum præsertim, quia non legitur fuisse a Deo Exorcistis concessa potestas, ablegandi dæmones quocunque libuerit, sed solum ejiciendi illos e corporibus Energumenorum. Videatur de hoc Brognolus *disp.* 4. *part.* 1. *c.* 3. *q.* 14. & 15. vel Tostatus *q.* 16. *in cap.* 10. *Matth.*

CASUS TERTIUS.

Cajus juvenis professione lanio ab Hero suo jubetur hinc inde coemere jumenta, præsertim agnos, oves, ac vitulos, qui, ut ab onere revera molestissimo indomitos vitulos domum deducendi sese liberet, eosdem in nomine SS. Trinitatis adjurare consuevit, inclamando certum quendam rithmum in aures eorum, subitoque postea eos ter circumeundo; quo facto ad instar canis domestici nullo prorsus impellente Cajum comitari assolent, quoquo demum libuerit, prout non absque stupore plures alii viderunt. Tametsi autem plures Confessarii modum hunc velut superstitiosum Cajo interdixerint, nullatenus tamen vult eum intermittere; tum quod hæc adjuratio in nomine ipsius SS. Trinitatis facta, non, nisi Sanctissima verba contineat; tum præsertim, quod hac intermissa cum maxima defatigatione deberet vitulos domum conducere. Jam quæritur, an Cajus peccet, an vero modus iste protinus permitti queat a Confessario?

168. R. Cajum porro practicando hunc modum adjurandi procul dubio peccaturum, & quidem mortaliter, & propterea a Confessario permitti aut dissimulari haud quaquam posse. Ratio est: quia omnis superstitio & vana observantia cum ex vel implicito pacto dæmonis juncta sub dispendio æternæ salutis fugienda est, veluti ex communi

DD.

DD. tradidimus *part.* 2. *Theolog. decalog. Confer.* 16. *nu.* 435. at, in hoc casu vanam observantiam cum pacto saltem implicito dæmonis intervenire liquido constat; tum ex eo, quod vitulus velut creatura irrationalis adjurationem non intelligat, atque hoc ipso vi hujus moveri nequeat ad Cajum quoquo lubet, comitandum ad instar canis domestici; tum insuper ex aliis circumstantiis hujus adjurationis, vanitatem nimium quantum sapientibus, utputa quod debeat fieri ad aures vituli, itemque quod adjurator debeat illico ter circumire vitulum &c.

Nec refert, quod verba hujus adjurationis de se sint vel supponantur Sancta; quia ad veram superstitionem sufficit, ea ex aliis circumstantiis vitiari, quod plane in nostro casu negari minime potest: cum enim neque ex sua natura, neque etiam ex aliqua institutione humana aut divina habeant vim movendi seu etiam cicurandi vitulum, profecto nemo prudentum hunc effectum ex illis infallibiliter exspectare potest: neque etiam sperare licet a Deo vel ab Angelo bono: consequenter a solo diabolo exspectare convincitur, quisquis hoc modo utitur. Videantur dicta loco proxime cit. præsertim *a n.* 513.

169. Quod autem hic diximus de adjuratione vituli, idipsum dictum intelligas velim de adjuratione locustarum ac vermium depopulantium fruges agrorum, vel arborum, aut prata &c. in qua nonnulli vanissimi observatores feruntur instituere quendam apparatum seu processum juridicum, hinc instituendo accusatorem, illinc advocatum, tandemque auditis partibus pronuntiando sententiam, tanquam si cum hujusmodi bestiolis noxiis coram prætore contenderent: qui tantus vanorum rituum apparatus fieri plane non potest citra pactum saltem tacitum seu implicitum cum dæmone: esto fortassis a simplicibus propter ignorantiam subinde exerceatur sine formali peccato mortali. Videatur Filliucius *tr.* 24. *numer.* 219. Sporer *tr.* 3. *decalog. cap.* 1. *numer.* 168. Tambur. *l.* 3. *decalog. c.* 8. *numer.* 2. 4. *& seq.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

170. Colliges ex hactenus dictis primo, dæmones nunquam adjurandos esse eo fine, ut aliquid faciant vel omittant divini honoris causa; frustra quippe hoc obtinere niteremur, quandoquidem ipsorum voluntas in malitia ita fuit indurata, ut quidquid agunt, ex capitali odio DEI agant, semperque conentur Dei gloriam diminuere. Subin tamen prudenter adjurari ac cogi possunt, ne impediant aliam creaturam rationalem v. g. energumenum a procuranda Dei gloriam vel animæ salute, utpote per susceptionem Sacramentorum, præsertim pœnitentiæ & Eucharistiæ. Videatur Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 8. *pu.* 2.

171. Colliges secundo, neutiquam fas esse adjurare dæmonem deprecative, vel etiam imperative, seu ita, ut adjurans quasi paciscendo sese obliget ad sequendum diaboli consilium vel voluntatem. Ratio est: quia quivis fidelium vi obligationis in baptismate contractæ tenetur renuntiare diabolo & ejus operibus malignis: at, hoc non facit, qui se eidem subjicit vel consiliis ejus aquiescit: ergo &c. Hinc Apostolus 1. *Cor.* 10. ait: *Nolo vos socios fieri dæmoniorum.*

Colliges tertio. Illicitum quoque esse adjurare dæmonem eo fine, ut nobis opem ferat v. g. in cognitione rerum occultarum, in eruendo thesauro, in curando seu depellendo hoc vel illo morbo &c. in avertenda grandine vel tempestate &c. Ita *communissime DD.* Ratio est: quia similia fieri nequeunt sine commercio cum diabolo ineundo. Dein vel fieret hoc deprecative vel imperative? si deprecative, diabolus suo modo colitur; quod nulli fidelium licet. Si imperative frustra hoc modo laboratur; siquidem Christus Ecclesiæ suæ non dedit potestatem quidlibet impetrandi, sed ejiciendi duntaxat dæmones, eorumque opera maligna dissolvendi juxta illud *Marc. ult. In nomine meo dæmonia ejicient.* Et *Luc.* 10. *Ecce dedi vobis potestatem cal-*

calcandi supra serpentes (id est demones) *& scorpiones*, *& super omnem virtutem inimici*, *& nihil vobis nocebit* &c. Tamburinus *in decalog. lib.* 3. *c.* 8. §. 2. *a n.* 8. Suarez *lib.* 4. *de adjurat. c.* 2. *n.* 7. Sanchez *l.* 2. *c.* 42. *n.* 19.

173. Colliges quarto, licitum esse nomen diaboli carthæ inscribere, & ita inscriptum in contemptum ipsius comburere. Licitum insuper esse 2. Energumeno præbere medicinas seu herbas, præsertim benedictas, non quod naturalem vim habeant contra dæmonem, sed moralem potius; vel eo fine, ut superfluos humores corporis, quibus dæmon utitur ad vexandum seu affligendum energumenum, dispellat. 3. Insuper licitum esse in contemptum diaboli energumenum flagellis vel etiam alapis moderate percutere. Ratio horum ex dictis facile constabit: quia prædicta media deserviunt, vel ad diabolum velut spiritum superbissimum fugandum, vel ad ipsius opera dissolvenda: at, quæ in hunc finem faciunt, licite ab Exorcista adhibentur: ergo &c. Secus dicendum foret, si Energumenum gravius cedendo flagellis per modum carnificis potius, quam Exorcistæ tentaret aggredi: quia per talem exoticum modum potius creaturam affligeret, quam diabolum. Secus insuper dicendum foret, si diabolus ipse postulasset, ut energumenus ab Exorcista flagellis, alapis vel aliis pœnis affligeretur: quia similes pœnalitates non possunt nec debent adhiberi, nisi quatenus cedunt in contemptum diaboli, & hoc modo quodammodo eundem compellunt ad deserendam creaturam: atqui si fiant ad petitionem dæmonis, hoc ipso non vergunt in ipsius contemptum, consequenter nec serviunt ad eum fugandum, sed potius ad eundem honorandum, & ad beneplacitum ipsius: ergo &c. Videatur de hoc Del Rio *lib.* 2. *disquis. magic. q.* 30. *sect.* 3. vel Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 3. *n.* 25.

174. Colliges denique quinto, fas esse postulare, seu etiam exorcizando cogere dæmonem, ut emigrando e corpore energumeni det aliquod signum sui egressus v. g. extinguendo lampadem, frangendo vitrum &c. vel quid simile. Ratio hujus desumitur, tum ex Sacerdotali Romano, in quo jubetur Exorcista hujusmodi signum petere; tum ex eo etiam, quod exhibitio talis signi conducat aliquo modo ad expulsionem diaboli, in quantum inde affligitur ac confunditur, vel etiam, in quantum Exorcista inde colligere potest, an corpus energumeni deseruerit, an ulteriori exorcizatione opus sit, nec ne. Ita Tambur. *in decalog. lib.* 3. *c.* 8. §. 2. *n.* 8. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *pu. ult. n.* 12. Filliuc. *tr.* 24. *n.* 214. *&* 215.

CONFERENTIA
SEPTIMA.

De natura, distinctione, & materia votorum.

SUMMARIUM.

175. *Votum est promissio libera Deo facta de meliori bono.*
176. *Ad hujus valorem requiritur tanta deliberatio, quanta opus est ad peccandum mortaliter.*
177. *Satis sit cuidam instantiæ in contrarium.*
178. *Non omne votum ex gravi etiam metu factum est invalidum.*
179. *Similiter non omnis error votum reddit invalidum.*
180. *Recensetur varia votorum divisio.*
181. *Solemnitas voti probabilius non importat aliud, quam inhabilitatem quandam ad certos effectus, auctoritate Ecclesiæ introductam.*
182. *Per se loquendo quivis homo rationis compos potest validum emittere votum.*
183. *Materia voti alia dicitur remota, alia proxima.*
184. *Votum debet necessario fieri de re possibili, honesta, & de meliori bono.*
185. *Casu quo materia voti est partim possibilis, partim vero impossibilis, attendi debet, an partes sint separabiles, nec ne, & præcipue, ad mentem voventis.*

186. *Ubi*

186. *Ubi enim partes moraliter sunt separabiles, esto una evadat impossibilis, nihilominus alteram teneris præstare.*
187. *Resolvitur Casus I. de quodam Juvene, qui coram Deo Confessario promiserat, se deinceps altera die semper jejunaturum, casu quo pridie certum quoddam vitium incidisset.*
188. *Quomodo talis juvenis a Confessario fuerit instruendus.*
189. *Et quid de illo, qui tempore gravis infirmitatis sæpius dixerat, se induiturum habitum religiosum, si Deus sibi sanitatem pristinam restitueret.*
190. *Resolvitur Casus II. cujusdam puellæ, quæ intuitu aureolæ virginitatem suam perpetuo devoverat B.Virg.Mariæ.*
191. *An propterea indiguerit dispensatione, ut tuta conscientia posset amplecti statum conjugalem.*
192. *An vovens virginitatem, censeri debeat vovisse castitatem.*
193. *An puella quindecim annorum valeat vovere castitatem perpetuam.*
194. *Resolvitur Casus III. cujusdam conjugatæ, quæ sese obstrinxerat voto jejunandi, si deinceps ex congressu maritali nunquam amplius evaderat gravida.*
195. *An hæc mulier teneatur abstinere saltem a secunda refectione, si nequeat abstinere a carnibus.*
169. *Utrum teneatur jejunare ullo die, si nequiverit jejunium servare in pervigilio B. Virginis.*
197. *An in ipsis festivitatibus B. Virginis teneatur saltem confiteri, si nequeat percipere Sacram synaxim.*
198. *Ad valorem voti non sufficit intentio mere habitualis vel interpretativa duntaxat se obligandi &c.*
199. *Votum vitandi omnia venialia, vel etiam nullum, ne indeliberate quidem committendi, regulariter loquendo non valet.*
200. *Vota de objecto indifferente qua tali, nullius sunt valoris.*
201. *Idipsum tenendum est de votis, circa objectum honestum quidem, ob finem tamen malum, aut prorsus indifferentem factis.*
202. *Quid, si materia voti ab initio fuit quidem indifferens aut inepta, postea tamen evadat bona.*
203. *Quid si e contrario ab initio fuit bona, postea vero evadat inepta, vel merum indifferens.*
204. *Etiam in materia votorum ruente principali ruit accessorium, non vice versa.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de natura & valore votorum.

QUæres primo, quid sit votum proprie tale?

175. Votum proprie tale est promissio deliberate Deo facta de meliori bono. Ita post D. Thomam 2. 2. *q.* 88. *a.* 1. & 2. *communiter DD.* Explico breviter singulas particulas. Dicitur. 1. *promissio*, id est, obligatio fidei &c. ad verum enim votum non sufficit solum propositum vel intentio aliquid faciendi aut omittendi, neque etiam propositum aliquid promittendi, sicut ad verum testamentum non sufficit sola intentio testandi; quia vi talis intentionis aut propositi nulla nascitur obligatio: & hoc cuivis Confessario bene notandum est in ordine ad instruendos rudiores, qui ex erronea conscientia merum propositum sæpius apprehendunt pro voto. Dicitur secundo *deliberate facta &c.* ut per hoc excludatur etiam promissio, at non spontanee, sed coacte potius, seu ex metu gravi extrinsece incusso facta. Dicitur 3. facta *Deo*. Cum enim votum consistat in actu Religionis, & latriæ quidem, hinc debet fieri soli Deo, quippe qui solus meretur cultum latreuticum. Ex quo consequens est, promissionem quamcumque soli homini factam non esse votum, esto etiam talis promissio supposita acceptatione promissarii obliget titulo justitiæ. Similiter promissio soli B. Virgini, vel alteri cuivis demum Sanctorum facta obligat quidem ex virtute hyperduliæ aut duliæ, non tamen est votum proprie dictum, ob rationem proxime datam. Secus dicendum, si talis promissio fiat Deo in honorem B. Virginis, vel aliorum Sanctorum, vel si Sancti duntaxat invocarentur

rentur per modum testium, veluti nos fratres minores facimus deponendo solennem professionem. Additur denique *de meliori bono*: ad votum enim ulterius requiruntur duæ conditiones, una est, ut illud, quod promittimus, sit moraliter bonum ac honestum: altera, ut bonum illud melius sit, quam ejus oppositum, id est, ut non sit privativum, aut ex se impeditivum alterius operis excellentioris seu perfectioris.

Quæres jam secundo, qualis ergo, & quanta deliberatio necessaria sit ad valorem voti?

176. R. Tanta, quanta requiritur, & sufficit ad peccandum mortaliter. *Communis*. Quod tanta sufficiat, luculenter innuit Glossa *in cap.* 14. *c.* 32. *q.* 2. dum ait: *per quam deliberationem potest quis se obligare Diabolo, potest & Deo*:

Quod insuper tanta requiratur, inde de facili suaderi potest: quia vovens se habet ad instar legislatoris privati: nemo autem (ait Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 6. *disp.* 3. *n.* 4.) se vere obligare censetur, nisi plenam habeat deliberationem seu advertentiam circa id, quod facit. Hinc non oritur obligatio, si votum fiat ex subitaneo motu, vel passione rationem præveniente, vel ex semiplena deliberatione, ita ut vovens alteri rei intentus solum tenuiter aut confuse advertat, quid voveat: immo ex tali voto, utpote simpliciter invalido, nequidem oritur obligatio sub veniali, uti bene docet Herincx noster *part.* 3. *tr.* 4. *disp.* 4. *n.* 2.

Dices contra hoc. Ad verum peccatum saltem veniale sufficit imperfecta & semiplena deliberatio; & hac sola stante delinquens sibimet imponit obligationem ad subeundam pœnam temporaneam: ergo similiter ad verum votum, & inde contrahendam obligationem saltem levem, sufficit imperfecta, & semiplena deliberatio.

177. R. Neg. Conseq. & paritatem. Bonum quippe (uti est votum) nascitur ex integra causa; malum vero (uti est peccatum) ex quolibet defectu. Et certe ad veniale peccatum sufficit quævis negligentia & indirecta voluntas, quæ tamen ad votum nullatenus sufficit, Deo ad hujus valorem requirente perfectam deliberationem, sine qua factum votum nullatenus acceptat, ait Herincx *loc. cit. n.* 3.

Quæres tertio, an ergo omnis, vel quinam metus obstet valori?

178. R. Non omnis metus etiam gravis, sed solus metus gravis injuste incussus ab extrinseco, & quidem in ordine ad extorquendum votum illud invalidat, prout de voto solemnis professionis declaratur *c.* 1. *de his, quæ vi &c.* quod alii DD. communiter satis extendunt ad quodvis aliud votum *per cap.* 14. *de sponsal.* ex quo colligunt, consensum gravi metu injuste incusso extortum, pro nullo haberi. Quin immo, hujusmodi vota de jure naturæ invalida censent D. Thomas, S. Bonaventura, Scotus & alii apud Lessium *lib.* 2. *c.* 40. *dubit.* 3. *n.* 17. *Deus enim*, inquit S. Bonaventura 3. *dist.* 39. *art.* 3. *q.* 2. *vult Sacrificia non coacta, sed voluntaria*: merito proin creditur non acceptare promissiones per injuriam extortas, ne approbator injuriæ esse videatur: hanc ob causam nonnulli existimant, votum etiam levi metu extortum, nullius esse valoris, licet alii communius id negent, præsertim pro foro externo, in quo tale votum haberetur, & agnosceretur validum. Et certum esse debet, quod votum valeat, si fuit factum ex metu juste incusso, vel ex injuste quidem, at, non in ordine ad extorquendum votum incusso: quia talis non fuit coactus ad vovendum: sed libere assumpsit & elegit votum ad evadendum aliud damnum vel periculum. Videatur de hoc Castropalao *tr.* 15. *disp.* 1. *pu.* 5. *num.* 2. *& seqq.* Sanchez *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 5. vel Azorius 1. *p. lib.* 11. *c.* 15. *q.* 7.

Quæres quarto, utrum valeat votum ex errore factum?

179. R. Si supponatur factum ex errore circa substantiam, vel circa conditionem redundantem in substantiam, causamve finalem, votum erit nullum: e contra vero, si error contigit duntaxat circa accidentia, vel circa conditionem non redundantem in substantiam, valet votum juxta DD. *Communiter*. Declaro hanc resolutionem exemplis. Primo si vovisti, erronee existimans ex voto

voto nullam nasci obligationem, error redundat in essentiam. 2. si promisisti Ecclesiæ offerre calicem, quem erronee putasti ex cupro, revera autem invenisti ex auro confectum, error redundat in substantiam materiæ. 3. si vovisti ingredi certum monasterium, in quo putasti vigere religiosam disciplinam, ubi talis tamen minime viget, error censetur circa conditionem redundantem in substantiam. 4. si quid vovisti in gratiarum actionem pro sanitate Parenti tuo restituta, postea vero rescis, Parentem vel nunquam fuisse infirmum, vel esse omnino mortuum, errasti circa causam finalem: & in his casibus omnibus votum est nullum defectu consensus, quippe qui non potuit ferri in incognitum. Contra vero vovisti peregrinatum ire ad domum v. g. vetero Oettinganam, quam putasti hinc distare sex milliaribus, reipsa autem distat septem, votum adhuc valet, quia error est exiguus & tam parum pro nihilo reputari debet. Idipsum tenendum est, si error contigit duntaxat circa causam impulsivam, ut si vovisses dictam peregrinationem primario quidem ex intentione colendi taumathurgam Virginem, secundario autem ex intentione ibi tuum fratrem vel Patriotam aliumve bonum amicum invisendi, valebit votum, quia hæc causa fuit duntaxat secundaria, qua etiam præcisa, ut supponi debet, adhuc voluisses suscipere dictam peregrinationem. Videatur Lessius *lib. 2. c. 40. dubit. 2. n. 10.* Palao *cit. pu. 6.* vel Sporer *tr. 3. in decalog. c. 2. n. 26. & seqq.*

Quæres quinto, quotuplex sit votum?

180. R. Votum ut sic diversimode dividi solet, potissimum vero in sequentia membra.

I. In *absolutum* & *conditionatum*. Absolutum dicitur; quod fit sine ulla conditione; uti fieri solet votum solemnis professionis. Conditionatum vero appellatur, quod fit sine voluntate absoluta, sed cum quadam conditione suspensiva, utputa dicendo v. g. voveo induere Monachum, si evadam hoc periculum &c. hac de causa voti hujus obligatio suspensa manet, usque dum fuerit adimpleta conditio, veluti dicemus inferius *n.* 209.

II. In *Solenne*, & *Simplex*. Solenne dicitur, quod ut tale acceptatur ab Ecclesia, & sunt hæc duo: 1. votum castitatis annexum Ordinibus Sacris. 2. votum professionis solemnis approbatæ Religionis. Simplex vero votum appellatur, quod fit privata devotione vel auctoritate absque eo, quod Ecclesia illud singulariter acceptet, licet fortassis in Ecclesia fiat, etiam coram altari vel cum aliis quibusdam ceremoniis.

III. Dividi solet in *personale*, *reale*, & *mixtum*. Personale dicitur, vi cujus aliqua actio hominis vel abstinentia seu cessatio ab actione promittitur, utputa peregrinatio, vel jejunium &c. Reale appellatur, vi cujus promittitur aliqua res pretio æstimabilis, v. g. calix, pecunia, eleemosyna &c. Mixtum denique appellatur, vi cujus Deo promittitur utrumque, id est, tam actio personalis, quam etiam res præstanda; ut si quis promittat peregrinationem certam cum oblatione cerei vel pecuniæ &c.

IV. In *necessarium*; quo scilicet promittitur res aliunde debita seu præcepta, & in *liberum*, id est, tale, quo promittitur res aliunde non debita v. g. erogatio eleemosynæ &c.

V. In *externum*, & *internum*. Externum appellatur, quod quibusdam signis exterioribus exprimitur, idque vel coram testibus extraneis, & dicitur publicum; vel sine testibus extraneis, esto non sine testibus domesticis, & vocatur privatum.

VI. Denique dividi assolet in *reservatum*, & non *reservatum*. Reservatum appellatur illud, in quo solus S. Pontifex dispensare potest: non reservatum vocatur, in quo alii quoque dispensare valent. Aliæ nonnullæ divisiones minus notabiles videri possunt apud nostrum Henno, & alios passim.

Quæres sexto, in quonam voti solennitas consistat?

181. R. Voti Solennitas consistit in statuto Ecclesiæ, vi cujus persona hujusmodi votum emittens inhabilitatur ad certos effectus. Sic 1. Clericus in Sacris constitutus per solenne votum castitatis inhabilitatur ad valide contrahendum matrimonium. 2. Religiosus vi voti paupertatis inhabilitatur ad habendum domi-

dominium &c. Ita tenet Scotus 4. *dist.* 38. *q. un.* quem nedum Scotistæ, sed alii quoque innumeri Doctores sequuntur contra Genetum, & alios nonnullos Thomistas, volentes solennitatem voti consistere in quadam consecratione, vel certe in quadam traditione ex parte voventis, & in acceptatione ex parte Prælati votum recipientis. Ratio autem nostræ resolutionis desumitur tum *ex cap. un. de voto in sexto* ubi Bonifacius Papa VIII. ait: *Nos igitur attendentes, quod voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa*. Similiter Gregorius XIII. *Bulla Ascendente Domino* §. 18. ait: *Nos considerantes, voti Solennitatem sola Ecclesiæ institutione inventam esse &c.* Tum ex eo etiam, quia si S. Pontifex statueret, ut deinceps vota v. g. in nostra Religione Seraphica emissa non essent amplius solennia, sed simplicia, talia forent, prout fatetur ipsusmet Gonet *tom.* 1. *pag.* 123. atqui tunc esset prorsus eadem consecratio, eademque traditio & acceptatio, quæ nunc: ergo solennitas votorum non consistit in traditione & acceptatione Ecclesiæ, sed in quadam constitutione &c. Videatur de hoc Henno *tr. in decalog. disp.* 2. *q.* 3. *art.* 2. *concl.* 2.

Quæres septimo, quinam possint valide vovere?

182. R. Hoc potest quivis ratione pollens, modo non sit aliunde impeditus. Ratio est: quia omnis homo aliunde liber, & rationis usu pollens cognita DEI bonitate potest illum amare & colere, consequenter etiam aliquid eidem promittere: atqui hoc idem est, ac voto sese obstringere: ergo &c. Dixi: *nisi aliunde sit impeditus* &c. Nam Concilium Trid. *ss.* 25. *de Regul. c.* 15. reddidit tam masculos, quam fœminas simpliciter inhabiles, ad solenniter profitendam quamcunque Religionem ante annum decimum sextum &c.

Quæres denique octavo, quænam possit, vel debeat esse materia voti?

183. Ante responsionem supponendum est, & notandum, nomine materiæ intelligi id, quod promittitur: Solent autem Doctores communiter distinguere inter materiam *proximam*, & *remotam*: proximam dicunt actionem aliquam humanam, vel abstinentiam ab actione humana; remotam vero appellant objectum illius actionis humanæ: ex. gr. vovendo promisisti eleemosynam: remota materia hujus voti est pecunia, vel alia res, per quam indigentia pauperis sublevari potest, proxima autem est elargitio seu distributio sive per te ipsum, sive etiam per alium facienda: fere quemadmodum in Sacramento pœnitentiæ materia remota sunt peccata, proxima vero est eorundem dolorosa confessio. Hoc notato

184. R. Materia voti universim debet esse 1. res, vel opus possibile. 2. honestum, ac Deo gratum, immo 3. de meliori bono, ita scilicet, ut gratius Deo sit, illud fieri, quam non fieri, seu omitti. Ita *ex Communi DD.* Herincx *ubi supra n.* 12. *& seqq.* Ratio primi est: quia ad impossibile nemo se obligare potest; unde talis promissio inepta omnino, ac stulta dici meretur: Deo autem displicet stulta promissio *Eccle.* 5. 3. nec talem acceptat: ergo &c. Ratio autem secundi, & tertii est: quia promissio ex sua natura est quædam gratificatio: atqui nemo gratificat promittendo id, quod non est honestum, vel non gratum, vel id, cujus oppositum gratius foret: ergo materia voti nedum debet esse de opere Deo grato, sed etiam de meliori bono, seu tali, quod sit gratius suo opposito. Ex hoc autem Doctores recte concludunt, votum de perpetrando opere malo sive mortaliter sive venialiter, nedum irritum, ac invalidum esse, sed & mortaliter peccaminosum; quia per hujusmodi votum divinæ bonitati infertur gravissima injuria, & tacita quædam blasphemia, dum in Ejus obsequium offertur id, quod noscitur Ejusdem bonitati, ac Sanctissimæ voluntati displicere. Ita Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *dubit.* 7. *n.* 39. Herincx *part.* 3. *tr.* 4. *disp.* 4. *n.* 14. Busenbaum aliique Doctores contra Navarrum, Sa & nonnullos alios asserentes, votum de re venialiter mala non esse, nisi venialiter peccaminosum.

Sed quid (inquies), si materia voti sit partim possibilis, partim vero impossibilis?

185. R. In tali casu attendendum esse

primario ad intentionem voventis, an scilicet intenderit præstare partem unam sine altera, an vero utramque indivisim & copulative? secundario insuper oportebit attendere, an materia voti constet partibus ab invicem separabilibus, aut separari solitis, nec ne? si non constet talibus, tunc reddita una parte impossibili, corruit pariter obligatio præstandi alteram: hac de causa ille, qui vovit construere Ecclesiam, si non possit totam, non tenetur extruere chorum solum, vel solam aliquam capellam.

186. Econtra vero si constet partibus divisibilibus, esto non possit præstare totum, tenetur nihilominus præstare partem possibilem: ex. gr. vovisti in pauperum necessitates erogare 100. florenos, dein vero ex quocumque demum accidente non potes, nisi quinquaginta, vel viginti &c. teneris nihilominus dare hanc partem: quia hujusmodi eleemosyna regulariter non solet Deo promitti ita, ut si quædam pars ex tota summa evadat redditu impossibilis, etiam altera non præstetur. Videantur de hoc Castropalao *ubi supra pu.* 8. §. 1. *n.* 10. vel Sporer *cit. a n.* 67.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de natura, & materia votorum.

CASUS PRIMUS.

Titius Juvenis consuetudinarius quo efficacius Confessario demonstraret conceptum emendationis propositum, eidem in Sacro Tribunali coram Deo sancte adpromiserat, deinceps nedum abstinere ab illo vitio, sed insuper, casu quo illud reincideret, altera die infallibiliter sese castigaturum salutari jejunio. Factus postea recidivus rediit ad eundem Confessarium se accusans, quod contra suum votum nuper in confessionali factum in idem vitium sæpius relapsus sit, nunquam tamen propterea jejunaverit. Confessario ulterius interrogante, an ergo nuper intenderit emittere verum votum, & an credat, quod ob promissum non observatum gravius peccaverit? Respondit Titius, sibi non constare, an voluerit facere verum votum, credere nihilominus, quod ratione promissi non servati gravius deliquerit; eo quod omne promissum cadat in debitum. Quid judicii de tali responso? Et quid cum hujusmodi pœnitente aget Confessarius?

187. R. ad prius quæsitum, præsumendum, esse a Confessario, quod Titius non fecerit verum votum; quia secundum dicta *n.* 175. votum importat promissionem Deo factam: atqui Titius Confessario duntaxat, & non Deo (esto coram Deo) supponitur promisisse emendationem vitæ: ergo non fecit verum votum; secus enim dicendum foret, quemlibet pœnitentem supposita semel emendationis promissione, ex voto teneri ad vitæ emendationem; quod sane nemo prudentum facile dixerit. Accedit, quod juxta Regulam communiter receptam, & mox infra *n.* 217. dandam, quotiescunque verba de se non sonant votum, simulque dubitatur, an quis voluerit vere vovere, toties standum sit pro libertate subditi, & pro nullitate voti: atqui hoc fit in nostro casu: ergo &c. Nec refert, quod Titius existimet, se gravius offendisse Deum propterea, quod promissis non steterit; potuit enim hoc apprehendere ex conscientia erronea, & hac stante gravius peccare, prout frequenter contingere solet simplicioribus, dum ex sinistra persuasione credunt se obligatos ad recitandas preces confraternitatis, ad salutandam B. Virginem audito pulsu salutationis angelicæ, & nihilominus similia intermittunt. Hinc

188. R. jam ad posterius quæsitum, Titium a Confessario esse instruendum, quod revera non teneatur ad jejunium vi voti, quandoquidem tale non fecit: esto etiam (ut commune verbiverbium habet) omne promissum cadat in debitum, non tamen cadit in debitum ex virtute Religionis, vel ex voto, nisi talis promissio supponatur facta Deo. Ratio autem hujus resolutionis desumi debet ex dictis *in Theolog. Sacram. part.* 2. *Conferent.* 18. *numer.* 459. quia Confessarius per se loquendo tenetur instruere pœnitentem, quotiescunque animadvertit eum laborare aliqua ignorantia vincibili & culpabili, præsertim in materia gravi, ne scilicet ex conscientia erro-

erronea graviter Deum offendat: atqui Titius advertitur hujusmodi ignorantia laborare: ergo &c.

Sed quid, inquies, tenendum est de illo juvene studioso, qui tempore gravis infirmitatis Confessario suo (etiam aliis audientibus) sæpius dicere solebat: *Si Deus pristinam sanitatem mihi restituerit, induam habitum religiosum:* tenebiturne postea sanitati restitutus vi voti ingredi Religionem?

189. R. Quod non. Ratio est: quia memorata verba ex se non sonant votum, sed merum, ac nudum propositum voluntatis: ergo juvenis relinquendus est in possessione suæ libertatis, eo præsertim, quod obligationes gratuitæ sint potius restringendæ quam ampliandæ, uti sapienter monet Laymann *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 6. *num.* 14. Secus decidendum putant Navarrus, Sanchez, Sporer *tr.* 3. *decalog. cap.* 2. *num.* 18. si hujusmodi verba de se quidem merum propositum exprimentia immediate dirigerentur ad Deum per modum pacti v. g. dicendo: *Domine Deus, si sanitatem mihi concesseris &c. ingrediar Religionem*; quia hæc verba in Deum immediate directa per modum pacti, significant promissionem seu obligationem reciprocam, quæ proin adimpleta conditione immediate transit in absolutam.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia puella quindecim circiter annorum, dum a quodam Concionatore statum virginitatis miris laudibus extolli audiisset, ac prærogativam singularem, quod scilicet Virgines Agnum cœlestem quondam sequerentur quocunque ierit, partim hujus prærogativæ amore allecta; partim etiam amoris erga B. Virginem teneritudine commota, hæc intra se verba protulit: Sanctissima, & purissima Virgo Maria; promitto, dono & consecro tibi meam virginitatem in perpetuum. *Elapsis postea quatuor, vel quinque annis hujus promissi pœnitens facta venit ad Confessarium dicens, se tunc temporis nondum ita apprehendisse, quid oneris post se traheret votum virginitatis; tum quia illo tempore nondum fuerat passa tot tam inquam extrinsecas etiam tentationes; tum præsertim, quia, si deberet perpetuo abstinere a nuptiis, difficulter sibimet posset providere de necessariis ad honestam sustentationem. Quærit ergo e Confessario* 1. *an memorata promissio habeat vim voti?* 2. *Quid sibi faciendum, ut tuta conscientia possit amplecti statum conjugalem? quid ad hæc Confessarius?*

190. R. ad primum quæsitum, Semproniæ respondendum, hanc promissionem non habere vim voti proprie dicti, quippe quod juxta dicta superius *num.* 175. essentialiter consistit in promissione ipsi Deo, non vero B. Virgini, vel alteri cuivis demum Sancto præcise facta.

Quia tamen etiam talis promissio obligat saltem ex virtute hyperduliæ; hinc ad debite resolvendum hunc casum,& ad quietandam conscientiam oportet ante omnia scisčitari ex Sempronia, quidnam nomine Virginitatis B. Virgini promissæ vel consecratæ intellexerit? & an vi talis promissionis solum voluerit obligare se ad abstinendum ab omni connubio, vel ad claustrum virginitatis suæ inviolate servandum (prout hujusmodi puellæ, utpote ignaræ, & in rigore minime intelligentes, quidnam virginitas importet, facere solent) an vero per hoc voluerit sese obligare ad simpliciter abstinendum ab omni commercio carnali in perpetuum? Si respondeat, quod intenderit se obligare ad hoc secundum, eidem intimandum erit, quod tuta conscientia absque dispensatione nequeat inire matrimonium, prout de se facile liquet, & absque difficultate eidem persuaderi poterit. At vero, si respondeat Sempronia, se duntaxat intendisse illud primum, scilicet se obligare ad abstinendum ab omni connubio, rursus facile poterit dispensari a Confessario privilegiato, vel, potius debebit commutari hoc votum. Si autem dicat, quod voluerit se obligare ad inviolate servandum claustrum suæ virginitatis, rursus cum omni modestia inquirat Confessarius, an ergo hactenus illud inviolate semper custodierit nec ne? si dicat se hujus jam semel fecisse jacturam per commercium carnale &c. declaret ei, quod tuta conscientia possit nubere, quandoquidem vir

virginitatem in hoc sensu sumptam, id est, pro claustro virginitatis &c. jam supponitur irrecuperabiliter amisisse, prout ex communi DD. bene tradit Marchantius noster *tom.* 2. *tr.* 3. *tit.* 4. *q.* 3. *dub.* 4. *Resol.* 2. At vero, si Sempronia dicat, se hactenus claustrum suæ virginitatis semper custodisse & conservasse illæsum, tum denique dicendum &

191. R. ad secundum quæsitum, Semproniæ suadendum, ut petat dispensationem, quam nedum ab Episcopo, sed etiam a quolibet Confessario Mendicantium poterit impetrare juxta dicenda inferius *a n.* 274. Non enim supponitur fecisse verum votum, quandoquidem non Deo, sed B. Virgini suam virginitatem devoverit. Et dato etiam, quod hanc Deo ipsi promisisset, & perpetuo quasi consecrasset, posset nihilominus a quolibet Privilegiato Confessario dispensari; siquidem non votum *virginitatis*, sed votum castitatis perpetuæ est specialiter reservatum Summo Pontifici.

Dices tamen contra hoc: quisquis vovet virginitatem perpetuo servandam, ipso facto præsumitur velle nullam prorsus delectationem carnalem admittere, qua corporis animæve integritas pollui posset, consequenter merito præsumitur fecisse votum castitatis perpetuæ, prout post S. Thomam tenent Castropalao, Illsung, Babenstuber, *aliique DD. communissime*: ergo idipsum præsumendum est de Sempronia nostra: quod enim claustrum virginitatis perdiderit, mere per accidens se habet; consequenter si velit dispensari in hoc voto, non a quolibet Confessario, sed ab ipsomet Summo Pontifice debebit petere dispensationem.

192. R. distingu. & explicando antecedens: Quisquis vovet virginitatem, præsumitur fecisse votum castitatis perpetuæ, & hoc *regulariter*, quando ex aliis circumstantiis contrarium non potest colligi, *trans.* & hoc *universaliter*, neg. antec. cum conseq. Versamur enim in materia odiosa, in qua interpretatio ultra proprietatem verborum nullatenus extendi, sed, quantum rationabiliter fieri potest, restringi debet. Insuper ex fine a Sempronia intento satis colligi potest, quod non castitatem simpliciter, sed virginitatem voverit eo fine, ut assequeretur laureolam Virginum: ergo non est simpliciter obliganda ad abstinendum ab omni delectatione venerea, sed debuit abstinere ab illa, per quam Virginitatem amitteret, & per consequens spem sequendi Agnum vel assequendi laureolam Virginum. Videatur de hoc Castropalao *tr.* 15. *disp.* 1. *pu.* 12. *n.* 7. Laymann *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 3. vel R. P. Pichler in suo laudabilissimo opere Jur. Canon. practice explicati *lib.* 3. *tit.* 34. *decis.* 107. ubi hanc opinionem solidissime tradit, pro eadem referens Portel, Diana, & Burghaber.

Dices jam e contrario. Promissio sive B. Virgini, sive ipsimet Deo facta, sed sine sufficiente deliberatione, nulla est, & hoc ipso non indiget relaxatione vel dispensatione: atqui in nostro casu promissio non fuit facta cum sufficienti deliberatione; tum quia Sempronia nondum compleverat annum decimum sextum; tum etiam, quia, ut casus fert, nondum satis intellexerat onera huic voto annexa: ergo non tenetur voto; consequenter &c.

193. R. negando min. Supponitur enim Sempronia utpote quindecim annos nata, habuisse plenum, atque perfectum rationis usum, ita, ut intellexerit, quid sit virginitas, & quid votum virginitatis importet: at hoc sufficit ad valorem voti juxta *communissimam DD.* fundatam in glossa *cap. Mulier.* 32. *q.* 2. ubi ait: *qui potest se obligare diabolo* (per culpam scilicet lethalem) *potest se etiam obligare Deo* (per votum) neque vero necessum est, ut ille qui votum facit, omnes prorsus circumstantias, vel difficultates inde nasci turas perspexerit, quemadmodum ad valorem aliorum contractuum hoc minime necessum est; secus paucissimi valerent, ex quo non nisi merum chaos & confusio emergeret, uti sapienter advertit Henno *tr. in decalog. disp.* 2. *q.* 3. *art.* 1. Quod autem votum professionis solemnis ante completum annum 1600. non valeat, particulari constitutioni Ecclesiæ adscribendum est; ex qua non licet illico inferre nullitatem aliorum votorum, ante dictam ætatem emis-

emissorum. Videatur de hoc Sporer *ubi supra n.* 21. de la Croix *l.* 3. *p.* 2. *n.* 387. vel Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 4. *n.* 7. *& seqq.*

CASUS TERTIUS.

C*Aja fæmina conjugata posteaquem in partu sæpius subiit periculum vitæ, hujus declinandi causa voto se obstrinxit, quod si deinceps nunquam evaderet gravida, in singulis pervigiliis B. Virginis vellet jejunare; in ipsis autem festivitatibus confiteri, & Sacram synaxin percipere: voti jam a biennio compos reddita, inviolabiliter stetit promissis suis, jam vero (nescio cujus instinctu) dubitat* 1. *quid de valore hujus voti tenendum?* 2. *an, casu quo deinceps in quodam pervigilio non posset abstinere a carnibus, deberet saltem abstinere a secunda refectione?*

194. R. ad primum, de valore hujus voti minime dubitandum esse, cum sit factum Deo, & quidem de meliori bono. Et licet videatur voluisse vi hujus voti quodammodo movere Deum ad impediendam conceptionem, quia tamen hoc non intendit modo illicito, & aliunde concipere vel non, res de se indifferens est, immo respectu Cajæ *non concipere* est melius, in quantum hac via evadit periculum vitæ? hinc potuit sine dubio vovendo sese obligare ad peragenda hujusmodi opera sancta sive dein ad impetrandum hoc beneficium, sive etiam ad solvendas Deo debitas gratias pro jam impetrato. Hac de causa Navarrus, Layman *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 7. Sporer *cit. c.* 2. *n.* 50. aliique Doctores *communissime* dicunt valida esse vota, quæ fiunt cum intentione impetrandi a Deo rem de se bonam, esto hæc sequatur quodammodo vel supponat actum illicitum v. g. vovet quis quodcunque demum opus pium, si ex duello incolumis evaserit victor, si ex adulterio vel fornicatione concubina, non evaserit prægnans, & per consequens publicam infamiam evaserit &c. &c. valent hujusmodi vota; quia e duello incolumem evadere, ex fornicatione vel adulterio publice non diffamari bonum est, etsi duellare, aut adulterari sit prohibitum ac detestandum.

195. R. ad secundum quæsitum, Cajam in eo casu probabiliter non teneri ad abstinendum a secunda refectione. Ita Laymann *loc. cit. n.* 3. R. D. Michel *tom.* 2. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 2. *n.* 34. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 4. *n.* 72. Ratio est: quia censeri debet vovisse jejunium ad normam jejunii Ecclesiastici: atqui jejunium Ecclesiasticum importat duplicem abstinentiam, unam ab esu carnium, alteram a gemina refectione, quarum neutra seorsim sumpta appellatur jejunium: ergo qui vovit jejunium, & non potest abstinere a carnibus, probabiliter nec tenetur abstinere a secunda refectione. Dico: *probabiliter*, non enim desunt, qui satis probabiliter putant hujusmodi hominem (esto non possit a carnibus abstinere,) nihilominus teneri ad abstinendum a secunda refectione; eo quod in forma jejunii etiam hæc abstinentia principaliter intendatur, sitque separabilis ab illa priori: quemadmodum ergo excusatus a secunda refectione non eo ipso excusatus censetur a carnibus, ita e contrario &c.

Quidquid tamen sit de hoc: pro praxi exploranda est mens voventis, quæ in dubio interpretanda erit in partem benigniorem, uti recte observat Layman *l. c.*

Sed quid (inquies) si Caja quacunque demum de causa non possit jejunare in pervigilio B. Virginis, tenebiturne hoc supplere alio die?

196. R. Quod non. Ratio est: quia obligatio voti facti intuitu certi temporis aut festivitatis extinquiter cum ipso tempore: atqui hoc votum supponitur fuisse factum a Caja intuitu certi temporis ac festivitatis: ergo elapso pervigilio extinquitur.

Neque etiam tenetur illud tempus prævenire; quia ad hoc nunquam se obligavit. Secus dicendum foret si quis prius simpliciter fecisset votum jejunandi, & ex post facto primum determinasset tempus executionis; quia hoc supposito dies non fuisset determinata ad extinquendam, sed potius ad sollicitandam obligationem, prout bene observavit Laymann *loc. cit.* Felix Potestas Exam. Confessar. *tom.* 1. *part.* 2. *n.* 1841. *&* 1842.

Dices adhuc: sed quid, si Caja in festo B. Virginis non posset percipere Sacram Synaxin quacunque demum de causa, tenereturne nihilominus confiteri?

197. R. Quod non. Ratio est: quia rationabiliter præsumitur voluisse se obligare ad communionem & confessionem simul ac copulative: communiter enim homines plebei non solent communicare nisi confessione præmissa, & hoc ipso non se obligant ad communionem, nisi simul possint confiteri: atqui ex communiter contingentibus fit præsumptio prudens: ergo si Caja non possit percipere sacram synaxim, minime obliganda est ad confessionem: Sicut e contrario, casu quo non posset confiteri, nec deberet obligari ad sacram communionem. Quin immo, si supponeretur constituta in statu peccati mortalis, ne quidem licite posset sacram synaxin sumere sine prævia confessione, utpote quam probabilissime de jurare divino 1. *Cor.* 11. tenetur præmittere; consequenter ad oppositum faciendum nullo voto, nullaque lege humana potuit sese adstringere. Videantur de hoc Castropalao *tr.* 15. *disp.* 1. *punct.* 8. §. 1. *n.* 10. R. D. Michel *ubi supra. n.* 35. & 36.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

198. COlliges ex hactenus dictis primo ad valorem voti non sufficere intentionem mere habitualem; multo minus mere interpretativam seu indirectam, habitam scilicet non in se, sed in alio, utputa in causa v. g. ebrietate prævisa &c. Ratio est: quia ad substantiam voti requiritur voluntas actualis & directa volitio sese obligandi, uti *communissime* tradunt Doctores, nominatim Tamburinus *lib.* 3. *in decalog. cap.* 10. §. 2. *n.* 1. Sporer *cit. c.* 2. *n.* 13. & 14. Illsung *tr.* 5. *disp.* 1. *n.* 86. &, qui habitualiter tantum vult vel indirecte seu in causa, non habet voluntatem actualem & directam: ergo hæc non sufficit: sufficeret tamen intentio virtualis, quippe quæ actu movet ad actum: & a fortiori sufficit intentio actualis, utpote omnium optima.

Colliges secundo, votum vitandi omnia peccata venialia, etiam collective sumpta, vel nullum omnino, ne indeliberate quidem committendi, esse nullum, seu invalidum. Ratio est: quia hujusmodi votum est de re moraliter impossibili: ergo hoc ipso nullum est. Valeret tamen votum vitandi omnia peccata mortalia, itemque votum nullum etiam veniale in hoc vel illo certo genere v. g. mendacii committendi cum plena advertentia; quia hoc non solum est de meliori bono, sed etiam de re cum ordinariis Dei auxiliis moraliter possibili. Videatur Herincx *part.* 3. *tr.* 4. *disp.* 4. *n.* 12. & 13. Babenstuber *ubi supra n.* 40. & *seqq.*

200. Colliges tertio, votum de re indifferente qua tali factum, esse nullius valoris. Ita *communissime DD.* apud Sanchez *lib.* 4. *mor. c.* 7. *n.* 6. Ratio est: quia votum secundum dicta superius debet esse de meliori bono: at, si de re indifferenti qua tali fiat, eo ipso non fit de meliori bono. Hinc votum nunquam spuendi in Ecclesia; nunquam nendi, seu etiam fila trahendi die sabbathi; nunquam intrandi hanc vel illam domum &c. nullum est, nisi supponatur fieri ex altiori fine v. g. ne in hac domo incurratur periculum offendendi Deum, ne per nimium affectum nendi &c. impediatur quis a devotione B. Virgini exhiberi solita die Sabbathi &c. &c.

201. Colliges ulterius quarto, etiam vota de præstanda re bona, at vel ob finem malum, vel ob mere indifferentem, & aliunde naturaliter absque speciali Dei favore consecuturum, nullius esse valoris, ut si quis voveat abstinere a vino, vel aliis cibis lautioribus eo præcise fine, ut sumptibus parcat, aut si voveat parcere candelis ex sebo, quatenus eas postea vendere, indeque lucrari quidpiam possit &c. Secus iterum dicendum foret, si id faceret animo, illud lucrum suis amicis aliisque indigentibus per modum eleemosynæ applicandi &c. Vel si quis voveat hujuscemodi abstinentiam animo impetrandi a

Deo beneficia temporalia v. g. bonam vindemiam, sanitatem corporalem &c. quemadmodum enim hæc a Deo ceu omnium bonorum largitore honeste petere, ita pro eorundem impetratione, debitave gratiarum actione possumus Eidem vota nostra offerre.

Sed quid, inquies, si materia voti de se ab initio fuit quidem indifferens vel omnino impossibilis aut inepta, successu tamen temporis evadat nedum possibilis, sed honesta & bona &c. ut si vovisti nunquam intrare hanc vel illam domum, hanc vel illam Ecclesiam &c. ductus meris capriciis, ideoque irrito voto, postea autem superveniant tales circumstantiæ, quæ hujuscemodi abstinentiam ab ingressu reddunt omnino bonam ac Sanctam v. g. quia merito times, ne in tali loco labaris &c. evadet ne hujusmodi votum validum cum obligatione abstinendi &c.

202. R. Quod non. Ratio est: quia votum ab initio fuit nullum ac irritum: ergo semper manet tale, nisi de novo ratificetur; quia *juxta Regulam* 18. *Jur. in sexto non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*.

203. E contrario tamen si materia voti supponatur fuisse ab initio bona, honesta ac possibilis, fiat autem postea ad aliquod tempus impossibilis vel inepta; ut si quis vovit quotidie audire Sacrum, postea constitutus in mari non habeat occasionem audiendi; vel si vovit singulis diebus Sabbathinis jejunare, postea autem ob infirmitatem temporaneam nequeat moraliter abstinere a carnibus, vel a secunda refectione, vel si ob periculum labendi vovisti non amplius ingredi hanc vel illam domum, eo quod ibi moretur puella tibi multum chara &c. postea illa e domo discedat &c. obligatio voti solum suspenditur ad tempus, postea autem reviviscit, prout præter alios plures bene tradit P. Patritius Sporer jam sæpius *cit. c.* 2. *n.* 77.

204. Colliges tandem quinto, etiam in hac materia votorum locum dandum esse notissimo illi Juristarum Aphorismo: *accessorium sequitur principale*, itemque *ruente principali ruere accessorium*, non tamen vice versa *ruente accessorio ruere principale*, *aut principali sequendum esse accessorium*. Atque hinc fiet, ut si pars principalis voti maneat possibilis, adhuc teneris hanc præstare, esto minus principalis seu accessoria supponatur reddita impossibilis. Ex. gr. vovisti subire certam peregrinationem, & quidem nudis pedibus, vel Sacco coopertus aut indutus cilicio, postea non vales incedere nudipes aut Sacco, ciliciove indutus &c. teneris nihilominus more aliorum subire peregrinationem. Rursus vovisti jejunare in pane & aqua, postea superveniente nescio qua impotentia non potes subire jejunium cum tanto rigore &c. teneberis nihilominus jejunare quoad substantiam utputa abstinendo a carnibus, nec non a secunda refectione, nisi habuisses expressam intentionem non aliter subeundi peregrinationem, quam nudis pedibus, vel non aliter jejunandi, nisi in pane & aqua. Videantur de hoc Castropalao *tr.* 15. *disp.* 1. *pu.* 8. §. 1. *n.* 10. Laymann *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 3. R. D. Michel *tom.* 2. *part.* 2. *sect.* 3. *n.* 37.

CONFERENTIA OCTAVA.

De obligatione, & interpretatione votorum.

SUMMARIUM.

205. *Obligatio est voti ex suo genere gravis.*

206. *Potest nihilominus fieri levis ob parvitatem materiæ.*

207. *Nihil obstat, quo minus aliquis ad materiam aliunde non præceptam quantumvis gravem, possit vi voti se obligare sub culpa levi duntaxat.*

208. *Exceptis tamen votis solemnibus castitatis & Religiosæ professionis.*

209. *Votum conditionatum sub conditione de futuro, non obligat ante impletam conditionem.*

210. *Similiter votum pœnale obligat duntaxat post transgressionem culpabiliter, non item inculpabiliter admissam.*

211.

211. *Vota personalia, sicut & mixta quæ personalia ita obligant voventem, ut non possint adimpleri per alium.*
212. *Realia autem possiunt, & subinde debent per alium adimpleri; Unde*
213. *Hæres tenetur ad persolvenda vota realia defuncti;*
214. *Non quidem ex virtute Religionis, sed Justitiæ.*
215. *Voto sine determinatione temporis facto satisfieri debet tempore proxime commodo.*
216. *Votis autem factis absque determinatione numeri, quantitatis vel qualitatis, satisfieri potest, offerendo id, quod est minus vel minoris valoris, nisi ex circumstantiis constet, voventem aliud intendisse.*
217. *Voti interpretatio idem est, ac clarior ejusdem expositio.*
218. *Traduntur breviter nonnullæ Regulæ interpretandi.*
219. *Resolvitur Casus I. cujusdam Divitis, qui voto sese obstrinxerat, quotidie pauperem quendam Studiosum alendi.*
220. *Undenam colligendum sit, num talis postea votifragus graviter, vel vero leviter duntaxat deliquerit.*
221. *An deinceps absque mortali peccato possit negare refectionem tali studioso subministrandam.*
222. *Resolvitur Casus II. de quibusdam Religiosis, recusantibus jejunare in vigilia S. Martyris Floriani ob votum ab ipsorum Prælato factum.*
223. *Utrum votum consensu totius Communitatis factum obliget Successores.*
224. *Utrum Abbatissa, vel Superiorissa Monialium possit subditas suas obligare ad quartum votum, clausuræ scilicet perpetuæ.*
225. *Quid si supponatur, in tali monasterio clausuram olim introductam per abusum duntaxat fuisse sublatam?*
226. *Resolvitur Casus III. cujusdam prædivitis, qui hæredibus suis notabile votum, aliaque pia legata non sine præjudicio legitimæ solvenda reliquerat.*
227. *An, vel qualiter hæredes fuerint obligati ad præstanda hujusmodi onera post mortem testatoris relicta.*
228. *Quo ordine hujusmodi debitis ab hæredibus satisfaciendum sit.*
229. *An etiam fiscus teneatur hujusmodi debitis satisfacere, casu quo ob delictum voventis sibi attribuisset bona defuncti.*
230. *Omnes transgressiones votorum quæ præcise tales, sunt ejusdem speciei.*
231. *Votum abstinendi a carnibus, a vino &c. per se loquendo obligat sub gravi culpa.*
232. *Quantum non obstante tali voto possit bibi absque mortali peccato.*
233. *Ubi partes materiæ voto promissæ sunt divisibiles, singulariter attendendum est, an coalescant in unam materiam grandem, uel non.*
234. *Undenam colligendum sit, an obligatio voti fuerit annexa vel non annexa diei vel tempori.*
235. *Quandonam votum certo temporis termino annexum, etiam eo elapso debeat persolui vel non.*
236. *Qui promisit peregrinationem hoc mense peragendam, nec potest peregrinari in fine, tenetur prævenire & alio die commodo ejusdem mensis satisfacere voto.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa obligationem & interpretationem votorum.

QUæres primo, quæ, & quanta sit obligatio voti ex genere suo?

205. R. Est gravis & sub dispendio salutis obligans. Ita *omnes Theologi* contra votifragum Lutherum, aliosque sectarios hujus temporis. Ratio hujus constat tum *ex c. licet. de voto*, ubi dicitur, ejus solutionem esse ita necessariam, *ut sine dispendio salutis præmitti non possit*. Tum etiam ex eo: quia homo homini sub gravi obligatione tenetur servare fidem, secundum *omnes*: ergo a fortiori tenetur eandem servare Deo.

206. Dixi tamen, quod obligatio voti sit gravis *ex genere suo*. Enimvero ad hoc, ut ex voto nascatur obligatio gravis in individuo, vel in casu particulari, necessum omnino est 1. ut & materia illius sit (saltem respective, id est respectu finis

finis vel aliarum circumstantiarum) gravis; 2. ut vovens habuerit intentionem sese graviter, vel certe juxta capacitatem materiæ obligandi.

Ergone inquies ad materiam revera gravem potest se quis vovendo obligare sub culpa levi tantum?

207. R. Potest, modo habeat expressam intentionem se non, nisi leviter, id est, sub culpa veniali obligandi. Ita *unanimiter Doctores*. Tambur. *lib.* 3. *decalog. c.* 12. §. 2. *n.* 3. Illsung *tr.* 5. *disp.* 1. *n.* 101. Ratio est: quia vovens se habet ad instar Legislatoris privati: ergo quemadmodum quilibet Legislator ad materiam etiam formaliter gravem potest obligare sub culpa vel pœna levi tantum juxta dicta *tr.* 1. *de actibus hum. confer.* 11. *n.* 301. ita & vovens: Dixi: *modo habeat expressam intentionem* &c. Regulariter enim quivis Legislator censetur velle obligare juxta capacitatem materiæ, id est, graviter in materia formaliter gravi, leviter autem in levi; consequenter idipsum præsumendum est de eo, qui vovendo sibimet legem imponit: & sicut nullus Legislator in materia undequaque levi potest se obligare graviter; quia talis obligatio & ipsa promissio non esset rationabilis, proptereaque merito creditur, quod Deus illam non acceptet. Ita Illsung *cit. num.* 101. Sporer ubi supra *c.* 2. *nu.* 89. Laymann & alii.

208. Nihilominus a resolutione proxime data excipienda sunt vota solemnia, castitatis scilicet, quod Sacris Ordinibus annectitur, nec non professionis religiosæ, ad quæ vota nemo sub culpa vel obligatione levi duntaxat se obligare potest: eo quod Ecclesia (cujus auctoritate hæc vota fuere introducta) exigat voluntatem graviter se obligandi; & merito quidem 1. tum quia important quandam mutationem perpetuam status; tum præsertim, quia etiam Religio respectu profitentis se graviter obligat, non minus, quam sponsa respectu sponsi: ergo ut ex utraque parte servetur æquitas naturalis, Ecclesia rationabiliter exigit, ut Ordines suscipiens, aut Religionem Sacram Solenniter profitens graviter ad votorum observantiam se obstringat, ita, ut si secus fiat, professio religiosa non valeat, juxta *communissimam Doctorum*.

Quæres secundo, quomodo obliget votum conditionatum, & quomodo votum pœnale.

209. R. ad primum membrum hujus quæsiti. Votum conditionatum (sub conditione scilicet de præsenti vel de præterito factum) hac subsistente illico obligat, more aliorum contractuum, qui subsistente conditione statim transeunt ad esse absolutum. At vero votum sub conditione de futuro factum obligat primum post adimpletam conditionem, ita, ut si hæc absque culpa voventis nunquam ponatur, etiam votum nunquam obliget. Ita ex recepta Doctorum sententia Henno *tr. in decalog. disp.* 2. *de vot. q.* 3. *art.* 7. *concluf.* 1. Felix Potestas *Exam. ConfeJ. tom.* 1. *part.* 2. *nu.* 1793. Ratio est: quia votum non obligat ultra intentionem voventis: at hic supponitur nunquam habuisse intentionem sese obligandi, nisi sub hac vel illa conditione: ergo prius quam hæc ponitur, votum non obligat. Quocirca insuper notandum est, quod, si conditio merum pendeat ab arbitrio ipsius voventis, huic maneat liberum ponere conditionem vel non. At vero si dependeat ab arbitrio alterius, nefas foret per malitiam, id est, per dolum vel fraudem impedire conditionem; quia vovendo præsumitur voluisse virtualiter saltem se obligare ad malitiose non impediendum conditionis eventum, secus enim potius Deo illusisse, quam vovisse argueretur. Quo non obstante huic liberum foret simpliciter rogare alterum, ne ponat conditionem v. g. si filius vovit ingressum Religionis sub conditione, si Pater consenserit, fas erit rogare Patrem, ne consentiat, & per consequens filius maneat liber ab hac obligatione. Ita cum Suarezio & aliis Sporer *cit. a n.* 142.

210. R. Jam ad alterum membrum ejusdem quæsiti. Votum pœnale obligat duntaxat post transgressionem culpabiliter factam; unde si transgressio fuit quidem posita, sed sine tua culpa, non teneris subire pœnam. Ita Doctores *proxime citt.* Ratio est: quia pœna non imponitur, nisi ob culpam: ergo si culpam non commisisti, non teneris subire pœ-

pœ-

pœnam. Quin immo cit. Felix Potestas, aliique plures existimant, eum qui culpabiliter quidem implet conditionem, absque eo tamen, quod recordetur pœnæ sibimet impositæ, non teneri ad hanc subeundam; eo quod oblivio naturalis æquiparetur ignorantiæ, quæ a pœna excusare solet: ast ego oppositum verosimilius existimo; quia talis supponitur simpliciter sese obligasse ad pœnam, casu quo conditionem culpabiliter poneret v. g. ad abstinendum altera die ab omni vino, casu quo pridie culpabiliter bibisset usque ad crapulam: ergo si culpabiliter bibat usque ad crapulam, tenetur subire pœnam, esto hujus non fuerit memor illo tempore, quo crapulam bibit. Ita Henno *ubi supra art.* 7. *concol.* 2. *Ref.* 4.

Quæres tertio, utrum vota personalia ita obligent personam, quæ voto sese obstrinxit, ut non valeant per alium adimpleri?

211. R. Vota personalia, immo & realia ac mixta in quantum personalia sunt, ita stringunt voventem, ut non possint adimpleri per alium. *Communis*. Ratio est: quia vota personalia qua talia fiunt de actione propria voventis: ergo per actionem alienam nec debent, nec possunt adimpleri. Hinc si vovisti subire jejunium, peregrinationem vel disciplinam corporalem &c. nec possis quacunque demum de causa per te ipsum præstare, pariter non teneris id præstare per alium a te substitutum.

212. Dixi tamen: *Vota personalia qua talia*; nam quatenus simul realia sunt, possunt præstari per alium substitutum; quia qua realia solum exigunt rem, non item personam vel actionem voventis; atqui res potest prestari per alium; pecunia quippe tua æque per alium, ac per te ipsum potest erogari seu distribui in pauperes: ergo si non possis per temetipsum, teneris hoc præstare per alium quendam tertium. Similiter si vovisti peregrinationem ad B. Virginem Oetinganam cum oblatione cerei, vel alterius anathematis, & hoc posterius nequeas per te ipsum offerre, teneris illud transmittere per alium (nisi vovendo contrarium expressisses) perinde enim est, sive per te ipsum id facias, sive per alium. Attamen si quocunque demum casu factus es impotens, ut de tuo vel tuis mediis non possis præstare hujusmodi votum reale qua tale, nequaquam teneris procurare, ut ab alio tuo nomine idipsum præstetur: neque teneris laborare (si id antea non consuevisti) ut hoc modo acquiras, unde voto satisfacias &c. non enim vovisti id præstare per alium vel per bona alterius, aut tua, sed primum aquirenda &c. sed per ea, quæ velut propria possedisti. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 15. *n.* 8. Laymann *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 9.

Quæres quarto, utrum, vel quando hæres teneatur præstare vota defuncti?

213. R. Hæres per se loquendo non tenetur ad vota personalia defuncti, bene vero ad realia & mixta, quatenus hæc onus reale involvunt; idque 2. non ex virtute Religionis, sed ex obligatione justitiæ. Ita *ex communi DD.* Tamburinus *lib.* 3. *in decalog. c.* 12. §. 4. *a n.* 2. Sporer *cit. c.* 2. *n.* 133. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 4. *n.* 67. & 68. Ratio prioris facile patet tum ex dictis; tum inde etiam, quia hæres succedit in bonis, actionibus ac juribus defuncti: ergo etiam debet succedere in oneribus hæreditatem concernentibus, ut *qui sentit commodum, sentiat & onus l.* 10. *ff. de R. J.* Et certe juxta *communem DD.* hæres tenetur solvere ea, quæ testator promisit hominibus: quidni ergo teneatur solvere, quæ idem promisit Deo?

214. Ratio autem posterioris (quod scilicet ad hæc non teneatur ex virtute Religionis, sed justitiæ) est hæc: quia nemo ex virtute Religionis contrahit obligationem voti, nisi habuerit aliquando animum vovendi, seu aliquid Deo promittendi: atqui hæres nihil promisit Deo (uti supponitur) sed solus testator modo defunctus: ergo hæres non tenetur ex virtute Religionis portare hujusmodi onera, sev ex virtute justitiæ & æquitatis naturalis: *Res quippe transit cum suo onere c.* 5. *de pignor.* Atque hinc sequitur, quod, si hæres nolit adire hæreditatem, etiam non teneatur ad portanda ejusmodi onera. Sequitur insuper, quod si hujusmodi onera voto pro-

missa

missa excederent facultates hæreditatis, hæres deductis prius aliis debitis & expensis funeralibus, teneatur illa solvere pro rata tantum. Videantur Sanchez *cit. c. 15. n.* 36. Laymann *n.* 13. Tamburinus *n.* 3. Henno ubi supra *art. 6. conclus.* 2. *Resolut.* 4. *& seq.*

Quæres quinto, quomodo obligent vota facta sine determinatione temporis? & quomodo vota facta sine determinatione quantitatis vel qualitatis?

215. R. ad primum membrum hujus quæsiti. Votum sine determinatione temporis factum obligat tempore proxime commodo seu oportuno. Ita post D. Thomam 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ad* 3. *& q. ult. art.* 3. *omnes Theologi*. Ratio est: quia omnis promissio absoluta sine restrictione vel limitatione facta illico parit obligationem; unde *l.* 14. *ff. de R. J. dicitur: in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*. Rursus *Deuteron.* 23. habetur: *cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi illud in peccatum*. Quocirca tamen communiter notant Doctores, ob dilationem temporis, etiam sine causa factam, neminem de facili condemnandum esse peccati mortalis, nisi ob dilationem nimiam quis se exponeret periculo omnimodæ oblivionis vel impotentiæ satisfaciendi voto; ut si juvenis differret ingressum Religionis usque ad illud tempus, quo omnem spem susceptionis sibi præscinderet; vel, nisi ob hujusmodi culpabilem dilationem honor Dei notabiliter periclitaretur, prout contingere posset in dilatione votorum perpetuum Dei obsequium concernentium. Videantur de hoc Sanchez *l.* 4. *c.* 14. *n.* 22. Laymann *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 5. Sporer *c.* 2. *n.* 117. vel R.D. Augustin. Michel *tom.* 2. *part.* 2. *sect.* 3. *pu.* 6. *n.* 12.

216. R. jam ad secundum membrum ejusdem quæsiti. Votum factum sine determinatione, quantitatis, numeri, vel qualitatis &c. obligat quidem, sed ita, ut huic satisfieri possit offerendo in qualibet quantitate vel qualitate, nisi consuetudo vel circumstantiæ personæ aliud exigant. Ita *communis Theologorum* apud Tamburinum *in decalog. lib.* 3. *cap.* 15. *§.* 7. *num.* 2.

Ratio est: quia interpretatio voti ita fieri debet, ut potius restringatur, quam extendatur. Insuper accedit, quod habens votum v. g. eleemosynæ dandæ, revera dici possit dedisse, in quacunque demum quantitate vel qualitate distribuat. Subinde tamen circumstantiæ personæ vel finis &c. aliud dictant; etenim si persona magnæ dignitatis aut magnarum opum supponatur se voto adstrinxisse ad dandam eleemosynam, rationabiliter præsumi non potest, quod intenderit dare in quantitate minima. Similiter qui vovit Ecclesiæ dare calicem vel luminaria &c. pro Sacrificio Missæ, præsumi non debet vovisse calicem de stanno vel plumbo, candelasve de sebo &c. sed tales, quæ ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium solent adhiberi, puta candelas de cera, & calicem argenteum juxta morem ac consuetudinem Ecclesiæ.

Quæres sexto, quid sit interpretatio voti, & quid circa huus interpretationem sit observandum?

217. R. Voti interpretatio idem est, ac clarior ejusdem expositio, quando scilicet vel verba sunt ambigua, vel non satis determinata, prout frequenter fieri assolet; vel quando de mente & intentione voventis non satis constat. Neque vero dubitandum, quin hæc obligatio vel maxime dependeat a mente seu voluntate voventis, quemadmodum obligatio legis a mente legislatoris: quia tamen sæpissime de similibus dubitari solet, & homines præsertim rudiores seipsos juvare non possunt ad formandum prudens dictamen conscientiæ in similibus dubiis; hinc a Confessariis, aliisve doctioribus dirigi debent & instrui; quod, ut bene fiat, juvabit observare sequentes Regulas.

218. I. Votum interpretandum est vel maxime secundum expressam, vel rationabiliter præsumptam voluntatem voventis. Ratio patet ex hactenus dictis: quia obligatio voti non introducitur, nisi per voluntatem voventis: ergo vovens in tantum obligatur, in quantum voluit, aut certe rationabiliter præsumi potest se voluisse obligare.

II.

II. Ubi de mente seu intentione voventis non satis constat, præsumi debet, voluisse se obligare secundum communem & usitatam acceptionem verborum, quibus fuit usus, & illud exequi secundum exigentiam naturæ aut communem hominum, Ecclesiæve consuetudinem; qui enim nihil excipit, censetur se communi usui ac consuetudini accomodare.

III. Obligatio voti quantum usitata & propria verborum significatio patitur, semper magis restringenda est, quam extendenda. Ratio est: quia quivis potius relinquendus est in possessione suæ libertatis, quam privandus; & aliunde constat, odia vel odiosa (uti est omnis nova obligatio) esse restringenda potius, quam extendenda. Videantur de his Sanchez *lib. 4. in decalog. c. 11. a nu. 29.* vel Illsung *tr. 5. disp. 1. n. 107.*

IV. Ubi verba, quibus vovens usus fuit, ex se non significant votum, promissionem vel pactum, præsumi non debet pro voto; bene vero quando constat, quod verba de se significent votum, promissionem aut pactum, licet suo modo dubitetur, an vovens intenderit sese obligare; *nemo enim censetur dicere id, quod non habet in mente l. labeo ff. de supellect. legat.* Videantur Gobat *tr. 11. nu. 384.* vel de la Croix *lib. 3. part. 1. n. 381.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de obligatione & interpretatione votorum.

CASUS PRIMUS.

Titius homo infimæ conditionis, per gratiam Dei tamen evectus ad satis amplam fortunam, ut pro tam insigni beneficio Deo ceu Auctori ac dispensatori liberalissimo omnium bonorum se gratum monstraret, vovit quotidie de dapibus suæ mensæ reficere certum quendam pauperem studiosum; id quod etiam sex, vel septem omnino annis fidelissime præstitit: post hæc (uti familiare est mortalibus) nonnihil sensim refrigescente per septimanam victum bis aut ter, tandem pauperum oblitus prorsus nihil de mensa sua dare solebat pauperi studioso. Verum enim vero, quia ab eo tempore in varias calamitates incidit, hinc suspicari cœpit, se fortassis per memoratam duritiem erga pauperes divinam Nemesim contra se provocasse: petit proin scire a Confessario imo, an vi præfati voti non teneatur deinceps quotidie de sua mensa pauperem studiosum alere? 2. An Confessarius credat, se graviter deliquisse ex eo, quod jam ab aliquot annis vel nihil, vel certe non singulis diebus de sua mensa aliquid dederit pauperi studioso? Quid ad hæc Confessarius?

219. R. Ad prius quæsitum, explorandam esse a Confessario mentem hujus pœnitentis, & inquirendum, an hoc votum fecerit intuitu alicujus hominis seu studiosi in particulari seu in individuo, idque ex particulari motivo v. g. quia hic homo erat sibi consanguineus, vel quia præ reliquis diligens, devotus, aut indigens fuit repertus? an vero præcise intenderit pauperem studiosum in communi, idque non alio fine, quam ut se gratum monstraret Deo? si primum, concludendum foret, præfatum votum non obligasse diutius, quam ille pauper studiosus in individuo determinatus indiguit; cessante enim causa finali principali, cessat obligatio voti, juxta dicenda inferius *nu. 239.* Si secundum, concludendum erit, quod Titius voluerit se obligare, & vi hujus obligetur in perpetuum, de sua mensa alere pauperem studiosum. Ratio hujus desumitur ex eo: quia hæc verba: *voveo quotidie de mea mensa alere pauperem studiosum &c.* de se significant quandam perpetuitatem seu illimitationem: si ergo aliunde non constet ex fine, aliisve circumstantiis, quod Titius voluerit hanc obligationem restringere ad certum tempus, personamve particularem &c. dicendum, quod teneatur ad alimentationem perpetuam, fere quemadmodum is, qui dixit: *voveo castitatem*, juxta communissimam Doctorum præsumitur voluisse se obligare ad servandam castitatem perpetuam.

Accedit insuper, quod finis principalis hujus voti videatur fuisse gratitudo debita pro obtento beneficio perpetuo elevationis ad tam pinguem fortunam; quemadmodum ergo finis hic principalis semper manet, ita probabilius semper manet obligatio hujus voti.

220. R. Jam ad posterius quæsitum ejusdem Casus, hujus opinionem non petendam esse ex opinione Confessarii, sed partim ex intentione Titii voventis; partim etiam, & vel maxime quidem ex judicio practico ipsius. Vel enim negando pauperi studioso alimenta existimavit se graviter peccare, vel non? si primum; dicendus erit graviter peccasse, sin minus ex conscientia recta, saltem ex erronea, secundum dicta *in Theolog. decalog. par.* 1. *Confer.* 5. *n.* 137.

Si vero supponatur secundum, concludendum erit, Titium non peccasse graviter peccato saltem formali. Dico: *formali*: nam quod duntaxat vel altera vice negando alimenta ne quidem materialiter grave peccatum commiserit, mihi prope certum videtur; tum quia victus unius diei pauperi dari solitus non est materia vere gravis; tum etiam quia in promissionibus liberalibus (uti est hæc ex voto orta) paulo major quantitas requiritur ad peccandum mortaliter, quam in promissionibus onerosis, prout sapienter advertit Lessius *lib.* 2. *c.* 18. *dubit.* 8. *a n.* 56. Filliucius *tr.* 33. *num.* 29. R. D. Michel *Theolog. Canon. moral. tom.* 2. *part.* 2. *sect.* 3. *punct.* 5. *num.* 39.

Sed quid, ais, si Titius fateatur, se apprehendisse quidem, quod male agat, tunc præsertim, dum simpliciter omnem victum negavit pauperi studioso, non tamen magnopere deliberasse, an mortaliter an venialiter tantum peccet, modo tamen petat claram resolutionem hujus dubii?

221. R. Ad hanc propositionem Titio rotunde dicendum 1. quod per se loquendo peccaverit mortaliter negando simpliciter omnem victum. Ratio est: quia obligatio alendi pauperem quotidie de se gravis est, prout procul dubio quivis fateretur, casu quo aliena potestate hoc onus eidem imponeretur: ergo Titius absolute negando omnem sustentationem contra suum votum, peccavit mortaliter. Idque certo credendum est de Titio, si is advertatur esse homo laxæ conscientiæ vel nullius omnino; potest enim prudenter supponi, quod stante etiam tali dubio alimenta negaverit velut incurius salutis, & parum sollicitus, sive dein graviter, sive etiam leviter duntaxat peccaret, prout diximus *part.* 1. *theol. decalog. confer.* 5. *num.* 140.

Dicendum insuper erit Titio secundo, eum deinceps probabilius mortaliter peccaturum, negando pauperi studioso (ad cujus alimentationem supponitur vovendo sese obligasse) victum per plures dies v. g. octo aut decem &c. quia vota realia, id est de re aliqua præstanda, quando non sunt specialiter alligata tempori, ita ut singulis diebus exspiret obligatio, solent coalescere in materiam gravem fere sicut furta minuta: atqui votum de danda eleemosyna reputatur tale: ergo cum subtractio victus per octo vel decem dies in morali hominum existimatione (ni fallor) reputetur aliquid grave, & hoc votum a Titio non fuerit factum intuitu temporis aut diei, sed potius intuitu gratitudinis debitæ Deo demonstrandæ, dicendum, quod tandem coalescat in materiam gravem. Videatur Diana *part.* 5. *tr.* 5. *Resol.* 52. Sporer *cap.* 2. *sect.* 3. *n.* 105. vel Kreßlinger *addit.* 2. *ad tr.* 6. *dist.* 3. *post. n.* 14. *Theolog. mor. R. P. Reiffenstuel.*

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius cujusdam Monasterii Prælatus cum animadvertisset incendium inopinato ortum humanis viribus extingui non amplius, ad Cœlituum opem recurrendum sapienter conclusit, præcipue vero ad præpotens patrocinium S. Martyris Floriani, qui voto sese obstrinxit, quod si in tam præsenti periculo flammas jam in immensum quasi excrescentes arceret, deinceps quotannis una cum toto suo Venerabili Conventu in vigilia Ejusdem Sancti vellet jejunare more Ecclesiæ consueto. Et ecce! voto vix dum nuncupato flamma vorax sedata fuit miraculo tam evidenti, ut quotquot præsentes fuerant, non humanis viribus sed soli Omnipotentiæ Dei id adscribendum existimarint. Hoc tamen non obstante, unus alterve Monachus conqueritur contra votum a Præsule ipsis prorsus insciis emissum, nec facile eo adduci potest, ut in dicta vigilia jejunet. Quæritur ergo, an revera vi voti a Præsule nuncupati teneantur jejunare, ita ut secus faciendo, vel carnes comedendo peccent coram Deo?

221. R.

221. R. Dicti Monachi non tenentur ad jejunium vi voti ab ipsorum Præsule nuncupati : 2. possunt nihilominus contraveniendo graviter peccare contra obedientiam Prælato debitam.

Ratio prioris est : quia obligatio jejunandi est obligatio personalis, & hoc ipso nequit aliunde oriri, nisi ex consensu propriæ voluntatis : ergo si dicti Monachi nunquam consenserunt in jejunium, ad hoc vi voti non erunt obligati. Hanc ob causam filii non tenentur ingredi Religionem, esto a Parentibus olim fuerint ad hanc devoti, prout de S. Bonaventura, Samuele, & aliis nonnullis legitur. Secus dicendum foret, casu quo filius aut filia post pubertatem adeptam ratificasset hujusmodi votum : quia ex hac suppositione non jam aliena, sed propria voluntate obligarentur ad executionem voti. Ratio autem posterioris partis est : quia Præsul gratitudinis debitæ causa ob tam insigne beneficium præpotenti intercessione Sancti Martyris Floriani obtentum, potuit procul dubio suis Religiosis (in quos idem beneficium magnopere redundavit) præcipere, ut in honorem dicti Sancti jejunarent, & quidem sub gravi culpa quandoquidem materia præcepta, scilicet jejunium, communiter reputatur quid grave & capax gravis obligationis : quamquam de facili non sit præsumendum de aliquo Prælato, quod subditos suos, utpote aliunde præceptis & statutis particularibus satis constrictos, ad hujusmodi devotionem particularem voluerit obligare sub reatu pœnæ æternæ, nisi id specialiter expresserit.

Sed quid (ais) si supponamus non solum Prælatum, sed & integrum Conventum consensisse in tale votum, tenebunturne Religiosi successores hoc jejunium semper observare ex voto?

223. R. Negative, ob eandem rationem : quia scilicet successores nunquam consenserunt in tale votum. Athinc *cum communi Doctorum* Laymann *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 6. sapienter infert, quod si Communitas alicujus pagi votum ediderit v. g. de instituenda quotannis peregrinatione, posteri eorum non obligentur ex vi voti ; bene tamen interdum ratione pacti, vel statuti, aut longæ consuetudinis obligari valeant; modo approbatio expressa vel tacita saltem Episcopi accesserit : & sicut Episcopus talem constitutionem vel consuetudinem suorum posset abrogare, ita & Prælatus respectu suorum subditorum; quia cum par in parem non habeat potestatem *c. innotuit de elect.* plane cogimur fateri, quod antecessores quantum ad similia ex mero arbitrio dependentia non potuerint successoribus suis ligare manus. Videantur de hoc Sanchez *lib.* 4. *moral. c.* 15. *n.* 19. Castropalao *tr.*15. *punct.* 15. *n.* 3. Sporer *tr.* 3. *in decalog. c.* 2. *n.* 124.

Dices adhuc. Quidsi autem Superiorissa aliqua Monialium præter tria vota substantialia insuper emittat votum perpetuæ clausuræ, velitque sibi subjectas pariter adstringere ad idem votum seu ad clausuram perpetuam, tenebunturne suæ Superiorissæ in hoc deferre?

224. R. Quod non, si Moniales supponantur se nunquam ad talem clausuram obligasse, aut certe in tali monasterio clausura nunquam fuit introducta. Nihilominus 2. posset sub præcepto formalis obedientiæ vel sub certa pœna illas obligare ad observandam clausuram, in quantum hæc prudenter judicatur necessaria ad conservandam disciplinam regularem ac domesticam.

Ratio prioris est : quia votum perpetuæ clausuræ est res valde ardua, & tale præceptum, vi cujus obligatio perpetua introduceretur potius haberet se per modum legis, quam præcepti, prout in superiori *tr. de actib. hum. confer.* 10. *n.* 283. animadvertimus : atqui Superiorissis Monialium non competit potestas legislativa spiritualis, prout diximus *loco prox. cit.* ergo &c. Ratio autem posterioris est : quia etiam Superiorissis Monialium tribuenda est potestas præcipiendi ea, quæ sunt necessaria ad conservandam disciplinam regularem & domesticam : ergo si observantia clausuræ prudenter judicetur necessaria in hunc finem, poterit subditas suas eo adstringere sub gravi præcepto. Videatur Felix Potestas *tom.* 1. *Exam. Confess. part.* 1. *c.* 2. *n.* 202. & 207.

At, inquies, Concilium Tridentinum videtur contrarium resolutioni proxime datæ,

datæ, dum *ſſ.* 25. *de Regular. & Mon. c.* 5. ait: *Bonifacii VIII. constitutionem, quæ incipit* periculoſo *renovans Sancta Synodus omnibus Episcopis ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis ordinaria: in aliis vero Apoſtolicæ Sedis auctoritate clauſuram Monialium, ubi violata fuerit diligenter reſtitui-procurent: ergo Moniales tenentur acceptare clauſuram perpetuam per Superiorissam introducendam, ſaltem ſi hæc ſupponatur jam ſemel fuiſſe introducta in tali Monaſterio.*

225. R. neg. conſeq. Concilium enim Tridentinum allegatum non præcipit Superioriſſis Monialium utpote deſtitutis poteſtate legislativa, ut reſtituant clauſuram, vel ſubditas ad hanc ſub voto obligent; ſed hoc munus committit duntaxat Epiſcopis velut Prælatis Eccleſiæ juriſdictione Eccleſiaſtica præditis. Hinc minime conſulendum eſſet hujuſmodi Superioriſſæ, ut propria auctoritate cogat Moniales ſuæ curæ creditas ad quartum votum perpetuæ clauſuræ. Videatur de hoc puncto noſter R. P. Gaudentius Kerkove *in ſtatut. gen. c.* 5. *§.* 8. *n.* 11. ubi ex *cit. cap. periculoſo* bene probat, hoc munus introducendi vel reſtaurandi clauſuram in Monaſteriis Monialium exemptarum competere earundem Prælatis exemptis.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus vir magnarum opum amore ac deſiderio prolis (qua multis annis in matrimonio caruerat) promiſit Deo extruere quoddam Sacellum, Miſſamque perpetuam in eodem fundare, caſu quo Succeſſore maſculo a Cœlo bearetur, fuitque vir bonus a Deo exauditus in tantum, ut ſucceſſu temporis dubitarit, an non rurſus deberet Deo quidquam promittere, ne prolibus nimium gravaretur. Denique Sacello nondum penitus extructo obiit diem ſuum relictis circiter* 20. *millibus: poſt obitum hæredes (quorum ſeptenarius erat numerus) reſerato teſtamento reperiunt præter obligationem plenarie complendi Sacellum, Beneficiatumque fundandi, adhuc alia diverſa legata pia eidem inſerta, e quorum executione legitima ipſorum notabiliter pateretur: ſciſcitantur proin ex Confeſſario, an* 1. *& quantum, item* 2. *quo ordine teneantur exequi votum aliaque pia legata in teſtamento reperta? Quid ad hæc Confeſſarius?*

226. R. ad primum quæſitum Hæredes Caji tenentur quidem exequi votum & pia legata a Parente relicta, non tamen ultra quam poſſunt abſque præjudicio legitimæ. Ita *communiſſime Doctores* Lopez, Covarruvias, Sanchez *lib.* 6. *de matr. diſp.* 36. Caſtropalao *tr.* 19. *diſp.* 1. *pu.* 16. *num.* 2. & 5. Henno *in decalog. diſp.* 2. *q.* 3. *art.* 6. *concluſ.* 2. *Reſolut.* 5. Ubi breviter pro intellectu hujus reſolutionis notandum legitimam partem deſcendentium eſſe *trientem*, id eſt, tertiam partem hæreditatis, ubi non ſunt plures, quam quatuor liberi: ubi vero ſunt plures, tunc erit *ſemis*, id eſt, media pars hæreditatis. Ratio hujus reſolutionis patet tum *ex cap. ex parte de cenſibus* & *cap. Ad hoc de ſolutionibus*, ubi filius cogitur ad ſolvenda vota Parentum; tum etiam ex *l.* 32. *Cod. de inoffic. teſtam.* ubi declaratur, omnia gravamina bonis a teſtatore appoſita in præjudicium legitimæ, ſive fiant per vota, ſive per legata pia, nullius eſſe roboris. Ex quo fit, ut hæredes Caii utpote plures quam quatuor teneantur quidem ſolvere debita, votumque & alia pia legata a Parente relicta, expendendo in hæc medietatem hæreditatis relictæ, non tamen ultra, ob jura proxime allegata.

Dices fortaſſis. Cajus in vivis exiſtens potuiſſet procul dubio in eleemoſynas & pias cauſas de ſua poſſeſſione diſtribuere etiam cum gravamine & præjudicio legitimæ filiis debitæ: ergo etiam potuit hæredes ſuos gravare, ut poſt mortem ſolverent vota aliaque pia legata cum præjudicio legitimæ ipſis debitæ.

227. R. neg. conſeq. & paritatem. Quamdiu enim Cajus in vivis exſtitit, fuit actualis Dominus ac poſſeſſor bonorum ſuorum, conſequenter potuit abuſive de ſuis bonis diſponere cum aliquali præjudicio ſuorum ſucceſſorum: at vero poſt mortem ceſſat ejuſdem dominium, ſimulque jura voluerunt, ut hæredes non gravarentur quantum ad legitimam, immo quidquid in hujus præjudicium diſpoſitum fuiſſet, caſſarunt teſte Caſtropalao proxime allegato

gato *n.* 5. ergo non tenentur ultra medietatem hæreditatis sibi relictæ expendere in pia legata & vota &c.

228. R. jam ad alterum quæsitum hujus casus. Debita a Cajo relicta solvi debent ab hæredibus ordine, qui sequitur. Primo. Ante omnia solvendæ sunt expensæ funeris: deinde merces servitiorum: tum æs alienum, deinde legitima & postea primum vota ac pia legata &c. Et ratio hujus est 1. quia vota sicut & legata solvi debent ex bonis defuncti: atqui bona cujuscunque censentur illa, quæ supersunt deducto ære alieno *l. Mulier. juncta Glossa. Verb. alieno ff. de jure dotium*.

2. Solutio votorum præferri debet omnibus legatis utut piis; quia obligatio votorum jam prius fuerat contracta. 3. Quando soluto ære alieno hæreditas non sufficit omnibus votis solvendis, tunc non est solvendum unum, & alterum prorsus omittendum, sed per se loquendo singulis votis debet satisfieri pro rata; cum enim omnia æqualiter obligent ex virtute Religionis, non est, cur unum deberet alteri præferri. Judico tamen in nostro casu particulari, quod si hæreditas relicta non sufficeret pro extruendo Sacello, simul & fundando Beneficiato, deberet saltem Sacellum extrui, dissimulata fundatione Beneficiati; secus enim intentioni testatoris nullatenus satisfieret. Videantur de hoc Sanchez *lib.* 4. *c.* 15. *n.* 39. Laymann *ubi supra c.* 3. *n.* 13. vel Sporer *tr.* 3. *in decalog. c.* 2. *sect.* 3. *n.* 133.

Sed quid, inquies, si fiscus sæcularis ob aliquod crimen, v. g. perduellionis a Titio perpetratum diripuisset bona ipsius, tenereturne etiam fiscus ad persolvenda vota & alia debita a Cajo relicta?

229. R. Cum P. Gobat *tr.* 11. *n.* 47. & Sporer *cit. n.* 137. affirmative. Ratio est: quia fiscus, licet non sit proprie hæres Reorum læsæ Majestatis, habetur tamen loco hæredis, ita, ut teneatur ad omnia debita Rei, ut habetur decisum L. *Non possint ff. de jure fisci*, immo etiam tenetur ad præstanda omnia legata *l. dicitur eod. juncta Glossa*.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

230. COlliges ex hactenus dictis primo, omnes transgressiones votorum qua talium esse ejusdem speciei. Ratio est: quia omnes opponuntur eidem virtuti Religionis secundum eundem actum, promissionis scilicet Deo factæ, & non servatæ: ac proin contra votum æqualiter peccat, qui v. g. negligit dare eleemosynam promissam, & qui contra votum ludit vel bibit &c. Dixi tamen, transgressiones votorum qua talium &c. Nam si materia voti aliunde fuerit præcepta aut prohibita diversis formaliter præceptis &c. contraveniens procul dubio committit diversa specie peccata: sic Religiosus agendo contra obedientiam voto promissam aliud specie peccatum committit, quam agendo contra paupertatem vel castitatem, ut de se liquet. Henno *ubi supra disp.* 2. *art.* 4. *concl.* 1. *Resp. ad petes*.

231. Colliges secundo, votum de jejunando, de abstinendo a carnibus, de audiendo Sacro, vel percipienda Sacra communione &c. obligare sub reatu peccati mortalis &c. Ratio est: quia secundum dicta *n.* 207. unusquisque præsumitur (nisi contrarium expresserit) voluisse vovendo se obligare juxta capacitatem materiæ, ideoque ad materiam levem leviter, ad gravem graviter: atqui obligatio audiendi Missam, abstinendi a carnibus, jejunandi &c. in morali hominum existimatione censetur circa materiam gravem, propztereaque ab Ecclesia similia præcipiuntur, aut prohibentur respective sub peccato mortali: ergo &c.

Sed quid (inquies) tenendum de eo, qui voto non bibendi vinum obstrictus, in gratiam hospitis bibit unicum vitrum?

232. R. Si vitrum supponatur parvum seu tale, quale etiam a quovis sobrio unico haustu solet exhauriri, nemo facile eum condemnabit peccati mortalis. Certum insuper videtur, eum non peccaturum graviter, qui solum biberet tertiam vel quartam partem portionis

ordinariæ, seu communiter etiam sobriis dari seu apponi solitæ, quemadmodum non peccat graviter, fortassis nequidem leviter, qui in die jejunii in collatione vespertina comedit tertiam vel quartam partem cænæ ordinariæ; quia in morali hominum existimatione reputatur exigua res. Nec desunt, qui existimant non peccaturum mortaliter, qui contra suum votum biberet vinum infra illam mensuram seu quantitatem, quæ communiter ad prandium sufficit temperate utentibus, quamvis hæc opinio Patri Sporer videatur nimis laxa. Quocirca ad practice dignoscendam gravitatem hujus transgressionis judico, considerandam esse conditionem personæ, aliasque circumstantias, & præsertim finem, ob quem sibimet vinum interdixit; nam si supponatur hoc fecisse eo fine, ne deinceps amplius inebriaretur, crederem non peccaturum mortaliter sumendo vinum in ea quantitate, quæ de se non sufficeret ad hominem inebriandum: quemadmodum enim ex hac suppositione cessaret periculum inebriationis, ita suo modo cessaret finis voti: consequenter prudenter præsumi non potest, quod talis pœnitens voluerit sub gravi culpa, & reatu pœnæ æternæ se obligare ad abstinendum ab illa etiam quantitate vini, quæ de se non sufficeret ad hominem inebriandum. Videantur de hoc Gobat *in theolog. jurid. tract.* 5. *cap.* 4. *sect.* 2. *num.* 19. *& seqq.* Sporer *tract.* 3. *in decalog. cap.* 2. *sect.* 3. *num.* 86. Michel *ubi supra sect.* 3. *punct.* 5. *a num.* 37.

233. Colliges tertio, ad dignoscendam gravitatem vel levitatem transgressionis circa vota, quorum materia est divisibilis, vel maxime attendendum esse, sitne materia talis, cujus partes in morali hominum existimatione solent coalescere, vel non; itemque an plures obligationes soleant coalescere in unam gravem, vel ne? Etenim ubi partes materiæ vel obligationes non coalescunt, non peccatur graviter, esto plures minutiæ intermittantur: at vero ubi coalescunt, graviter delinquitur, quamprimum ex plurium neglectu ad materiam gravem pervenitur. Hinc si de Rosario ex voto debito quotidie intermittas aliquot Pater & Ave, esto hoc practice per integrum annum non peccabis mortaliter; eo quod hæc obligatio supponatur affixa diei, ideoque sicut cum obligatione alterius diei nullam habet connexionem, ita neglectus unius diei non coalescit cum neglectu alterius diei: e contra vero, si promisisti per integrum annum vel mensem alere pauperem, & hoc pluribus diebus intermittas, censebitur materia coalescere, & tu graviter peccare, sicut in casu, quo pluribus diebus Domino rationabiliter invito auferres materiam de se levem, puta quatuor vel quinque crucigeros &c.

Sed undenam (inquies) colligendum, an obligationes sint affixæ diei vel non, ideoque & transgressiones plures coalescant in unam gravem, vel non coalescant?

234. R. Cum R. D. Augustino Michel *Theolog. can. moral. tom.* 2. *part.* 1. *sect.* 3. *punct.* 6. *n.* 5. id colligi posse ex sequentibus tribus capitibus. Primo: si materia voti talis sit, qualem Ecclesia certo diei alligare solet, uti est jejunare, Sacro interesse, breviarium dicere &c. etiam votum, quippe quod ad instar legis se habet, censeri debet alligatum, ita, ut materia hujus non coalescat in unam gravem. Secundo. Si neglectus vel dilatio materiæ accresceret in cumulum nimis gravem & moraliter impossibilem, credendum est, voventem voluisse obligationem diei vel tempori alligare, & cum ipso tempore exspirare; hac ratione qui vovit ter per septimanam jejunare, & id non fecit in una, non tenetur in altera sex diebus jejunare, ob rationem proxime datam. Tertio. Si constet quempiam particulari ratione temporis motum seu impulsum ad vovendum utputa ratione indulgentiæ tali die lucrandæ, vel ratione particularis beneficii tali die obtenti; vel intuitu hujus aut illus Sancti &c. præsumendus voluisse obligationem affixam diei, ita, ut una cum altera nullam habeat connexionem, & ob id neglectus levis pluries commissus cum altero neglectu non coalescat. Videatur de hoc Azorius *institut. moral.* 1. *part. lib.* 11. *c.* 15. *q.* 11. Laymann *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 3.

235. Colliges quarto, illa vota, quorum termi-

terminus fuit affixus tempori non ad finiendam, sed ad solicitandam obligationem, adhuc esse persolvenda, esto terminus culpabiliter vel inculpabiliter etiam fuerit præterlapsus. Unde si vovisti proximo mense dotare puellam pauperem, idque non præstitisti, etiamnum præterlapso mense teneberis. Similiter, si vovisti tot dicere Rosaria, quot sunt dies hujus anni currentis, idque per plures dies non observasti, teneberis sequenti etiam anno supplere; secus enim ut de se clarum est, non diceres tot rosaria, quot sunt dies hujus anni. Et ratio est: quia in tali casu obligatio duplex tibi incumbit, una dicendi tot rosaria, quot sunt dies anni, altera tot dicendi hoc anno: esto proin hanc posteriorem obligationem neglexeris, teneberis nihilosecius satisfacere priori. Videatur Sporer *cit. tr.* 3. *c.* 2. *n.* 106. Michel *prox. cit. pu.* 6. *n.* 4.

236. Colliges tandem quinto, eum qui vovit v. g. proximo mense semel confiteri, aut semel devotionis causa peregrinari &c. nullo equidem die determinato obligari ad confitendum; cum non sit potior ratio pro uno, quam altero die; nihilosecius casu quo talis prævideret, se impeditum iri a confessione aut peregrinatione in fine mensis, teneretur prævenire, & alio die commodo ejusdem mensis voto satisfacere. Ratio est: quia obligatio hujus voti cadit in totam latitudinem mensis; unde quemadmodum prævidens, se die dominica post horam nonam non amplius posse Sacro interesse, tenetur hoc præstare citius v. g. hora sexta vel septima, non tamen die Sabbathi &c. ita pariter is, qui prævidet se impediendum a confessione circa finem mensis, tenetur non quidem alio mense, bene vero alio die ejusdem mensis præoccupare, & voto suo satisfacere *secundum omnes*, ait recte Sporer *cit. num.* 108.

CONFERENTIA NONA.

De votorum deobligatione præsertim per irritationem.

SUMMARIUM.

237. *Votorum obligatio quatuor modis potest auferri, scilicet* 1. *extinctione.* 2. *irritatione.* 3. *dispensatione, & 4. commutatione.*
238. *Quandonam obligatio voti cesset ob mutationem materiæ, circumstantiarum &c.*
239. *Et quando ob cessationem finis.*
240. *Quandonam exspiret ob defectum conditionis, vel ob lapsum temporis.*
241. *Irritatio voti idem est, ac annullatio ejusdem, facta ab habente potestatem dominativam.*
242. *Et hæc dupliciter fieri potest, scilicet directe & indirecte.*
243. *Quinam de jure habeantur impuberes, & quinam minorennes.*
244. *Parenti competit potestas directa irritandi vota liberorum impuberum, sicut & Prælato irritandi vota suorum Religiosorum.*
245. *Excipiuntur tamen ab hac regula vota substantialia Religionis, nec non votum ingrediendi Religionem strictiorem.*
246. *Maritus probabilius non potest, nisi indirecte irritare vota Uxoris, in quantum scilicet hæc præjudicant suo juri: idem tenendum de potestate Domini respectu servi.*
247. *Quinam nomine Parentis, & quinam nomine Prælati hoc loco intelligantur.*
248. *An vel quomodo peccent, irritando vota suorum subditorum sine causa.*
249. *Resolvitur Casus I. cujusdam Domicellæ, quæ voverat ingredi Monasterium Ordinis S. Benedicti.*
250. *Utrum Parens potuerit hoc votum irritare?*
251. *Quidsi dubitetur, an hoc votum ante,*

te, vel vero post pubertatem adeptam fuerit factum.
252. *Et quid si Domicella post pubertatem ratificasset idem suum votum.*
253. *Resolvitur Casus II. de quodam Religioso, qui ut sæcularis voverat diebus Sabbathinis perpetuo abstinere a vino.*
254. *An talis Religiosus possit tuta conscientia a suo Prælato petere irritationem voti post professionem ratificati.*
255. *Utrum Prælati nostri Ordinis valeant irritare votum eundi inter Saracenos &c. vel Jerosolymam &c. a subdito factum.*
256. *Resolvitur Casus III. cujusdam maritatæ, quæ voverat castitatem perpetuam in matrimonio servare. Unde*
257. *Maritus potuit hoc votum irritare, licet supponatur factum cum consensu ipsius permissivo.*
258. *Secus dicendum foret, si fuisset factum cum consensu approbativo ipsius.*
259. *Satisfit cuidam instantiæ contra hanc resolutionem factæ.*
260. *Irritari possunt non solum vota jamjam edita, sed etiam in posterum edenda.*
261. *S. Pontifex potest quidem directe irritare omnia vota Religiosorum, non tamen sæcularium, etiam Sacerdotum, nisi indirecte.*
262. *Vota Novitiorum a Prælatis similiter nonnisi indirecte possunt irritari.*
263. *Vota tamen ante pubertatem edita irritari possunt post pubertatem.*
264. *Idque etiamsi ad tempus pubertatis fuerint relata velut adimplenda, modo post pubertatem adeptam non fuerint ratificata.*
265. *Insuper vota ante tempus subjectionis v. g. ab uxore ante matrimonium nuncupata tempore subjectionis possunt quidem irritari, sed indirecte tantum, & non simpliciter.*
266. *Vota semel directe & absolute irritata non amplius reviviscunt.*
267. *Econtra vota indirecte duntaxat irritata successu temporis possunt reviviscere.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de extinctione & irritatione votorum.

237. QUæres primo, quot modis generatim auferatur obligatio votorum, ac juramentorum?

R. Quatuor modis hæc obligatio solet auferri. 1. Extinctione. 2. Irritatione. 3. Dispensatione, & 4. Commutatione. Ita *ex communi DD.* Sporer *in decalog. tr. 3. c. 3.* Dicitur autem votum extingui, quando ipsius obligatio quodammodo exspirat, & seipsa cessat absque interventu alterius auctoritatis seu potestatis, uti fieri solet, dum hæc obligatio tollitur per irritationem vel dispensationem &c. Ceterum obligatio votorum diversis de causis exspirare seu cessare solet (idipsum intelligas velim de extinctione juramentorum præsertim promissoriorum DEO factorum) utpute 1. per mutationem notabilem materiæ promissæ, aliarumve circumstantiarum. 2. per cessationem finis. 3. per defectum seu non positionem conditionis, sub qua promissio fuit facta. 4. denique per lapsum temporis. Verum majoris claritatis causa

Quæres jam secundo, quandonam extinguatur obligatio voti ob mutationem materiæ, alteriusve circumstantiæ?

238. Tunc exspirat ob mutationem materiæ, quando hæc vel physice vel moraliter evadit impossibilis, vel illicita, vel indifferens, vel etiam majoris boni impeditiva. Tunc vero ob mutationem circumstantiarum exspirat, quando supervenit tale impedimentum improvisum, quod, si ab initio exstitisset, voventem certo absterruisset a promissione. Ita *communissime DD.* Sanchez *lib. 4. c. 2. a n. 18.* Laymann *c. 8. a n. 3.* Reiffenstuel *Theolog. mor. tr. 6. dist. 3. n. 27.* Ratio est: quia cum votum debeat esse de re licita, honesta & moraliter possibili, quivis vovens merito præsumitur non voluisse se obligare ad casum, quo executio voti evaderet mora-

raliter impossibilis, vel tanta fieret mutatio materiæ aut circumstantiarum, quam si ab initio prævidisset, plane nunquam vovisset: hac ratione Doctores communiter tradunt, in quovis voto & juramento tacite subintelligi hanc conditionem: *Si res in eodem statu permanserit*: ergo superveniente hujusmodi notabili mutatione materiæ vel circumstantiarum exspirat obligatio voti; *Actus quippe non se extendit ultra intentionem agentis. l. Non omnis ff. si cert. petat.*

Quæres tertio, quandonam obligatio voti expiret ob cessationem finis?

239. R. Tunc expirat, quando cessat finis principalis; quemadmodum enim cessante fine principali cessat ratio agendi propter finem; ita profecto nemo prudentum censeri debet, voluisse se obligare ad agendum vel prosequendum finem, esto etiam prævideret, eundem obtentu moraliter impossibilem. Hinc si vovisti peregrinationem v. g. ad impetrandam reconvalescentiam boni amici tui, & is interea fuit mortuus, nemo te condemnare potest ad subeundam peregrinationem. Secus dicendum foret, si solum cessasset finis minus principalis seu secundarius: ut si vovisses dare eleemosynam primario in honorem Dei, secundario autem ad sublevationem hujus vel illius, quem existimasti indigentem; esto enim ex post facto intelligas hunc non indigere, teneberis nihilominus eleemosynam dare alteri indigenti; quia supponitur etiamnum subsistere finis principalis voti. Similiter si duos fines principaliter intendisti, teneberis stare voto, tametsi alteruter supponatur cessasse, prout satis clare innuitur *cap. magnæ devot. & vot. Redempt.* Videantur de hoc Sanchez *lib. 4. decalog. c. 2. n. 42.* Laymann *lib. 4. tr. 4. c. 8. n. 2.* R. D. Michel *Theolog. canon. mor. tom. 2. part. 2. sect. 3. pu. 5. n. 11.*

Quæres quarto, quandonam obligatio voti exspiret ob defectum conditionis, & quando ob lapsum temporis?

240. R. Tunc ob defectum conditionis naturaliter exspirat obligatio, quando conditio non fuit posita seu adimpleta: ex. gr. vovisti quotidie dicere Rosarium, si hoc vel illud beneficium obtineres: postea non obtinuisti, absolutus es a voto; quia noluisti aliter te obligare, nisi sub conditione beneficii obtinendi. Porro ob lapsum temporis tunc cessat obligatio voti, quando hæc ex intentione voventis fuit annexa certo diei vel tempori, idque ad finiendam, non vero ad sollicitandam, seu non ulterius differendam executionem voti; ut si puella honesta vovit servare castitatem usque dum se obtulerit commoda, seu favorabilis occasio nubendi: hac postea oblata, sine ulla prorsus dispensatione, & sine omni scrupulo poterit nubere; quia aliter nunquam se voluit obligare. *Omnes.*

Quæres quinto, quid sit irritatio voti, & quotuplex?

241. R. ad primam partem hujus quæsiti. Irritatio voti est cessatio seu omnimoda annihilatio ejusdem, facta ab habente potestatem dominativam. Ita *ex communi DD.* Henno *in decalog. disp. 2. q. 3. art. 9. §. 1. concl. 1.* Dicitur autem 1. *cessatio* seu *annihilatio*; quia vi irritationis obligatio voti non solum commutatur in aliam, nec solum suspenditur, sed penitus tollitur. Dicitur 2. facta ab habente *potestatem dominativam*, id est, dominium, sive dein immediate in ipsam personam voventem, sive etiam in materiam, circa quam votum fuit factum: & per hoc differt irritatio a dispensatione; quia dispensatio fit per potestatem jurisdictionis, irritatio vero per potestatem dominationis, uti jam dictum est: hac de causa Abbatissis communiter quidem conceditur potestas irritandi vota sibi subjectarum Monialium, non tamen potestas dispensandi in illis, veluti constabit ex dicendis.

242. R. jam ad alteram partem ejusdem quæsiti. Irritatio voti dupliciter fieri amat, scilicet vel directe, vel indirecte. Ita *ex communi DD.* August. Michel *ubi supra. punct. 9. sect. 1. n. 1.* Ratio est: quia votum vel ita irritatur, ut per potestatem dominativam quodammodo destruatur consensus seu voluntas voventis: ut si Prælatus irritet voluntatem subditi, qui promisit v. g. peregrinationem &c. & tunc dicitur fieri *irritatio directa* voti: vel ita irritatur, ut solum subtrahatur, vel prohi-

hibeatur materia, circa quam votum fuit emissum; ut si Parens filio minorenni subtrahat peculium castrense, ne possit dare eleemosynam voto promissam, & in hoc casu fiet *irritatio indirecta* voti: quocirca illud discrimen porro animadvertendum est, quod vi irritationis directæ obligatio voti totaliter & perpetuo quidem auferatur: per indirectam vero solum tollitur in quantum, & quamdiu executio voti quoad materiam vergeret in prajudicium ipsius irritantis, uti recte advertunt Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *n.* 86. & 87. Castropal. *tr.* 15. *disp.* 2. *pu.* 3. §. 4. *n.* 2.

Quæres sexto, quibusnam competat potestas irritandi vota?

243. Ante responsionem ad hoc quæsitum notandum est, utroque jure, tam civili scilicet, quam Ecclesiastico alios dici *puberes* alios *impuberes*, itemque e puberibus, alios *majorennes*, alios *minorennes*. Impuberes censentur masculi usque ad annum decimum quartum, fœmellæ autem usque ad annum duodecimum completum; post hanc vero ætatem reputantur puberes, seu etiam, apti ad propagandam speciem humanam. Minorennes vero appellantur ab anno decimoquarto usque ad vigesimumquintum completum: postea dicuntur Majorennes. Porro in casu quo impuberes destituuntur Parente, datur ipsis *Tutor* usque ad annum decimum quartum, principaliter quidem ex fine, ut *Tutor* personam *pupilli* seu etiam *clientis* sui (ita namque impuberes respectu Tutoris vocitari solent) custodiat, & in ejus educationem invigilet; secundario autem, ut ejusdem bona administret. Minorennibus autem ab anno decimoquarto usque ad annum vigesimumquintum datur Curator, principaliter ad bona pupilli seu minorennis administranda, secundario vero ad ipsius personam tuendam. Hoc notato

244. R. jam ad quæsitum. Parenti respectu filii vel etiam Tutori respectu pupilli impuberis competit potestas, & quidem directa irritandi vota quæcunque demum. Eadem potestas pariter competit Prælatis respectu suorum Religiosorum professorum. Omnes. Ratio prioris est, quia cum filii aut filiæ impuberes defectu sufficientis judicii & maturitatis sibimet non sint sufficientes, merito dictante etiam ipso jure naturæ jura disposuere, ut ab aliis, scilicet Parente, vel tutore regerentur, adeo, ut absolute disponere aut promittere possent, sed semper in quibusvis eorundem promissionibus vel pactis tacite saltem subintelligeretur hæc conditio: *si Pater, vel Tutor, vel quiscunque demum patriam potestatem ac curam in eos gerens consentiat, vel non contradicat*: ergo quamprimum talis contradicit aut se opponit, votum aut quæcunque alia promissio ab impubere facta corruit, & non amplius obligat. Ratio autem posterioris est: quia Religiosus vi professionis amittit proprium velle ac nolle, & ita subjicitur regimini sui Prælati, ut ex communi sensu & usu Ecclesiæ jurisque interpretatione omnibus votis vel promissionibus ab eo factis aut faciendis pariter censeatur intime annexa hæc conditio: *nisi Superior contradixerit &c.* ergo quamprimum Prælatus vel Superior Religiosi contradicit, necessum est, ut obligatio voti aut promissionis cesset ac extinguatur. Videatur de his Sanchez *in decalog. l.* 4. *c.* 33. *n.* 7. Suarez *lib.* 6. *de vot. c.* 6. *n.* 22. & *c.* 7. *n.* 7. Laymann *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 6.

245. Excipienda nihilominus a potestate Prælatorum veniunt 1. votum ingrediendi strictiorem Ordinem; quod per *cap. licet de Regular.* nullus Prælatus impedire vel irritare valet. 2. votum solennis Professionis, seu vota substantialia Religionis, quæ cum statum Regularem constituant, quem quivis Superior seu Prælatus Religiosus conservare pro viribus tenetur, merito per Concilium Tridentinum *ss.* 25. *c.* 4. *de Regularib.* a potestate irritativa Prælatorum Regularium eximuntur.

246. R. jam ad idem quæsitum secundo. Potestas indirecta irritandi vota competit 1. Marito respectu Uxoris, & vice versa. 2. Domino respectu famuli aut servi, & universaliter 3. omnibus illis, quibus per voti executionem nasceretur aliquod præjudicium, veluti fieri posset, si filius jam jam pubes aliquid voveret de bonis paternis, vel de peculio adventitio, in quo Patri com-

petit usus fructus, usque dum filius non est emancipatus, vel cliens in præjudicium Curatoris faceret hujusmodi votum reale &c. Et ita tenent Filliuc. *tr.* 26. *num.* 230. Suarez *lib.* 6. *c.* 3. *num.* 9. Lessius, Bonacina, Sanchez & *alii communiter*. Ratio est: quia vota in præjudicium alterius facta sine injuria, & hoc ipso sine offensa Dei nequeunt executioni mandari: tum etiam quia nemo potest se firmiter obligare ad præstandum id, quod non est in sua, sed in alterius potestate: ergo ubi ille alter contradicit, voti obligatio corruit. Atque hinc *Num.* 30. *cap.* dicitur, quod si mulier, quæ vel est in domo patris, atque in ætate adhuc puellari, vel maritum habuerit, quidpiam voverit, & sic se juramento adstrinxerit, Patre aut marito contradicente tam vota, quam juramenta sint irrita, & nequaquam obligent hujusmodi mulierem.

Sed quinam (inquies) hic veniunt nomine Parentis, & quinam nomine Prælati?

247. R. 1. Nomine Parentis non solum intelligitur genitor, sed & alii qui in defectum genitoris solent substitui, utputa Tutor, Curator, & in horum defectu Avus aliive ascendentes in linea recta. Rursus in defectu Patris, Tutoris, Avi, aliorumve ascendentium in sexu virili (quibus de jure alias patria potestas committi assolet) tandem venit etiam Mater filii, & hujus defectu avia. Alii etiam hanc potestatem extendunt ad Præfectos Orphanotrophiorum, itemque ad Ludimagistros aliosve Moderatores, uti videre licet apud Don Michel *cit. sect.* 1. *n.* 8. de his tamen duobus postremis cum aliis Doctoribus arbitror merito dubitari posse, nisi talis Ludimagister vel Moderator aliunde sibi commissam habeat patriam potestatem in clientem. Porro secundo. Sub nomine Prælati (teste Henno *in decalog. disp.* 2. *q.* 3. *art.* 9. §. 1. *concl.* 2. *Resol.* 4.) comprehenduntur Generales pro toto Ordine, Provincialis pro Provincia, Priores, Guardiani, Rectores pro suis respective Conventibus, itemque nedum Abbates, sed etiam Abbatissæ, Priorissæ, Matres spirituales &c. quia hi omnes supponuntur gaudere potestate dominativa in suos subditos sibi concreditos, consequenter possunt eorum vota irritare. Unde S. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *ad* 3. *nullum votum Religiosi*, inquit, *est firmum, nisi sit de consensu Prælati*.

Quæres adhuc octavo, an Parens, aliive Superiores mox recensiti possint vota suorum subjectorum irritare pro libitu & sine causa, an vero ad hoc necessaria sit causa rationabilis?

248. R. Equidem valide irritare possunt etiam sine causa & pro mero libitu, ast non licite, nisi justa & rationabilis causa subsit. Ita Heuno *cit. concl.* 3. Ratio prioris est: quia votum inferioris semper habet annexam tacitam conditionem, consensus scilicet Superioris, a cujus arbitrio quodammodo dependet: ergo quemadmodum Legislator etiam sine justa causa valide agit abrogando legem, ita & talis Superior irritando votum sui subditi. Ratio vero posterioris est: quia quilibet tenetur rationabiliter uti potestate sibi concredita, scilicet ad Dei gloriam & animarum salutem: at, hoc non facit, qui sine omni causa irritat votum sui subditi: ergo &c. Nihilominus sufficit causa quævis rationabilis ad evitandum in hoc casu omne peccatum etiam veniale. Major inter Doctores est controversia, an Superior irritando votum, ad quod prius dederat licentiam, peccet venialiter tantum, an vero omnino mortaliter? quocirca Lessius, Sanchez, Cajetanus, & alii putant probabilius talem Superiorem supposita gravitate materiæ, mortaliter peccare; quia accedente semel consensu Superioris votum fuit absolute confirmatum, & Deo jus quodammodo aquisitum; quo jure videtur non amplius posse privari sine gravi irreverentia: hoc tamen non obstante Suarez *lib.* 6. *c.* 4. *num.* 12. Castropalao *tr.* 15. *disp.* 2. *punct.* 4. §. 2. *num.* 9. Laymann *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *num.* 18 probabiliter tenent, talem Superiorem irritando votum non peccare nisi venialiter; quia dando licentiam vovendi non eo ipso censeri debet a se abdicasse jus revocandi, quemadmodum propterea a se minime abdicavit auctoritatem Superioris, vel potestatem dominativam: ergo cum revocando utatur jure suo, non peccat contra justitiam;

neque

neque etiam violat votum, quippe quod ab initio sub ea conditione conceptum fuit, ut obligaret tamdiu, quamdiu Superior non contradixerit.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici concernentes irritationem votorum.

CASUS PRIMUS.

T*Itia prænobilis Domicella vovit ingredi certum quoddam Monasterium Sancti Benedicti, repulsam vero ob nimium Candidatarum confluxum a Monialibus illis passa, animum convertit ad aliud quoddam Monasterium Sanctæ Claræ; quod, ubi Parentes intellexerunt, vel maxime sese opposuere; partim quod Titia fuerit unica filia, consequenter hujus dos satis ampla post professionem ad manus (uti vocant) mortuas devolveretur; partim insuper, quia exstimarunt, hanc filiam post repulsam ab uno Monasterio latam non amplius posse ingredi aliud sine infamiæ & dedecoris nota. Parens igitur ratus utendum sibi esse patria potestate, tentavit irritare votum filiæ, quæ humana ope destitutam se cernens instantissime non sine multis lachrymis Deum precata fuit, ut, qui dedit vovendi voluntatem, daret & exequendi facultatem, aut certe alio quolibet modo meliori de salute sua disponeret: & ecce! elapso postea exiguo temporis spatio Titia nedum gravissime infirmata, sed & ad extrema devoluta fuit; quod ubi animadvertit, valete ajebat Parentes charissimi, valete, en! quam Deo subtrahere, mundoque consecrare contendistis filiam, jam Christus ad thalamum invitat sponsam, moxque placidissime in Domino obdormivit. Jam ad nostrum propositum duo in hac specie facti decidenda veniunt. 1. Utrum Titia post repulsam a primo monasterio latam vi voti etiamnum obligata manserit ad supplicandum in alio? 2. An ob motiva allegata Parens licite, vel saltem valide potuerit irritare votum Titiæ?*

249. R. ad prius quæsitum, examinandam esse intentionem Titiæ, an simpliciter & absolute voverit statum Religionis, idque propterea, ut se Christo totam consecraret? an vero principaliter intenderit hunc Ordinem S. Benedicti & non alium, vel hoc monasterium, prout subinde ex particularibus rationibus fieri amat? Si prius: tenetur etiamnum supplicare in alio monasterio saltem ejusdem Provinciæ, modo appareat spes probabilis susceptionis, & moraliter id fieri possit; quisquis enim tenetur ad finem, pariter tenetur ad quærenda, & moraliter adhibenda media, saltem ordinaria, quale est supplicare pro susceptionis gratia in Ordine ad ingressum Religionis. At vero si supponatur hoc posterius, non amplius fuit obligata ad sollicitandum in alio monasterio, præsertim diversi Ordinis: quia non supponitur vovendo sese obligasse ad quodvis aliud monasterium, vel aliam Religionem, sed ad certum duntaxat Monasterium &c. ergo ad aliud neutiquam obligari potest vel debet, eo præsertim, quod in diversis monasteriis & Ordinibus diversæ reperiantur difficultates, quæ hominem etiam prudentem merito absterrere possunt ab ingressu. Videatur Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 5. *numer.* 43. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 16. *numer.* 70. Laymann *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 6. *num.* 2.

250. R. jam ad posterius quæsitum. Si Titia votum Religionis fecit post annum duodecimum completum (prout puellæ regulariter non ante, sed post dictam ætatem primum hujusmodi vota nuncupare solent, dicendum, quod Parens illius nec licite neque valide potuerit votum irritare, bene vero si Titia ante adeptam pubertatem illud votum fecisset. Ratio hujus resolutionis de facili colligi potest ex dictis: esto enim Parenti competat potestas irritandi vota liberorum impuberum, non tamen puberum vota irritare valet.

Accedit insuper, quod in eligendo vitæ statu quisque de jure naturæ sit liber in tantum, ut absque injuria ne quidem a Parentibus impediri possit, nisi suppetat alia justa & gravis causa, prout cum P. Busenbaum, & Reiffenstuel *ex communi DD.* tradidimus *tr.* 1. *de actib. hum. confer.* 5. *num.* 126. atqui motiva a Parentibus Titiæ allegata non sunt adeo magni momenti, ut cœlest voca-

vocationi præponderent, prout quivis prudentum (ni fallor) facile deprehendet: ergo &c.

Sed quid (inquies) si rationabiliter dubitetur, an Titia suum votum post pubertatem adeptam primum, an vero antecedenter illud nuncuparit?

251. R. Stante tali dubio rationabiliter concepto potest Parens illud irritare. Ita Suarez *lib. 4. de vot. c. 6. n. 1.* Diana 4. *part. tr. 3. resolut.* 37. Michel *Theolog. canon. mor. tom. 2. part. 2. pu. 9. sect. 1. num.* 30. Ratio est: quia certum est, quod Parens habuerit potestatem irritandi votum filiæ impuberis: ergo quamdiu non constat, votum fuisse post pubertatem primum emissum, manet Parens in possessione patriæ potestatis: idipsum resolvendum est in dubio, an filia ante vel post pubertatem adeptam suum votum ratificaverit? Et licet votum, quippe quod supponitur certo fuisse factum, maneat quodammodo in possessione obligationis respectu voventis, non manet tamen in possessione respectu Parentis vel patriæ potestatis, prout bene notat D. Michel *l. cit. n.* 31. Secus dicendum foret, casu quo certo constaret, quod talis filia vel filius post pubertatem adeptam ratificaverit suum votum. Quocirca ulterius

252. Notandum hic venit, ad veram ratificationem tria necessario debere concurrere, scilicet 1. ut ratificans sciverit, votum in impubertate factum nullius, aut certæ exiguæ fuisse firmitatis. Secundo ut ratificando de novo jam intendat se firmiter obligare, perinde ac si prius nunquam se obligasset. Tertio, ut cum mox dicta dispositione animi verbo, vel saltem mente votum illud repetat: ubi hæc tria non concurrunt simul, votum non vere ratificatur, esto etiam sæpius a vovente repetatur; quia talis repetitio non est, nisi prioris vinculi approbatio: prius autem vinculum fuit infirmum & irritabile a Parente: ergo manebit semper tale, nisi conditiones mox relatæ ad ratificationem concurrerint. Ita Tamburinus *lib. 3. decalog. c. 16. §. 3. n. 58. & 59.* Sporer *tr. 3. c. 3. n. 22.* Felix Potestas *Exam. Confess. tom. 1. part. 2. c. 3. n.* 1984.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius adhuc sæcularis vovit perpetuo diebus Sabbathinis a vino omnino abstinere, idque in honorem B. Virginis: postea Religiosus jamjam professus idem votum suum ratificavit: denique hujus abstinentiæ pertæsus; rogavit suum Præsulem, vellet irritato & cassato voto liberam sibi facultatem tribuere, deinceps etiam diebus Sabbathinis vinum more aliorum bibendi: Cui Præsul charissime ajebat: voti hujus executio nemini prorsus nociva est, quin potius ad animæ salutem, proximi ædificationem, & B. Virginis honorem proficua: absit ergo procul a me, ut ego sine causa jus quæsitum Deo auferam. Quæritur jam ad nostrum propositum primo, an Sempronius vi voti fuerit obligatus ad abstinentiam a vino? 2. an non deliquerit ex eo, quod intenderit Superiorem suum inducere ad irritationem seu cassationem hujus voti?

253. R. ad primum, Sempronium fuisse obligatum ad abstinendum a vino diebus Sabbathinis, non quidem vi voti olim in sæculo facti, quippe quod, sicut & reliqua antecedenter edita vi Professionis solennis fuit quodammodo cassatum, vel potius mutatum in ipsum votum Religionis, ut habetur *cap. Scriptura de voto & vot. Redempt.* sed vi ratificationis post Professionem factæ, modo ad talem ratificationem concurrerint conditiones proxime *numer.* 252. recensitæ. Ratio est clara: quia Sempronius etiam qua Religiosus Professus potuit valide ac licite sese obligare ad hanc abstinentiam, utpote non contrariam Regulæ, neque aliunde prohibitam, quin potius conducere natam ad animæ salutem & aliorum ædificationem, & ut supponitur, voluit se ad illam perpetuo obligare: ergo tenetur ad hanc. Hinc Doctores communissime asserunt, omnia vota privata Religiosorum, quæ neque Regulæ, neque disciplinæ monasticæ, neque Superiorum præcepto adversantur, esse ipso facto valida & licita. Videatur de hoc Laymann *l. 4. tr. 4. c. 7. n.* 6.

254. R. Jam ad alterum quæsitum hujus casus. Si neque Prælatus, neque etiam Sem-

Sempronius habuit aliam causam irritandi votum, præter illam molestiam consequentem ad talem abstinentiam, Sempronius probabilius peccavit, non tamen plus quam venialiter. Ita cum Medina, Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *pu.* 6. Michel *tom.* 2. *part.* 2. *pu.* 9. *sect.* 3. *n.* 20. Ratio est: quia nisus fuit Prælatum inducere ad aliquid (scilicet irritationem voti sine causa) quod Superior absque peccato saltem veniali non potuisset facere. Sunt nihilominus classici Doctores, qui probabiliter putant, hujusmodi Superiorem irritando votum etiam sine causa, ne venialiter quidem peccare; eo quod utatur jure suo: nullus autem utendo jure suo peccet per se loquendo, modo id non faciat in contemptum, & absit scandalum: in suppositione hujus sententiæ dicendum, quod Sempronius petendo a Superiore irritationem sui voti sine quidem venialiter deliquerit. Et certum omnino atque exploratum haberi potest ac debet, quod nec subditus petendo, nec Prælatus irritando hujusmodi votum peccent ullatenus, si ad hoc moveantur aliqua rationabili, etsi non multum urgente causa, v. g. ut inter Confratres servetur uniformitas, vel ne talis videatur velle agere singularistam &c.

Dices adhuc. Sed quid, si quis frater minor proprio motu voveret ire inter Saracenos aut alios infideles, vel Hierosolymam ad S. Sepulcrum &c. teneturne Superior eidem dare licentiam abeundi, an vero huic fas erit ad libitum irritare hujusmodi votum?

255. R. Minime dubitandum, quin Superiori hoc liceat; quia secundum dicta superius *n.* 245. a Potestate irritativa Prælatorum Regularium solum excipiuntur votum ingrediendi strictiorem Religionem, & votum Professionis solemnis. Idque omnino indubitabile existimo in casu, quo vel Provincia ipsa indigeret tali subjecto, vel Superior rationabiliter dubitaret, an Subditus ad hujusmodi votum non fuerit ductus spiritu curiositatis vel vanitatis potius, quam veritatis; vel an non aliunde ad talem missionem sit minus aptus, utputa defectu scientiæ vel prudentiæ vel disciplinæ &c. &c. Et licet S. Regula *c.* 12. videatur fratribus concedere hunc favorem, ut scilicet possint ire inter Saracenos, si velint &c. per hoc tamen Superioribus non ligantur manus, neque iisdem præcipitur, ut subditos dimittant, sed solum *ut nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis, quos viderint esse idoneos ad mittendum.*

CASUS TERTIUS.

Caja uxorata vovit, quod ex opere conjugali deinceps nunquam amplius velit deliberate captare delectationem veneream, at vero ubi postea advertit se sæpius contravenisse voto, maritum suum rogavit, vellet sibi permittere votum perpetuæ castitatis, quatenus hoc modo priori voto posset efficacius stare, animæque periculum evadere; Cui Vir, fac, respondit, quod tibi lubet, & ego pariter, quod mihi libuerit, faciam: quo audito Caja votum perpetuo a venereis abstinendi nuncupavit: cum vero ex post facto contra omnem spem maritus debitum postulaverit; hinc multum anxia sciscitatur e Confessario 1. an deinceps non obstante voto possit vel teneatur suo marito reddere debitum? An maritus vota mox recensita possit irritare?

256. R. Ad primum quæsitum. Caja non obstante voto castitatis potest, immo vero tenetur marito suo reddere debitum. Ratio est: quia *mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir* 1. *Cor.* 7. *v.* 4. ergo vi voti non potuit se obligare ad castitatem servandam, nisi in quantum Maritus consentit: atqui hic non consentit absolute, prout vel ex ipso modo respondendi perbene colligere licet; non enim simpliciter approbavit intentum Uxoris, sed potius ad votum merum permissive se habuit, retenta sibi potestate faciendi id, quod sibi luberet: & hoc ipso potest irritare votum Uxoris, saltem in quantum hoc sibi est præjudiciosum quoad redditionem debiti, prout habetur decisum *cap.* 1. *de convers. conjugator.*

257. Dixi posse Maritum irritare hoc votum, *in quantum sibi præjudicavit &c.* gratis quippe fateor, quod non stet in arbitrio viri illud votum Uxoris irritare simpliciter vel ita, ut Caja deinceps nedum possit reddere, sed etiam

petere

petere debitum : esto enim Uxor de jure teneatur ad reddendum , non tamen tenetur ad petendum debitum : ergo non petendo non facit injuriam Marito ; consequenter potuit etiam voto se adstringere ad non petendum : immo vovendo castitatem censetur se ad hoc voluisse obligare ; actus enim ita interpretari debet, ut sin minus valeat in totum, saltem valeat in quantum potest. Insuper vi prioris voti Caja per se loquendo tenetur in opere conjugali abstrahere a captanda delectatione venerea. Verum cum hoc votum videatur observatu moraliter impossibile, simulque natum vergere in laqueum animæ, nec non generationem prolis saltem negative impedire; hinc oportebit , ut Confessarius privilegiatus quoad hoc dispenset, vel in aliud opus pium, ad animæ salutem proficuum commutet, utputa vel in certas communiones, confessiones, eleemosynas, vel abstinentiam ab uno vel altero cibo , aut potu &c. prout in Domino melius videbitur expedire &c.

Ergone, inquies , si Maritus absolute consensisset, aut simpliciter approbasset votum suæ Uxoris, non amplius posset illud irritare , nec deinceps de jure ab eo exigere debitum?

258. R. Non amplius posset . Ratio est : quia per hujusmodi consensum absolute approbativum merito præsumeretur voluisse renunciare juri suo , quod habuit in ordine ad exigendum debitum ; secus enim, ut de se liquet, Uxor non potuisset simpliciter servare castitatem. Hac ratione *in theolog. Sacram. part. 3. Confer. 16. n.* 401. cum Sanchezio Laymanno *ex communi aliorum* sententia resolvimus, quod si duo conjuges absolute mutuo consensu voveant castitatem, neuter possit alterius votum irritare ; id, quod clarissime innuit Glossa *in cap. Manifestum* 33. *q.* 5. sequentibus omnino verbis : *vota vero continentiæ ita alterius permissione ab altero valent offerri, ut post permissionem non valeant in irritum deduci* . Et ratio hujus est : quia quoad usum matrimonii vir non habet majus jus in uxorem, quam Uxor in virum : ergo ubi unus Conjux alteri jam semel licentiam dedit & quidem consensu approbativo cum voluntate aliqua cedendi juri suo, eandem licentiam utpote jam privatus jure suo , amplius revocare non potest.

Dices contra hanc resolutionem. Tametsi Prælatus subdito Religioso , Pater filio suo impuberi ; aut Tutor clienti dederint licentiam aliquid vovendi, possunt nihilominus postea irritare hujusmodi vota : ergo similiter potest Conjux irritare votum alterius , esto prius licentiam vovendi dederit , aut omnino mutuo consensu voverit.

259. R. In primis illud antecedens non esse universaliter verum : enimvero si Pater filio dedit licentiam vovendi aliquid reale v. g. de bonis profectitiis vel adventitiis &c. non amplius erit ei liberum illud votum irritare , eo quod quantum ad hoc potuerit suo juri renuntiare. Deinde permisso antecedente negari potest ac debet conseq. & paritas : Superior enim non potest quantum ad hanc potestatem irritandi renuntiare juri suo , quemadmodum renuntiare nequit officio Superioris, nec censeri potest voluisse huic officio vel potestati renuntiare ex eo , quod vovendi licentiam dederit : econtra Conjux utpote probabilius potestate indirecta tantum præditus in ordine ad irritanda vota alterius, potuit renuntiare juri , quod habuit ad actualem usum corporis , & dando licentiam vovendi alteri parti , præsumitur voluisse huic juri renuntiasse : ergo deinceps non amplius potest irritare hujusmodi votum. Scio equidem Tamburino probabile videri, quod Conjux dato etiam consensu in votum castitatis, possit illud irritare, modo se expresse non obligarit ad non irritandum illud ; verum hoc intelligendum existimo de casu, quod Conjux dedit licentiam mere permissive se habendo, non item de casu, quo alterius votum omnino approbavit consensu positivo . Et ita expresse tenent Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *n.* 95. Sanchez *lib.* 9. *de matr. disp.* 40. *n.* 17. Sporer *tr.* 3. *in decalog. c.* 3. *nu.* 32. Laymann *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 15. referens pro eadem opinione S. Thomam, Navarr. Coninck & alios plures.

§. III.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

260. COlliges ex hactenus dictis primo, auctoritate Superiorum irritari posse non solum vota a subditis jamjam edita, verum insuper deinceps edenda. Ita Sanchez *lib.* 4. *c.* 24. *num.* 49. Suarez *lib.* 3. *de vot. c.* 3. *nu.* 15. Ratio est: quia facilius est impedire valorem actus primum ponendi, quam actum jamjam valide positum tollere vel annullare: ergo si Prælati ac Parentes possint rescindere vota jam facta, longe magis possunt impedire vota primum facienda, subtrahendo in antecessum consensum, sub cujus conditione duntaxat, & non aliter emitti valent: idque non immerito Doctores extendunt ad vota mere interna, seu intra mentis latebras concipienda; nihil enim obstat, quo minus Prælatus ad subditum suum dicat: non consentio in votum quantumvis interne concipiendum a te: atqui negato hujusmodi consensu votum nullum est: ergo &c. Videatur Castropalao *disp.* 2. *pu.* 3. §. 1. *nu.* 1. vel Michel *tom.* 2. *part.* 2. *pu.* 9. *sect.* 1. *n.* 16.

261. Colliges secundo Summo Pontifici competere quidem facultatem irritandi omnia vota Religiosorum, & Monialium, non tamen 2. omnium sæcularium, nequidem Clericorum, nisi indirecte in quantum scilicet executio talis materiæ cederet in præjudicium potestatis Ecclesiasticæ. Ratio prioris est: quia propter omnimodam subjectionem Religiosi ad suum Prælatum nullus potest aliquid vovere nisi de consensu Prælati, ita, ut in omni voto Religiosi vel Religiosæ intelligatur tacite imbibita hæc conditio: *si, & quamdiu Prælatus non contradixerit*: atqui Summus Pontifex est supremus Prælatus omnium Religiosorum & Monialium, ergo potest irritare horum vota.

Ratio autem posterioris est: quia neque sæculares laici, neque etiam Clerici speciali voto (uti Religiosi suo Superiori) aut potestate jurisdictionis, subjiciuntur Summo Pontifici, nisi in quantum hoc necessum est ad debite gubernandam Ecclesiam: atqui ad hujus gubernationem minime necessum est, ut possit irritare omnia vota fidelium, etiam illa, quæ minime præjudicant gubernio Ecclesiæ, quin potius promovent animarum salutem & Dei gloriam: ergo &c. Videatur de his Sanchez *lib.* 4. *decalog. c.* 24. *n.* 20. Azorius *lib.* 11. *Instit. mor. c.* 17. *q.* 3. Castropalao *disp.* 2. *pu.* 2. *nu.* 2. & 3. Felix Potestas *ubi supra n.* 1976. & 1977.

262. Colliges tertio, neque a Prælato quocunque demum irritari posse vota Novitiorum, nisi in quantum hæc præjudicant disciplinæ regulari. Ita ex *communi DD.* Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *a.* 4. *n.* 83. Sanchez *lib.* 4. *c.* 33. *n.* 28. Navarrus & alii. Ratio est, quia Novitii, utpote nondum professi vel obedientiæ voto obstricti, non subduntur jurisdictioni suorum Prælatorum, nisi in quantum hoc exigit disciplina monastica: ergo ubi votum a Novitio factum huic nullatenus præjudicat, nequit Prælatus illud irritare, bene tamen quantum disciplinær egulari præjudicaret: etsi in tali casu potius suspensio, quam irritatio voti dici debeat; quia Novitius Religionem egressus illico teneretur ad observantiam voti, prout bene notavit Layman *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 9. Quod autem de votis Novitiorum mox dictum, idipsum proportionaliter dicendum est de votis famulorum, quæ a dominis non, nisi indirecte irritari, vel potius suspendi possunt in quantum, & quamdiu præjudicant ipsorum dominio.

263. Colliges quarto, vota ab impubere edita potestate patria irritari posse etiam post pubertatem jamjam adeptam, nisi votum postea ab impubere fuerit ratificatum modo mox supra *num.* 252. explicato.

Ratio hujus resolutionis est: quia vota impuberum in suo esse seu fieri & conservari dependent a consensu Parentis vel Superioris: ergo ubi is deficit vel cessat, etiam corruit obligatio voti. Ex quo Henno *disp.* 2. *in decalog. q.* 3. *art.* 9. §. 1. *concl.* 2. *Resol.* 7. bene infert, Parenti semper manere liberum, irritare vota filii in impubertate facta, quamdiu is manet sub patria potestate, licet foret sexagenarius aut septuagena-

rius;

rius ; eo quod ætas quantumvis decrepita filii non eximat filium senem a patria potestate dominativa : e contra tamen Tutorem vel Curatorem, qui in locum Parentis succedere solent, posse duntaxat vota a cliente impubere facta irritare, quandiu is nondum excessit annum 25. non item postea, eo quod post hanc ætatem exspiret potestas Curatoris in minorennem. Videatur Filliucius *tr.* 26. *n.* 233. Laymann *loc. cit. c.* 7. *n.* 11. Michel *ubi supra p.* 9. *sect.* 1. *n.* 24.

264. Colliges insuper quinto, hujusmodi vota impuberum (non ratificata post pubertatem, uti semper supponi debet) a Parente vel Tutore irritari posse, tametsi fuissent relata ad statum pubertatis, id est, primum post pubertatem obtentam executioni mandanda.

Ratio manet eadem, quæ proxime fuit data : quia scilicet vota impuberum non valent, nisi sub conditione consensus, seu dependenter a consensu a Patre vel Tutore præstando : ergo hoc deficiente cessant obligare, esto executio eorum relata ad tempus pubertatis. Hac ratione omnes admittunt votum Religionis ingrediendæ ab impubere emissum posse irritari a Parente, esto hoc votum non possit executioni mandari nisi post pubertatem, cum nullus Religionem ingredi valeat ante annum 15. aut certe professio ante annum 16. completum facta sit nulla, prout habet Concilium Trident. *ss.* 25. *de Regular. c.* 15.

265. Colliges sexto, vota ante subjectionem, puta a Religioso ante ingressum Religionis, a muliere ante initum matrimonium emissa &c. tempore subjectionis postea a Prælato vel Marito irritari quidem posse, at probabilius, non nisi indirecte tantum, quatenus scilicet executio talium votorum præjudicaret potestati dominativæ, quam Prælatus habet ad gubernandos sibi subjectos, & Maritus in ordine ad gubernandam suam familiam.

Ratio hujus resolutionis est : quia quemadmodum Religiosus ante ingressum Religionis non agnovit Prælatum tanquam Superiorem suum ; ita fœmina ante contractum matrimonium neutiquam erat subjecta marito : ergo vota tunc temporis facta non fuere edita sub conditione : *si Prælatus*, vel *si Maritus consenserit* : at, ubi hæc conditio in voto emisso non fuit involuta, ibi cessat potestas directa irritandi votum : ergo.

Ceterum quod attinet vota a Religioso velut a sæculari adhuc emissa, non indigent irritatione a Prælato facienda, sed ipso jure communi declarantur in votum perpetuæ Religionis commutata *per cap. Scripturæ de voto & vot. Redempt.* Videatur Sayrus *in clav. reg. lib.* 7. *c.* 10. *n.* 11. Azorius *lib.* 11. *c.* 17. *q.* 17. Castropalao *disp.* 2. *pu.* 3. §. 5. *num.* 2. Michel *ubi supra n.* 27.

266. Colliges septimo, votum a Prælato, Patre, vel Tutore &c. semel directe irritatum, non amplius reviviscere, tametsi subditus postea egrediatur potestatem Patris vel Tutoris &c. & fiat sui juris. Ita Filliucius *tr.* 26. *n.* 224. Sanchez *lib.* 4. *mor. c.* 26. *n.* 4. Valentia 2. 2. *q.* 6. *disp.* 6. *pu.* 6. *q.* 4. Ratio est : quia vi directæ irritationis obligatio voti non tantum suspenditur, sed penitus extinguitur : atqui obligatio semel extincta nunquam amplius reviviscit *argum. l. cum ex causa C. de remiss. pignor.* ergo &c. Nec refert, quod forsan ex post facto Parentem vel Superiorem pœniteat irritationis ; quia pœnitentia non reducit actum ad esse, casu quo is semel extinctus fuit.

267. Colliges octavo. E contrario vota indirecte duntaxat irritata posse reviviscere & de novo obligare, quando vovens desinit esse sub potestate illius, qui indirecte irritavit, seu, quando executio voti non amplius præjudicat juri irritantis. Ratio est : quia per irritationem indirectam obligatio voti non fuit penitus extincta, sed potius suspensa ob præjudicium quod alter inde debuisset pati : ergo cessante præjudicio cessat irritatio. Hinc si ponamus, Uxoratam ante matrimonium vovisse quotidie unum alterumve Sacrum audire, & postea Maritum tale votum utpote sibi quomodocunque demum præjudiciosum irritasse, mortuo marito tenebitur talis persona stare suo voto : idem dicendum foret, si vovisset quotidie dare eleemosynam, vel aliud opus marito præjudiciosum &c. Sanchez *lib.* 4. *in decalog. c.* 26. *n.* 1. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 3. *art.* 4. *n.* 84.

CON-

CONFERENTIA DECIMA.

De dispensatione votorum & juramentorum.

SUMMARIUM.

268. *Dispensatio voti est relaxatio totalis vinculi facta ab habente jurisdictionem spiritualem in foro externo.*
269. *Summus Pontifex potest dispensare in quibusvis votis quorumcunque fidelium.*
270. *Solvitur quædam instantia contra hanc resolutionem facta.*
271. *Episcopus cum suis subditis, itemque Prælati Regulares exempti cum sibi subjectis jure ordinario dispensare valent in omnibus votis, exceptis duntaxat quinque votis Summo Pontifici reservatis.*
272. *Prælati tamen non exempti hoc non possunt, nisi de consensu Superiorum majorum, vel per consuetudinem legitimam &c.*
273. *Recensentur breviter 5. vota Summo Pontifici reservata.*
274. *Confessarii privilegiati similiter possunt cum quibusvis fidelibus dispensare in omnibus illis votis, in quibus Episcopi jure ordinario dispensare possunt cum suis diœcesanis &c.*
275. *Ad dispensationem tamen validam & licitam requiritur causa rationabilis.*
276. *Quænam censeantur causæ rationabiles dispensandi in votis.*
277. *Quænam item Confessario privilegiato sint observanda in dispensatione votorum.*
278. *Qui potest dispensare in votis aliorum, probabilius etiam potest directe dispensare secum ipso in votis propriis.*
279. *Resolvitur Casus I. cujusdam Sponsæ, interrogantis, an stante voto castitatis possit tuta conscientia nubere.*
280. *A quonam talis persona dispensari possit in voto, si supponatur jamjam contraxisse matrimonium.*
281. *Quid si Conjuges post contractum matrimonium primum voveant castitatem, & ob periculum incontinentiæ rursus desiderent dispensationem in hoc voto.*
282. *Resolvitur Casus II. cujusdam Parentis desiderantis dispensari in voto procurandi paramenta ecclesiastica suo filio Religioso primitias celebraturo in certo quodam Monasterio prædivite.*
283. *Hujusmodi vota possunt quidem, tamen de facili non sunt tollenda per dispensationem, sed potius per commutationem.*
284. *Unde in tali casu quam cautissime debet procedere Confessarius privilegiatus.*
285. *Resolvitur Casus III. de quodam Juvene volente a Confessario dispensari in voto castitatis, tempore gravis infirmitatis sub conditione recuperandæ sanitatis emisso.*
286. *Quid, si talis juvenis petat dispensationem posteaquam jam integre reconvaluit.*
287. *Et quid, si votum fuisset pœnale?*
288. *Vota dubia non sunt reservata Summo Pontifici, & hoc ipso dispensabilia a Confessariis privilegiatis;*
289. *Qui pariter possunt dispensare in voto imperfecto Religionis;*
290. *Item in votis peregrinationum non ex devotione, sed ex alio motivo factis:*
291. *Nec non in voto imperfecto castitatis.*
292. *Dispensatio a Privilegiato absque justa causa concessa est nulla: idipsum tenendum, quando motivum dispensandi ab Oratore allegatum non subsistit.*
293. *Et quid, si in tali casu tam dispensans, quam dispensatus bona fide processerint.*
294. *Ad valorem vel executionem dispensationis per se loquendo non requiritur certa forma, sed sufficit, quod dispensans suam mentem serio declaret dispensato.*

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa dispensationem votorum.

QUæres primo, quid sit dispensatio voti?

258. R. Dispensatio voti est ablatio seu relaxatio totalis vinculi, rationabili de causa nomine Dei facta, ab habente jurisdictionem spiritualem in foro externo. Ita *in re omnes*. Explico brevissime. Dicitur 1. *ablatio totalis*; per quod distinguitur dispensatio a commutatione, vi cujus vinculum seu obligatio solum transfertur in aliam obligationem. Dicitur 2. *nomine Dei facta*; cum enim homo vi voti fiat debitor Dei, necessum est, ut ab hoc debito absolvatur ab aliquo, qui potestate Dei fungatur. Dicitur 3. *ab habente jurisdictionem spiritualem*; quo innuitur, hanc potestatem competere duntaxat personis Ecclesiasticis, jurisdictionis spiritualis capacibus, non item laicis quibuscunque demum. Additur 4. *in foro externo*: quia potestas dispensandi nequidem omnibus personis Ecclesiasticis competit, sed illis duntaxat, qui habent subditos pro foro externo regendos.

Quæres secundo, quinam dispensare valeant in votis?

269. R. ad hoc quæsitum primo. Summus Pontifex potest dispensare in omnibus votis, idque respectu totius Ecclesiæ, seu omnium fidelium. Ita *omnes Catholici*. Ratio est: quia Summus Pontifex fuit institutus a Christo velut Pastor universalis Ecclesiæ seu omnium fidelium, cum potestate ligandi atque solvendi animarum vincula, juxta illud *Matth. 16. v. 19. Quodcunque ligaveris super teram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*. Quemadmodum ergo universalis Ecclesia ob hanc potestatem concessam a Christo semper censuit, Summo Pontifici ceu Vicario Ejusdem in terris omnia vincula culpæ; ita hodiedum recte tenet, Eidem competere potestatem, & quidem ordinariam, id est, ipsi officio Supremi Pastoris annexam dispensandi cum quibuslibet fidelibus in omnibus eorum votis.

Dices tamen. Ne quidem S. Pontifex sua auctoritate potest efficere, ut monachus legitime professus, sit, & simul non sit monachus: atqui dispensando in voto solemni castitatis & dando licentiam contrahendi matrimonium id faceret: ergo &c. Accedit insuper, quod Religiosus semel valide professus jure naturali ac divino teneatur ad servandam castitatem Deo promissam: atqui in jure naturali ac divino ne quidem Summus Pontifex dispensare valet: ergo &c.

270. R. Negando suppositum minoris; nam Summus Pontifex vi dispensationis auferendo vinculum votorum substantialium, non facit, ut talis homo sit & simul non sit monachus, sed ut desinat esse monachus, vere quemadmodum conferendo primam tonsuram non efficit, ut homo sit & non sit laicus, sed ut desinat esse laicus & fiat Clericus. Ad illud alterum R. distingu. maj. Religiosus semel valide professus jure naturali tenetur servare castitatem, quamdiu in hoc voto non fuit legitime dispensatus, conced. supposita legitima dispensatione, neg. hac enim supposita tam parum tenetur ad observantiam voti, quam debitor ad solutionem debiti supposita condonatione creditoris. Hinc negandum est, quod Pontifex dispensando in voto, eo ipso dispenset in jure naturali: hoc enim duntaxat obligat ad observantiam voti, quamdiu hujus obligatio non est sublata vi legitimæ dispensationis, prout jam diximus *tract. 1. de actib. human. confer. 16. n. 467.*

271. R. jam ad idem quæsitum secundo. Episcopis pro sua cuique diœcesi (idem tenendum de Capitulo cathedrali sede vacante, nec non de Nuntiis Apostolicis respectu Nuntiaturæ) itemque Prælatis Religiosorum exemptorum, utputa Generalibus, & Provincialibus Ordinum, nec non Abbatibus ac Præpositis absolutis similiter competit potestas, & quidem ordinaria dispensandi cum suis respective subditis in omnibus votis, exceptis votis solennibus Religiosorum, & illis, quorum dispensatio vergeret in præjudicium tertii: nec non quin-

quinque votis Summo Pontifici specialiter reservatis. Ita sane *communissime Doctores*. Ratio prioris est: quia etiam Episcopi sunt in persona Apostolorum (quibus succedunt) instituti velut Pastores animarum ceu ovium sibi concreditarum: atqui Apostolis a Christo similiter dictum fuit *Matth.* 18. *v.* 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*: ergo & hi habent potestatem ordinariam dispensandi in votis cum suis subditis. Ratio autem posterioris est: quia Prælatis Regularibus exemptis pariter incumbit munus pascendi suos Religiosos, in quos habent jurisdictionem quasi Episcopalem nedum in foro interno, sed etiam in foro externo exercendam. Quin etiam hanc facultatem dispensandi cum suis subditis, Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 39. *num.* 5. Sporer *tr.* 3. *in decalog. cap.* 3. *sect.* 3. *num.* 50. Salmanticenses & alii plures extendunt etiam ad Prælatos minores, quales sunt Guardiani, Priores, Rectores &c. & in horum absentia ad eorum Vicarios, quippe qui respectu suorum habent jurisdictionem ordinariam in foro externo, qualem non habent Parochi, nec Monialium Confessarii, qui ideo non possunt dispensare in votis, inquit Henno *tract. in decalog. disp.* 2. *q.* 3. *§.* 2. *concl.* 2.

272. Dixi: *Prælatis Religiosorum exemptorum* competere potestatem dispensandi &c. Illi etenim Prælati, qui una cum suo Conventu stant sub jurisdictione Episcopi, de jure ordinario nequeunt cum suis Religiosis etiam professis dispensare, nisi id ex consuetudine vel commissione Episcopi (qui proprie talium Religiosorum Prælatus est, inquit Sanchez *l.* 4. *mor. c.* 39. *n.* 9.) fuerit iisdem concessum. Et ita *communissime* tenent DD. Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *n.* 133. Laymann *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 9. Navarr. *c.* 12. *n.* 79. *§.* 3.

Sed quænam, inquies, sunt illa quinque vota soli Summo Pontifici reservata?

273. R. Sunt in primis tria vota peregrinationum, scilicet 1. Romam ad limina Apostolorum. 2. Hierosolymam ad S. Christi sepulcrum. 3. Compostellam ad S. Jacobum. Quartum est votum Religionis, vel potius ingrediendi Religionem approbatam. Quintum denique est votum perpetuæ & integræ castitatis. Quocirca Doctores communiter monent, hanc reservationem velut odiosam stricte interpretandam esse, ita, ut nullum votum debeat dici vel haberi reservatum, nisi *votum proprie dictum*, id est, Deo factum, & *perfectum*, id est, cum plena deliberatione, & *animo se graviter obligandi &c. determinatum* v. g. ad hanc peregrinationem &c. itemque *absolutum* quoad substantiam & integritatem, & non mere conditionatum &c. prout amplius patebit ex dicendis. Videantur de his Lessius *cit. c.* 40. *n.* 122. *& seqq.* Laymann *ubi supra cap.* 8. *n.* 8. Sporer *cit. c.* 3. *a n.* 58.

Quæres tertio, quid vel quantum circa vota dispensanda valeant Confessarii Mendicantium, aliique privilegiati?

274. R. Confessarii Mendicantium legitime approbati, aliique Religiosi communicatione Privilegiorum inter se gaudentes dispensare possunt cum quibusvis fidelibus in omnibus votis, in quibus Episcopi de jure ordinario dispensare valent cum suis subditis: hoc privilegium primo concessit Martinus V. Monachis Benedictinis (quorum privilegiis etiam nos Mendicantes communicamus) idipsum postea per Bullam specialem concessit Eugenius IV. prout videre licet, tum in compendio privilegiorum, tum insuper apud Emmanuel. Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Regular. q.* 63. *art.* 3. *&* 4. idipsum hodiedum Doctores communissime tenent, nominatim noster Herincx *part.* 3. *tract.* 4. *disp.* 4. *num.* 65. Sporer *tract.* 3. *cap.* 3. *numer.* 54. Reiffenstuel *Theolog. mor. dist.* 3. *numer.* 44. Felix Potestas *tom.* 1. *par.* 2. *num.* 1963. Tambur. *lib.* 3. *in decalog. cap.* 16. *§.* 4. *num.* 46. Illsung *tr.* 5. *disp.* 1. *num.* 144. Michel *cit. tom.* 2. *part.* 2. *sect.* 2. *punct.* 9. *n.* 11. Quare cum Episcopi de jure ordinario dispensare valeant in omnibus votis, exceptis duntaxat illis mox supra *n.* 271. relatis & Summæ Sedi specialiter reservatis, sequitur cla-

clare, quod id ipsum valeant Confessarii Mendicantium, aliique privilegiati.

Quæres quarto, utrum ad valorem dispensationis necessaria sit causa rationabilis & justa?

275. R. affirmative. Ita cum S. Thoma, Cajet. Navarro & *communi* aliorum Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *dubit.* 17. *num.* 119. Ratio est: quia quod Deo debetur, nulla auctoritate humana condonari potest, nisi subsit justa causa; hac enim deficiente Deus hujusmodi condonationem ratam non habet: sicut non valet absolutio data indisposito: neque indulgentia sine causa, vel supra causæ mensuram concessæ. Et ratio a priori est: quia potestas dispensandi fuit Ecclesiæ concessa ad ædificationem, non vero ad destructionem: atqui cederet in destructionem & morum corruptelam, si valeret sine causa data: ergo hac præcisa nedum illicita est, sed etiam invalida.

Sed quænam, inquies, censentur causæ justæ & sufficientes ad dispensandum?

276. R. Causæ sufficientes habentur sequentes 1. honor Dei per talem dispensationem promovendus. 2. Ecclesiæ utilitas, vel 3. bonum communitatis. 4. Pax inter Principes concilianda. 5. Gravissima voventis facilitas & inde imminens animæ periculum. 6. Necessitas urgens v. g. ob animæ periculum, occasionem proximam &c. Quocirca bene advertendum est, tanto graviorem causam requiri ad valorem dispensationis, quanto votum excellentius, vel quanto majus periculum scandali imminet ex hujusmodi dispensatione. Econtra quanto minus periculi imminet, tanto facicilius dispensari valet, presertim si votum fuit factum in tenera ætate, vel mentis perturbatione, prout fieri amat tempore naufragi, vel metus intentati ab aliqua causa extrinseca. Ita Doctores *satis communiter*, ut videre licet apud Lessium *cit. n.* 120. Henno, Herincx, & alios passim.

Quæres quinto, quænam Confessario sint singulariter observanda circa dispensationem votorum?

277. R. Tria sequentia. 1. Oportet attendere *quid liceat secundum æquitatem*. 2. *quid deceat secundum honestatem*. 3. *quid expediat secundum utilitatem*. Ita monet Innocentius III. *cap. Magnæ de vot. & voti redempt.* Et merito: quia Dispensator debet non solum juste, sed etiam fideliter & rationabiliter procedere ad dispensationem: atqui hoc non fiet, nisi observet tres regulas mox recensitas: ergo. Æquitas itaque postulat, ut quanto excellentius est votum, tanto difficilius dispensetur: immo vero in similibus votis potius debet fieri commutatio seu translatio obligationis in aliam materiam &c. Honestas vult, ut dispensatio seu relaxatio votorum non fiat passim cum scandalo fidelium, vel dissolutione morum aut disciplinæ ecclesiasticæ. Utilitas animæ petit, ut tunc dispensetur in voto, quando illud advertitur suo modo vergere in ruinam, vel saltem in laqueum animæ v. g. ob perplexitatem aut scrupolositatem illius, qui voto sese obstrinxit, vel quando ex dispensatione rationabiliter speratur major utilitas spiritualis, vel major promotio cultus divini &c. &c. Videatur de hoc Sporer *cit. c.* 3. *n.* 43.

Quæres sexto, utrum Episcopus vel quicunque demum habens potestatem dispensandi in votis cum aliis, possit etiam dispensare secum ipso in votis propriis?

278. R. Affirmative. Ita Lessius *cit. c.* 40. *n.* 116. de la Croix *lib.* 1. *n.* 799. Illsung *tr.* 1. *disp.* 2. *n.* 49. dicens, hanc esse communem sententiam, licet Henno & nonnulli alii contrarium teneant. Ratio autem nostræ resolutionis est: quia licet nullus erga se ipsum possit exercere actum jurisdictionis contentiosæ, puta ferendo sententiam absolutionis vel condemnationis, non enim decet, ut quis in sua causa sibi jus dicat contra jus Adversarii se opponentis; sic enim esset sibi & Judex & reus &c. potest tamen quis erga seipsum exercere actum jurisdictionis voluntariæ seu gratuitæ, quæ præcise fit per applicationem alicujus gratiæ nomine alterius factæ; hac de causa S. Pontifex potest sibimet conferre indulgentiam, ut docet Henriquez *de indulgentiis c.* 32. & Lessius *loc. cit.* atqui hoc idem facit, qui secum ipso dispensat in votis &c. Id, quod ulterius confirmare licet ex eo, quod ad hanc ju-

jurisdictionem voluntariam sufficiat, ut inter dantem principalem, a quo beneficium dispensationis promanat, & inter accipientem detur distinctio: at, hoc fit, dum quis nomine Dei secum ipso dispensat in voto: ergo &c. Videantur *DD. cit.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa dispensationem votorum.

CASUS PRIMUS.

Titia puella 20. circiter annorum fatetur, se nunquam habuisse intentionem nubendi, quin immo aliquot abhinc annis castitatem vovisse, nuper tamen in sponsalia consensisse; hinc quia Parentes ita voluerunt; tum præsertim quod sponsus sit homo valde bonus, & ampla hæreditate provisus. Scire proin avet a Confessario, an, vel quis hanc voti obligationem auferre valeat & an non stante hoc voto tuta conscientia possit nubere? quid ad hæc Confessarius.

279. R. Confessarius Titiæ utpote jam practice dubitanti veritatem aperiat, dicendo candide, quod stante hoc voto nequeat tuta conscientia nubere. Ut autem securius & solidius alterum quæsitum Titiæ resolvat, præ primis conetur examinando explorare, an Titia emiserit votum perpetuæ & integræ castitatis, & perfectum quidem, id est, absolute cum plena & perfecta deliberatione factum, ideoque reservatum Summo Pontifici? an vero emiserit votum imperfectum duntaxat, utpura vel non Deo, sed B. Virgini duntaxat nuncupatum, vel castitatis non perpetuæ, vel sine sufficienti deliberatione &c.? Si hoc posterius deprehenderit, jam pœnitenti suo congratuletur & dicat, quemlibet Confessarium privilegiatum posse dispensare in hoc voto: & si ipsusmet sit privilegiatus, dispenset, vel potius commutet tale votum in aliud pium opus ad animæ salutem magis proficuum, prout in Domino melius judicaverit. Sin vero illud prius examinando deprehenderit, candide respondeat Titiæ, quod ab hoc voto, utpote perfecto & Summo Pontifici reservato a nemine, præterquam ab ipso Summo Pontifice liberari valeat, ideoque nuptiæ necessario differendæ sint, quo usque Roma fuerit impetrata dispensatio. Verum, si supponatur res jam eo pervenisse, ut nuptiæ moraliter non amplius possent differri, simulque immineat periculum incontinentiæ, prout ordinarie loquendo nunquam non supponendum est in talibus personis neo-nuptis, posset in tali casu etiam ab Episcopo impetrari dispensatio in ordine ad contrahendum matrimonium, & ad petendum debitum. Utrum autem Confessarii Mendicantes ceu privilegiati, vel alii, horum privilegiis communicantes dispensare valeant in tali casu necessitatis, præsertim ante matrimonium contractum? acriter sane controvertitur inter Doctores. Et certe hactenus insignissimi DD. nominatim Tamburinus *in decal. lib. 3. c. 16 §. 4. n. 54.* Castropalao *tr. 15. disp. 2. pu. 12. n. 7.* Sanchez *lib. 2. de matr. disp. 40. n. 9.* Sporer *tr. 3. in decalog. c. 3. n. 74.* Aug. Michel *cit. sect. 2. pu. 9. n. 12.* Layman *lib. 4. tr. 4. c. 8. n. 17.* de la Croix & alii plures semper tenuere partem negativam; eo potissimum, quod Confessarii Mendicantium nequeant dispensare in votis, in quibus Episcopi nequeunt dispensare *jure ordinario*: atqui in voto castitatis perpetuæ & integræ, eo ipso quod sit Summo Pontifici specialiter reservatum, nequeunt dispensare jure ordinario, sed ad summum per accidens & extraordinarie in casu magnæ necessitatis, ubi moraliter loquendo propter periculum animarum nequit fieri recursus ad Summum Pontificem: ergo, inquiunt *DD. cit.* Mendicantes in hoc casu nihil possunt.

Contrariæ tamen opinionis hodie reperiuntur multi minime spernendi Doctores, nominatim R. P. Reiffenstuel *lib. 3. decret. tit. 34. n. 40.* cumque secutus noster A. R. P. Kazenberger *in supplem. decalog.* R. P. Sporer *c. 1. sect. 4. n. 389.* Eandem sententiam tenet Crousers *in c. 7. Reg. S. Francisci sect. 29.* Bassæus; inclinat Herincx *noster ubi supra de voto disp. 4. n. 73.* & novissime validissime eandem propugnavit R. P.

Sichrovski *in sua dissertat. Theolog.* 1. *art.* 12. fundamento minime spernendo: quia nos Mendicantes quoad dispensationem & commutationem votorum, idem vi privilegiorum possumus, quod possunt Episcopi jure ordinario, prout Auctores pro priori opinione mox relati minime diffitentur: atqui in tali casu ubi necessitas & periculum animarum urget ita, ut non patiatur moram vel recursum ad S. Pontificem, ibi Episcopus jam non dispensat *per accidens* sed *jure ordinario* sive dein ratione officii, sive ex consuetudine jam generaliter recepta) Hinc (inquit Reiffenstuel *loc. cit. n.* 41., minus recte hæc Episcoporum potestas vel jurisdictio dicitur *extraordinaria*, ex eo, quod sit circa casus non ordinarie, sed extraordinarie contingentes, cum etiam circa hos detur revera potestas ordinaria, vel ratione officii, vel ratione consuetudinis jam pridem receptæ, vel denique quia pro tali casu necessitatis Pontifex non vult votum esse reservatum. Ergo huic sententiæ pro foro interno practicandæ (nam quod pro externo seu in tali voto ad forum externum jam devoluto dispensare non valeamus, apud omnes in confesso est) suam probabilitatem negare non possum, & fortassis plures reperiremus, qui pro tali casu necessitatis ad avertenda animarum pericula eandem in praxi sequerentur.

Sed quid, inquies, si Titia supponatur emisisse votum perfectum, & contra suum votum jam actu contraxisse matrimonium?

280. R. In tali casu quilibet Confessarius privilegiatus potest dispensare, non quidem simpliciter tollendo omnem obligationem voti; sed secundum quid, & in tantum, ut debitum conjugale nedum reddere, sed etiam petere possit. Ita rursus Doctores proxime allegati, Tamburinus *n.* 54. referens pro hac sententia Sanchez, Rodriq. Cordub. Quintanad. *tr.* 9. *sing.* 2. 3. & 4. quos sequitur Sporer *n.* 75.

Ratio est: quia in hoc casu post contractum jam matrimonium & evidentissimum periculum incontinentiæ Episcopus in ordine ad petendum debitum dispensat per se, & jure ordinario per consuetudinem legitimam aquisito: quod autem Episcopus circa dispensationem votorum potest per se jure ordinario, id pariter possunt Confessarii privilegiati, secundum dicta *n.* 274. ergo &c. In hoc tamen casu non dispensatur simpliciter in voto castitatis, quippe quod manet adhuc firmum in tantum, ut si matrimonium solvatur per mortem conjugis, dispensatus sine beneficio novæ dispensationis non valeat inire aliud, vel si stante etiam priori matrimonio adulteraretur, aliove modo contra castitatem delinqueret, committeret peccatum qualificatum contra virtutem Religionis: quia neque Episcopus neque alius privilegiatus voluit aut potuit dispensando tribuere majorem facultatem, quam erat necessaria ad ordinatum usum matrimonii.

Dices iterum. Quid si autem supponamus Titiam post contractum jam matrimonium primum vovisse castitatem, & modo ob imminens periculum incontinentiæ desideret ab hoc voto liberari?

281. R. in hoc casu interrogandum esse, utrum sine, vel vero cum consensu Mariti, & quidem nedum permissivo, sed etiam approbativo voverit? Si primum, dicendum, quod non potuerit se obligare ad castitatem perfectam, sed solum ad non petendum debitum: nam ad reddendum manet obligata, quandoquidem per suum votum non potuit Marito adimere jus petendi: in hoc autem voto utpote partiali & imperfecto nedum Episcopus, sed & quivis Confessarius privilegiatus dispensare valet. At vero, si supponatur Titia (vel quævis Conjux) vovisse castitatem integram cum consensu alterius conjugis etiam approbativo, volentis cedere juri suo, vel si ambo conjuges mutuo consensu castitatem voverint, certum est, quod instante periculo possit Episcopus dispensare in ordine ad usum matrimonii, idque saltem per accidens: quin & probabilissime id potest per se & jure ordinario per consuetudinem acquisito, juxta hanc sententiam, quam tenet Tamburinus *lib.* 3. *c.* 16. §. 4. *n.* 54. Sporer *t.* 3. *c.* 3. *n.* 76. contra alios nonnullos, potest etiam quivis Confessarius privi-

le-

legiatus dispensare; quod pro praxi bene notandum est.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius *tempore infirmitatis votum conceperat sequentibus omnino verbis* : Deus meus, in cujus manibus stat vita & mors omnium, si mihi vitam per biennium duntaxat prorogaveris, eo usque scilicet, dum videam filium meum ad aram stantem tibique primo litantem, voveo, tibique sancte promitto, me Monasterio, in quo professus est, nedum candelabra & calicem, sed omnia etiam paramenta Sacerdoti ad aram facienti necessaria propriis expensis procuraturum : *paulo post filio suo Religioso hanc suam intentionem seu votum nuncupatum manifestavit, filius suo Prælato, qui quantocyus votum Parentis gratum, ratumque habuit. Successu temporis Sempronius dubitare cœpit, an non melius, Deoque gratius opus præstaret, si easdem expensas faceret pro reparatione alterius cujusdam pauperculæ Ecclesiæ, eo præsertim, quod memoratum Monasterium, utpote abundans opibus, sibimet sufficiat ad procuranda paramenta ecclesiastica? Unde dictus Sempronius a quodam Confessario privilegiato petiit non tam dispensationem, quam commutationem hujus voti: quæritur ad nostrum propositum, utrum Confessarius privilegiatus possit in hoc deferre Sempronio?*

282. R. Confessarius privilegiatus potest absolute loquendo deferre Sempronio in præfato voto non tam dispensando, quam commutando cum hoc onere, ut illud quantum, quod debuisset impendere pro paramentis Ecclesiasticis Monasterio dandis, expendat pro reparatione Ecclesiæ: non enim oportet, ut homo aliunde potens illico absolvatur ab omni onere, ne Confessarius videatur potius potestatis sibi concreditæ dissipator, quam fidelis dispensator.

Ratio autem hujus resolutionis est: tum quia Monasterium vi hujus voti nondum aquisivit jus ad illa paramenta: ergo talis dispensatio vel potius commutatio non cedit in præjudicium; tum etiam quia ex altera parte Deus semper approbat, dum opus minus bonum commutatur in melius: atqui melius applicatur illa pecunia ad reparationem alterius Ecclesiæ pauperculæ, in qua cultus divinus & animarum salus eo ipso magis promovebitur, quam si expenderetur pro comparandis paramentis Ecclesiasticis Monasterio aliunde opibus abundanti, applicandis: ergo &c.

Dices tamen contra hanc resolutionem. Casus fert, quod Prælatus Monasterii illico votum habuerit ratum & gratum, & hoc ipso acceptaverit: sed si acceptavit, eo ipso aquisivit jus in paramenta suæ potius, quam alteri Ecclesiæ offerenda: ergo nullus Confessarius privilegiatus in hoc voto dispensare potest, neque illud commutare, utpote vergens in præjudicium Monasterii.

283. R. Negando minorem: jus enim non aquiritur vi promissionis acceptatæ, nisi promissio fuit facta acceptanti: atqui in nostro casu promissio non fuit facta Monasterio vel Prælato, sed Deo, licet in favorem Monasterii: ergo per acceptationem vel ratificationem Prælati Monasterium nondum aquisivit jus. Itaque ad genuinam hujus difficultatis valde notabilis intelligentiam bene advertendum est, longe aliter discurrendum esse de casu, quo promissio fit soli Deo in favorem aut commodum alicujus tertii v. g. Monasterio, amico, pauperi &c. facta fuit: in hoc enim posteriori casu vi acceptationis acquiritur jus promissario, non item in illo priori: pactum enim, cum sit *duorum consensus in idem placitum l. 1. de pactis* non subsistit, nisi mutuo utriusque consensu firmetur & quasi formetur: ergo ubi promissio non fuit facta ipsi acceptanti, vel ubi facta non fuit acceptata a promissario, nondum paritur jus: unde in hoc posteriori casu hujusmodi votum vel promissio etiam jurata nedum a Confessario privilegiato, sed etiam ab ipsomet vovente potest mutari in aliud opus melius, seu tale, quod omnibus perpensis creditur Deo gratius & acceptius. Videantur de hoc Lessius *lib. 2. c.* 40. *dubit.* 16. *num.* 104. Michel *tom.* 2. *p.* 2. *punct.* 9. *sect.* 2. *num.* 16. & 17. Laymann *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 8. *num.* 21. vel de la Croix *l.* 3. *part.* 1. *n.* 536.

284. Dixi etiam, quod Confessarius pri-

privilegiatus possit Sempronio deferre *absolute loquendo &c.* ut per hoc innuerem, in similibus casibus non nisi quam cautissime procedendum esse ad dispensationem vel ad commutationem voti: esto enim Monasterio ipsi ob rationem proxime datam nullum fuerit jus aquisitum, quia tamen supponitur votum fuisse factum in favorem Monasterii, profecto sine gravi offensa Abbatis vel Monasterii vix, aut ne vix quidem potest fieri dispensatio: quamobrem de facili non consulerem cuicunque demum Confessario ex nostro Ordine, ut in tali voto, præsertim jam antecedenter intimato Abbati, uti hic supponitur, præsumat dispensare, vel commutare, facile enim posset incurrere periculum scandali, aut privati, quomodocunque demum interessati & sinistri affectus, atque hoc ipso nedum propriam suam personam, sed etiam integrum Ordinem vel Conventum exponere periculo prostitutionis, prout bene notarunt Layman *lib.* 4. *tr.* 4. *cap.* 8. *num.* 21. Sporer *ubi supra cap.* 3. *num.* 101. Posset nihilominus eidem intimare, esse in ipsius arbitrio positum, easdem expensas facere vel pro paramentis Monasterio offerendis, vel pro reparanda alia Ecclesia paupercula &c.

CASUS TERTIUS.

Cajus juvenis rixando tam graviter fuit læsus a suo adversario, ut a peritis etiam crederetur moriturus ex hoc vulnere: in tantis igitur angustiis constitutum se sentiens vovit suscipere Ordines statumque Clericalem amplecti, si per Dei clementiam ab hoc vulnere curatus incolumis evaderet. Ast elapsis postea aliquot septimanis, dum paulatim animadvertit se evasisse periculum, voti pœnitens accersivit quendam e Mendicantibus Confessarium, petiitque ab eo dispensari in hoc voto, candide fassus, se ob nimiam fragilitatem intrinsecam nequidem in statu clericali observaturum castitatem, proptereaque existimare, statum matrimonialem ad animæ suæ salutem magis fore proficuum, cui Confessarius: Charissime, ajebat, hoc votum æquivalet voto castitatis, & quidem perpetuæ, quod cum soli S. Pontifici sit reservatum, neque a me, neque ab illo alio privilegiato relaxari valeat mediante dispensatione. Quæritur, an Confessarius iste bene responderit?

285. R. Non bene: falsum quippe est, quod votum suscipiendi sacros Ordines æquivaleat, seu virtualiter idem sit, ac votum castitatis, quandoquidem talis nihil aliud supponitur promisisse, quam susceptionem Ordinum: unde quemadmodum ille, qui vovit ingredi aut profiteri aliquam Religionem, ante actualem professionem nondum tenetur ex voto ad paupertatem, obedientiam, vel castitatem servandam, ita pariter Cajus noster ante actualem susceptionem majorum Ordinum non tenetur ex voto ad castitatem, neque contra hanc delinquendo committit peccatum qualificatum contra virtutem Religionis. Adde insuper, quod votum Caji fuerit duntaxat conditionatum, conditione nondum integre adimpleta: atqui in votis conditionatis quibuscunque, ante conditionem adimpletam, possunt Confessarii privilegiati dispensare; siquidem tale votum ante conditionem adimpletam nondum est votum perfectum, neque actu obligat, uti bene advertit Marchantius noster *tribunal. Sacram. tom.* 2. *tr.* 3. *tit.* 4. *q.* 4. *dub.* 4. Quare cum Cajus pro dispensatione allegaverit prudens & rationabile motivum, Confessarius nedum potuisset, sed etiam debuisset illum liberare ab hoc onere, haud equidem absolute & simpliciter dispensando, sed potius commutando, & substituendo aliud onus ad salutem animæ magis proficuum, prout amplius constabit ex dicendis *infra a n.* 307.

Sed quid, inquies, si Cajus supponatur promisisse castitatem perpetuam, vel Religionis ingressum sub conditione reconvalescentiæ, & post integram sanitatem jam jam recuperatam primum petere dispensationem, vel commutationem voti, poteritne Confessarius privilegiatus huic deferre?

R. Etiam in hoc casu probabilissime dispensari posse cum Cajo per Confessarium privilegiatum. Ita contra Laymannum, Azor. & alios plures tenent Sanchez *lib.* 4. *mor. c.* 40. *n.* 99. Bonacina *disp.* 4. *q.* 2. *pu.* 7. §. 4. *n.* 17. Castropalao *disp.* 2. *pu.* 12. *n.* 15. Filliuc. *tr.* 26. *n.* 271.

Sporer

Sporer *c.* 3. *n.* 66. Marchantius *loc. cit.* Ratio est: quia etiam votum castitatis vel Religionis non est reservatum Summo Pontifici, nisi sit perfectum: atqui votum Caji nostri etiam post purificatam conditionem manet suo modo imperfectum, ex eo, quod Cajus non tam amore virtutis seu castitatis aut Religionis, sed potius amore sanitatis recuperandæ, vel timore mortis fuerit impulsus ad vovendum: ergo. Secus tamen dicendum existimant de la Croix, Felix Potestas, Michel ubi supra *n.* 25. de iis votis, quæ tantum apparenter, & non vere sunt conditionalia, prout contingit, quando particula conditionalis *si* non apponitur ad suspendendum consensum usque ad eventum conditionis, sed potius apponitur ad terminandum tempus adimplendi votum, veluti si vovens dicat: voveo ingredi Religionem, si Pater meus obierit; quod idem est, ac dicere: voveo ingredi Religionem, quando Pater obierit. Ita Suarez *lib.* 6. *de vot. c.* 12. *n.* 6. Bonacina & alii.

Sed quid de eo tenendum ais, qui voto pœnali se obstrinxit, Romam usque ad limina Apostolorum peregrinandi, si denuo commisisset certum crimen v. g. adulterii &c. poteritne etiam cum tali Confessarius privilegiatus dispensare, si postea in idem crimen inciderit?

287. R. Probabilissime potest: ita enim *communissime* tenent Doctores, nominatim Suarez, Sanchez, Laymann, quos refert & sequitur Sporer *cit. n.* 63. Ratio hujus est eadem, quæ prioris resolutionis: quia scilicet hujusmodi vota pœnalia sunt pariter imperfecta, quatenus vovens ad vovendum non fuit inductus amore honestatis, quam peregrinatio seu visitatio liminum Apostolicorum de se involvit, quin potius manifestat per hoc, quod hanc visitationem sacram udicet rem sibi pœnosam, a qua, cum voluntatem adverterit aversam, voluit hujus incurrendæ timore sese obligare ad hanc pœnam subeundam, ut sic Sacro quodam horrore illius incurrendæ retrahatur a crimine.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

198. Colliges ex hactenus dictis primo vota quomodocunque dubia, seu talia, de quorum valore dubitatur, non esse reservata Summo Pontifici, idque verum est, sive dein sit dubium juris, utputa; an quis vere promiserit, seu obligaverit se ad servandam castitatem? &c. an talis vel talis promissio revera sit Summo Pontifici reservata? &c sive sit dubium facti: utputa, an unquam aliquid promiserit cum plena deliberatione? cum intentione se obligandi? &c. &c. Ita *Communissime* Doctores. Gobat *tom.* 3. *de vot. n.* 330. quem sequitur Felix Potestas, *in exam. Confess. tom.* 1. *part.* 2. *c.* 3. *n.* 1999. Ratio hujus est: quia reservatio est valde odiosa & gravis nedum pœnitentibus, verum etiam Confessariis, quorum auctoritas & potestas inde diminuitur: at, hoc ipso restringenda est ad casus certos duntaxat, perfecte voluntarios, & graviores, prout jam diximus *in theolog. Sacram. part.* 2. *Confer.* 13. *n.* 343. *ubi de casibus reservatis*: ergo idem dicendum est in proposito.

289. Colliges secundo, quod quemadmodum votum castitatis imperfectæ tantum, puta votum castitatis conjugalis præcisæ, votum non petendi debitum, non fornicandi, non nubendi &c. non est reservatum secundum dicta *n.* 273. &c. &c. ita pariter non sit reservatum imperfectum Religionis, talis scilicet, cujus Professores non tenentur emittere tria vota substantialia. Atque hinc votum ingrediendi Religiones militares Equitum S. Georgii, S. Jacobi, Calatravæ & Alcantaræ non est reservatum, sed potest commutari a Confessario privilegiato; quia de his dubitatur, an sint veræ Religiones, & dicti Equites emittunt duntaxat votum castitatis imperfectæ, nempe conjugalis: e contra votum ingrediendi Religionem Equitum militarium Sancti Joannis est reservatum; eo quod hæc sit vera Religio, & Ejusdem professores emittant

tria vota solemnia, scilicet obedientiæ, paupertatis, & castitatis perfectæ .˙. Ita Felix Potestas proxime *cit. n.* 2003. & 2004. referens pro eadem opinione Rodriq. *in summa part.* 2. *de vot.* & Leandr. *de vot. n.* 746.

290. Colliges tertio, vota trium peregrinationum supra *n.* 273. relatarum non esse reservata Summo Pontifici, nisi sint facta devotionis causa 1. Hinc quivis Privilegiatus Confessarius dispensare valet cum eo, qui vovit Romam ire, vel Hierosolymam solum ad videnda loca sacra, vel ad videndum apparatum Aulæ Pontificiæ &c. cum enim hujusmodi votum potius vanitatis quam devotionis causa factum fuerit, plane sat imperfectum dici debet: quia & merito dubitare licet, an sit validum; siquidem non est de meliori bono; atqui vota tam imperfecta omnium consensu non censentur reservata summæ Sedi, prout ex hactenus dictis satis liquet: ergo &c. Videatur de hoc Herincx *disp.* 4. *de vot. num.* 59. de la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 570. vel Felix Potestas *ubi supra numer.* 2007. ubi is recte dicit; in casu, quo vovens dubitat, an devotionis causa, an vero alterius finis gratia voverit, præsumendum esse, quod id fecerit causa devotionis; cum id ordinarie contingere soleat.

291. Colliges quarto, a Privilegiatis pariter dispensari posse cum iis, qui vovent materiam de se reservatam, v. g. peregrinationem, vel castitatem perpetuam, sed sub disjunctione duntaxat cum alia materia non reservata; ut si quis dixerit: *voveo vel castitatem perpetuam, vel perpetuam abstinentiam, verbi gratia a vino*. Ita *communis Doctorum*. Ratio est: quia vi hujus voti non nascitur determinata obligatio ad servandam castitatem perpetuam, sed manet voventi liberum eligere alteram partem non reservatam, puta abstinentiam a vino, juxta *cap.* 70. *de R. J. in sexto* ubi dicitur: *in alternativis debitoris est electio, & sufficit alterutrum impleri*: ergo hoc non fuit votum castitatis perfectum, & per consequens nec reservatum. Secus dicendum foret, si talis ex post facto sese determinasset cum animo se obligandi ad partem reservatam, puta castitatem perpetuam & integram; quia talis determinatio cum intentione nova sese obligandi æquivalet novo voto; & quidem circa materiam reservatam Summo Pontifici. Videatur Castropalao *ubi supra punct.* 11. *numer.* 6. vel Laymann *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 12. Secus insuper dicendum foret, si quis vovendo se obligasset sub disjunctione ad duo, quorum utrumlibet est reservatum S. Pontifici v. g. hoc modo: *voveo vel castitatem perpetuam observare, vel statum religiosum amplecti*; esto enim talis vi voti non obligetur determinate ad unum, obligatur tamen determinate ad alterum e duobus, & quia utrumque supponitur reservatum, hinc nequit amplius in hac obligatione dispensari a quocunque demum Confessario privilegiato, sed a solo Summo Pontifice, uti bene docent Felix Potestas *cit. num.* 2012. de la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 548. & alii *satis communiter*.

292. Colliges quinto, dispensationem voti irritam seu invalidam reddi posse non solum ex eo, quod sine justa causa fuerit concessa, sed etiam ex eo, quod causa ab Oratore allegata non subsistat seu falsa sit; quo casu dispensatio appellari solet *obreptitia*. Ratio est: quia in utroque casu deficit voluntas dispensandi: in priori quidem, quia secundum dicta *n.* 275. Deus hujusmodi dispensationem voti sine ulla justa causa factam ratam non habet, sed potius improbat: in posteriori autem, quia ubi causa dispensationis falso allegatur, ibi deficit motivum, hoc ipso etiam voluntas ex parte ipsius dispensantis: hac autem cessante valor dispensationis corruit, nec potest taliter dispensatus tuta conscientia uti privilegio dispensationis: ergo &c. Ita *communis Doctorum*.

Sed quid, inquies, si tam petens, quam etiam concedens dispensationem ab initio quidem bona fide processerunt, existimantes subesse sufficientem causam dispensandi, postea vero primum advertant insufficientiam causæ, eritne dispensatus in conscientia tutus, ita, ut non amplius teneatur ad votum?

293. R.

293. R. Probabiliter non amplius tenetur ad votum. Ita enim tenent insignes Doctores Lessius *lib. 2. c. 40. dubit. 17. n.* 119. Sanchez *de matr. lib. 8. disp. 17. n.* 8. Azorius *instit. moral. part. 1. lib. 5. cap. 15. q.* 3. Diana 1. *part. tr. 10. Resol.* 33. ducti hac ratione: quia Deus a Ministris suis plus non exigit, quam ut prudenter procedant, quantum humana fragilitas patitur: ergo ubi Prælatus bona fide existimat suppetere causam sufficientem, & beneficium dispensationis impertitur, Deus approbat solutionem voti: sublato autem semel vinculo non amplius reviviscit &c. Hanc opinionem judico probabilem, nec dubito, quin taliter dispensatus inde possit sibi formare dictamen conscientiæ practice certum & tutum: fateor tamen oppositam sententiam, quam tenent Salas *de legibus disp. 20. sect. 4. n.* 35. Castropalao *tr. 15. disp. 2. pu. 9. n.* 4. mihi videri longe probabiliorem: quia error antecedens obstat voluntario: ergo cum dispensans erraverit circa causam seu motivum dispensandi, dispensatio censeri debet involuntaria, quippe quam non aliter nisi subsistente justa causa concedere voluit: unde priorem sententiam insinuandam quidem censui, posteriorem vero in praxi consulendam & inculcandam pœnitentibus.

294. Colliges tandem sexto, ad valorem dispensationis non esse necessariam aliquam specialem formam vel ceremoniam, sed sufficere, quod concedens seriam voluntatem dispensandi (etiam extra actum Confessionis, nisi forsan in Rescripto aliter exprimatur) exterius manifestet, & declaret dispensato. Ita expresse tenent Filliucius *tr. 26. c. 9. n.* 279. Henno ubi supra *q.* 3. §. 3. *in fine.* Ceterum quo modo in votis Summo Pontifici reservatis, & præsertim in impedimentis matrimonii vel a Pontifice vel etiam ab Episcopo impetrari possint aut debeant dispensationes, tradi di ex professo *in theolog. Sacram. part. 3. Conferent. 20. per tot.* possuntque de hoc videri Reiffenstuel *in Appendic. ad lib. 4. decret. de dispensat. super impedim.* Noster R. P. Kazenberger *in supplem. decalog.* P. Sporer *c. 1. sect. 4. a n.* 378. Vel A. R. P. Kreslinger *in Appendice post tr. 6. dist. 3. theolog. mor.* R. P. Reiffenstuel *ad n.* 53.

CONFERENTIA UNDECIMA.

De Commutatione Votorum & Juramentorum.

SUMMARIUM.

295. *Commutatio Voti est substitutio operis honesti loco alterius Deo promissi &c.*
296. *Quicunque de jure ordinario vel saltem delegato possunt in votis dispensare, possunt etiam illa commutare.*
297. *Commutatio voti tripliciter fieri potest, scilicet vel 1. in opus melius, vel 2. in æquale, vel 3. in opus minus bonum.*
298. *Quivis propria auctoritate potest opus suum commutare in aliud evidenter, vel moraliter certo melius.*
299. *Excipienda tamen ab hac regula sunt quinque vota soli Summo Pontifici reservata &c.*
300. *Confessarii Mendicantium possunt omnia vota commutare;*
301. *Exceptis duntaxat illis quinque, quæ diximus Summo Pontifici specialiter reservata.*
302. *Nec non illis, quorum commutatio vergeret in præjudicium tertii.*
303. *Hæc potestas commutandi merito extenditur ad vota jurata.*
304. *Commutatio voti in aliud opus evidenter melius fieri potest ex mero beneplacito voventis, non item in aliud opus, vel æque, vel omnino minus bonum.*
305. *Satisfit cuidam instantiæ contra hanc resolutionem factæ;*
306. *Sufficit tamen ad valorem commutationis quævis causa rationabilis.*
307. *Quidnam in commutatione votorum sit specialiter observandum?*
308. *Recensentur breviter nonnullæ formulæ commutationum, ab aliis viris insignibus factarum.*

309.

309. *Resolvitur Casus I. cujusdam pœnitentis, qui petiit commutationem voti in favorem cujusdam Ecclesiæ facti, & a Parocho ejusdem Ecclesiæ acceptati.*
310. *Utrum idem R. Dominus Parochus hunc potuerit ab obligatione voti liberare, vel saltem illud commutare;*
311. *Præsertim si is supponatur in gratiam sui Parochi hoc votum vel juramentum fecisse.*
312. *Resolvitur Casus II. cujusdam pœnitentis, qui & lusum & potum excessivum sub voto pœnali sibimet interdixerat, sed sine effectu.*
313. *Confessarius privilegiatus non votum duntaxat, sed & pœnam statutam, vel pro prioribus transgressionibus debitam potuit;*
314. *Immo vero debuit commutare.*
315. *Quo modo hæc commutatio fuerit facienda.*
316. *Resolvitur Casus III. Cujusdam personæ conjugatæ, quæ votum peregrinationis sibimet mutaverat in quotidianam auditionem sacri: postea tamen a Confessario petiit aliam commutationem.*
317. *Qua, si opus a Confessario subrogatum non potuisset præstare, non fuisset obligata ad peregrinationem olim promissam.*
318. *Licet hanc pro arbitrio potuisset reassumere, relicto etiam opere a Confessario subrogato vi commutationis.*
319. *Quin etiam, si opus propria duntaxat auctoritate subrogatum non potuisset amplius exequi, fuisset obligata ad reassumendam peregrinationem quondam promissam.*
320. *Ubi pœnitens postulat commutationem, vel omnimodam dispensationem in voto, Confessarius debet bene examinare & ponderare nedum substantiam voti, sed etiam circumstantias & qualitates &c.*
321. *Non est tamen in hac materia nimis anxie, aut nimis scrupulose procedendum.*
322. *Hinc ex rationabili causa potest votum reale commutari in personale, & vice versa.*
323. *Ubi votum reservatum semel legitime fuit commutatum in aliam materiam non reservatam, potest deinceps a quovis Confessario privilegiato commutari.*
324. *Per se loquendo quævis commutatio fieri potest extra actum confessionis, etiam respectu absentis.*
325. *Vota non reservata facilius sunt commutabilia: nihilominus Confessarius & nimiam laxitatem, & nimium rigorem evitare debet.*
326. *Quicunque lucratus fuit jubilæum, & oblitus petere commutationem voti, potest eam postea petere a quolibet Confessario.*
327. *Hactenus dicta de commutatione votorum suo modo etiam intelligi debent de commutatione juramentorum.*
328. *Cui materia gravis legitime fuit commutata in levem, probabilissime non peccat plusquam venialiter negligendo postea hujusmodi materiam levem priori voto subrogatam.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite faciendam commutationem votorum.

QUæres primo, quid sit Commutatio voti?

295. R. Commutatio voti idem est, ac substitutio operis honesti loco alterius Deo promissi sub eodem vinculo. Ita *in re communiter Doctores*. Filliucius *tract.* 26. *numer.* 280. Herincx *disp.* 4. *de voto numer.* 45. Explico brevissime: dicitur 1. *substitutio*, id est, subrogatio; dicitur 2. *operis honesti*; quia cum opus mere indifferens nihil conferat ad cultum Dei, non potest substitui. Dicitur 3. *loco alterius*, id est prioris, *Deo promissi*: nam si promissio simul sit facta homini, & ab hoc acceptata, tam facile fieri non potest commutatio, prout amplius constabit ex dicendis. Additur *sub eodem vinculo*; quia vovens merito præsumitur promittere, quod deinceps velit illud opus a Confessario subrogatum præstare; ideoque ad hoc tenetur sub eadem obligatione Religionis.

Quæres secundo, quinam valeant commutare vota?

296.

296. R. Omnes illi, qui de jure ordinario vel saltem delegato possunt dispensare in votis, possunt illa etiam commutare; non tamen vice versa. Ita rursus *communiter Doctores*, nominatim Henno *tr. in decalog. disp.* 2. *q.* 3. §. 4. *concl.* 2. Ratio prioris est: quia juxta *cap.* 53. *de R.J. in sexto*: *cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus, præsertim si illud minus comprehendatur in majori*: atqui potens dispensare in voto, hoc ipso potest totam voti obligationem tollere: ergo a fortiori potest eandem obligationem commutando transferre in aliam. E contrario tamen cui concessum est id, quod est minus, non eoipso concessum censeri debet id, quod est majus: atqui minus est votum commutare, quam in illo dispensare: ergo qui possunt commutare vota, non eo ipso pollent potestate in iisdem dispensandi: immo juxta expositores in Bulla *Cruciatæ* datur facultas vota commutandi, non tamen dispensandi. Videatur Michel *theolog. Can. mor. tom.* 2. *tr.* 2. *pu.* 9. *sect.* 3. *numer.* 10.

Ergone, inquis, vovens ipse nequit propria auctoritate votum sibi commutare in aliud opus honestum?

297. Ante responsionem directam ad hoc quæsitum notandum est, commutationem voti tripliciter fieri posse, scilicet 1. *in opus melius*, 2. in opus *æque bonum*, 3. in opus *minus bonum*.

Porro opus melius non debet reputari illud, quod præcise in se præstantius est vel excellentius, secus enim actus charitatis erga Deum præferri deberet omnibus aliis operibus quantumcunque bonis ac perfectis: sed illud nuncupatur melius, quod hic & nunc omnibus pensatis creditur Deo gratius: æque bonum dicitur æqualiter; & minus bonum appellatur, quod prudenti judicio censetur Deo minus gratum seu acceptum: & quia teste Seraphico Patre nostro Francisco nihil Deo est acceptius salute animarum; hinc doctissimus simul & piissimus Sanchez *lib.* 4. *moral. c.* 56. *nu.* 6. sapienter concludit, illud opus censendum esse Deo gratius, *quod pro tempore & loco & voventis dispositione magis congruit ejus saluti spirituali*. Hoc notato

298. R. Jam ad quæsitum. Vovens ipse propria auctoritate per se loquendo, nisi scilicet talis commutatio cedat in præjudicium tertii, potest suum votum commutare in aliud opus, quod est evidenter vel moraliter certo melius: at probabilius non in opus æqualiter bonum, multo minus in opus minus bonum. Ratio primæ partis inter Doctores *Communiter* receptæ desumitur tum *ex cap. pervenit de jurejur.* ubi dicitur: *promissum non infringit, qui illud in melius commutat*; tum ex eo etiam, quia votum non debet esse impeditivum majoris boni: foret autem, si non posset commutari in aliud opus melius: ergo &c. Et licet debitor non semper satisfaciat solvendo creditori invito rem meliorem, ut habetur *L.* 3. *ff. si certum petatur*, id tamen solum fit propterea, quia res melior non est semper homini gratior; semper tamen homo satisfaciat Deo præstando rem meliorem; quia Deo semper est gratius illud, quod est melius, ut ex hactenus dictis liquet. Ratio autem posterioris (quam contra Tannerum & alios nonnullos tenent Sanchez, Suarez, Castropalao *tr.* 15. *p.* 15. *n.* 4.) est: quia Deo displicet inconstantia, & mutabilitas animi ab una materia in aliam transilientis, nisi melior fuerit: Et licet opposita sententia insistendo rationi videatur æque probabilis, quandoquidem secundum dicta opus æque bonum dicitur illud, quod est æque gratum & acceptum &c. in praxi tamen minime consulenda est; eo quod vovens proprio judicio, affectu, & commoditate ductus de facili posset aliquid apprehendere velut æque bonum, quod tamen a parte rei minus gratum, minusque acceptum est Deo. Denique quod nullus, nisi potestate dispensandi præditus possit commutare votum in aliud opus minus bonum, apud omnes in confesso est; etenim lumen rationis dictat, nec posse, nec debere cuicumque demum creditori obtrudi rem viliorem pro meliori: ergo nec Deo id fieri debet. Videatur de hoc Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *numer.* 105. & 109. Filliucius *tract.* 26. *a num.* 282.

Ergo-

Ergone, inquies, etiam illa quinque vota, quæ superius *n.* 273. diximus soli Summo Pontifici reservata propria auctoritate voventis commutari possunt in alia opera meliora?

299. R. Non possunt commutari, eo ipso quod sint reservata: illud tamen jure permissum est, ut votum castitatis perpetuæ & trium peregrinationum propria cujuspiam auctoritate mutari valeant in votum Religionis, idque propterea, quia vi professionis Religiosæ homo se ipsum, & omnia sua Deo in perpetuum consecrat, ratione cujus teste S. Thoma 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 1. reliqua vota omnia in se eminenter complectitur: idipsum haud obscure innuitur *cap. scripturæ* 4. *de voto* dum dicitur: *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare.* Videatur Lessius *cit. c.* 40. *n.* 106. Navarrus *in summa cap.* 12. *n.* 65. Castropalao *disp.* 2. *pu.* 15. *num.* 2.

Quæres tertio, quænam vota a Confessario Mendicantium aliisve privilegiatis commutari valeant?

300. R. Possunt commutari omnia vota fidelium ad se recurrentium, iis duntaxat exceptis, quæ S. Pontifex voluit sibi soli reservata, & quorum commutatio vergeret in præjudicium tertii. Ita *ex communi DD.* Suarez *l.* 6. *de voto c.* 12. *n.* 10. Laymann *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 20. Azorius *institut. mor. lib.* 11. *c.* 10. *q.* 4. Ratio hujus facile eruitur ex dictis *supra n.* 274. quia dicti Confessarii possunt ex potestate sibi delegata dispensare in omnibus votis (salva limitatione mox data) ergo a fortiori possunt eadem commutare conformiter ad Regulam Juris proxime *num.* 296. relatam. Accedit insuper, quod raro tam prægnantes causæ concurrere soleant, ut in voto totaliter & absque onere ullo debeat dispensari, sed potius dispensationi quædam commutatio conjungi veluti praxis Curiæ Romanæ quasi quotidie docet: ergo rationabilissime præsumitur, quod Summi Pontifices delegantes Confessariis nostris facultatem dispensandi, ipso facto a fortiori voluerint delegare facultatem commutandi.

301. Dixi: exceptis duntaxat iis, quæ Summus Pontifex sibi soli voluit reservata &c. hoc ipso enim, quod Summus Pontifex hæc vota voluerit specialiter reservata suæ potestati, censetur potestatem dispensandi aliis inferioribus subtraxisse, quemadmodum reservando casus suæ potestati, aliis quibusvis Confessariis adimit jurisdictionem ab iisdem absolvendi; quo fit, ut nullus privilegiatus per se loquendo possit dispensare in votis summæ Sedi specialiter reservatis, sicut nullus potest absolvere a casibus Eidem S. Sedi reservatis. Quin immo attentantes hujusmodi vota sine speciali licentia Summi Pontificis commutare incurrunt excommunicationem, latam *Extrav. Etsi Dominici de pœnit. & remiss. in sexto.* Secus dicendum est, dum votum quacunque demum de causa cessavit esse reservatum, prout jam superius *n.* 273. satis clare intimavimus: id, quod a pari colligere fas est de casibus reservatis, qui, quamprimum cessant esse reservati, ipso facto cadunt sub jurisdictionem cujuslibet Confessarii approbati.

Dixi insuper: exceptis iis, *quorum commutatio vergeret in præjudicium tertii.* Ratio est: quia nemo invitus absque sua culpa privari debet, vel potest jure jam acquisito: hac de causa indultis Pontificiis, quibus facultas dispensandi conceditur, semper additur hæc clausula (vel, nisi addatur, subintelligi debet, ait Sporer) ut privilegiatus dispenset vel commutet votum *sine præjudicio tertii*: atqui supposita acceptatione tertii utique huic fieret injuria, si votum vel simpliciter per dispensationem tolleretur, vel per commutationem in alterius favorem transferretur: ergo hoc nec potest, neque debet fieri.

Quæres quarto, utrum Confessarii habentes potestatem delegatam commutandi &c. possint etiam vota jurata, seu juramento firmata commutare, aut in iisdem dispensare?

303. R. Affirmative. Ratio est: quia juramentum sequitur naturam actus, cui adjicitur: ergo cum votum, cui supponitur fuisse adjectum, subsit potestati commutativæ vel dispensativæ Confessarii privilegiati, per consequens etiam juramentum voto adjectum subest; ruente

quippe

quippe principali, etiam accessorium ruere, necessum est per *l. 178. ff. de R. J.* Et certe juramentum voto adjectum non parit aliam obligationem, nisi religionis, quin potius est quædam ratificatio voti semel facti: ergo si votum velut principale possit auctoritate Confessarii privilegiati tolli, pariter potest tolli juramentum seu vinculum juramenti voto adjectum, prout bene discurrit Gobat *de Jubilæo in Quin. tr. 3. c. 48. n. 287.* Quin & Gregorius XIII. inclytæ Societati JESU indulsit privilegium (quo per communicationem etiam alii privilegiati gaudent) commutandi omnia vota (Sedi Apostolicæ non reservata) etiam jurata, sine præjudicio tertii: certum proin, & exploratum hodie esse debet, quod Confessarii Mendicantium vota etiam juramento confirmata possint tollere, sin minus simpliciter & per dispensationem saltem secundum quid, seu per commutationem. Videantur de hoc Diana *part. 1. tr. 11. Resol. 43.* Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 2. n. 23.* Laymann *lib. 4. tr. 3. c. 11. n. 3.*

Quæres quinto, utrum ad validam & licitam commutationem voti necessaria sit justa causa?

304. R. Ad hoc cum distinctione; enimvero ad hoc, ut votum valide & licite commutetur in aliud opus evidenter melius; sufficit solum beneplacitum voventis, qui & auctoritate propria id facere potest: at vero, 2. ut votum commutetur in aliud opus æquale, requiritur saltem aliqua justa causa, licet non adeo prægnans: 3. ubi vero commutatio fit in opus minus perfectum, necessum est, ut & major ratio & auctoritas Confessarii vel alterius Superioris interveniat. Ita in re & veritate *communis Doctorum*. Ratio primi est: quia id, quod est evidenter melius, Deo merito censetur gratius & acceptius: ergo propria cujusvis voventis auctoritate id nedum valide, sed & licite fieri potest sine præjudicio tamen tertii; quia Deus præsumitur esse contentus, esto ceteroquin non omne opus ex præcepto debitum semper mutari possit in aliud opus melius, ut patet in auditione Missæ, quæ non potest auctoritate propria cujusvis mutari in jejunium, confessionem &c. prout sapienter advertit A. R.P. Bernardinus Thenhaven in suo *Nucleo Theologiæ Canonico-Moralis Exam. 16.*

Ratio secundi est: quia ubi opus subrogatum supponitur æquale operi ex voto debito, nihil prorsus derogatur neque honori divino, ut de se liquet, neque etiam saluti voventis: ergo probabiliter etiam solius voventis auctoritate tale votum potest commutari in aliud opus saltem evidenter æquale; licet hoc a multis non absque ratione negetur, & a Confessariis dissuadendum sit, ne fortassis amore proprio quispiam deceptus sibi persuadeat, opus subrogatum melioris esse conditionis, ubi tamen hoc inferioris conditionis est, de quo videri potest Tamburinus *lib. 3. in dec. c. 16. §. 5. n. 14.* vel Suarez *lib. 6. de vot. c. 20. n. 4.*

Ratio denique tertii est hæc: quia ubi commutatio voti fit in aliud opus notabiliter minus bonum (si enim fit in paulo minus reputabitur moraliter æquale, si quidem parum pro nihilo reputatur) necessum jam est, ut interveniat quædam dispensatio: atqui ad dispensandum licite ac valide, necessum est, ut interveniat major seu magis ponderosa ratio, simulque auctoritas Superioris &c. ergo &c. Unde si quis etiam Superior, vel ab hoc delegatus attentaret commutare votum in aliud opus notabiliter minus bonum v. g. jejunium in quinque *Pater & Ave*, probabiliter nedum invalide ageret, sed & incurreret reatum peccati mortalis: quia usurparet potestatem sibi non concessam in præjudicium Dei, & detrimentum salutis. Videatur Castropalao *tr. 15. disp. 2. punct. 17. num. 2.* Azorius *tom. 1. lib. 11. c. 28. q. 12.* Suarez *l. 6. c. 19. n. 14. & c. 20. n. 6.*

Dices fortassis contra hanc resolutionem: Commutatio in contractibus, facta in aliud minus bonum valida est, esto inducat onus supplendi id, quod deficit ab æqualitate: ergo similiter commutatio voti in aliud quantumvis minoris bonitatis valida est, licet inducat obligationem supplendi defectum &c.

305. R. Neg. conseq. disparitas est, quod jura voluerint validare commutationem contractuum, idque ob evitandas lites,

lites, refervato tamen jure indemnitatis: e contra minime conftat, quod Deus voluerit ratificare hujufmodi commutationem in opus notabiliter minus bonum, quin potius præfumendum eft, quod noluerit quoad hoc fuis Miniftris dare facultatem abutendi & excedendi limites poteftatis fibi conceffæ. Ita Caftropalao *loc. cit. n.* 3. Henno *tr. in decalog. difp.* 2. *q.* 3. *art.* 9. §. 4. *concl.* 5.

Quæres fexto, quænam cenfeantur caufæ juftæ commutandi vota?

306. R. Quæcunque caufæ fufficiunt ad difpenfationem, juxta dicta *n.* 276. a fortiori etiam fufficiunt ad commutationem, veluti ex hactenus dictis liquido conftare poteft: quin immo ad commutationem licitam non requiritur tam gravis feu prægnans ratio, quanta ad difpenfationem, fed fufficit quævis rationabilis caufa arbitrio prudentis viri determinanda, utputa fpecialis utilitas voventis, major ejufdem inclinatio feu promptitudo in ordine ad præftandum opus fubrogatum, minus periculum transgrediendi vel non præftandi &c. & fimilia. Ratio eft: quia vi commutationis non fit totalis relaxatio vinculi (uti fit vi difpenfationis) fed folum fit quædam fubrogatio alterius oneris in locum vinculi prioris: ergo non eft neceffum, ut ad validam & licitam commutationem interveniat tam gravis & ponderofa ratio, quanta eft neceffaria ad difpenfationem, uti bene docent Caftropalao *tr.* 15. *difp.* 2. *pu.* 15. *n.* 8. Sanchez *lib.* 4. *in decalog. c.* 50. *n.* 21. de la Croix *lib.* 3. *p.* 1. *n.* 525.

Quæres feptimo, quo modo commutatio fieri debeat? & quidnam fpecialiter in commutatione votorum fit obfervandum?

307. R. Cum P. Matthæucci *in cautela Confeffar. lib.* 3. *c.* 4. *n.* 61. Regulam hujus rei certiorem dari non poffe, quam *prudens arbitrium Confeffarii*, qui omnibus circumftantiis bene ponderatis (non enim neceffum eft, neque oportet, ut illico rem quafi ex tripode decidat) conetur, quantum poteft, fervare æqualitatem, non utique phyficam, vel arithmeticam, fed moralem, quod, ut fecurius præftet, juvabit obfervare fequentes Regulas.

I. Votum perpetuum in perpetuam, perfonale in perfonalem, reale in realem obligationem regulariter commutandum eft: longa item peregrinatio in frequentiorem unius alteriufve Ecclefiæ non adeo diftantis commutari poteft, cum obligatione erogandi in pauperes illas expenfas, quas vovens in itinere eundo & redeundo facere debuiffet &c.

II. Per fe loquendo votum femper commutandum eft in id, quod prudenter judicatur utilius feu conducibilius tum ad Dei gloriam, tum etiam ad falutem fpiritualem ipfius voventis, ut fi is vovit v. g. jejunium ad carnem edomandam, & ob certas rationes non poffit jejunare &c. mutetur in geftationem cilicii, vel in abftinentiam a certo cibo aliunde charo, aut certa ciborum qualitate &c.

III. Præcipue vero confideranda eft femper conditio, qualitas & ftatus ipfius voventis v. g. pauperi, vel aliunde minus habenti votum eleemofynæ commutetur in recitationem rofarii &c. vel votum de procuranda Miffa &c. in auditionem duarum vel trium v. g. pro defunctis, in quorum fubfidium voverat curare Miffam legi &c. Debilibus & infirmis, vel aliunde ingenti labore occupatis votum jejunii commutandum eft in alia opera mitiora, ftatui proportionata & complexioni v. g. in frequentationem Sacramentorum &c. auditionem Sacri, concionum &c. in recitationem rofarii &c. de quo præter alios videri meretur Tamburinus mox relatus *lib.* 3. *c.* 16. §. 6. *per totum*. Pro majori tamen dilucidatione hujus materiæ juvabit percipere nonnullas commutationes votorum ab aliis Viris prudentiæ, difcretionis & fapientiæ laude clariffimis. Itaque

308. I. *Votum Caftitatis* (quod quidem non eft capax puræ commutationis, fed femper quædam difpenfatio ex delegatione Papæ commifcenda eft) Bardus & Suarez apud Felicem Poteftatem *Exam. Confeff. tom.* 1. *part.* 2. *c.* 3. *n.* 1940. commutandum cenfent in caftitatem conjugalem, nec non in confeffionem ac communionem fingulis menfibus, in recitandam quotidie tertiam partem Rofarii, & in jejunium fingulis feriis fextis. Similiter

II. *Votum Religionis* commutant in ftatum Sacerdotalem, vel in caftitatem

con-

conjugalem, cum quotidiana recitatione divini officii, vel integri rosarii, nec non in jejunia illi Religioni consueta, item in confessionem ac communionem singulis mensibus bis faciendam.

III. *Votum suscipiendi Sacerdotium* haud incongrue Viri docti apud Sanchez *lib. 4. moral. cap. 56. n. 43.* commutandum existimant in quotidianam recitationem officii B. Virginis, vel Rosarii, nec non in communionem decimo quinto quoque die obeundam, procurandamque celebrationem unius Sacri singulis mensibus, & insuper faciendum votum castitatis in statu laicali, vel certe singulis hebdomadibus semel jejunandum.

IV. Votum jejunandi singulis feriis sextis convenienter quidam Viri docti apud Sanchez *cit. num. 44.* commutandum putant in communionem singulis quindenis obeundam, vel in recitationem rosarii cum moderata eleemosyna singulis feriis sextis per totam vitam eroganda.

V. Votum solo pane & aqua transigendi singulas ferias sextas teste Sporer R. P. Gobat cuidam Sacerdoti debili magnam inde difficultatem patienti commutavit in prandium cum aqua, & collationem cum vino, & examen conscientiæ eo die faciendum. Plura hujusmodi exempla passim exstant apud Auctores videnda: vereor tamen, ne nonnulla hisce temporibus, ubi fervor & charitas multum refriguit, videantur nimis rigorosa. Hinc moneo duntaxat Confessarium, ne in hoc puncto vel nimis laxum vel etiam nimis rigorosum se exhibeat, sed conetur voto substituere talia opera, quæ & pœnitenti non nimis difficilia, simulque ad salutem animæ, & Dei gloriam videntur magis accommoda. Videatur Gobat *in Quinario tr. 3. de Jubil. cap. 42. numer. 324. & seqq.* Tamburinus *lib. 3. cap. 16. §. 6. a num. 11.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de commutatione Votorum.

CASUS PRIMUS.

Titius ad requisitionem R. Domini Parochi (cujus Ecclesia nuper fatali incendio fuerat incinerata) jurejurando sese obligavit, quod propriis sumptibus vellet procurare campanam unam: verum altera mox die hujus promissionis, utpote nimium liberalis sibi visa, pœnitens, petiit a quodam Confessario privilegiato, ut is secum in hoc juramento vel simpliciter dispensaret, vel certe illud in aliud opus facilius præstabile commutaret. Quæritur jam utrum Confessarius privilegiatus salva conscientia potuerit petitioni huic deferre?

309. R. Non potuit, nec commutando, neque etiam dispensando.

Ratio est: quia vota & juramenta promissoria in favorem tertii facta, & legitime acceptata, nequeunt a quocunque demum Confessario privilegiato commutari, multo minus absque consensu promissarii simpliciter dispensari: atqui vi juramenti promissorii a Titio facti Ecclesia jamjam aquisivit jus in campanam; cum enim R. Dominus Parochus nomine Ecclesiæ fuerit stipulatus, minime sane dubitandum, quin nomine ejusdem Ecclesiæ suæ promissionem juratam illico gratanter acceptaverit: facta autem tali acceptatione Ecclesia aquisivit jus ad rem promissam, scilicet ad campanam, sibi procurandam sumptibus Titii, per dispensationem vero vel commutationem voti hujus denuo privaretur jure jam aquisito: ergo nullus privilegiatus Confessarius potest hoc votum commutare, multo minus in eodem simpliciter dispensare. Hanc opinionem etiam tenet A. R. P. Sichrowischi ex inclyto Ordine Eremitarum S. P. Augustini *in sua dissertatione I. Canonico-theologica, articul. 30.* merito dicens, hanc *esse omnium*: secus dicendum, si juramentum fuisset factum homini vel Ecclesiæ, at nondum acceptatum; tum quia ante acceptationem homo

mo vel Ecclesia nondum aquisivit jus ; tum etiam, quia ante acceptationem tale juramentum censetur principaliter Deo factum ; de hujus autem immensa bonitate pie præsumere licet, quod obligationem remittat, si Ecclesiæ Prælatis vel Confessario prudenti ita fuerit visum expedire ; at vero de homine minime præsumendum est, quod velit cedere juri semel aquisito, velut sapienter advertit mox laudatus Doctor SS. Theologiæ.

Ergo, inquies, saltem R. D. Parochus poterit liberare Titium ab hoc onere ; siquidem omnis promissio etiam jurata saltem tacite involvit hanc conditionem : *nisi ille, in cujus favorem promissio facta fuit, libere remittat*.

310. R. Nequidem R. D. Parochus poterit hanc obligationem Titio remittere, nisi supponatur esse Prælatus vel Rector ejusdem Ecclesiæ : tametsi enim quivis homo privatus, quidni a fortiori R. D. Parochus possit stipulari, & aquirere Ecclesiæ, aliisve causis piis, juxta glossam communiter receptam *in c. quoties cordis C. I. q.* 7. modo verba promissionis ad ipsum dirigantur secundum dicta superius *n.* 282. Quia tamen per hujusmodi acceptationem jus non acquiritur homini privato, sed ipsi Ecclesiæ, cujus auctoritate vel nomine promissio acceptata fuit ; hinc postea minime stat in arbitrio hominis privati, sed solum in arbitrio Ecclesiæ, vel potius illius, qui talis Ecclesiæ Prælatus est, vel Rector, hujusmodi obligationem vel simpliciter condonare, vel in aliam commutare, prout recte advertit Lessius *lib.* 2. *de J. & J. cap.* 40. *dub.* 16. *n.* 104.

Sed quid, ais, si Titius dicat, se hanc promissionem juratam singulariter ob requisitionem seu stipulationem R. D. Parochi, & in hujus gratiam fecisse, nunquid ex hac saltem suppositione stabit in arbitrio ejusdem R. Domini Parochi obligationem hanc Titio remittere, vel non ?

311. R. Nequidem ex hac suppositione : esto enim supponatur hæc promissio in gratiam R. D. Parochi facta, quia tamen simul facta fuit in utilitatem Ecclesiæ, & jus huic, non vero illi aquisitum ; hinc pariter supposita acceptatione non stat amplius in potestate Parochi, sed illius duntaxat, qui Ecclesiæ præest velut Prælatus aut Rector, remittere hanc obligationem : fere quemadmodum si Titius in gratiam vel respectum sui Confessarii intercedentis jurasset huic pauperi dare victum, vel aliam eleemosynam, supposita acceptatione pauperis non amplius staret in arbitrio Confessarii remittere hanc obligationem. Secus iterum dicendum foret, si duo sibi invicem jurarent in mutuam utilitatem & gratiam, prout inter duos conjuges fieri potest, tunc enim mutuo consensu sibi invicem hanc obligationem v. g. de non petendo debito &c. remittere possent. Videatur de hoc Sporer *tr.* 3. *in decalog. c.* 3. *n.* 108.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius nobilis vir lusui nimium deditus probe animadverterat, se inde nedum ad incitas redactum iri, sed corpore simul & anima (ni desisteret infelix lusor) periturum : hinc nedum lusum, sed & potum excessivum, vi cujus ad illum plerumque fuerat inductus, execratus, jurejurando, vel potius voto jurato sese obstrinxerat, quod deinceps toties in pane & aqua vellet jejunare, quoties in potu notabiliter excessisset : & insuper toties audire Sacrum, eoque durante rosarium dicere, quoties lusisset. Verum ab illo tempore nedum lusui, sed & compotationibus sat frequenter nimium indulsit, quin tamen vel semel tantum jejunasset, vel Sacro interfuisset, vel intuitu talis excessus expiando rosarium dixisset, idque ut ipse fatetur ; partim ob inveteratam luriditatam & incuriam salutis, partim etiam ex eo, quod subin vi officii sibi incumbentis nec lusum, neque etiam potum excessivum declinare potuerit. Quæritur jam primo, an Confessarius privilegiatus hac Sempronii accusatione possit esse contentus ? & præsertim 2. *An hujusmodi vota vel juramenta pœnalia nedum possit, sed etiam debeat commutare ?*

312. R. ad prius quæsitum, utique non posse illico esse contentum hac Sempronii accusatione, vi cujus neque numerus, neque etiam species peccatorum fuit satis expressus. Debuit igitur ex

eo interrogare 1. an revera intenderit graviter sese obligare ad subeundas præfatas pœnas ? & si hoc : secundo oportebat ulterius interrogare, quoties determinate, vel circa circiter ab ultima confessione luserit, & quoties in potu excesserit ? 3. item, quoties circiter vi sui officii non potuerit declinare lusum, vel potum excessivum ; non enim verosimile videtur, quod pro tali casu voluerit se graviter obligare ad subeundam pœnam, præsertim si excessus in potu vel lusu non fuit adeo notabilis. Insuper notet Confessarius, illos pœnitentes revera non satisfacere præcepto Confessionis, qui (uti plerumque fieri assolet) accusando non exprimunt speciem votorum aut pœnarum, ad quas vovendo vel jurando sese obstrinxerunt, sed præcise dicunt, se sæpius egisse contra votum, vel contra diversa vota, neque propterea pœnitentiam sibimet injunctam persolvisse : quo casu Confessario incumbet accuratius indagare, examinando pœnitentem, quoties, & contra quænam vota egerit, quasve pœnas neglexerit ? &c. esto enim omnia vota pugnent contra eandem virtutem Religionis, nihilominus certum & exploratum esse debet, dari vota specie infima inter se distincta ob diversas honestates in eorundem objectis involutas, veluti patet de voto castitatis, paupertatis, & obedientiæ &c. consequenter transgressiones diversorum votorum constituere diversa specie peccata, uti bene advertit Matthæucci *in cautela Confessar. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 67. *&c.* atqui non minus certum est, quod pœnitens teneatur confitendo exprimere, numerum & speciem peccatorum, vel ubi id non faciat, Confessarius examinando supplere defectum, prout *ex communi Doctorum* diximus *in theolog. Sacram. part.* 2. *Confer. sexta*, itemque *Conferent.* 18. ergo &c. &c.

313. R. jam ad alterum quæsitum 1. Potest Confessarius privilegiatus nedum commutare vota Sempronii, sed insuper etiam obligationem ad pœnas, quas Sempronius deberet etiamnum subire ob transgressiones culpabiles hactenus commissas. Ita contra Navarrum & alios nonnullos tenent Laymann *lib.* 4. *tr.* 4. *cap.* 8. *num.* 26. Suarez *lib.* 6. *de voto c.* 20. *n.* 19. Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.* 52. *num.* 10. Sporer *tr.* 3. *cap.* 3. *num.* 134. Michel *tom.* 2. *sect.* 3. *pu.* 9. *num.* 40. Ratio est : quia votum prius & magis obligat ad executionem materiæ voto promissæ, quam ad executionem pœnæ ob transgressionem voti incursæ : ergo si Confessarius privilegiatus possit commutare votum, a fortiori poterit commutare pœnam ob transgressionem voti hactenus incursam ; licet ex eo præcise, quod commutet votum pœnale, non censeatur etiam commutare pœnam jamjam promeritam, nisi hoc specialiter exprimat, prout bene notarunt Doctores citati ; quandoquidem votum pœnale & pœna inde incursa vel incurrenda multum per omnem modum inter se differunt ; per consequens ex dispensatione aut commutatione unius non licet inferre commutationem alterius.

314. R. jam secundo ad posterius quæsitum. Confessarius in hoc casu non solum potest, sed insuper etiam saltem ex charitate tenetur commutare vota Sempronii. Rationem hujus sumo a pari ; nam, ubi omnibus bene ponderatis dispensatio vel commutatio putatur necessaria pro bono communi vel privato alicujus animæ, ibi Superior, vel etiam Confessarius potestate dispensandi præditus nedum potest, sed etiam (saltem ex charitate) tenetur dispensare, aut certe commutare hujusmodi votum, velut *ex communi DD.* recte docet Castropalao *tr.* 15. *disp.* 2. *pu.* 9. *num.* 18. & R. P. Michel ubi *supra sect.* 2. *pu.* 9. *num.* 81. Atqui in his circumstantiis prudentia dictat, commutationem horum votorum esse necessariam ad salutem hujus pœnitentis ; tum quia Sempronius fatetur, se valde pronum & inclinatum nedum ad lusum, sed etiam ad potum excessivum ; tum etiam quia hunc subinde vi sui officii nequit declinare, ideoque semper maneret expositus periculo peccandi ; tum denique principaliter quia per adjectam pœnam defacto neque minime quidem retrahitur, vel deterretur a transgressione votorum, sed insuper cum nova offensa Dei solet pœnam negligere supposita culpa : ergo ad

ad salutem hujus subjecti magis videtur expediens commutatio voti.

Sed quomodo, ais, in hoc casu commutatio fieri deberet?

315. R. Debet fieri accommode & prudenter, consideratis & bene ponderatis circumstantiis hujus subjecti. Cum enim Sempronius dicat, se ratione sui officii non posse semper declinare potum excessivum vel lusum, hinc prudentia videtur dictare, ut votum commutetur in tantum, ut vi hujus non teneatur vitare quemvis excessum, sed excessum gravem duntaxat, seu talem, qui posset Sempronium pertrahere ad gravem excessum in lusu, non sine detrimento suæ familiæ, honoris &c. vel damno aliorum &c. Et quia fatetur se valde luridum, salutis incurium, & assuetum ad negligendam omnem pœnitentiam, jejunium scilicet &c. hinc meo judicio posset prioris pœnæ taxa prudenter moderari in tantum, ut si deinceps graviter excessisset vel in lusu, vel in potu, vel in utroque simul, teneatur saltem feria quarta & Sabbato servare jejunium ecclesiasticum, cum unica scilicet refectione in prandio & collatiuncula vespertina, itemque proxima festivitate confiteri & Sacram synaxin sumere, vel certe duobus Sacris (si tamen occasio ferat) successivis devote interesse, nec non & concioni &c. Credo libentissime hanc pœnæ commutationem nonnullis visuram minus proportionatam respectu illius pœnitentiæ ab ipso vovente olim sibi taxatæ; verum si hinc conditionem status, illinc vero fragilitatem pœnitentis, nec non & periculum animæ considerare placuerit, videbitur fortassis satis accommoda: præstat, ni fallor, commutando vota nonnihil condescendere fragilitati humanæ, minoremque (quam pœnitens creditur peracturus) dictare pœnam vel onus, quam dictato graviore onere sine spe salutis eundem relinquere in continuo periculo, juxta illud D. Chrysostomi *hom.* 43. *in cap.* 28. *Matth. etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere; quam propter crudelitatem?* Nolim tamen quempiam adstringere ad sequendum hoc exemplar, quin potius omnimodis consulo, ut, si iste modus non placeat, sibi seligat alium ex jam relatis supra *n.* 308. modo ad directionem pœnitentis & ad animæ salutem videatur magis conducens.

CASUS TERTIUS.

C*Aja honesti matrimonii a Deo impetrandi causa votum nuncupavit, singulis septimanis semel invisendi certam quandam imaginem Thaumaturgam circiter horæ unius spatio distantem a domicilio suo: postea matrimonio ex sententia animi potita idem suum votum sibi commutavit in quotidianam auditionem Sacri: quia vero multum dubitaverat, an tuta conscientia id potuerit facere: hinc a quodam Confessario privilegiato rursus petiit authentice votum semel nuncupatum (quippe quod stante matrimonii, rerumque domesticarum sibi incumbentium onere non amplius potuisset persolvere) sibi commutari; quod Confessarius etiam fecit, commutando illud in confessionem menstruam, & quotidianam recitationem quinque Pater & Ave &c. jam ad nostrum propositum dubitare licet* 1. *utrum Caja propria auctoritate potuerit præfatum votum commutare in quotidianam auditionem sacri? & utrum Confessarius bene egerit, commutando illud in Confessionem menstruam & quotidianam recitationem* 5. *Pater Noster & Ave Maria?*

316. R. Utrumque & fieri potuisse, & bene factum fuisse. Ratio prioris est: quia secundum dicta *n.* 298. quivis vovens propria auctoritate potest votum suum commutare in aliud opus evidenter melius: atqui minime dubitandum videtur, quin quotidiana auditio Sacri sit opus melius & Deo gratius, quam visitatio imaginis Thaumaturgæ quot hebdomadibus semel duntaxat peragenda: ergo &c.

Ratio posterioris est eadem: quia Confessio menstrua una cum quotidiana recitatione 5. Pater & Ave videtur magis proficua ad animæ salutem, & hoc ipso magis Deo grata, quam sola illa visitatio Thaumaturgæ imaginis singulis hebdomadibus semel

subeunda : ergo utrumque bene factum fuit.

Sed quid, inquies, si supponamus Cajam, vel quemcumque alium non posse illud opus, in quod auctoritate Confessarii onus voti semel nuncupati translatum fuit, peragere, tenebiturne denuo illud subire, quod primo promisit, puta visitare imaginem Thaumaturgam?

317. R. Quod non juxta communissimam DD. apud Sporer *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 136. Ratio est : quia *obligatio semel extincta non reviviscit*. Juxta *l. qui res* §. *aream ff. de solut.* Atqui vi commutationis per Confessarium privilegiatum legitima auctoritate factæ obligatio singulis septimanis semel invisendi imaginem fuit penitus extincta & commutata cum alio onere : ergo Caja non amplius tenetur ad hanc subeundam, esto etiam moraliter loquendo non possit subire aliud onus.

318. Dixi tamen, *Cajam non teneri &c.* Etenim quod facta etiam commutatione legitima nihilominus quivis vovens possit præstare, & libere assumere id, ad quod semel sese vovendo obstrinxit, apud omnes in confesso est, idque hac ratione : quia omnis commutatio voti fit in aliqualem favorem voventis : at, *quivis favori suo renuntiare potest*, & *quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum Reg.* 61. *J. in sexto* : ergo Cajæ vel cuivis alteri manet liberum reassumere priorem obligationem ; id quod etiam Lessius *lib.* 2. *de J. & J. c.* 40. *num.* 111. more suo non minus graphice, quam sapienter expressit, dicendo : „ hinc sequitur, si sæpius facta sit commutatio, posse servari quidvis illorum, in quæ facta fuit v. g. „ votum peregrinationis annuæ commutatum est in menstruam confessionem : „ menstrua confessio in jejunium hebdomadarium in certas preces quotidianas : potest vovens satisfacere voto vel precibus, vel jejunio, vel confessione, vel peregrinatione &c.

Dices fortassis contra resolutionem *num.* 317. datam. Qui propria auctoritate votum suum commutavit in aliud opus evidenter melius, postea vero quacunque demum de causa nequit illud melius exequi, tenetur reassumere & exequi illud opus, quod semel vovendo promisit : ergo idem dicendum est de eo, qui nequit exequi illud opus, in quod auctoritate Confessarii facta fuit commutatio.

319. R. Neg. conseq. Disparitas est : quia per commutationem auctoritate Confessarii factam prius illud vinculum penitus fuit solutum & sublatum ; hinc minime mirandum, quod juxta *leg. citat.* non amplius reviviscat, ne quidem pro casu, quo executio alterius operis evadit physice vel moraliter impossibilis : e contra vero per commutationem propria voventis auctoritate factam vinculum voti proprie non fuit translatum in opus subrogatum, sed solum præsumitur benignissimum Deum esse contentum, si & quamdiu hoc melius præstatur loco illius prioris : ergo ubi hoc, quod propria auctoritate subrogatum fuit, præstare non amplius potest, tenetur vovens redire ad illud onus prius in se sponte susceptum, quippe quod simpliciter nunquam translatum fuit.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

320. COlliges ex hactenus dictis primo, in casu, quo pœnitens a Confessario petit commutationem sui voti, vel omnimodam dispensationem, bene ponderandas seu etiam examinandas esse circumstantias tum ipsius voti, tum etiam personæ, quæ se voto obstrinxit, necnon & modum, quo sese obligavit, vel obligatum voluit, tum vero Confessarius votum commutare studeat, quantum fieri potest, in opera æqualia materiæ voto promissæ, vel certe in talia, quæ ad Dei gloriam & ad salutem animæ hujus pœnitentis videbuntur magis conducibilia : idque a fortiori observandum erit in casu, quo a Sacra Pœnitentiaria fuit delegata potestas dispensandi ; quippe quæ non solet, neque etiam vult a quopiam delegato dispensari, nisi prius omnibus bene examinatis invenerit delegatus preces Oratoris veri-

tate niti : insuper tam in dispensatione, quam etiam in commutatione voti Religionis admonendus est Orator (ait Filliucius) ut vitam instituat non admodum discrepantem a vita religiosa; quod tamen intelligendum puto, nisi talis Orator petierit commutationem vel dispensationem hujus voti in ordine ad contrahendum matrimonium &c. in his enim & similibus casibus opus est magna circumspectione & prudentia Confessarii : & hanc ob causam a Sacra Poenitentiaria plerumque potestas dispensandi committi solet *discreto Viro*, *Confessori*, *Magistro Theologiae*, *vel Decretorum Doctori*, *veluti* pluribus de hac re diximus *in Theolog. Sacram. part.* 3. *Confer.* 20. *ubi de impetrandis vel non impetrandis dispensationibus*. Videatur etiam de hoc Filliucius *tr.* 26. *c.* 10. *n.* 299.

321. Colliges secundo, quod licet regulariter loquendo commutatio voti a Confessario fieri debet in aliud opus aequale; nihilominus in hac materia Confessarius non debeat esse nimis anxius; modo enim sine fraude vel magna negligentia procedat, non peccabit, quamdiu probabiliter judicat, commutationem esse proportionatam : quin etsi aliquo modo dubitet de hoc, poterit tamen se de facili resolvere ; eo quod in dubio inclinandum sit in partem benigniorem, uti bene monet Diana *part.* 3. *tr.* 5. *resol.* 25.

Denique si ex ignorantia vel anxietate vel temporis angustia nequeat se resolvere, poterit vel in aliud tempus commodius differre commutationem, vel illud commutare in opus alio tempore vel a se, vel ab alio viro discreto ac prudenti determinandum v. g. dicendo *: commuto tibi hoc votum in aliud opus a me*, *dum proxime redieris*, *designandum &c.* vel *in aliud*, *quod tuus D. Parochus*, *vel tuus Confessor ordinarius tibi magis expediens censuerit :* qua commutatione facta ille poenitens manet liber onere voti v. g. de jejunando &c. cum obligatione tamen confusa operis postea determinandi, veluti sapienter advertunt Bonacina *disp.* 4. *quaest.* 2. *punct.* 7. *§.* 3. *num.* 14. Diana 1. *part. tr.* 11. *resol.* 52. Laymann *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 8. *num.* 25. & alii plures. Atque hinc ulterius

322. Colliges tertio, non semper necessum esse (esto secundum dicta *n.* 307. regulariter loquendo fieri debeat) ut votum perpetuum in aliam obligationem perpetuam, & votum reale in aliam obligationem realem permutetur : nihil proin obstat, quo minus ex rationabili causa votum reale in obligationem personalem, & vice versa personale in obligationem realem mutetur. Ratio hujus est : quia aequalitas materiae in commutatione tam physice, quam moraliter attendenda est, habito scilicet principaliter respectu ad Dei gloriam, & spiritualem utilitatem voventis : at fieri potest, ut ad gloriam Dei, vel salutem hujus animae magis conducat obligatio voti personalis, quam realis, aut vice versa, juxta diversitatem conditionum, personarum, aut temporum : ergo nihil prorsus obstat, quo minus prudenter etiam fieri possit hujusmodi commutatio. Hinc Felix Potestas *in Exam. Confessar. tom.* 1. *part.* 2. *c.* 3. *n.* 1933. sapienter monet, oportere, ut Confessarius volens utiliter commutare vota, plures materias optioni sui clientis offerat, quatenus ex illis possit aliquam seligere, quae omnibus pensatis videtur magis conducens ad animae salutem. Videantur &c. Suarez *lib.* 6. *c.* 19. *nu.* 16. Fillcucius *tr.* 26. *num.* 286. Laymann. *cit. c.* 8. *num.* 25.

323. Colliges quarto, facta semel legitima commutatione voti etiam Summo Pontifici reservati v. g. peregrinationis ad limina Apostolorum in aliam materiam non reservatam v. g. jejunium, eleemosynam &c. hoc votum posterius (acceptans enim commutationem censetur virtualiter emittere novum votum juxta DD. communiter) non esse reservatum, & hoc ipso commutabile a quolibet alio Confessario privilegiato. Ita Suarez *de vot. lib.* 6. *c.* 20. *nu.* 15. Bonacina *ubi supra punct.* 7. *§.* 3. *n.* 19. Filliucius *loc. cit. num.* 294. Ratio est : quia quod ipso jure non est reservatum, nequit fieri reservatum sola commutatione; haec enim commutatio nec tribuit, neque demit qualitatem materiae de jure huic competentem : ergo cum jejunium nullo jure sit reservatum Summo Pontifici, plane consequitur illud

neque

neque vi commutationis evadere reservatum, & hoc ipso esse rursus commutabile a quolibet Confessario privilegiato. Nec obstat, quod juxta Canonistas *cap. Ecclesiæ 2. ut lite pendent.* quod *subrogatum debeat sapere naturam ejus, pro quo subrogatur*; quippe hoc solum debet intelligi, quod subrogatum debeat sapere naturam illius, pro quo subrogatur quantum ad ea, quæ pertinent *intrinsece* ad talem subrogationem, non autem quantum ad ea, quæ sunt *extrinseca*, uti est reservatio materiæ in ordine ad commutationem voti, ait Filliucius *loc. cit.*

324. Colliges quinto commutationem non minus, quam dispensationem votorum per se loquendo, & seclusa speciali commissione fieri posse extra confessionem, etiam erga absentem, seu loco longius distantem; neutra enim per se loquendo pertinet ad actum confessionis. Dixi *per se loquendo* &c. ut per hoc innuerem, excipiendum esse casum particularem, quo a S. Pœnitentiaria (stylo jam ordinario & receptissimo) committitur alicui Confessario delegato, ut cum Oratore, vel Oratoribus dispenset, *in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis, & non aliter, nec alio modo &c.*

Ex quo R. P. Reiffenstuel *in appendice ad lib. 4. n. 457.* eumque secutus R. P. SichroWaki *in 1. dissertat. theolog. art. 23.* recte inferunt, in tali casu delegationis ab Oratore præmittendam esse confessionem Sacramentalem, esto is non supponatur obstrictus aliquo peccato mortali; tum quia mox relata verba satis clare hoc demonstrant; tum etiam quia clausula communiter addi solita: *audita prius Sacramentali confessione* in ablativo posita importat conditionem, & conditio formam actus suscipiendi a delegato: forma autem inevitabiliter ad actus validitatem requiritur; ergo &c.

325. Colliges sexto, Vota non reservata Summo Pontifici facilius esse dispensabilia vel commutabilia, quam reservata; tum quia pro dispensandis seu etiam commutandis votis non reservatis nulla præscribitur forma vel solemnitas specialiter observanda; tum etiam, quia vota Summæ Sedi reservata sunt longe majoris ponderis, sicut & alii Casus Summo Pontifici reservati. Oportet nihilominus, ut etiam in horum commutatione Confessarius caute ac circumspecte se gerat, declinando hinc nimium rigorem, illinc etiam nimiam laxitatem, quatenus hoc modo animarum saluti, divinoque honori consulat, prout jam constare potest ex hactenus dictis.

Sed quid, inquies, si pœnitens jubilæum lucratus per opera præscripta vel ex oblivione, vel alia de causa tunc temporis non postulavit commutationem voti, poteritne hanc a quolibet Confessario approbato modo prætendere & obtinere?

326. R. Affirmative. Ita Herincx noster *part. 3. tr. 4. disp. 4. n. 54.* Sporer *tr. 3. c. 3. n. 89.* & solidissime R. P. Gobat *in Quin. tr. 3. c. 32. n. 243.* cum Sanchezio, Lessio, Palao, Diana & aliis pluribus. Ratio est, tum quia SS. Pontifices in Bullis Jubilæorum neminem adstringunt ad percipiendos favores Jubilæi, utputa absolutionem a casibus reservatis, commutationem votorum &c. ab uno eodemque Confessario; tum potissimum quia tametsi SS. Pontifices in Bullis Jubilæorum pro peragendis operibus in ordine ad lucrandum Jubilæum necessariis soleant regulariter præscribere tempus quindecim dierum, dicendo: *qui intra duas hebdomadas designatas jejunaverit, Ecclesias visitaverit, confessus fuerit* &c. non tamen præscribunt certum tempus pro impetrandis favoribus Jubilæi, utputa dicendo: possit eligere Confessarium, *qui intra illas duas hebdomadas illum absolvat, vota commutet, dispenset &c.* sed absolute dicunt: *qui* (Confessarius) *illum absolvat, vota commutet &c.* Quare cum S. Pontifex tempus horum privilegiorum percipiendorum non determinet, aut restringat ad 15. duntaxat dies, & aliunde per *L. beneficium ff. de constitut. Princip.* constet *beneficium Principis esse amplissime interpretandum*; dicendum profecto est, hanc facultatem eligendi Confessarium pro commutatione votorum non restringi præcise ad illos 15. dies, sed potius extendi ad quodlibet aliud tempus, modo

modo opera pro Jubilæo lucrando præscripta a tali pœnitente fuerint peracta. Ex quo facile convellitur fundamentum Adversariorum, negantium talem commutationem fieri potuisse tempore Jubilæi, eo quod Confessarius votum sibi prorsus incognitum non potuerit mutare, cum non potuerit de illo ferre competens judicium: Negatur enim suppositum, quod votum tempore Jubilæi præcise potuerit aut debuerit commutari: hinc sufficit, quod a Confessario actualiter commutante cognoscatur. Videatur Gobat *loc. cit.*

327. Colliges tandem septimo, ea, quæ hactenus diximus de Commutatione votorum quoad modum subrogationis, & materiam subrogatam, pariformiter intelligenda esse de commutatione juramentorum, cum hac sola differentia, quod is, qui acceptat aliam materiam voto subrogatam, ipsa acceptatione censeatur Deo promittere, quod velit illam servare, prout paulo supra *num.* 323. insinuatum fuit: e contra, qui acceptat materiam juramento subrogatam, censetur equidem ex pacto cum commutante inito se ad eam obligare, non tamen sub novo juramento promittere, ut palam est, inquit Sporer *cit. c.* 3. *num.* 138. Ex quo fit, ut omittens materiam voto subrogatam peccet contra virtutem Religionis: e contra omittens vel negligens materiam loco juramenti subrogatam, peccat potius contra fidelitatem, & graviter quidem, si materia subrogata supponatur fuisse gravis momenti: leviter vero, si levis duntaxat momenti fuisse supponatur, secundum *communem DD.* teste Sporer *loc. cit.*

Sed quid, inquies, si supponamus loco materiæ gravis v. g. peregrinationis notabilis vel jejunii in pane & aqua fuisse subrogatam a Confessario materiam de se levem, & hanc ipsam materiam levem postea a pœnitente negligi, peccabitne pœnitens graviter vel leviter tantum per hujusmodi neglectum?

328. R. Probabilissime non peccabit, nisi venialiter. Ratio est, tum quia materia levis supponitur juste fuisse subrogata: tum etiam quia hæc materia supponitur esse tam absolute, quam respective etiam levis; qui autem materiam undequaque levem negligit, juxta communem DD. non peccat nisi leviter, perinde ac si materiam levem primo promisisset, & dein non stetisset promissis; tum denique, quia negligens pœnitentiam levem pro peccatis gravibus sibi injunctam, non peccat graviter, sed leviter tantum: ergo similiter is, qui negligit materiam levem loco materiæ gravis voto promissæ subrogatam. Et ita tenet Sporer *loc. cit. in fine.*

CONFERENTIA
DUODECIMA.

In Tertium Præceptum Decalogi, præsertim de obligatione audiendi Sacrum.

SUMMARIUM.

329. *Vi tertii præcepti decalogalis præcipitur observantia festorum.*

330. *Per dies festos intelliguntur illi, qui legitima auctoritate Ecclesiæ instituti sunt ad celebrandas Dei laudes.*

331. *Qui juxta hodiernum Ecclesiæ morem incipiunt a medio noctis & finiuntur altero seu sequenti noctis medio.*

332. *Potestas instituendi dies Festos pro universali Ecclesia competit Summo Pontifici: pro Diœcesi vero Episcopo cum consensu Cleri ac populi.*

333. *Nomine Missæ audiendæ hic veniunt orationes & ritus ab Ecclesia pro Sacrificio Missæ præscripti.*

334. *Missam audire idem sonat, ac religiose & devote eidem Sacrificio assistere: ad quod*

335. *Præter præsentiam corporalem & moralem insuper necessario requiruntur duæ conditiones, intentio scilicet & attentio.*

336. *Sufficit tamen intentio audiendi Missam absque intentione positive satisfaciendi præcepto Ecclesiæ.*

337. *Attentio sufficiens potest esse triplex, scilicet vel* 1. *ad verba Sacerdotis,*

vel

vel 2. ad mysteria, vel 3. ad laudandum & honorandum Deum.

338. *Omnes fideles usu rationis pollentes, & moraliter ac religiose assistere valentes tenentur ad audiendum Sacrum.*

339. *Idque sub gravi obligatione omnibus diebus dominicis ac festivis.*

340. *Probabilius tamen jure Ecclesiastico duntaxat.*

341. *Resolvitur Casus I. cujusdam Personæ, dubitantis an satisfecerit præcepto audiendi Sacrum, eo quod per notabilem partem hujus fuerit intenta confessioni seu narrationi peccatorum suorum.*

342. *Confessarius actu excipiendis confessionibus occupatus, probabilius potest simul audire Sacrum.*

343. *Huic tamen obligationi minime satisfaciunt alii, qui per notabilem, vel omnino majorem partem Sacri miscent colloquia de rebus profanis vel turpibus.*

344. *Qui vero subinde garriunt non ita, ut devotionis internæ obliviscantur, per se loquendo non delinquunt, nisi venialiter.*

345. *Resolvitur Casus II. cujusdam pœnitentis, qui assistendo duobus sacris simul a diversis Sacerdotibus dictis probabiliter satisfecit obligationi audiendi duo Sacra.*

346. *Satisfit cuidam instantiæ contra hanc resolutionem.*

347. *Non tamen satisfaceret præcepto audiendi Missam, qui simul duas vel plures partes Missæ audiret, a diversis celebrantibus.*

348. *Idipsum probabilius tenendum est de eo, qui uni Sacro ab elevatione usque ad finem, alteri vero a principio usque ad consecrationem assisteret.*

349. *Resolvitur Casus III. cujusdam Prænobilis, qui Roma obtinuerat licentiam audiendi Sacrum in suo oratorio privato infirmitatis tempore, quo Ecclesiam accedere non posset.*

350. *Hujus famuli ad servitium non necessarii probabilius non satisfaciunt huic præcepto, audiendo sacrum in eodem oratorio.*

351. *Secus discurrendum de illis, qui ad servitium infirmis moraliter sunt necessarii.*

352. *Quid si talis Dominus solum absque difficultate nequeat accedere publicam Ecclesiam?*

353. *Qui die festo a Principe sæculari præcise instituto sacrum non audit &c. peccat quidem contra obedientiam, non tamen contra virtutem Religionis.*

354. *Domi se continens, & solo animo vel precibus ad Deum fusis se conjungens Sacerdoti in Ecclesia celebranti non satisfacit præcepto de audiendo Sacro.*

355. *Probabiliter tamen ille, qui e fenestra Cameræ suæ, non procul ab Ecclesia distantis Sacerdotem ad aram litantem videt, & devote auscultat.*

356. *Sicut & ille, qui ad aram deserviens modico duntaxat tempore abest: secus, si per notabilem partem abesset, eamve negligeret.*

357. *Recensetur breviter distinctio partium Missæ seu sacrificii, a Doctoribus communiter fieri solita.*

358. *Quænam pars juxta verosimiliorem Doctorum notabilis censenda sit.*

359. *Auditioni Sacri non obstat recitatio breviarii, vel aliorum devotionalium.*

360. *Ab obligatione audiendi Sacrum neque cæcus eximendus est, neque surdus: & quid de pueris ac puellis?*

361. *Fideles regulariter non tenentur audire Sacrum in propriis Ecclesiis.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus de obligatione audiendi Sacrum.

QUæres primo, quidnam vi tertii præcepti decalogalis: *memento ut diem Sabbathi* &c. præcipiatur?

329. R. Vi hujus præcepti in nova lege intelligitur præcepta observantia Festorum tum dominicalium, quæ abrogato Judæorum Sabbatho in memoriam Resurrectionis Christi; tum aliorum etiam, quæ immediate in honorem Dei vel aliorum Sanctorum, ad celebrandas Dei laudes, aliave beneficia recolenda instituta sunt. Hæc autem observantia, ut advertit Cajetanus *in Summa V. festorum violatio* in tribus consistit, scilicet 1. in auditione Missæ: 2. in absti-

nentia ab operibus servilibus, & 3. in abstinentia a quibusdam actionibus forensibus. Nos in hac conferentia primam obligationem ventilabimus de audiendo Sacro.

Quæres jam secundo, quidnam intelligatur per dies festos? & qua hora incipiant, ac rursus finiantur?

330. R. Quoad primam partem hujus quæsiti, nomine dierum festivorum intelligi illos, qui auctoritate legitima Ecclesiæ fuere instituti, ad Dei, Sanctorumve laudes celebrandas, & ad recolenda beneficia. Ita in re *Communis DD.* Dicitur autem 1. *auctoritate legitima Ecclesiæ*: etenim institutio dierum festivorum pertinet ad jurisdictionem spiritualem: sicut ergo non quivis capax est hujus jurisdictionis spiritualis; ita nec cuivis competit hæc auctoritas, sed soli Ecclesiæ, prout amplius constabit ex proxime dicendis. Dicitur secundo *ad recolenda beneficia, & ad celebrandas Dei laudes*; finis quippe primarius talium festivitatum est cultus Dei; nam ideo fideles jubentur alia negotia tantisper seponere; quatenus sacrificiis & orationibus eo commodius, ut condecet, valeant vacare.

Finis vero secundarius est fidelium utilitas; tum spiritualis, quatenus scilicet intellectum Dei cognitione ex concionibus vel lectionibus spiritualibus haurienda imbuere, voluntatem Dei amore inflammare, conscientiam a peccatorum sordibus mundare possunt, tum corporalis etiam, ne corporis vires perpetuis laboribus ad instar brutorum exhauriantur, prout jam pridem Auctor Naturæ *Exod.* 23. 12. mandaverat Israelitis hisce verbis: *Sex diebus operaberis, septimo die cessabis, ut requiescat bos & asinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ* &c. Et tales sunt hodie omnes dies Dominici, nec non festa Domini, B. Virginis Mariæ, SS. Apostolorum & aliorum multorum Sanctorum, prout in Ecclesia Catholica plus quam notum est cuivis vere fidelium.

331. R. jam ad alteram quæsiti partem. Olim dies festi inchoabantur a primis vesperis, & finiebantur in secundis, veluti constat *ex cap. 1. de feriis*. Verum hodie mos Ecclesiæ fert, ut incipiantur a medio noctis, & durent usque ad alterum, seu sequens noctis medium, nisi alicubi fortassis legitima consuetudine aliud fuisset introductum. Ita post Abbat. Sylvestrum tenet Tamburinus *in decalog. lib. 4. c. 1. §. 2. n. 2.* Dixi etiam: *nisi alicubi fortassis legitima consuetudine fuisset aliud introductum*; nihil enim obstat, quo minus vel consuetudine, vel auctoritate Ecclesiæ statuit possit, ut dies festus horis duntaxat antemeridianis, vel usque ad finem officii solemnis agatur cum obligatione audiendi Missam & abstinendi ab operibus servilibus, prout post Suarezium, Gobat & alios bene notat noster V. P. Cherubinus Mayr *in Trismegist. dist. 3. c. 2. §. 1. n. 276.*

Quæres tertio, quibusnam competat hæc facultas instituendi dies festos?

332. R. Facultas seu potestas instituendi dies festos pro universali Ecclesia competit Summo Pontifici seu capiti universalis Ecclesiæ. 2. pro diœcesi autem, vel oppido aut civitate particulari &c. competit etiam Episcopis. Ratio hujus facile colligitur ex proxime dictis: quia institutio hæc dierum festorum, utpote concernens cultum Dei & animarum salutem incumbit Pastoribus spiritualibus, & pertinet ad jurisdictionem spiritualem: ergo quemadmodum Summo Pontifici, & soli quidem, competit jurisdictio in universalem Ecclesiam, Episcopis autem in suam cuique Diœcesin; ita illi competit potestas instituendi dies festos pro universali Ecclesia, his vero pro suis respective diœcesibus; sed cum consensu Cleri, id est, majoris partis Capituli, ut dicitur *cap. cum Clerici de V. S.* nec non cum consensu Populi, prout colligitur ex *cap. conquestus de feriis*. Ubi dicitur: *quas* (festivitates scilicet) *singuli Episcopi in suis diœcesibus* cum Clero & Populo duxerint solemniter venerandas. Et licet nonnulli putent, consensum populi non esse necessarium; certum tamen est, quod Episcopi de facili sine consensu populi ac Cleri non debeant instituere nova festa, prout Urbanus VIII. in sua Bulla *Universa per orbem anno* 1642. edita expresse præcipit eo fine, ne fideles, præsertim mechanici nimium

nium graventur, dum iisdem interdicitur panis quotidianus pro se & suis lucrandus, Videatur de hoc Gobat *theolog. exper. tr.* 5. *n.* 72. Vel Tamburinus, *ubi supra* §. 5. *n.* 3.

Quæres quarto, quidnam intelligatur nomine Missæ, seu Sacri audiendi?

333. R. Nomine Missæ hic intelligitur sacrificium novæ legis, quatenus involvit omnia ex præscripto Ecclesiæ a prima formatione crucis ad pedem Altaris usque ad finem secundi Evangelii a Sacerdote dicenda. Ita Dicastillo *tom.* 1. *in* 3. *part. tr.* 5. *disp.* 5. *n.* 18. Loquimur autem hic de Missa non quacunque, sed de integra, veluti patet ex ipsa descriptione: alia est quæstio, ut videbitur, an vel qualiter delinquant, qui partem Missæ negligunt.

Quæres ulterius quinto, quid sit audire Missam, quænam conditiones requirantur ad veram auditionem Missæ ab Ecclesia præscriptam?

334. R. ad priorem partem hujus quæsiti: audire Missam idem est, ac eidem interesse humano modo, id est, corpore & mente, in tali distantia, ut possit attendere ad ministerium Sacerdotis. Ita Bonacina, Bassæus, & alii plures. Pro hujus tamen pleniori intelligentia juvabit notasse, ad veram auditionem requiri duplicem præsentiam audientis, corporalem scilicet (quam alii etiam physicam appellant) & moralem. Corporalis seu physica est, qua quis corpore ita præsens est Missæ, ut, quantum in ipso est, possit aliquo modo percipere ministerium Sacerdotis, seu, quidnam agat, dicatve Sacerdos. Moralis præsentia (quam præter corporalem insuper necessariam esse, apud omnes in confesso est) est illa, qua quis sacrificio interest, ut homo ratione præditus, seu humano & religioso modo. Ita cum aliis multis Gobat *theolog. experim tr.* 5. *n.* 17. & 33. Ex his facile liquet, eos, qui Sacerdoti celebranti corpore quidem assistunt etiam proxime, sed sine ulla attentione vel devotione &c. ad instar infantium, vel dormientium, moreve bestiarum &c. minime satisfacere huic præcepto: esto enim physice, minime tamen moraliter reputantur interesse tremendo SS. Missæ sacrificio; E contra vero illi, qui physice quidem & corporaliter existunt extra Ecclesiam v.g. in cœmeterio vel alio loco contiguo &c. itaut ex aliorum intra Ecclesiam existentium signis, sive visu, sive etiam auditu percipere valeant, quidnam Sacerdos ad aram litans agat, possunt huic præcepto satisfacere, modo religiose ac devote auscultent. Ita sane *ex communi Doctorum* Tamburinus *in decalog. lib.* 4. *c.* 2. §. 1. *n.* 12. Sporer *tr.* 3. *in decalog. c.* 4. *n.* 9. Gobat *ubi supra a n.* 22.

335. R. jam ad posteriorem partem ejusdem quæsiti, præter præsentiam corporalem physicam & moralem mox explicatam, insuper ad religiosam, uti condecet, auditionem Sacri necessarias esse duas conditiones, scilicet 1. *intentionem* ex parte voluntatis, seu voluntatem colendi Deum, & attentionem ex parte intellectus. Ita Sporer *cit. c.* 4. *n.* 14. Ratio est: quia Ecclesia præcipiendo fidelibus auditionem Sacri, intendit talem præsentiam, seu assistentiam Sacrificio, qua audiens Deum vere colat cum Sacerdote orante ac celebrante; atqui ad verum Dei cultum necessaria est interna voluntas seu intentio Deum colendi, & attentio ad id per quod Deus colitur, scilicet Sacrificium: ergo &c.

336. Dixi: intentio *audiendi Missam*; non enim sufficeret intentio piæcise materialiter interessendi & spectandi illas ceremonias, prout pagani & hæretici faciunt; sed requiritur intentio iteressendi rei Sacræ, seu cultui divino; non tamen necessaria est intentio formalis præcepti, id est talis, qua quis positive & reflexe intendat satisfacere præcepto Ecclesiæ; nam hoc ipso, quod quis faciat id, quod præcipit Ecclesia, satisfacit præcepto: hinc si quis die dominico vel festo devote interfuit Sacrificio Missæ, esto nihil prorsus cogitasset de die festo, vel de præcepto Ecclesiæ, esto etiam statuisset postea aliam Missam audire; non teneretur ad hanc vi præcepti Ecclesiastici; eo quod huic per priorem auditionem jamjam satisfecerit, uti recte docent Tamburinus *loc. cit. n.* 17. Sporer *ubi supra n.* 15. & alii communiter.

337. Porro attentio requisita & sufficiens

ficiens ad auditionem Sacri triplex esse potest: prima, ceteris quidem imperfectior, qua quis præcise attendit ad verba & acta Sacerdotis, animo tamen honorandi Deum, ut jam dictum fuit: neque enim tenetur audiens durante Sacro dicere certas preces particulares, sed sufficit, quod assistat Sacerdoti nomine totius Ecclesiæ oranti. Secunda attentio fieri potest ad mysteria, præsertim passionis ac mortis per tremendum Missæ Sacrificium recoli solita, nec dubium, quin hæc attentio sit Deo gratior, quam illa prior. Tertia denique potest esse attentio finis Sacrificii, scilicet ad Deum laudandum, deprecandum, & glorificandum, per orationes, pias meditationes & similia, durante Sacrificio Missæ peragenda, prout hodie fert communis praxis fidelium. Quocirca tamen specialiter admonent Doctores, ut quivis fidelium ita intendat privatis suis devotionibus, ne partium principalium, puta consecrationis seu elevationis, sumptionis omnino obliviscatur, licet ex post facto, dum quis ex naturali distractione, vel inadvertentia, seu etiam intentione ad particulares devotiones non attenderit, parum sit scrupulizandum; quia supponitur habuisse intentionem generalem cum Sacerdote & reliquis fidelibus Deum glorificandi &c. &c. Videatur Tamburinus *cit* §. 1. *num.* 19. Sporer *num.* 16.

Quæres sexto, utrum omnes fideles teneantur ad audiendum Sacrum?

338. R. Omnes omnino fideles, usu rationis pollentes, & moraliter assistere potentes tenentur ad audiendum Sacrum. Ita *communis* & *certa omnium Chatolicorum Sententia*, nemine, ut scio, contradicente. Fundatur hæc doctrina nedum in *cap. omnes fideles*, & *cap. Missas de consecrat. dist.* 1. sed insuper in communi persuasione, consuetudine, & receptissima praxi fidelium. Quia tamen infideles seu non baptizati, sicut & catechumeni per baptismi januam nondum fuere ingressi Ecclesiam, & per consequens hujus jurisdictioni non subjiciuntur, eo ipso ab hac obligatione, sicut & ceteris legibus præcise ecclesiasticis eximendi veniunt: id ipsum tenendum est de infantibus ante septennium, & de amentibus, quipppe qui ob defectum sufficientis usus rationis nequeunt humano ac religioso more interesse Sacrificio, quin potius haud infrequenter aliorum fidelium devotioni ponunt obstaculum inconditis clamoribus aut gestibus, vel ex hoc ipso capite arcendi potius ab ingressu Ecclesiæ tempore Sacrificii juxta *communem Doctorum*.

Quæres septimo, utrum fideles omnibus diebus dominicis ac festivis teneantur interesse Sacrificio Missæ?

339. R. Affirmative, intelligendo tamen de diebus festivis legitima auctoritate institutis: & hoc præceptum obligat sub peccato mortali. Ita rursus ex *communi & certa sententia* Felix Potestas *in Exam. Confessar. tom.* 1. *part.* 3. *n.* 2788. Constat hoc ex proxime allegato *ca. Missas*. Tum etiam ex fine Sacrificii, quod ad colendum Deum & ad recolenda passionis mysteria institutum fuit, immo importat actum præstantissimum cultus divini, scilicet latreutici: ergo quemadmodum omnes fideles tenentur jure naturali Deum colere; ita merito omnes jure Ecclesiastico adstringuntur ad interessendum Missæ Sacrificio, præsertim cum omnes simus per Christi passionem redempti, adeoque gratitudo debita nos adstringat ad frequenter recolenda passionis Mysteria. Quod vero hoc præceptum obliget sub peccato mortali, constat nedum ex communi persuasione fidelium, sed ex eo etiam, quod sit de re ex objecto gravi, id est, concernente cultum divinum jure naturali debitum; unde non immerito Innocentius XI. damnavit sequentem *n.* 52. propositionem: *præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito Scandalo, si absit contemptus*. Videatur de hoc Cardenas *in Crisi theolog. dissert.* 32. *c.* 2. *a. n.* 9. Sporer *ubi supra n.* 7.

340. Quæres denique octavo, sitne hoc præceptum de audiendo Sacro ure divino, vel vero merum Ecclesiastico introductum?

R. Probabilius jure Ecclesiastico duntaxat hanc legem fuisse introductam, licet in jure divino fundetur. Ita Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de festor. observat. c.* 4. *n.* 8. Filliucius *tr.* 27. *n.* 16. R.D. Michel *tom.* 2. *part.* 2. *pu.* 3. *sect.* 7. *n.* 5.

n. 5. Ratio est: quia in lege gratiæ jure divino tantum præcepta fidei, Sacramentorum, & Sacrificii data sunt a Deo, quippe quæ sola ad substantialia legis pertinent: cetera vero (inter quæ est etiam observantia festorum) accidentalia sunt, ait Michel *loc. cit.* Quia tamen, uti jam dictum, etiam jure divino jubemur colere Deum cultu latreutico; ideo hoc præceptum merito dicitur fundatum in jure divino &c.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur casus practici de auditione Missæ.

CASUS PRIMUS.

Titia mulier nuper devotionis causa accessit Ecclesiam, Sacramentali Confessione expiatura conscientiam, fatetur tamen, se nonnihil a suo intento & devotione debita fuisse impeditam, partim quia in illa Ecclesia non, nisi unicum Sacrum fuit celebratum; partim etiam quia durante eodem Sacrificio confessionem Sacramentalem deposuit, eamque usque ad elevationem, & nonnihil ultra (præter intentionem quidem) protraxit: hinc jam de novo, nescio quo conscientiæ remorsu obruta, sciscitatur ex alio Confessario, an credat, se nuper satisfecisse præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro? Quid ad hæc Confessarius?

341. R. Confessarius Titiæ dicat, propter peractam confessionem de præterito non esse multum scrupulizandum, vel dubitandum, an præcepto Ecclesiæ satisfecerit? modo habuerit intentionem audiendi Sacrum, prout procul dubio habuit: nihilominus in posterum melius ac tutius facturam, si confiteatur alio tempore vel certe, ubi occasio dat, aliud adhuc Sacrum reverenter ac devote audiat. Hujus opinionis sunt Lessius *in consil. moral. Verb. Missa Cas.* 2. Gobat *cit. tr.* 5. *n.* 258. referens pro eadem opinione (contra Bonacinam, Tamburinum, Dicastillo, Bassæum, Marchantium nostrum, & alios plures) Castropalaum *tr.* 22. *pu.* 16. *n.* 4. Escobar *theolog. mor. lib.* 42. *sect. c.* 4. Reginaldum, Busenbaum, Gaugericum & plures alios.

Ratio autem hujus probabilis opinionis est 1. quia sæpe fit, ut confitens audiat tam perfecte vocem Sacerdotis Sacrificantis, nec non tinnitum tintinnabulorum, ut possit perfecte discernere, quousque Sacerdos pervenerit. 2. quia omnis actus pius & religiosus, quem quis erga Deum tempore Sacrificii exercet, censetur continere attentionem interiorem necessariam audiendi Sacrum: atqui exomologesis est actus summæ reverentiæ erga Deum: ergo est compatibilis cum auditione Sacri. 3. denique ipsa narratio peccatorum facta Sacerdoti nomine Christi, se habet perinde, ac si ipsi Christo Domino fieret: quis autem neget, inquit Gobat *cit. n.* 261. licere sub Sacro, quod unicum audire quis vult, confiteri Christo Domino vel æterno Patri sua peccata? Profecto vix inveniemus quempiam, qui neget, fas esse tempore Missæ audiendæ indagare in sua delicta, & tamen seriosa indagatio multum distrahit. Unde sapientissimus Lessius posteaquam *loc. cit.* dixit, probabile esse, eos, qui tempore Sacri confitentur diebus festis, si per bonam partem e. g. tertiam in eo opere occupentur, ita ut non possint attendere ad Sacrificium, in rigore non satisfacere præcepto; eo quod Confessio mentem absorbeat, & aliis affixam teneat, adeo, ut de Sacrificio vix possint cogitare; nihilominus subjunxit: *probabile judico, etiam eos non teneri ad aliud Sacrum audiendum, quibus sat temporis suppeditat, si bonam saltem partem extra confessionem audierint, ac proinde sub peccato mortali non cogendos tanquam adstrictos, sed hortandos tanquam ad id, quod tutius & decentius.* Ita Lessius in rem nostram.

Ergone, inquies, etiam Confessarius, dum actu occupatur excipiendis confessionibus pœnitentium, poterit simul satisfacere præcepto de audiendo Sacro, esto ipse tali die non celebret?

342. R. A fortiori de Confessario idemmet dicendum esse, quod proxime de pœnitente dictum fuit; tum quia excipere confessiones est opus valde divinum, Deo placitum & ad Dei cultum nec non ad animarum salutem summopere proficuum; tum etiam quia mens Confessarii regulariter loquendo non ita valide occupatur circa narrationem peccatorum

torum, quam mens pœnitentis, ideoque dum actu fungitur officio audientis facillime potest exercere actus interiores erga rem divinam, suasque preces ac desideria conjungere illis a Sacerdote erga Deum effusis. Hinc non abs re Gobat *tr. 5. Theolog. experim. n. 270.* ait: extra omnem umbram dubii esse illos, quorum sedes confessionalis est proxima aræ, & singulariter, quando habent, ut sæpe fit, in prospectu ipsum sacrificantem.

Sed quid, inquies, de illis tenendum, qui juxta hodiernum morem durante SS. Missæ Sacrificio quasi continuo garriunt, vel profana, utputa novellas &c. litteras &c. legunt, fabulas ab aliis auditas narrant, rident tabaccum hinc inde præsentant vel offerunt?

343. R. Si per majorem partem vel certe satis notabilem miscent colloquia seria de hujusmodi rebus profanis, vel quod adhuc pejus, omnino turpibus &c. minime satisfaciunt præcepto. At vero, si hujusmodi colloquia non ita serio protrahant, ut omnem attentionem, seu etiam devotionem internam impediant vel excludant, satisfaciunt quidem præcepto Ecclesiæ quoad substantiam; nihilominus per se loquendo saltem venialiter delinquunt.

Ratio prioris est: quia talia colloquia, actiones & occupationes ex sua natura non solum impediunt internam intentionem & devotionem ad audiendum Sacrum necessariam, sed insuper sunt contraria cultui divino & reverentiæ Sacro debitæ, eo præsertim, quod & alii multi propterea impediantur in sua devotione, & inde scandalizentur, prout bene docet Gobat *n. 288.* Ratio autem posterioris est: quia si colloquia non misceantur seria, vel interpolatis tantum vicibus, non obstant, quo minus possit attendi ad auditionem Sacri: esto enim tales nugæ internam devotionem soleant impedire, non tamen omnem tollunt: ergo non transcendunt culpam venialem contra virtutem Religionis, saltem per se loquendo.

344. Dixi: *saltem per se loquendo*; nam quod per accidens, utputa vel ratione scandali aliis dati, quos propterea a sua devotione retrahunt vel impediunt; vel ratione detractionum &c. possint, & fortassis sæpius peccent mortaliter, minime dubitandum est, præsertim hoc tempore. Quocirca vel maxime illis cavendum existimo ac consulo, qui aliis in exemplum sunt positi, ne irreverenter aut dissolute sese habendo tempore divinorum, potius cedant in destructionem, quam in ædificationem subditorum, non sine multum deplorando animarum, cultusque divini detrimento. Videatur Bassæus *tom. 2. verb. Missa 3 n. 6.* Gobat *n. 290.*

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius homo non minus luridus, quam salutis suæ incurius, ob neglectum nuper in die festivo Sacrum jussus fuit a Confessario proximo die festo pœnitentiæ causa duo Sacra audire: hanc pœnitentiam Sempronius utut ægre acceptavit, utpote libentius nullum auditurus: quo vero facilius ab hoc onere sese expediret, studio accessit Ecclesiam, in qua noverat communiter a diversis Sacerdotibus plura Sacra simul dici: ubi etiam forte bona invenit duos simul celebrantes, & utriusque Sacrificio simul attente astitit, licet ceteroquin parum, vel nihil omnino oraverit, moxque finitis Sacris Templo excesserit. Jam dubitatur, an Sempronius suæ obligationi satisfecerit?

345. R. Sempronius probabiliter satisfecit suæ obligationi. Ratio est: quia Confessarius solum præcepit, ut duo Sacra audiret non item, ut ea audiret successive: atqui in omni rigore dici potest Sempronium duo Sacra audivisse: ergo & dici potest satisfecisse suæ obligationi. Esto etiam supponatur durantibus Missæ Sacrificiis parum, vel nihil omnino orasse, supponitur tamen, attente & religiose iisdem astitisse; quod ipsum sufficit ad substantiam Sacri audiendi, juxta hactenus dicta. Accedit, quod odiosa sint stricte interpretanda, & quantum proprietas verborum admittit, restringenda potius, quam extendenda: immo in dubio potius inclinandum in favorem rei: atqui præfata obligatio fuit Sempronio odiosa, nec quidquam obest, quo minus in omni rigore juxta verborum proprietatem dicatur audivisse

visse duo sacra: ergo potius in hujus favorem inclinandum est, atque dicendum, quod huic præcepto Confessarii satisfecerit. Et ita expresse tenent Illsung. *tr.* 5. *disp.* 2. *n.* 162. Viva *ad proposit.* 53. *ab Innocentio XI. damnatam n.* 5. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 4. *num.* 19. *in fine*. Quidquid demum sit de serio emendationis proposito hujus pœnitentis; de quo ex hac specie facti merito dubitare licet.

At, inquies contra hanc resolutionem, semper supponendum est, nisi aliunde de contrario constet Confessarium pœnitentiæ causa voluisse injungere opus supererogatorium, præsertim tali pœnitenti, utpote ita salutis suæ incurio, ut etiam Sacrificium neglexerit; atqui nisi Confessarius intendisset duo Sacrificia successive audienda, plane non injunxisset opus supererogatorium; aliunde enim Sempronius jam fuisset obligatus interesse divinis spatio mediæ circiter horæ: ergo potius dicendum, quod Sempronius interessendo simul duobus Sacris non satisfecerit obligationi suæ.

346. R. *Negando min.* Nam obligatio audiendi duo Sacra procul dubio fuit supererogatoria, quandoquidem hæc ab Ecclesia nunquam, nequidem in die Natalitio Domini præcipitur: quod autem hæc duo Sacra potuerit simul audire, per accidens, in qualemcunque demum favorem Sempronii contigit; qui, si non invenisset in Ecclesia duos simul celebrantes, jam fuisset obligatus ad exspectandum Sacrificium ab alio Sacerdote celebrandum.

Dices iterum: ergo pariter satisfacit præcepto Ecclesiæ ille, qui duas, vel plures partes Missæ audit a diversis simul eodem tempore celebrantibus v. g. ab uno Sacerdote a consecratione usque ad finem, ab altero vero ab initio usque ad elevationem &c.

347. R. Negando illatum & paritatem. Disparitas est; quia Missæ Sacrificium ex sua natura est quædam res successiva, ita ut suas partes simul habere non possit, consequenter ex ipsa natura Missæ impossibile est, ut constituatur ex partibus eodem tempore simul existentibus, prout tamen deberet fieri in casu proposito. Adde insuper, quod neque ex ullo privilegio aut declaratione Ecclesiæ constet, eum, qui pluribus partibus Missæ simul a diversis dictis interest, satisfacere: quin potius ab Innocentio XI. hoc expresse damnatum legimus per propositionem *n.* 53. sequentis tenoris: *satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

Sed quid, ais, tenendum de eo, qui ad Sacrum sero veniens interfuit Missæ priori ab elevatione usque ad finem, posteriori autem mox sequenti ab initio usque ad consecrationem: Satisfecitne præcepto Ecclesiæ?

348. R. Juxta opinionem Suarezii, Tamburini, Illsung & aliorum plurium non satisfacit; eo quod plures partes diversorum Sacrificiorum nequeant coalescere in unum Sacrificium, quemadmodum diversæ partes diversorum officiorum, quæ sunt affixa singulis diebus, nequeunt coalescere in unum officium canonicum. Verum contrariam opinionem Cardenas, Busenbaum, Marchantius noster *in tribun. de Missa tr.* 4. *tit.* 2. *qu.* 1. *dub.* 2. Gobat *cit. tr.* 5. *n.* 143. de la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 611. putant etiamnum probabilem, ratione desumpta a pari: quia recitans horas minores prius, postea vero matutinum &c. adhuc censetur recitare unum officium, & satisfacere suæ obligationi: ergo similiter reputari debet auditio unius Missæ, licet posterior audiatur ante priorem. Nec refert, quod Sacra a diversis legantur; nam audiuntur ab uno: deinde etiam officium Canonicum solet a diversis legi præsertim in Choro, & tamen omnes simul censentur complere unum officium & satisfacere suæ obligationi. His de causis ego existimo, quod si aliquis nequeat interesse posteriori Missæ usque in finem, teneatur saltem huic interesse usque ad consecrationem; fere quemadmodum rationabiliter dubitans, an dies naturalis, seu tempus recitandi officii divini non jam exspiraverit, nedum potest, sed etiam tenetur adhuc ad recitandum breviarium; tum quia ex una parte obligatio recitandi est certa, ideoque manet in possessione; tum etiam quia ex altera

parte

parte adhuc probabile relinquitur, quod possit satisfieri huic obligationi: ergo tenemur ad hoc pro viribus conari, juxta *communem Doctorum*: eadem autem est ratio pro auditione Missæ successive per diversas partes: ergo &c.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus genere nobilis obtinuit Romæ facultatem tempore infirmitatis, quo domo egredi non posset, in suo oratorio privato audiendi Missam, cum hac tamen clausula, ut diebus dominicis ac festivis unica duntaxat persona servitiis necessaria eidem Sacro interesse valeat, reliquæ vero omnes accederent Ecclesiam publicam, ibidem satisfacturæ præcepto Ecclesiastico de audienda Missa. His non obstantibus Cajus pluries curavit in suo oratorio Missam legi, etiam illis diebus dominicis ac festis, quibus absolute quidem potuisset, noluit tamen accedere Ecclesiam, eo quod sine difficultate ob aeris inclementiam, vel pluvias &c. id non potuerit: insuper contigit, ut iisdem diebus festivis plures famulæ ac famuli eidem Sacro interfuerint, vel quia plures ad servitia Cajo illo tempore fuere necessarii, vel certe, quia ob aeris inclementiam, aut pluvias &c. noluerunt accedere Ecclesiam publicam. Hinc jam ad nostrum propositum dubitare licet 1. an Cajus non peccaverit, curando Sacrum legi etiam illis diebus festivis, quibus Ecclesiam potuisset accedere? secundo, an famulæ aut famuli audiendo Missam diebus dominicis aut festivis in oratorio Caji satisfecerint præcepto Ecclesiastico?*

349. R. ad prius quæsitum: a Confessario vel maxime indagandum, an Cajus nedum physice, sed etiam moraliter non potuerit accedere Ecclesiam v. g. ob periculum infirmitatis &c. &c. an vero moraliter sine tali periculo sanitatis potuisset? Si prius dicendum; quod non deliquerit, quin potius bene egerit, audiendo Missam in suo Oratorio privato; quia ut supponitur, habuit licentiam tempore infirmitatis audiendi Missam in suo Oratorio: aliunde etiam pernotum est, melius esse audire Missam, quam non audire. At vero, si supponitur posterius, dicendum foret 1. Cajum nedum non satisfecisse præcepto Ecclesiæ, sed insuper secundo graviter deliquisse, procurando, ut Missa tali die in suo Oratorio privato legeretur. Ita Doctores *communissime*. Ratio prioris est: quia juxta *communem DD.* apud Gobat *Theolog. experim. tr. 5. n. 356.* non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, qui contra Ecclesiæ præceptum die dominico aut festivo audiunt sacrum in tali Oratorio privato: atqui Cajus nedum contra prohibitionem Ecclesiæ in suo Oratorio privato contra omnem licentiam audivit sacrum, sed insuper etiam Sacerdotem, ut illic sine licentia celebraret, induxit: ergo graviter deliquit, neque satisfecit præcepto Ecclesiæ.

Ratio autem posterioris inde deducitur: quia quisquis in loco profano sine speciali licentia vel privilegio celebrat, vel semel duntaxat, peccat graviter contra præceptum Ecclesiæ; *c. sicut de consecrat. dist. 1.* ob causas gravissimas latum, & communi usu approbatum, atqui tale Oratorium privatum est revera locus profanus, & Cajus supponitur non habere privilegium curandi Missam in suo Oratorio celebrari, nisi *tempore infirmitatis, qua domo exire non posset*: ergo graviter deliquit. Ob hanc rationem Gobat *tr. 5. Theolog. exper. n. 345.* recte infert 1. fore noxæ lethalis reum illum nobilem, qui habens solum licentiam procurandi unum Sacrum in suo Oratorio, peteret, aut curaret, ut ibi bis litetur. Similiter secundo, Sacerdotem scienter post alium in tali loco secundum Sacrum celebrantem peccaturum mortaliter; perinde enim est, ac si tale Sacrum faceret in quovis loco profano: at, qui in loco profano sine licentia aut speciali privilegio præsumit celebrare, peccat lethaliter: ergo &c. Idipsum haud obscure innuit Clemens XI. *in suo decreto: Quoniam Sancta 15. Decembris 1703. hac super re edito*, ubi inter cætera ait: *in reliquis vero diebus prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscunque, etiam Episcopis, in privatis oratoriis celebrare non licere: ubi etiam unica Missa, quæ in indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo NB. celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optime informare - - demandando propterea ulterius, ac declarando, in omnibus hujus-*

modi casibus personas quascunque dictas Missas audientes, nullatenus Ecclesiæ præcepto satisfacere. Hactenus Pontifex

350. R. jam ad posterius quæsitum. Famuli (idem tenendum de famulabus) saltem illi qui tempore sacrificii celebrati non fuerunt ad obsequia Caii necessarii, audiendo Sacrum in Oratorio privato minime satisfecerunt præcepto Ecclesiæ, sed potius censendi sunt graviter deliquisse. Et gravitas quidem hujus delicti, ni fallor, facile colligetur ex dictis *n.* 339. Quod autem non satisfecerint præcepto Ecclesiæ, hodie *communissime* (contra nonnullos antiquiores) tradunt Doctores, Pasqualigus, Diana, Bassæus, Gobat, *tr.* 5. *n.* 356. de la Croix *lib.* 3. *p.* 1. *n.* 628. Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 41. *n.* 18. Illsung *tr.* 5. *n.* 163. Tamburinus *in method. celebrandi miss. lib.* 1. *c.* 4. §. 4. *n.* 34. noster A. R. P. Kazenberger *in Supplem. I. Confer. P. Sargar. n.* 286. Ratio hujus liquet ex proxime dictis: quia Summi Pontifices concedentes facultatem audiendi Missam in Oratoriis privatis, semper declarant, eos, qui sine licentia in talibus Oratoriis intersunt Missæ Sacrificio, *non satisfacere præcepto Ecclesiæ.*

Dixi nihilominus: saltem illos famulos, qui tempore Sacri non fuere necessarii ad obsequia Caii, non satisfacere præcepto Ecclesiæ.

351. Contrarium quippe resolvendum existimarem, casu quo gravitas infirmitatis postulasset obsequia plurium famulorum. Esto enim in Brevibus illis, quibus ob infirmitatem corporis conceditur Nobilibus licentia audiendi sacrum in Oratoriis privatis, semper fiat restrictio pro uno duntaxat famulo servitiis necessario, ita, ut reliqui jubeantur accedere Ecclesiam publicam; hoc tamen solum propterea fit, quia communiter & regulariter supponitur unus famulus sufficiens ad obsequia infirmi; hinc in casu, quo infirmitas requirit obsequia plurium, benigne præsumere licet de pietate Ecclesiæ, quod & aliis ad obsequium infirmi necessariis voluerit indulgere talem favorem.

Profecto cum in tali casu velit infirmarios ab obligatione audiendi sacrum omnino exemptos, prout mox infra *num.* 369. videbitur; a fortiori præsumere licet, Summum Pontificem esse contentum, si in domo seu Oratorio privato devote intersint Sacrificio Missæ.

Sed quid, inquies adhuc, si Cajus ex ingressu Ecclesiæ timeat vel periculum reincidentiæ in pristinam infirmitatem, vel obstaculum recuperandæ valetudinis, præsertim ob aeris inclementiam, aut pluviarum inundantiam &c. licebitne huic procurare Sacrificium in suo Oratorio privato legendum?

352. R. Licebit procul dubio; quia in tali contingentia accessus in Ecclesiam Cajo reputatur moraliter impossibilis, prout mox infra videbimus *num.* 366. Et certe si Ecclesia intuitu infirmitatis deponendæ vel sanitatis recuperandæ indulsit Cajo facultatem audiendi Sacrum in Oratorio privato, rationabiliter præsumere licet, voluisse idem indulgere pro casu, quo rationabiliter timeret periculum relapsus in eandem infirmitatem, quippe qui plerumque solet esse magis perniciosus, quam infirmitas prior fuit: idque vel maxime tenendum de Seniculis, Podagricis, & febricitantibus. Nolim tamen per hoc asserere, solam aeris intemperiem, vel pluvias esse causam sufficientem ad negligendum Sacrum, vel non accedendam Ecclesiam, præsertim respectu famulorum. Sed de hoc plura in conferentia proxime secutura, ubi de causis excusantibus ab auditione sacri.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

353. COlliges ex hactenus dictis primo, casu quo Princeps sæcularis præcise præciperet observari aliquod festum, v. g. ob insignem victoriam eo die reportatam, vel ob honorem particularem alicujus Sancti &c. Subditos non abstinendo a negotiis externis peccaturos quidem contra obedientiam Principi debitam; attamen omittendo sacrum, vel laborando serviliter in occulto &c. non peccaturos contra virtutem Religionis. Ratio est: quia cum Principi me-

pi merum sæculari non competat jurisdictio spiritualis, eo ipso etiam nequit instituere diem ex virtute Religionis solemniter agendum seu celebrandum, sed solum externam quandam festivitatem & abstinentiam a negotiis civilibus, cujus transgressio facta sine contemptu vix, aut ne vix quidem potest conscendere gravitatem culpæ mortalis, inquit bene Tamburinus *lib.* 3. *in decalog. c.* 1. §. 1. *n.* 2. Hac de causa fortassis Zelosissimi Principes Ecclesiæ fideles, ac genuini filii, ubi voluere diem specialiter festivum & sacrum, requisivere auctoritatem Sedis Apostolicæ, veluti constat de gloriosissimæ memoriæ Leopoldo I. Imperatore Augustissimo, cujus instantia hodie festum Sancti Joseph debita cum veneratione agimus.

354. Colliges secundo, te non satisfacturum huic obligationi, si domi manens flexis etiam genibus mentem ac preces tuas conjungere satagas cum precibus Sacerdotis, quem certo nosti eo ipso momento ad aram litantem. Ratio est: quia ad auditionem sacri necessaria est præsentia physica & moralis ex parte audientis: at, si domi maneas, nec physice nec moraliter es præsens Sacerdoti celebranti: ergo &c. Nec sufficit, quod fortassis ille Sacerdos cantet voce tam sonora & alta, ut quasi singulas notas ac syllabas audias in tuo conclavi, vel ex tintinnabulorum pulsu colligere valeas, quousque idem Sacerdos pervenerit in suo Sacrificio &c. Non inquam, sufficit; quia hæc duo etiam simul sumpta non reddunt te physice & moraliter præsentem, uti bene advertit Gobat *cit. tr.* 5. *num.* 27.

Sed quid, inquies, si ego e mea Camera per fenestras prospiciendo possim videre Sacerdotem ad aram litantem in Ecclesia ultra 20. aut 30. passus non dissita, satisfaciamne huic obligationi de audiendo sacro sine accessu in Ecclesiam?

355. R. Probabilius satisfacies juxta opinionem Cardinalis de Lugo, Tamburini, Escobar, Dicastillo & aliorum plurium, quos citat & sequitur Gobat *cit. num.* 172. probans hoc assertum gemina ratione a pari desumpta. 1. quia milites e tentoriis suis attendentes ad Sacerdotem itemque constituti in navi & auscultantes Sacerdotem in littore, non adeo procul dissito celebrantem, censentur audire Sacrum. 2. quia juxta satis receptum loquendi modum censemur saltem in favorabilibus esse in aliquo loco, quando sumus ita vicini (præsertim corpore aut superiori parte exporrecto) ut debita opera videamus, quidquid ibi agitur: hac ratione teste Dicastillo olim in Hispania Clerici spectantes Tauriludia a fenestra domorum suarum, incurrere censuram Ecclesiasticam, eo quod Ecclesia reputaverit illos moraliter interfuisse iisdem Tauriludiis. Hisce ex rationibus ego concludendum arbitror, te in tali casu, ubi Ecclesiam ipsam v. g. ob pedum infirmitatem &c. accedere non potes, teneri e tua Camera non multum inde dissita auscultare Sacerdotem ad aram stantem & præsertim ob rationem mox supra *nu.* 348. datam. Quia tamen multi etiam insignes Doctores, nominatim Filliucius, Suarius, & Portel. negant absolute, te hoc modo satisfacturum, quin immo Reverendissimus D. de Nicollis *in praxi Canon. tom.* 1. *litt. C.* §. 1. *de celebrat. Missar. n.* 94. testatur Sacram Congregat. in una Venetiarum 2. Maii anno 1676. respondisse *negative*, hinc omnimodis tibi consulo, ut tutiori via incedendo, Ecclesiam ipsam accedas, & Sacerdoti assistas; hoc enim modo & tuæ obligationi certius satisfacies, & fructum Sacrificii infallibilius reportabis.

356. Colliges tertio, huic præcepto de audiendo Sacrificio satisfacere illos, qui dum v. g. ad aram deserviunt, brevi duntaxat mora recedunt e templo v. g. ad campanas pulsandas, ad vinum, vel hostiam asportandam &c. Ratio est: quia ob tam modicum temporis intervallum non censentur moraliter abfuisse, quin potius eidem Sacrificio integrando aut perficiendo cooperati fuisse. Secus dicendum est de illis, qui notabilem partem Sacrificii præsertim sine causa, negligunt; hi enim ob moralem absentiam graviter delinquere possunt juxta *omnes*.

At, inquies, quænam ergo censenda est pars notabilis Sacrificii, ita ut hujus omissione mortaliter peccetur?

R. Equi-

357. R. Equidem non omnium Doctorum judicia quoad hoc punctum esse æqualia, prout videre licet ex iis, quæ habet Gobat *tr.* 5. *Theolog. exper. n.*134. Pro hujus tamen difficultatis decisione & majori dilucidatione notandum est, a Doctoribus partes Sacrificii varie inter se distingui; consecratio enim (utpote in qua sola juxta probabiliorem sententiam Sacrificium consistit) dicitur *pars essentialis* secundum omnes: oblatio & sumptio dicuntur *pars substantialis*: partes principales dicuntur *Canon*, incipiens statim post *Sanctus* usque *ad Pater noster*, item utraque *oblatio*: Evangelium &c. Partes *non Regulares* seu non ordinariæ dicuntur *Gloria*, *Credo*, *plures Epistolæ*, *plures Collectæ*, quippe quæ non in omni Missa, sed certis duntaxat temporibus seu etiam festivitatibus sunt dicenda &c. e contra *partes regulares* seu *ordinariæ* appellantur, quæ communiter assumi debent in omni Sacrificio Missæ. Hoc notato

358. R. 1. Qui negligit seu omittit tertiam partem Missæ, videtur certo peccare mortaliter. Ratio est: quia in omnium persuasione tertia pars habetur pro notabili (immo vero aliqui volunt etiam quartam partem pro notabili habendam) porro ille dicitur omittere tertiam partem, qui omittit ab initio usque ad Evangelium præsertim exclusive sumptum. Ita Mendo, eumque secutus de la Croix *cit. numer.* 665. licet Laymann & Burghaber aliique nonnulli haud improbabile putent, etiam illos non peccare mortaliter, qui veniunt ad offertorium, & perseverant usque ad finem Missæ. Secundo certum insuper & exploratum habetur inter Doctores, eum, qui negligit consecrationem simul & sumptionem, peccare mortaliter, nec satisfacere huic obligationi; quandoquidem Sacrificium in his partibus principaliter & respective essentialiter situm est, secundum dicta *num. præced.* Et ita tenet Gobat *cit. num.* 132. Quin immo nonnulli existimant, peccare mortaliter, qui utramque consecrationem, panis scilicet & vini negligeret; eo quod in hac consistat tota essentia Sacrificii: nimis tamen durum mihi videtur talem, qui ab initio usque ad consecrationem, & ab hac usque ad finem interesset Sacrificio, ad infernum condemnare, eo quod fortassis actuali consecrationi non interfuerit, quandoquidem de tali adhuc verum est dicere, quod partibus principalibus Missæ astiterit, & cum aliis devotioni vacaverit, hujus opinionis sunt Hurtadus, Burghaber *cent.* 2. *cas.* 86. Suarez, Fagundez & alii, esto opposita sententia omnium sensu ac consensu sit tutior. Magna igitur discretione cum talibus agendum arbitror, quidquid alii minus rigorose sentiant. Videatur Lugo *de Eucharist. disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 4. Tamburinus *lib.* 4. *c.* 2. §. 1. *n.* 3. de la Croix *n.* 677.

359. Colliges quarto, huic obligationi satisfacere illos, qui durante Missæ Sacrificio recitant horas canonicas, vel pœnitentiam injunctam in Confessione, aliasve orationes sive ex obligatione, sive etiam ex privata devotione assumptas. Ita Filliucius *tr.* 5. *n.* 216. Sporer *c.* 4. *n.* 16. Babenstuber *tr.* 5. *disp.*4. *art.* 1. *n.* 10. Ratio est: quia stante & non obstante tali oratione potest quis nedum devote interesse, sed insuper etiam attendere ad partes Sacrificii: aliunde vero constat, posse una eademque actione eodem tempore duobus præceptis satisfieri, quando illa actio absque absurdo potest dirigi in diversos fines. Quin immo nequidem necessum est, ut audiens Sacrum ad singulas Missæ partes reflexe attendat; secus enim innumeri orirentur scrupuli, & fortassis pauci huic obligationi satisfacerent.

360. Colliges quinto, ab obligatione audiendi neque cæcum excipiendum esse, neque surdum. Ratio est: quia nihil obstat, quo minus cæcus auditu, surdus autem visu saltem ex aliorum præsentium actionibus & signis possit conjecturare, quidnam in ara agat Sacerdos: ergo hoc ipso nihil obstat, quo minus Sacrificio Missæ possint reverenter interesse. Secus dicendum putant Castropalao, Illsung & alii de eo, qui simul & cæcus est, & surdus: non enim apparet, quomodo talis possit advertere ad Sacrum, vel huic moraliter (secundum dicta) assistere: & hoc ipso videtur ab oligatione hac eximendus, licet etiam talis consultius ageret assistendo;

minime enim dubito, quin ob preces Sacerdotis ejusdem Sacrificii fructum generalem participaret. Similiter puellæ ac pueri post completum septennium regulariter adigendi sunt ad audiendum Sacrum a Parentibus, ludimagistris, vel aliis, quibus eorum cura incumbit: quia hac lege Ecclesiastica obligantur omnes illi, qui usu rationis potiuntur in tantum, ut possint dignoscere, quid sit Missa, vel quid sit audire Missam: atqui hoc per se & regulariter præsumitur de pueris ac puellis post septennium completum, præcipue de cultioribus seu in civitate educatis; licet R. P. Gobat rusticanis velut rudioribus paulo amplius indulgendum & condescendendum existimet. In praxi proin oportebit, ut R. D. Parochus vel Confessarius quasi arbitrum agat, discernendo, ac dijudicando, an hoc vel illud subjectum in individuo sit obligandum, nec ne, juxta majorem vel minorem judicii discretionem. Videatur Sanchez *l.* 1. *in decalog. c.* 12. *num.* 10.

361. Colliges tandem sexto, fideles non teneri ad audiendum Sacrum in propriis Ecclesiis Parochialibus (nisi forte ratione oblationum, aut jurium Parochialium in certis quibusdam festivitatibus jubeantur ibidem comparere) sed satisfacere huic præcepto, in quocunque demum loco vel Ecclesia (extra privata Oratoria, secundum dicta *n.* 350.) sacro devote interfint. Ita teste Illsung *tr.* 5. *n.* 163. hodie certa & communis sententia Doctorum.

Ratio est: tum quia Ecclesia solum præcipit auditionem Missæ, non autem locum, in quo sit audienda: ergo huic præcepto ubivis locorum, saltem extra Oratoria privata potest satisfieri; tum etiam quia hoc hisce temporibus obtinet communis consuetudo legitime recepta. Quocirca tamen illud adhuc memorandum venit, nomine Oratorii privati hic intelligi locum aliquem in domo vel arce privati hominis cultui Divino ad tempus deputatum. Hinc fit, ut in Oratoriis Episcoporum vel Regularium, cultui divino perpetim destinatis quivis fidelium possit satisfacere huic præcepto; idque Quarti *in Rubr. part.* 3. *tr.* 10. *n.* 1. *sect.* 3. Tamburinus *de Sacrific. l.* 1. *c.* 4. §. 4. Illsung *tr.* 5. *n.* 163. de la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 626. extra omnem controversiam existimant.

CONFERENTIA DECIMA TERTIA

De Causis excusantibus ab auditione Sacri.

SUMMARIUM.

362. *Ab auditione Sacri universaliter excusant impossibilitas physica & moralis.*
363. *Quandonam censeatur intervenire impossibilitas physica?*
364. *& seqq. Et quando impossibilitas moralis, ob detrimentum in bonis animæ, corporis, vel fortunæ &c.?*
369. *Excusare etiam potest ab hac obligatione titulus Charitatis.*
370. *Item distantia loci ab Ecclesia, etsi hæc universaliter nequeat determinari.*
371. *Datur duplex genus impedimentorum ab auditione Sacri excusantium.*
372. *Absque justa causa non licet ipso die Dominico aut festivo ponere impedimentum solum impediens, & non simpliciter excusans.*
373. *Fas tamen est ponere etiam tale impedimentum pridie, vel adhuc maturius.*
374. *Qui legitima de causa Sacro interesse nequeunt, persuadendi sunt, quatenus domi, vel ruri interim velint vacare precibus &c. ad hoc tamen absolute obligari non possunt.*
375. *Resolvitur Casus I. De quadam Comite Catholico, qui minus laudabiliter die festo ante prandium, postposito Sacro venatum cum subditis exivit eo fine, ut alium quendam Acatholicum idem jus prætendentem præveniret.*
376. *Subditi eidem timore servili obtemperantes in hoc passu probabilius excusandi sunt a peccato mortali ob neglectum Sacrum.*
377. *An etiam excusari possint famuli, qui a suis heris ordinarie impediuntur ab audiendo Sacro.*

378.

378. *Resolvitur Casus II. De quodam Parente, qui filium & filiam noluit ad divina mittere, ne forte in itinere ab aliis seducerentur.*
379. *Huic potius suadendum a Confessario, quatenus iisdem velit jungere comitem fidelem.*
380. *An, vel quando Parentibus, aliisve Superioribus fas sit domi recludere Filios aut subditos, etiam cum dispendio Sacri.*
381. *Resolvitur Casus III. Cujusdam peregrini, dubitantis, utrum non teneatur interesse rei divinæ, in quodam festo particulari alicujus loci, ubi per unum alterumve diem fuerat moratus.*
382. *Quid si talis supponatur diutius v. g. per unam alteramve septimanam demorari in tali loco.*
383. *Sitne talis peregrinus excusandus a Missa, si ob hujus auditionem deberet privari comitiva aliorum comperegrinantium.*
384. *Præter alias causas excusantes ab auditione Sacri etiam consuetudo legitima admittenda est.*
385. *An contra hoc præceptum de Sanctificando die festo peccent, qui vesperas negligunt?*
386. *Vel qui negligunt interesse Concioni.*
387. *Qui audito Sacro reliquum temporis otio vel vanitatibus impendunt, probabilius non peccant contra hoc præceptum.*
388. *Solvitur quædam objectio contra hanc resolutionem facta.*
389. *Matres vel Nutrices, quæ tempore Sacrificii nequeunt suos infantulos aliorum curæ committere, consultius agunt domi curam eorum gerendo.*
390. *Aurigæ etiam, qui habent jus vehendi, propterea que nequeunt interesse Sacro, excusandi sunt ab hoc onere.*
391. *Similiter illi, quorum auctoritas vel præsentia necessaria est ad impedienda majora mala, utputa rapinas, incendia, homicidia &c. quæ alioquin tempore Sacrificii prævidentur committenda, non solum possunt, sed tenentur etiam eo fine Sacrum prætermittere.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa omissionem Sacri.

QUæres primo, quæ, & quot dentur causæ excusantes ab auditione Sacri?

362. R. A diversis diversas recenseri, quæ tamen (excepta consuetudine, de qua infra *num.* 384.) commode ab aliis reducuntur ad duo capita, scilicet ad impotentiam physicam & moralem. Nec dubium, quin una æque, ac altera fideles eximat ab hac obligatione; quippe quos Ecclesia velut pia Mater non vult obligatos pro tali articulo, veluti satis clare innuitur *c. ult. de feriis*. Aliunde quoque notum est, impossibilium nullam esse obligationem, *& neminem ad impossibile obligari posse per Reg. 6. J. in sexto*.

Videndum nihilominus est, quandonam impotentia physica, vel moralis censeantur adesse. Unde

Quæres secundo, quandonam censeatur adesse impotentia physica?

363. R. Impotentia physica (quæ sola meretur dici impotentia simpliciter talis) censetur adesse in sequentibus casibus. 1. dum quis carceri est inclusus, vel in alio quocumque demum loco, ubi Sacrum non celebratur, detinetur, ita ut Ecclesiam accedere non valeat. 2. quando quis ob infirmitatem gravem lecto est ita affixus, ut nequeat surgere vel inde discedere. 3. quando Sacerdos, qui Missam dicat, haberi nequit, vel certe non potest accedi, prout communiter fit in partibus infidelium, vel hæreticorum &c. 4. probabiliter etiam, quando quis simul est cæcus & surdus &c. Ita *DD. satis communiter*.

Quæres tertio, quandonam censeatur intervenire impotentia moralis?

364. R. Impotentia moralis censetur tunc contingere, quando quis absque permagna difficultate vel labore, vel etiam detrimento seu jactura alicujus boni notabilis nequit interesse Sacro; quæ quidem jactura non in uno duntaxat, sed in quovis ex quatuor bonorum generibus contingere potest, scilicet in bono animæ, corporis, famæ, seu honoris, atque fortunæ.

365. I. Itaque propter bonum animæ obtingit moralis impotentia 1. quando quis nequit adire Ecclefiam fine periculo labendi in peccatum, v. g. tempore perfecutionis abnegandi fidem. 2. Subjecti excommunicationi aut interdicto, qui utique fine peccato intereffe nequeunt, & hoc ipfo excufantur ab auditione Sacri, faltem quamdiu per ipfos non ftat, quo minus ab excommunicatione vel interdicto liberentur, quin etiamfi per ipfos ftaret, dummodo non ex intentione & directo fine non audiendi Sacrum abfolutionem procurare non negligant, juxta *communiorem DD.* apud Suarez, Laymann & Sporer *in Decalog. tr.* 3. *cap.* 4. *n.* 26. 3. fi virgo vel fœmina prævideat periculum Stupri in via fibi inferendi &c. Reiffenftuel *tr.*10.*dift.*1.*n.*47.

366. II. Propter periculum bono corporis imminens merito cenfetur intervenire impotentia moralis excufans ab auditione Sacri. 1. fi quis ex fundata & probabili conjectura (non tamen ex vana apprehenfione) timet, ne in via ab inimico, vel a ficario occidatur. 2. fi quis rationabiliter timeat jacturam Sanitatis, vel reincidentiam in morbum, vel periculum ponendi notabilem moram, feu retardantiam reconvalefcentiæ ex ingreffu in Ecclefiam, prout contingere folet febricitantibus. Addit 3. Gobat *cit. tr.* 5. *n.* 471. fecutus Sanchezium, ob hanc impotentiam excufandos effe illos, qui ægra valetudine laborant, & ex ingreffu in Ecclefiam rationabiliter timent aliquam ftomachi cruditatem, vel capitis graveolentiam, vel virium laffitudinem &c. quia (inquit) hujufmodi damna, quæ in corpore valido & fano funt levia, in ægroto funt gravia mala.

367. III. Ob periculum famæ feu honoris impoffibilitas moralis intervenire cenfetur tunc; quando quis non habet veftem decentem, ita ut abfque periculo derifionis, proftitutionis, vel notabili pudore nequeat comparere in publico: his P. Babenftuber annumerat Uxores, verberum veftigia, vel cicatrices in vultu gerentes, item his accenfenda eft puella ceteroquin integræ famæ, fi porter uterum, proptereaque habeat timere, ne in publico comparens ab aliis videatur prægnans, ficque delictum occultum patefiat. Hoc ultimum tamen puto ego locum non habere, nifi puella domi manendo poffit fimpliciter famam confervare: quod tamen rarius contingere natum eft; plerumque enim in partu faltem coguntur manifeftare delictum fuum, vel manifeftantur ab effectu, prole fcilicet genita: infuper recte docet Reiffenftuel *loc. cit. n.* 51. quod fi tales puellæ fine periculo proftitutionis poffunt Sacro intereffe in tenebris, ad hoc teneantur.

368. IV. Ob damnum in bonis fortunæ evitandum excufantur ab audiendo Sacro illi, qui notabile detrimentum deberent fubire, cafu quo Sacrum accederent, v. g. quia famuli deberent amittere fervitium, vel falarium, aut notabilem partem hujus; vel quia timetur periculum incendii, aut furti &c. nifi fit, qui domi agat excubias tempore Sacrificii. 2. item excufantur, qui propter Sacrum audiendum deberent amittere *notabile lucrum*, vel, ut alii loquuntur, *lucrum alicujus ponderis, & momenti*, quale refpectu mediocriter divitis duos ducatos, refpectu autem pauperis lucrum unius ducati, exiftimat Gobat &c. Ratio horum manet eadem, quæ paulo fuperius fuit data; quia in his circumftantiis Sacrum fine notabili difficultate audire non poteft; & hinc Ecclefia velut benigna Mater vult Filios fuos ab hoc onere exemptos. Ita Diana *part.* 2. *n.* 15. *ref.* 34. Reiffenftuel *cit. nu.* 52. Gobat *tr.* 5. *n.* 491. & 492. referens pro eadem opinione Baffæum, Tamburinum, Azorium, & alios plures.

Quæres quarto, An vel quomodo ab auditione Sacri excufet titulus pietatis, feu Charitatis?

369. R. Excufat in fequentibus cafibus 1. quando intermiffio Sacri, neceffaria eft, ut poffis vacare operi mifericordiæ communi charitatis præcepto debito: v. g. affiftere infirmo, aut in periculo gravi v. g. partus conftitutæ &c. 2. licite omittitur Sacrum, quoties id opus eft ad exercendum opus mifericordiæ feu corporalis, feu etiam fpiritualis, utputa quia proximus eft revera in gravi neceffitate conftitutus, ita, ut ejus auxilium differri nequeat fine gravi ejus detrimento.

Et hæc vera sunt non solum tunc, quando quis aliunde v. g. titulo justitiæ est obligatus ad succurrendum tali infirmo vel indigenti, sed etiam quando urget solus titulus charitatis, uti jam dictum fuit: quia, ut ait S. Bernardus *propter charitatem convenienter omittitur, quod propter eam est institutum, hoc enim non debet pugnare contra charitatem*. 3. denique excusatur quis titulo pietatis, quando id necessum est ad impediendum alienum peccatum: hac ratione puellæ aut fæminæ subin prudenter se domi continent, vel ne ab alienis turpiter adamentur, aut sollicitentur ad peccandum, vel ne dent propriis maritis ansam zelotypiæ &c. Licet ad hoc non semper obligentur, juxta dicta *part. 2. Theolog. decal. Confer. 12. a num. 378. ubi de Scandalo*. Ratio autem horum est: quia ubi duo præcepta incompossibilia simul eodem tempore concurrunt, ibi majus est præferendum: atqui præceptum charitatis majus est præcepto audiendi Sacrum, illudque obligat ad una saltem alterave vice omittendum Sacrum in ordine ad impediendum proximi peccatum: ergo &c. Vide Filliucium *tr. 5. c. 7. num. 227.* Bonacinam *dist. 4. qu. ult. pu. ult. num. 15.* Sporer *ubi supra c. 4. num. 33.*

Quæres quinto, An, vel quanta loci distantia excuset ab accessu ad Ecclesiam, & auditione Sacri?

370. R. Universaliter determinari non posse, quæ aut quanta distantia loci necessaria sit vel sufficiens ad hoc, ut excuset ab auditione; tum quia plus, quam certum est, non omnes homines esse ejusdem complexionis: ideoque unus præ altero sentit majorem difficultatem in accessu ad Ecclesiam; tum etiam, quia vel maxime habenda est ratio personarum, nec non tempestatis, quæ si sit nimbrosa, pluviosa, aut tempore brumali nimis frigida &c. procul dubio facilius quempiam eximere potest, quam si sit amæna & serena. Itaque 1. homines mediocriter valentes, & peculiarem excusationem non habentes regulariter non sunt eximendi ob spatium unius duntaxat horæ, bene tamen ob distantiam sesquihoræ. 2. Nobiles & teneræ complexionis fæminis Dicastillo ob distantiam mille 500. passuum putat excusandas. 3. e contra Rusticæ fæminæ, ceu robustioris complexionis, quæ non minus, quam ejusdem farinæ Viri solent huc, illucve discurrere, levibus etiam de causis, ad longius spatium v. g. unius bonæ horæ currendum adigendæ sunt, nisi debilitas, vel aeris inclementia eas excuset. Itaque (ait Dicastillo) absolute judicio prudentis relinquendum est, expensis circumstantiis. Et hinc, ait prudenter Gobat *tr. 5. n. 487.* Licet Illustrissimi Ordinarii Germaniæ Superioris punirent illos, quos scirent fere semper a re divina abesse solum, quia distant sesqui hora (ut sæpissime distant) a templo, nec excusarent, qui omnino semper abesset propter duarum horarum distantiam, nullus tamen prudens Confessarius facile talibus movebit scrupulum, etsi crebro tales maneant domi; cum etiam videatur Busenbaum *L. 3. tr. 3. c. 1. dub. 5.* absolute eximere distantes uno vel altero milliari germanico, æquante videlicet spatium duarum circiter horarum. Hactenus Gobat, imo P. Burghaber *cent. 3. cas. 1.* putat, universaliter sufficere unius horæ distantiam, ut Missa NB. *subinde* omittatur intra annum; quod procul dubio verum est, si accedant pluviæ, vel alia incommoditas itineris. Videatur de la Croix *lib. 3. p. 1. num. 687.* Palao *tr. 22. punct. ult. num. 4.* Filliucius *ubi supra num. 226.*

Quæres sexto, sitne aliquando fas ponere obstaculum audiendo Sacro, v. g. propter iter capessendum, vel propter venationem instituendam?

371. Ante responsionem directam notandum & recolendum ex dictis *part. 1. prælim. Confer. 13. num. 375.* dari duplex impedimentorum genus, e quibus unum simpliciter liberat ab observantia legis: Sic dispensatio legitima, vel abrogatio legis; item egressus in aliud territorium, ubi eadem Lex non viget, vel certe auctoritate legitima fuit sublata, simpliciter liberant seu eximunt subditum ab observantia legis. Alterum impedimentorum genus relinquit subditum adhuc subjectum legi, & solum secundum quid excusat a transgressione: sic ignorantia invincibilis legis facit quidem, ut-

ut subditus non peccet formaliter contra legem, at non illum eximit simpliciter: similiter infirmitas excusat quodammodo, v. g. ab obligatione andiendi Sacri, ast non reddit eum simpliciter exemptum, veluti Castropalao, & alii DD. animadvertunt. Hoc notato.

372. R. 1. Nefas est, absque justa causa ipso die festo aut dominico audiendo Sacro ponere impedimentum solum impediens, & non simpliciter excusans ab auditione Sacri. Ita cum Dicastillo Gobat *Theolog. experim. tr.* 5. *n.* 444. noster A. R. P. Kazenberger *in Supplem. Theol. decalog. P. Sporer c.* 1. *n.* 221. & ipso Sporer *in decalog. tr.* 3. *c.* 4. *n.* 31. Ratio est: quia Legislator etiam humanus potest obligare ad non ponendum tale impedimentum, & quod velit ita obligare, constat ex praxi, tum etiam ex communi fidelium persuasione; nam qui die festo, immo etiam una vel altera hora ante noctis medium proficiscitur venatum, prævidens se non habiturum occasionem audiendi Sacrum illa die, peccat graviter; tum quia talis nullo ex capite est exemptus ab hac obligatione; tum etiam quia paulo ante noctis medium moraliter jam censetur adesse festum, & urgere præceptum saltem de non ponendo obstaculo, uti recte observat Kazenberger *l. cit.* Gobat *n.* 454. & Tamburinus *lib.* 4. *in decalog. c.* 2. §. 3. *n.* 9. Dixi: *sine justa causa*; secus enim discurrendum, casu quo vel justitia, vel charitas proximo debita suadet, vel urget v.g. ad capessendum hujusmodi iter vel obsequium &c. prout habet idem Tamburinus & alii *DD. communiter*.

373. R. jam secundo ad idem quæsitum. Fas est pridie ante Festum, puta vigilia vel Sabbatho ponere obstaculum, quo quis prævidet, se altero die impeditum iri ab audiendo Sacro. Ita *DD. citt.* Ratio est: tum quia in vigilia vel Sabbatho auditio Missæ non est sub præcepto; tum etiam quia non satis constat, quod Legislator Ecclesiasticus velit fideles obligatos ad non ponendum tale impedimentum pridie: ipso autem die Dominico loci distantia satis excusat ab auditione Missæ. Ex quo P. Gobat *n.* 455. recte infert, quod quemadmodum fas est pridie ponere hujusmodi impedimentum; ita pariter fas sit impedimentum jam positum non auferre: adeoque si feria sexta profectus es ad locum, e quo non possis die Dominico adire templum, etiamsi mane diei Dominici facias iter per tres aut quatuor horas, non obligaris die Sabbathi conficere partem illarum quatuor horarum, ut possis dein die Dominico reliquo itinere confecto divinis interesse; nec enim usus ostendit, legem de festo celebrando esse ita rigide receptam, ait Gobat *l. cit.*

Quæres septimo, utrum illi, qui quavis demum de causa die dominico aut festivo nequeunt accedere Ecclesiam, teneantur saltem tempore Sacri domi vel alibi vacare precibus?

374. R. Probabiliter non tenentur, etsi consultissimum sit, ut id faciant. Ita Navarr. *c.* 21. *man. n.* 7. Reginaldus *l.* 19. *n.* 19. Herincx *p.* 4. *disp.* 8. *de Sacrif. Miss. n.* 223. & 224. quos refert & sequitur Reiffenstuel *tr.* 10. *dist.* 1. *n.* 55. Ratio est; quia quantumvis domi vel ruri aliquis oret, non tamen dici potest, propterea audire Missam: ergo per hoc non satisfacit huic præcepto: & licet Ecclesia auditionem Missæ præceperit ex fine colendi Deum, quia tamen finis præcepti non cadit sub præcepto; hinc omnino probabile videtur, quod tales domi vel ruri manentes in rigore loquendo non teneantur vacare precibus. Quia tamen opposita Sententia etiam est probabilis, nec minus certum, quod quivis saltem aliquoties per vitæ decursum jure naturali teneatur Deum Colere actibus Fidei, Spei & Charitatis; quia insuper hujusmodi homines toti quanti immersi temporalibus curis vix unquam per totam septimanam noscuntur cum Deo agere, vel vacare divinis; hinc in praxi omnimodis a Confessario persuadendi, & bello modo adigendi sunt, ut eo saltem tempore nitantur preces suas conjungere cum precibus Sacerdotis, quem sciunt actu ad Aram Domino Deo litare. Hac de causa S. Augustinus *Serm.* 251. *de tempore*, illum qui divinis nequit interesse hortatur, *ut saltem in domo sua oret, & non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servitutis*.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur casus practici circa Causas eximentes ab obligatione audiendi Sacrum.

CASUS PRIMUS.

Titius Comes religione Catholicus, ut alterum quendam Acatholicum in jure venandi (de quo jam a longe tempore contenderant) præveniret, die quodam festivo sat mature, tempore scilicet, quo alter hac de re nihil somniasset, unacum pluribus famulis & subditis exivit venatum; quo factum, ut nedum ipse, sed & plures alii eo die nullum audierint Sacrum. Jam vero conscientiæ stimulis nonnihil agitatus, sciscitatur ipse Comes. 1. an non graviter deliquerit, ob rationem mox allegatam impediendo alios sibi subditos ab audiendo Sacro? 2. Sciscitantur & alii famuli, an potuerint suo Comiti sine gravi culpa obedire, & neglecto Sacro venatum exire? Quid ad hæc Confessarius?

375. R. ad primum, Titium probabilius graviter deliquisse 1. quia nefas est negligere Sacrum sine legitima causa: at Titius talem prætendere nequit; si enim aliqua suppetitaret, vel maxime esset moralis impossibilitas: ac neque hæc prætendi potest; quia sola captura aliquot leporum, vel vulpium respectu alicujus Comitis nequaquam censeri debet tantum bonum, ut hujus intuitu liceat postponere divina: secus dicendum existimarem, si Comes propter hujusmodi actum præventionis potuisset stabiliter acquirere ipsum jus venandi; quippe quod velut quid perpetuum a prudentioribus merito reputatur res magni momenti. Accedit. 2. quod tanto major & gravior causa merito exigatur ad licite intermittendum Sacrum, quanto plures sunt, qui & Sacro & fructu spirituali inde percipiendo deberent carere: atqui plures subditi (ut supponit species facti) debuere carere utroque: ergo.

Adde insuper malum exemplum, quod per hujusmodi actum Comes Catholicus procul dubio dederit Acatholicis, dum hi perceperunt, quod a Catholicis exiguus ille leporum aut vulpium proventus præferatur Divinis &c. non obstante, quod S. Mater Ecclesia graviter prohibuerit hujusmodi venationes cum clamore ac magno tumultu diebus festivis, aut dominicis instituendas, pro ut paulo inferius *num.* 402. videbimus. Profecto longe tenerioris conscientiæ videtur fuisse ille Comes acatholicus, qui piaculo sibi duxit arripere iter, ex quo prævidit, unum alterumve famulum Catholicum a servitiis sibi stantem, non habiturum occasionem audiendi Sacrum, post jam emensum biduani itineris spatium.

376. R. ad secundum quæsitum Subditorum, ac famulorum, eos probabilius potuisse absque gravi culpa obtemperare suo Domino. Vix etenim dubitare licet, quin ob talem inobedientiam fuissent durius a suo Comite tractati, & puniti, sive dein in ære, sive in cute, prout sane multiplicia de hoc nobis exstant exempla, utut minus laudabilia: at, ubi subditus moraliter loquendo nequit interesse divinis, ibi excusatur ab auditione Sacri, secundum dicta *n.* 364. Esto etiam Ecclesia graviter interdicat venationes clamorosas, ac tumultuosas, proptereaque Comes ipse probabilius graviter deliquerit contraveniendo, non tamen currit eadem ratio de subditis, quippe qui moraliter loquendo non potuerunt non exequi jussa sui Domini: & cum aliunde hæc actio subditorum fuerit de se omnino indifferens: hinc minime præsumendum, quod Ecclesia velut pia Mater voluerit eos adstringere ad abstinendum a venatione cum tanto eorundem periculo. Videatur de la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 685.

Ergone inquies subditus aut famulus excusari potest ab audiendo Sacro, eo quod illo tempore necessarii servitii a suo hero occupetur, etiamsi quasi ordinarie cogatur Sacrum negligere?

377. R. Potest excusari, suppositis tamen duabus conditionibus 1. ut ministerium illud secundum communiorem existimationem, & vivendi modum sit necessarium, nec compatiatur auditionem Missæ, veluti sunt ministeria Postarum, Pastorum pecorum, & eorum, qui laborant in officinis fusoriis vitri, aut aurichalci &c. in quibus fornax semel

mel succensa, absque notabili detrimento extingui non potest: quo circa tamen advertendum, quod si tales famuli possint alternare vices, teneantur saltem illo tempore, quo non sunt occupati servitiis, alternare vices, & divinis assistere. 2. ut moraliter loquendo, id est sine gravi detrimento nequeant deserere hujusmodi servitium: quod posterius specialiter considerandum erit circa illos, qui acatholicis (prout Augustæ & alibi locorum permixtæ Religionis haud infrequenter accidit) sua locarunt servitia, qui si cum profanatione non necessaria dierum festorum frequenter impediantur a suis heris ab auditione Sacri, tenentur quam primum commode seu sine gravi detrimento possunt, deserere hujusmodi servitia; quia præcepta Ecclesiæ ad sui observantiam stringunt, ubi sine gravi incommodo observari possunt. Et hoc vel maxime tenendum, casu quo talis famulus, vel ancilla in odium Religionis domi detineretur, ne possit interesse divinis. Videatur de hoc puncto Gobat jam sæpius *cit. tr. 5. Theolog. experim. n. 320. & seqq.* vel Bonacina *in 3. præcept. decalog. disp. 5. de Leg. pu. 3. n. 16.*

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius homo plebejus, ab Ecclesia duabus ad minus horis distans, aliquoties non sine multa animi afflictione inaudiit, filium suum post auditum Sacrum frequentasse hospitium, & quod pejus est, filiam pariter cum amasio suo interfuisse, & tandem non sine aliquali temulentia domum rediisse: hac de causa ad declinanda majora mala, & pericula animarum, quibus hujusmodi juvenes, ac puellæ communiter solent exponi similibus occasionibus, firmiter decrevit, quod si in propria persona non posset eos comitari ad Ecclesiam, deinceps non amplius vellet permittere solos abire, id quod etiam aliquoties jam fuit executus, detinendo domi suos liberos eo tempore, quo voluere interesse Divinis. Verum cum ex una parte pariter animadvertat murmur in populo, & quasi Scandalum inde ortum, quod filius, & filia Sempronii rarius in Ecclesia videantur diebus etiam festivis; hinc nonnihil anxius quærit Sempronius, an his stantibus, & non obstantibus tuta conscientia possit liberos suos domi detinere, ne fortassis occasione talis itineris seducantur. Quid ad hæc Confessarius?

378. R. Sempronium non recte fecisse detinendo filium & filiam suam domi &c. Ratio est; quia ex una parte certum est, quod hi fuerint obligati ad audiendam Sacrum: ex altera autem parte non occurrit sufficiens ratio eximendi, vel eos detinendi; tum quia hactenus non constat, quod revera aliquid mali fecerint occasione hujus itineris, vel Sacri audiendi; tum etiam, quia tametsi revera subsit aliquod periculum seductionis, illud tamen de facili poterit declinari modo mox subministrando; Accedit insuper, quod Sempronius non possit liberos suos retinere domi absque periculo scandali, immo & gravioris prostitutionis, vel enim alii suspicabuntur illos esse hæreticos, seu acatholicos; vel certe nullius in puncto fidei valoris, quippe qui, quæ Dei sunt, Deo nunquam redderent: unde & talis diffamatio liberorum procul dubio redundaret in parentem. His de causis

379. R. jam secundo, Sempronio a Confessario esse persuadendum, immo eum esse obligandum, quatenus diebus dominicis velit in propria persona ducere liberos ad Ecclesiam; vel si hoc ob infirmitatem, aliamve causam non posset, eosdem curæ cujusdam alterius boni amici committere; hoc enim facto (prout ni fallor, absque difficultate fieri poterit) nullum erit periculum seductionis, aut diffamationis ex parte liberorum. Neque etiam scandali ex parte aliorum, qui hactenus talem absentiam apprehenderunt. Ratio hujus facile liquet ex dictis, & amplius constabit ex infra *a. n.* 559. dicendis: quia Parenti incumbit invigilare saluti tum spirituali suorum liberorum, ubi id moraliter fieri potest: atqui hoc potest moraliter fieri, si Sempronius liberos suos tali tempore concredat curæ, ac sollicitudini alterius boni, ac fidelis amici: ergo &c.

Sed quid, inquies, si filius, vel subditus quiscunque demum supponatur commisisse quoddam grave delictum, licebitne

ne Parenti, vel Superiori propterea illum mittere in carcerem, vel custodiam etiam tempore Sacri, ita ut prorsus nequeat interesse Divinis?

380. R. Affirmative cum Fagundez *Eccles. præcept. lib.* 4. *c.* 1. *n.* 2. Tamburino *lib.* 4. *in decalog. c.* 2. *§.* 2. *n.* 4. & de la Croix *cit. n.* 688. Ratio est: quia (uti supponitur) Parens, vel Superior habet justam causam castigandi, & corrigendi filium, ac subditum, nihilque aliud intendit, quam emendationem subditi delinquentis: quod autem iste propterea nequeat interesse Divinis, per accidens est. Subdit insuper Tamburinus *loco cit.* quod si Religiosus solum in Monasterio includeretur (facultate scilicet exeundi eidem interdicta) adhuc talis teneretur in Ecclesia Monasterii audire Sacrum (sicut & filius domi retentus, si in Oratorio privato domus paternæ posset Sacro interesse) secus dicendum de Religioso in Cella, vel in carcere incluso: gravior tamen requiritur causa, ut prohibeatur Religiosus, ne a Cella ad Oratorium pro Missa etiam associatus, si opus fuerit, accedat; quam ut prohibeatur sæcularis, ne ad Ecclesiam extra domum adeat; in quod Superior prudenti examine ponderabit.

CASUS TERTIUS.

CAjus Mercator Catholicus in itinere constitutus inaudivit, eo loci, ubi per duos dies sese negotii causa jamjam detinuerat, celebrari aliquod festum particulare diœcesanum, puta festum S. Ruperti, vel S. Vvolfgangi &c. vidit insuper alios itineris socios frequentare Ecclesiam, ipse tamen utpote lucri temporalis magis cupidus, quam spiritualis, perstitit in hospitio ea ductus ratione, quod hoc festum particulare se velut peregrinum non concernat, sed Incolas loci potius: postea tamen memor, quod non semel duntaxat, sed sæpius in alieno territorio cum incolis in esu carnium dispensatis, & ipse carnes comederit, accedente præsertim aliorum correptione, & exprobatione, piaculo sibi duxit hunc Sacri neglectum, statuitque proxima occasione hac super re consulere quendam Theologum doctum, an revera in tali contingentia facti teneatur sese accommodare loci incolis, sicut sese in esu carnium jam sæpius accommodavit. Quid ad hæc Theologus respondebit Cajo?

381. R. Cajum in rigore loquendo non teneri ad audiendum Sacrum, probabilissimum siquidem & practice tutum est, peregrinos in odiosis non teneri constitutionibus particularibus locorum (nisi in certis quibusdam casibus *part.* 1. *prælim. Confer.* 13. *n.* 363. relatis) licet in favorabilibus (uti erat esus carnium) se possint aliis inquilinis accommodare. Quia tamen in similibus casibus præter detrimentum animæ semper timendum est scandalum aliorum præsertim pusillorum, ignorantium causam exemptionis, prout vel ex hac ipsa specie facti liquet; hinc in praxi hujusmodi pœnitentes semper sunt monendi, & persuadendi, quatenus velint se aliis fidelibus accommodare, eo præsertim, quod propterea etiam in suis negotiatonibus possint sperare a Deo majorem benedictionem, juxta promissum Christi Domini *Matth.* 6. *v.* 33. *quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

At quid, si talis peregrinus per octo, decem, immo & quatuordecim dies, quamdiu scilicet durant nundinæ in tali loco &c. moretur, eritne eximendus, aut excusandus ab observantia talium festorum particularium, & ab auditione Sacri?

382. R. Erit procul dubio; quia non obstante tali mora est, & manet peregrinus eo præsertim, quod nec habeat domicilium, neque animum per majorem anni partem illic demorandi. Ex hoc tamen nonnulli inepte videntur inferre, hujusmodi peregrinum consequenter per tres vel quatuor menses fore excusandum ab auditione Sacri sub prætextu, quod ibi non remaneret, nec remanere vellet per majorem anni partem. Inepte inquam hoc videtur inferri ex nostra doctrina, quippe qui solum intendimus peregrinos excipere ab observantia *Festorum & Legum particularium*, minime vero ab observantia *Legis communis*, uti est Lex singulis diebus dominicis, & festis ab universali Ecclesia

præ-

præceptis intereſſendi Divinis &c. inter tres vero, aut quatuor ſeptimanas, vel menſes omnino, procul dubio occurrent Dominicæ, & alia feſta ab univerſali Eccleſia obſervatu præcepta, ac per conſequens talis Mercator non poterit ſemper excuſari ab obligatione audiendi Sacrum ſub prætextu, quod ſit peregrinus, prout AA. prætendunt. Videantur de hoc dicta *in part.* 1. *prælim. de act. hum. Confer.* 13. *n.* 374. ubi reſolvimus, quid agendum illi, qui mane proficiſcitur ad alium locum, ubi prævidet, ſe non amplius habiturum occaſionem audiendi Sacrum. item *n.* 382. ubi pariter reſolutum fuit, an peregrinus in alieno territorio teneatur obſervare feſtum particulare, ſaltem ſi eadem die in ſuo territorio, ſeu Diœceſi aliud feſtum particulare celebraretur &c.

Sed quid ais, ſi talis peregrinus ob Sacrum audiendum v. g. die dominico deberet relinquere alios Conviatores, vel occaſionem commodam ſive per aquas, ſive per terram &c. poteritne propterea tuta conſcientia Sacro omiſſo iter ſuum cum aliis proſequi?

383. R. Propter comitivam præciſe, nullus videtur excuſandus, niſi accedant aliæ circumſtantiæ præponderantes v. g. quia ſine comitiva non eſſet ſecurus in itinere, vel quia alii comites ſolverent expenſas; vel quia ſine gravioribus expenſis prætermiſſa hac occaſione navali &c. non amplius poſſet acquirere aliam &c. Ratio hujus facile colligetur ex dictis *n.* 368. quia his ſtantibus ſine grandi difficultate, & hoc ipſo moraliter loquendo hujuſcemodi viator nequit relinquere alios peregrinationis, ſeu etiam itineris ſocios: ergo ob moralem impoſſibilitatem excuſandus eſt, etſi ob ſolam concomitivam minime. Videantur de hoc Illſung *tr.* 5. *n.* 164. Gobat *n.* 496. vel de la Croix *ubi ſupra n.* 682.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

384. COlliges ex hactenus dictis 1. præter alias cauſas ab auditione Sacri excuſantes, inſuper admittendam eſſe conſuetudinem receptam, ſeu legitime introductam, quippe quæ ſicut habet vim introducendi legem, ita & habet vim legem jamjam latam abrogandi, veluti pluribus diximus *part.* 1. *prælim. de act. hum. Confer.* 17. *a. n.* 473. Hac igitur de cauſa ab audiendo Sacro excuſantur aliquibus in locis 1. viduæ tempore luctus domi ſe continentes, 2. puellæ item & adoleſcentes emanentes e Miſſa, vel templo, quando pro eorum matrimonio fiunt proclamationes, ne videlicet ab aliis videantur, vel ludibrio exponantur &c. ſi tamen aliam Miſſam alia hora, vel in alio templo abſque ſui proſtitutione audire poſſint, tenentur intereſſe. 3. item hoc titulo excuſantur puerperæ, quæ communiter poſt partum per ſex ſeptimanas ſe domi continere ſolent cum diſpendio Miſſæ, uſque dum ſcilicet a Sacerdote benedicantur, eſto etiam ante hoc tempus ſatis convaluerint. Videantur de hoc Suarez 3. *part. tr.* 3. *d.* 88. *de Feſtis Sect.* 6. de la Croix *ubi ſupra n.* 690. vel Sporer *tr.* 3. *c.* 4. *n.* 35. recte ſubdens, monendos eſſe fideles, quatenus hiſce ſatis late patentibus excuſationum titulis velint uti moderate, ubi ſcilicet vel neceſſitas, vel veritas ipſa ſuadet utendum, ne mentiatur iniquitas ſibi.

385. Colliges ſecundo, nec illos contra præceptum Eccleſiæ de Sanctificando die Dominico vel feſtivo delinquere, qui audito reverenter Sacro veſperis intereſſe negligunt. Ratio eſt: quia veſperæ nullam habent connexionem cum Miſſa, cujus auditionem Eccleſia duntaxat præcipit. Nihilominus P. Henno *tr. in decalog. diſp.* 3. *q.* 1. *concl.* 4. aſſerit, in partibus Belgii Gallici venialiter ſaltem delinquere illos, qui ſine ulla cauſa veſperis intereſſe negligunt diebus Dominicis aut feſtivis; quia (inquit idem) in dictis partibus vix ullus eſt timoratus, qui non apprehendat aliqualem obligationem intereſſendi veſperis, ubi adeſt commoditas, ceſſatque impedimentum: unde Parentes filios, Magiſtri diſcipulos, heri domeſticos ad veſperas urgent: abſentes negligentiam ſuam in Confeſſione exprimunt &c. immo lege civili prohibetur, ne tunc miſceantur pocula, aut compotatores recipiantur &c. quod ſignum eſt (inquit

Doct.

Doct. cit.) alicujus obligationis.

386. Colliges tertio, neque illos contra dictum præceptum peccare, qui concioni non intersunt diebus Dominicis, ac festivis. Ratio est eadem, quæ prioris resolutionis: quia scilicet nullum Ecclesiæ mandatum, constitutio, vel consuetudo ad hoc obligans monstrari potest: ergo relinquendi sunt fideles in possessione suæ libertatis; licet ceteroquin per accidens revera teneantur interesse Concionibus & Catechesibus eo fine ut si hactenus vel non sciverunt, vel obliti fuere eorum, quæ ad salutem cuivis fidelium scitu sunt necessaria, denuo ea addiscant, aut memoriam refricent: & hac procul dubio de Causa Concil. Trident. *Sess.* 24. *c.* 4. *de Reform.* ait: *moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode fieri potest, ad audiendum Verbum Dei.* Videatur Henno *cit. q.* 1. *concl.* 3.

387. Colliges quarto. Nec illos peccare contra hoc præceptum, qui audita reverenter Missa reliquum tempus otio terunt, vel lusui, aliisve vanitatibus impendunt. Ratio est: quia secundum dicta vi præcepti Ecclesiastici non tenemur diem Dominicum, vel festivum aliter sanctificare, quam 1. audiendo Sacrum, & 2. abstinendo ab operibus servilibus: at hoc facit, qui audito Sacro reliquum temporis absumit nugis & vanitatibus: ergo per hoc non impingit in præceptum Ecclesiasticum, licet possit impingere in alia præcepta Dei, si vel otio, vel lusui, vel aliis vanitatibus ultra rationis dictamen indulgeat; de quo nemo prudentum dubitat.

Ast, inquies, præcepto naturali jubemur Deum colere, & hoc præceptum declarante Ecclesia videtur modo determinatum ad dies dominicos & festivos, quos proin tenemur sanctificare: at, qui per mediam horam præcise interest Divinis, reliquum vero diei otio, aut vanitatibus consecrat, non sanctificat diem, sicut revera non diceretur celebrare natalem Regis, qui data Semihora recreationi, reliquum diei tempus insumeret studiis, vel qui ad summum quadragesimam octavam partem diei natalis honoribus Regis consecraret: ergo qui reliquum tempus absumit vacando vanitatibus, non satisfacit præcepto naturali, de sanctificando Sabbatho, seu die Festo licet supponatur interfuisse Sacro.

388. R. *Neg. min.* Ecclesia enim ad sanctificandum diem aliud a fidelibus non exigit, nisi ut 1. devote audiant Sacrum. 2. abstineant ab operibus Servilibus. Suppositum vero, quod legi naturali teneamur certum diem, vel tempus determinatum impendere sanctificando Sabbatho, seu diei festivo, omnino falsum est, prout bene notavit noster V. P. Cherubinus Mayr *in suo Trismegisto contin. dist.* 3. *c.* 2. *n.* 278. Neque paritas, a R. P. Henno (quoad hoc certe nimis rigoroso) assumpta aliquid probat: falsum quippe est, quod devotus erga Regem Vasallus per mediam duntaxat horam non possit suam demonstrare devotionem, ac venerationem, præsertim si publicis quibusdam testimoniis, puta picturis, illuminationibus &c. hanc velit contestari. Quod si P. Henno videatur parum, vel nihil, & hoc ipso insufficiens quadragesimam octavam diei partem ad summum impendere in ordine ad sanctificandum diem, etiam parum, vel nihil erit impendere in hunc finem tres, vel quatuor tantum partes diei in 48. partes, seu medias horas distributi, consequenter dicendum foret, quemlibet fidelium teneri ultra duas horas vacare Divinis quovis die festo vel dominico: quis vero non videat hoc repugnare communi persuasioni fidelium etiam proborum & doctorum? ergo &c.

389. Colliges quinto, ab obligatione audiendi Sacrum, eximendas esse Matres, seu etiam Nutrices, si interim, dum Sacrum celebratur, infantulos suos nequeant alteri custodiendos tradere; non enim oportet eos domi solos relinquere, multo minus una secum asportare in Ecclesiam, ne inconditis clamoribus suis (uti communiter fieri natum est) alios a devotione retrahant. Ita *ex communi DD.* Laymann *l.* 4. *tr.* 7. *c.* 4. *n.* 3. Pontas *Verb. Missa Casu* 46.

390. Colliges sexto, Aurigas, qui habent jus, aliquo die festivo vehendi, pariter esse excusandos ab auditione Missæ, si hac audita vehere non possint: quia quando aliquid conceditur, concedun-

duntur omnia necessaria ad illud; ob eandem rationem, si alius quipiam habeat jus curandi, ut vehantur sua, tu habes potestatem vehendi; quia vehi, & vehere sunt correlativa: regula autem correlativorum est regula partium ait Gobat *tract.* 5. *numer.* 10. secutus Baldum & alios. Rursus si quis auriga nequit intermittere vecturam sine notabili damno, vel jactura lucri, poterit propterea tuta conscientia intermittere Sacrum: addunt aliqui, teste de la Croix *n.* 684. etsi tu posses vecturam omittere sine notabili damno, tamen plerosque non posse, & ideo te posse cum illis uti privilegio consuetudinis. Videatur Sporer *tr.* 3. *in decalog. c.* 4. *n.* 28. vel Kreßlinger *in addit. post. n.* 54. *ad tr.* 10. *dist.* 1. *Theolog. mor.* R. P. *Reiffenstuel*.

391. Colliges denique septimo, non solum posse, sed insuper etiam in conscientia teneri ad intermittendum Sacrum illos, quorum auctoritas, persona vel præsentia est necessaria ad impediendos latrones, vel incendiarios, vel agrorum depopulatores, vel hostes tempore Sacri incursuros &c. item 2. illos, quorum persona est necessaria ad impediendas graves rixas, homicidia, vel mutilationes &c. vel ad impediendas blasphemias, perjuria, & similia &c. Tandem etiam illos, quorum præsentia est necessaria apud graviter decumbentem, ita ut necessario egeat assistentia, vigilantia, vel cura alterius infirmarii scilicet &c. Ratio horum jam supra fuit intimata *nu.* 369. cum enim in his casibus præceptum humanum, seu Ecclesiasticum de audiendo Sacro simul concurrat præceptum naturale Charitatis erga Deum, vel proximum, & utrique satisfieri non possit; hinc intermittendum est illud, quod minus urget, vel obligat, scilicet humanum. Ita recte Henno *cit. tr. in decalog. disp.* 3. *q.* 3. *conclus.* 1.

CONFERENTIA DECIMA QUARTA.

De Obligatione feriandi, seu abstinendi ab Operibus Servilibus.

SUMMARIUM.

392. *Quænam opera dicantur liberalia, & quænam servilia.*

393. *Tertio Decalogi præcepto ut determinato ab Ecclesia, tenemur diebus dominicis, & festivis abstinere ab operibus servilibus &c.*

394. *Exceptis duntaxat iis, quæ jure, vel consuetudine permissa sunt.*

395. *Quanto tempore operibus servilibus vacari possit absque reatu peccati mortalis incurrendo.*

396. *An pingere sit opus servile vel non? utrinque probabiliter disputatur a Doctoribus classicis.*

397. *Et quidnam ex notitia utriusque sententiæ a Confessario sit practice concludendum.*

398. *Terere colores, tales extendere &c. & alia nonnulla ad actum pingendi præparatoria, velut opera servilia merito reputantur interdicta diebus festivis.*

399. *Scribere, describere, vel transcribere censetur opus liberale, & hoc ipso permissum die festivo.*

400. *Idipsum tenendum de compositione, vel etiam descriptione notarum musicalium.*

401. *Pleraque typographorum opera sunt servilia, & hoc ipso interdicta: probabiliter tamen regulata collocatio, seu positio litterarum est opus liberale.*

402. *Venari, & piscari sine magno apparatu, aut strepitu, probabiliter licet diebus festivis.*

403. *Non item belligerare, saltem per se loquendo.*

404. *Fas est die Dominico, aut festivo itineri se committere, sive dein pedibus,*

dibus, sive curru, aut equis, vel navi iter arripiatur.
405. *Præter opera servilia insuper interdicuntur diebus festis quatuor alia forensia, scilicet* 1. *Mercatus*. 2. *Placitum*. 3. *Judicium criminale, &* 4. *Sacramentum publicum; quæ breviter explicantur.*
406. *Resolvitur Casus I. Cujusdam sartoris acuti, contendentis exercitium suæ artis esse ab Ecclesia permissum, vel permittendum etiam diebus festivis.*
407. *An Monialibus, aliisve fæminis permitti possit, ut diebus festivis conficiant scapularia, vestiant Pusiones Salisburgenses, & similia.*
408. *Et quid tenendum de arte acu pingendi opere (ut vocant) phrygio.*
409. *Resolvitur Casus II. De quodam Comite, qui conjugem suam prægnantem in festis Pentecostalibus fecit per famulos in lectica alio asportari.*
410. *Probabiliter graviter peccasset, esto famuli fuissent hæretici: non item, si fuissent infideles, seu gentiles.*
411. *Opifex, qui plures famulos die festivo adigit, ut juncta opera simul laborent per sesquihoram, probabiliter non peccat graviter: secus dicendum, si eos adigeret ad successive laborandum.*
412. *Resolvitur Casus III. De quibusdam Rusticis, qui tempore Messis segetes die festivo collegerunt in horreum, irrequisito D. Parocho.*
413. *Casu quo Episcopus ipse adire nequit, potest R. D. Parochus ex rationabili causa dispensare, & permittere hujusmodi laborem.*
414. *An, vel quidnam in absentia Parochi Capellanus, vel cooperator quoad hoc possit.*
415. *Breviter recensentur septem causæ excusantes ab observantia Festorum, & reddentes licitum laborem sevilem.*
416. *Opera, quæ a Doctoribus velut liberalia probabiliter defenduntur, rationabili de causa licite exercentur diebus festivis.*
417. *Quandonam rei familiaris conservandæ causa labor servilis excusari, vel permitti possit.*
418. *Probabilius permitti nequit, ut unus Opifex v. g. sartor singulis festis, ac Dominicis per aliquot horas serviliter laboret eo fine, ut ipse solus satisfaciat conducentibus suam operam.*
419. *Quandonam causa pietatis, vel necessitatis erga proximum fas sit laborare serviliter.*
420. *Quinam labores serviles ab Ecclesia permittantur diebus festivis, causa pietatis in Deum, vel Divini cultus exercendi.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa opera permissa, vel non permissa diebus festivis.

Quæres 1. Quænam opera diebus Dominicis, & festivis generaliter sint prohibita?

392. Ante Responsionem notandum, a Doctoribus communissime distingui inter opus servile & liberale. Liberale dicunt, quod *immediate ad excolendum animum, ceu liberam hominis partem ordinantur, proptereaque communiter ab hominibus liberis, seu non vulgaribus exerceri solet*; uti est docere, concionari, consulere, cantare, organum pulsare, tibicinare &c. Econtra servile dicitur illud, *quod commoditati corporis inservit, & a servis, seu vulgaribus hominibus regulariter fieri solet*; uti sunt terram fodere, arare, tornare, calceos suere &c. & alia hujusmodi sexcenta opera mechanica. Fatendum nihilominus est, quod servilitas operis vel maxime dependeat ab æstimatione hominum, propterea que ex usu, consuetudine, seu etiam hominum prudentum persuasione dijudicandum sit, an hoc, vel illud opus liberalibus potius, quam mechanicis, vel servilibus sit accensendum, uti bene advertunt Tambur. Illsung. de la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 574. Inter hæc duo alii recensent tertium quoddam operum genus, quod appellant genus *operum communium*, eo quod sint communia tam servis, quam Dominis, nobilibus, & ignobilibus &c. uti est hamo piscari, ludere, iter facere &c. Hoc notato

393. R. Ad præsens quæsitum. Tertio

tio Decalogi præcepto, quatenus modo determinatum fuit ab Ecclesia, prohibetur omne opus servile, non item liberale, ita, ut omnes fideles per totum diem festum sub peccato mortali teneantur vacare ab operibus servilibus, iis duntaxat exceptis, quæ jure vel consuetudine permissa sunt. Ita sane *communissime omnes Catholici*. Ratio hujus petitur ex illo *Levit. c. 23. Omne opus servile non facietis in eo* (scilicet Sabbatho) & quod hoc præceptum, prout modo ab Ecclesia ad dies Dominicos, ac festivos determinatum fuit, etiamnum graviter obliget, constat tum ex consuetudine universaliter recepta, tum ex communi fidelium praxi, & persuasione, tum denique ex eo, quia hæc obligatio ex virtute Religionis fuit introducta ad Dei, Sanctorumque cultum, ideoque est ex suo genere gravis, ejusque transgressio in materia notabili mortaliter peccaminosa, tametsi negari non possit, dari hic parvitatem materiæ, inquit Babenstuber *tr. 5. disp. 4. a. 2. num. 2.*

394. Dixi: *exceptis duntaxat iis, quæ jure vel consuetudine permissa sunt*; jure etenim, & consuetudine approbata fas est etiam diebus festivis præstare talia opera servilia, quæ ad usum quotidianum necessaria sunt, simulque commode nec possunt differri, neque etiam anticipari, uti est: præparare cibos, sternere lectos, utensilia culinaria lavare, vestimenta purgare, aut corpori adaptare &c. & similia. Ratio horum est; quia Ecclesia velut pia Mater in lege Gratiæ non vult cum tanto rigore fideles adstrictos ad observantiam Festorum, sicut olim in lege Mosayca populus duræ cervicis fuit obstrictus a Deo ad observantiam Sabbathorum, proinde actiones mox recensitas velut summe necessarias ad hominum conservationem, permittit. Nihilominus si quæ actiones serviles ad vitæ conservationem necessariæ possint commode differri, vel anticipari, Ecclesia ob reverentiam diei festivi vult eas vel differri, vel anticipari: hinc nefas foret die festo panes pinsere, calceos consuere, vel vestimenta resarcire. Ita *ex communi DD.* Sporer *tr. 3. in decalog. c. 4. n. 42.* Henno *tr. in decalog. disp. 3. a. 2. concl. 1.* Babenstuber *cit. a 1. num. 3.*

At inquies, quanto igitur tempore licet servilibus operibus die festo vacare absque mortali peccato?

395. R. Unam, immo & alteram, id est, duas horas laboribus servilibus posse impendi absque culpa mortali, hodie tenent probatissimi Doctores. Tamburinus *l. 4. decalog. c. 3. §. 2. n. 1.* Diana *part. 5. tr. 5. resol. 6.* Sporer *loc. cit. nu. 38.* Babenstuber *cit. n. 2.* Ratio est: quia labor unius, immo, & alterius horæ comparative ad totum diem naturalem 24. horas complectentem non videtur pars notabilis, aut ita officiens fini religiosæ vacationis, ut culpæ mortalis damnari debeat, vel possit. Quo non obstante omnes fatentur, etiam unica duntaxat hora absque necessitate hujusce-modi operi servili vacare, absque culpa veniali saltem fieri non posse: nec dubitandum, quin tales ratione scandali, præsertim ubi labor sine magno strepitu & admiratione aliorum audientium perfici nequit, possint graviter delinquere: hac de causa (nisi paupertas, vel necessitas aliud exigat) hujusmodi homines plebei, vel mechanici a Confessario semper dehortandi, & admonendi sunt; velint potius tempore illo animæ saluti vacare, quam laboribus corporalibus, quibus aliunde plerisque nimium sunt dediti, ita, ut vix non sanguinem, sudorem, & vitam ipsam ipsis consecrent. Videatur de la Croix *l. 3. p. 1. n. 594.*

Quæres secundo, sitne pingere opus servile, & hoc ipso prohibitum, vel vero liberale & licitum die festo?

396. R. Utrumque a diversis Doctoribus probabiliter defendi. Enimvero quod pingere non sit opus servile præter Tamburinum, Sporer, Laymann &c. tenent Sayrus *in Clavi reg. l. 7. c. 2. num. 16.* Medina, Lopez, Azorius *2. part. instit. mor. l. 1. c. 27. qu. 6.* & alii plures; tum quia nedum pictores ipsi, sed & alii Sapientes minime interessati communiter censent, artem pingendi esse liberalem, non mechanicam; & hac ratione quamplures ingenui, & Nobiles non verecundantur in eadem arte sese exercere. Tum etiam, quia actio pingendi videtur esse ejusdem rationis cum actione scribendi: quid enim refert, an arte scribendi litterarum ductus, an vero arte pin-

pingendi efformentur certi quidam linearum, & colorum ductus, quousque tandem inde resplendeat quædam imago, quæ ipsissima pariter videtur inventa ad informationem animi, & rerum absentium memoriam conservandam? Econtra Cajetanus, Fagundez, Suarez, *tom.* 1. *de Relig. l.* 1. *c.* 26. *num.* 4. Castropalao *oper. mor. part.* 2. *tr.* 9. *disp.* 2. *punct.* 5. *n.* 7. Bonacina & alii magni nominis Doctores existimant, pingere esse opus servile; eo quod actio pingendi per se non collimet ad mentem excolendam, vel instruendam, uti facit scriptura (quippe, quæ non est nisi quædam expressio mentis, seu conceptuum mentalium) sed solum ad assimulandam imaginem artefactam rei veræ, vel historiæ prout gesta fuit, quo obtento pictor existimat se obtinuisse finem suæ artis: neque etiam ex eo præcise capite artibus liberalibus accensenda est (inquiunt) quod occupetur circa efformandas imagines, secus enim etiam ars sculptoria, item fusoria & auripictoria &c. inter artes liberales recensendæ forent; quod tamen paradoxum videtur, & a paucis, vel omnino nemine facile admittetur.

At vero, inquies, ad quid pro praxi juvat, nosse utrumque esse probabile, scilicet pingere esse opus servile, & non esse servile?

397. R. Multum per omnem modum juvat ad praxin hæc notitia; cum enim ex dictis constet, non esse certum, quod pingere sit opus servile, hoc ipso fateri cogimur, non esse certum, quod hoc opus sit prohibitum die dominico aut festivo: at, si non est certum, quod hoc opus sit prohibitum; eo ipso fit certum practice, quod die festivo possit licite exerceri, eo quod in tali casu subditus fidelis maneat in certa possessione suæ libertatis, prout ex professo diximus *in parte prælim. de act. hum. Confer.* 7. *n.* 183. ergo. Econtra cum ex recensitis fundamentis pariter constet, pingere probabiliter, & fortassis probabilius esse opus servile; hinc pariter fit, ut si die festivo exerceatur, probabiliter saltem fit materialiter offensivum Dei, & quia prudentis, ac Zelosi Confessarii est impedire offensas Dei etiam materialiter tales; hinc dictabit prudentia, ut pro praxi pœnitentibus dissuadeat actum pingendi, nisi vel necessitas vel charitas, vel magna utilitas proximorum contrarium persuadeat: si tamen prævideri, pœnitenti difficulter persuaderi posse contrarium, prudenter aget dissimulando rem.

398. Loquimur autem hic de ipso actu pingendi; nam secus discurrendum est de actibus præparatoriis, seu illis, quibus præparantur necessaria ad actum pingendi, uti sunt terere colores, tabulas, seu etiam telas extendere, colore (uti vocant) fundamentali tingere &c. quia hujusmodi actiones utpote communiter fieri solitæ a servis, seu vulgaribus hominibus, & ad excolendum animum nullatenus ordinatæ, ab omnibus communiter reputantur serviles, & hoc ipso ex suo genere graviter prohibitæ, nisi necessitas, vel materiæ parvitas excuset, uti communiter notant DD. Tamburinus *cit.* §. 1. *numer.* 9. Sporer *l. cit. numer.* 45. Babenstuber *ubi supra art.* 2. *num.* 6.

Quæres tertio, An scribere, vel describere, aut transcribere sit opus servile nec ne, præsertim si fiant pro mercede, vel pecunia?

399. R. Probabilius nec scribere, neque etiam transcribere, vel describere esse opus servile. Ita *communissime DD.* Castropalao *cit. part.* 2. *tr.* 9. *disp.* 2. *pun.* 5. *n.* 3. Laymann *lib.* 4. *tr.* 7. *c.* 2. *nu.* 3. Filliucius *tr.* 27. *part.* 1. *n.* 163. Tamburinus *cap. cit.* §. 1. *n.* 6. Ratio est: quia scriptura est quædam permanens locutio de se, & natura sua ordinata ad declarandos proprios mentis conceptus: similiter transcribere idem est, ac declarare & permanenter loqui alienos conceptus: ergo sunt actus per se ordinati ad illustrandum intellectum, consequenter sunt opus liberale, & non servile, multo minus mechanicum. Adde, quod hi actus per se pertineant ad grammaticam: grammatica autem est prima in artes liberales: ergo &c. Hinc nihil prorsus refert, quod hujusmodi actus fiant intuitu mercedis, aut salarii inde percipiendi; quia pecunia, merces, vel salarium non extrahit, sed omnimodis relinquit illos actus in sua natura, & genere, actionum scilicet liberalium: atqui nullibi legitur prohibitum exercitium artis liberalis

ralis pro pretio &c. Hinc teste Tamburino *l. cit.* Romæ Copistæ diebus festivis hoc suum munus passim publice obeunt sine scrupulo, absque eo, quod vel prohibeantur, vel in minimo propterea reprehendantur.

Sed quid (ais) de Scriptoribus notarum musicarum tenendum est?

400. R. Idipsum, quod mox de Copistis aliisque Scriptoribus dictum fuit; quia etiam Musica adnumeratur artibus liberalibus. Et licet Tamburinus, de la Croix, aliique Doctores satis communiter existiment, lineas hujuscemodi notis subjiciendas seorsim ac per se ducere, esse illicitum, eo quod videatur esse quid mechanicum, nihilominus si hoc fiat per accidens ad notas statim & de præsenti formandas probabilius existimo cum P. Babenstuber *cit. n.* 5. id non esse illicitum; quia tunc se habet tanquam quid accessorium ad scriptionem notarum, quæ per se est licita: quemadmodum si textum aut sensum scriptum postea subducas linea, talis linea est quodammodo complementum ejusdem Scripturæ. Ob eandem rationem Tamburinus *lib.* 4. *decalog. c.* 3. §. 1. *n.* 7. tenet, fas esse computare mercedem, & illam solvere operariis; rationes dati & accepti facere ac transcribere; quia ad artem scribendi pertinent, nec sunt servilia, sed liberalibus operibus adscribenda.

Quæres tamen quarto, utrum opera Typographorum servilibus, an vero liberalibus potius sint accensenda?

401. R. Juxta communem Doctorum actualem impressionem, quæ mediante torculari fieri solet, adnumerari inter opera servilia; idipsum tenent de præparatione seu contritione coloris, ejusdemque (ut vocant) impositione; tum quia hujusmodi labores revera non ordinantur per se ad illustrandum intellectum, sed potius ad exercitandum corpus, quod procul dubio valde defatigat. Similiter actualem artificiosam litterarum collocationem Herincx noster *disp.* 3. *de festis n.* 15. Bassæus *Verb. festum II. n.* 8. & alii sat multi operibus servilibus adscribunt; eo quod per se non videatur ordinari ad locutionem mentis, sicut transcriptio, sed sit potius quædam præparatio materiæ, vel fabricatio instrumenti mechanici ad opus mechanicum, scilicet ad impressionem ordinatum: e contra vero Diana, Laymann, Sporer, Tamburinus, aliique plures, quos citat & sequitur noster V. P. Cherubinus Mayr *in suo trismegisto contin. dist.* 3. *c.* 3. *n.* 320. probabilius putant, hanc characterum coordinationem non esse opus mechanicum, sed liberale, & hoc ipso licitum die festo, idque hac ratione: quia quemadmodum transcriptio, ita etiam ordinata characterum collocatio revera est quædam permanens locutio & conceptuum mentalium Auctoris declaratio, licet aliquo modo adhuc imperfecta, saltem respectu legentium, nisi accedente impressione: ergo si transcriptio est actio liberalis, & licita die festo, idipsum admittendum est de ordinata characterum collocatione. Ex his, ni fallor, liquet, utramque sententiam satis esse probabilem, conformiter tamen ad dicta *n.* 397. priorem velut tutiorem consulendam esse a Confessario, posteriorem autem, si quam ex parte pœnitentis prævideat difficultatem, permittendam; eo quod Doctores Classici eandem in praxi tutam censeant, Typographi pariter (teste Laymanno *l. cit. n.* 3.) in ea persuasione sint, quod post rem divinam licite possint collocatione Litterarum compensare ea, quæ præcedentibus diebus neglexerunt, vel saltem corrigendo errores expositos nullum sibi movent scrupulum; sive dein id fieri debeat per deletionem linearum, sive etiam per sublationem columnarum &c. Videatur Tamburinus *loc. cit. n.* 7. ubi docet, fas etiam esse libros corrigere, sive id fiat delendo lineas, sive superposita charta conglutinata; esto enim hoc videatur servile, est tamen accessorium, quando per accidens fit ab ipso corrigente. Ita Doct. *loc. cit.*

Quæres quinto, Sitne die festivo licitum venari, piscari, & belligerare? &c.

402. R. 1. Per se loquendo non esse prohibitum venari vel piscari, si fiat duntaxat recreationis causa, ita ut non debeant intervenire opera servilia; utputa si quis piscetur arundine, aut levi instrumento insequeretur leporem cum uno alte-

alterove cane, vel aucuperetur retibus exiguis &c.; hujusmodi enim actus vel opera merito censentur liberalia & non servilia, licet aliqui contrarium sentiant.

Certo tamen illicitum est venari aut piscari, quando fiunt cum magno apparatu & interventu operum servilium, prout fieri amat in magnis & clamorosis venationibus, nec non in piscationibus multum operosis, quæ sine transportatione, & laborioso attractu retium fieri non valent: Et certe nisi Ecclesia judicasset hujusmodi actus prohibitos, Summus Pontifex *c. licet* 3. *de feriis* in vanum videretur dispensasse in halecum piscatione seu captura: itaque solum conceduntur propter necessitatem, vel propter periculum lucri cessantis; eo quod tales pisces transeant, & raro vel certis duntaxat temporibus apparere soleant. Ita ex *communi DD.* Reiffenstuel *tr.* 10. *disp.* 1. *num.* 16. Henno *tr. in decalog. disp.* 3. *art.* 2. *Resol.* 5. Sporer *ubi supra n.* 47. de la Croix *l.* 3. *p.* 1. *nu.* 576. Marchantius, Layman & alii.

403. R. Jam secundo, per se loquendo nefas esse belligerare die festivo, aut Dominico, nisi necessitas, vel specialis commoditas, aut spes victoriæ contrarium suadeat. Ita Suarez *de Relig. lib.* 2. *de fest. c.* 28. *n.* 8. Filliuc. *tr.* 27. *n.* 175. Michel *Theolog. mor. tom.* 2. *part.* 2. *append.* 2. *pun.* 1. *sect.* 7. *nu.* 23. Fagundez & alii. Ratio est: quia conflictus bellici, & militares exercitationes non fiunt alio ex fine, quam ad stragem hostibus inferendam, ad mactandos, & confrigerandos hostium cuneos, ad ruinanda & expugnanda hostium munimina, quæ sane sine operibus fieri nequeunt. Hac de causa *c.* 4. *de Reg. Jur.* dicitur: *quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum*; nam & Sabbathum custodiri præceptum est, Machabæi tamen *sine culpa sua in Sabbatho pugnabant*: ergo pugnare die festivo per se non est licitum.

Quæres sexto: Utrum die festivo fas sit itineri se committere?

404. R. Affirmative, sive id fiat curru, sive equo, sive lectica ab equis vel mulis portata, sive pedibus sive navi &c. Ita *cum Communissima DD.* Castropalao *tr.* 9. *disp.* 2. *pun.* 5. *n.* 17. Tamburinus *ubi supra n.* 11. Sporer *nu.* 46. Reiffenstuel *n.* 20. contra Soto, Reginald, & alios nonnullos. Ratio nostra est: quia itinerari censetur opus omnibus hominibus commune, & summopere necessarium ad humana commercia, seu negotia ubique exercenda, ideoque nec prohibitum die Dominico & festo: consequenter etiam fas est equos parare, currum jungere, remigare in aqua &c. Quod tamen intelligendum est cum aliquali limitatione, nisi scilicet accedant aliæ circumstantiæ operibus servilibus connexæ, ut si magno cum labore currus, naves, vel jumenta sint oneranda &c. hujusmodi enim opera servilia die festo inchoare sine urgenti causa non licet, esto continuari possint jam pridie inchoata, si absque permagno incommodo intermitti nequeant. Hac de ratione Diana *part.* 2. *tr.* 15. *resol.* 36. Tamburinus *loc. cit.* & alii a mortali excusant Agasones & vectores, qui audito Sacro curribus & jumentis onustis iter ineunt; partim quia in onerandis vel curribus jungendis non multum laboris insumunt; partim etiam, quia absque notabili damno vel lucro cessante non possent omnibus diebus Dominicis ac festis ex officio vacare, seu abstinere ab hujusmodi laboribus.

Quæres tamen septimo, An vel quænam opera præter hactenus recensita diebus festis aut Dominicis ab Ecclesia specialiter interdicantur:

405. R. Ultra servilia (quæ jam supra diximus esse generaliter prohibita) insuper quatuor alia forensia prohibentur die Dominico aut festo, scilicet Mercatus, Placitum, Judicium criminale, & Sacramentum publicum. Ita *c.* 1. *de feriis*, & *communis DD.* Explico brevissime.

I. Nomine *Mercatus* non intelliguntur solum prohibitæ 1. nundinæ solennes, sed etiam 2. quasi nundinæ, quæ scilicet bis aut ter quot hebdomadibus instituuntur, convenientibus rusticis & suburbanis, & olera, herbas, ova, pullos &c. asportantibus: & vulgo mercatus hebdomadalis nuncupari solet. 3. insuper intelligitur prohibitus omnis actus mercandi, seu contactus emptionis, venditionis, locationis, permutationis &c. Verum huic prohibitioni canonicæ magna ex parte ubivis locorum hodie deroga-

rogatum cernimus, ita non solum ea, quæ ad victum & usum quotidianum necessaria sunt, puta, vinum, panis, cerevisia, carnes coctæ &c. & similia passim emantur, immo & alia v. g. calcei, vestes, pilei &c. præsertim rusticis, ac peregrinis saltem secreto vendantur, sed insuper etiam solennibus nundinis post peracta Divina, aut post prandium etiam alia quævis publice vendantur: attendendus est igitur in præsenti mos, & usus Patriæ, qui tamen quoad hoc ab Episcopis & Magistratibus potius restringendus est, quam extendendus, ne in abusum deflectat.

II. Nomine *Placiti* intelligitur interdictus strepitus civilis & judicialis, ita ut die festo vel Dominico non liceat partes audire, vel examinare, testes adducere, causam defendere, sententiam ferre, immo vero omnia vel ad formationem processus, vel ad sententiæ prolationem facta absque legitima causa causa necessitatis vel pietatis, sunt nulla. Licitum tamen est excommunicare, dispensare, Judicem privatim informare, Advocatum consulere, consilia conficere &c. quia talia vel sunt actus extrajudiciales tantum, vel non requirunt strepitum forensem, uti recte advertunt Tamburinus *lib.* 4. *c.* 4. §. 1. *n.* 4. Felix Potestas *Exam. Confess. tom.* 1. *p.* 2. *n.* 2034. Henno, Laymann & alii plures.

III. Per *Judicium criminale* intelligi debet prohibitum ferre sententiam mortis, aut alterius pœnæ corporalis: ex causa tamen (inquit Henno, licet quandoque die festo condemnare ad mortem, ut sæpe fit in castris, ubi ad aliorum terrorem Rei in flagranti crimine deprehensi sine processu, & sententia illico suspenduntur: & idem est, si Judices fundate timeant, ne sententia juste lata injuste impediatur.

IV. Nomine *Sacramenti publici* intelligitur juramentum judiciale, quod (præcisa causa aut casu necessitatis vel pacis) die Dominico aut festivo semper est prohibitum; idipsum aliqui putant dicendum de juramento extrajudiciali, quod tamen Castropalao *ubi supra punct.* 8. *num.* 3. Illsung *tr.* 5. *disp.* 2. *num.* 169. Fagundez, Schapperger, & alii negant, eo quod verba prohibitionis *cap.* 1. *de feriis* factæ debeant intelligi juxta subjectam materiam, quæ sunt solum placiti & mercatus, & consequenter sola juramenta his accessoria. Ex quibus Doctores citati inferunt, in omnibus casibus, in quibus die festo permittitur exercitium actus judicialis, aut celebratio contractus &c. etiam præstari posse juramentum ad firmandos ejusmodi actus necessarium; quia concesso principali etiam concessum censetur accessorium, quod in præsenti est juramentum. Videatur de his P. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 4. *a.* 2. *n.* 11. *& seqq.* vel Laymann *lib.* 4. *tr.* 7. *c.* 2. *n.* 7. *& seqq.* Henno *tr. in decalog. disp.* 3. *art.* 2. *concl.* 2. Tamburinus *ubi supra c.* 4. *§.* 1. *per totum.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de laborantibus die Dominico, aut festivo.

CASUS PRIMUS.

Titius *Sartor ingenio non minus, quam professione acutus fatebatur, vel potius gloriabatur publice coram aliis, se absque scrupulo diebus Dominicis ac festivis post prandium vacare arti suæ: hunc cum quidam haud procul diffidens Theologus blande deboortari voluisset, Titius: quid ajebat, Pater: nonne melius ago domi honesto labore me occupando, panemque pro me & prolibus lucrando, quam eodem tempore aliorum more hospitia frequentando commessationibus aut compotationibus (quæ juxta nonnullorum opinionem etiam sunt labor servilis) vacando, exiguamque pecuniam in sudore vultus mei per decursum hebdomadis lucratam dilapidando? & nunquid si laborem meum consecrarem Ecclesiæ, conficiendo Casulas, vel Paramenta Ecclesiastica, nemo me facile reprehenderet: quidni ergo liceat eundem consecrare bono meæ familiæ? Denique (addit ille) constat de Monialibus quibusdam, quod multum temporis diebus festivis insumant conficiendis scapularibus, nec non vestiendis Pusionibus, uti vocant, Salisburgensibus: si ergo ipsis conceditur facultas laborandi acu, cur non & mihi? Hæc Titius noster Sartor valde acutus, Jam ad*

ad nostrum propositum ex hac specie facti juvabit indagare, & paulo solidius decidere 1. An a Confessario possit Titio permitti labor ille? 2. An Monialibus possit permitti, ut se occupent diebus festivis in conficiendis scapularibus, & aliis similibus recolis spiritualibus.

406. R. Ad prius quæsitum a Confessario permitti non posse Titio, ut diebus Dominicis ac festivis etiam post prandium laboret: præsertim si id faciat regulariter, & per longiusculum tempus. Ratio est: quia labor Sartorum censetur esset servilis, & mechanicus secundum *omnes*: atqui serviliter laborare per se loquendo prohibitum est diebus festivis: ergo. Neque etiam argumenta Titii tanti sunt ponderis, ut ratione sana facile nequeant everti; licet enim melius sit (saltem per se loquendo) honesto labore sese occupare, quam vacare commessationibus &c. ubi tamen labor revera est servilis, unum æque ac alterum est reprobandum. Falsum insuper est, quod iisdem diebus liceat conficere casulas vel alia paramenta Ecclesiastica, nisi summa necessitas aliud jubeat. Illud equidem fateor, multos, præsertim communi de plebe, multum temporis diebus festivis impendere commessationibus, & compotationibus &c. fateor insuper laborem edendi & bibendi nonnullis videri servilem, prout videri licet apud R. D. Michel *loc. cit. appendic. 2. pu. 1. sect. 7. n. 10.* Verum qui tales ratione hujus laboris servilis die festivo peracti reprehendisset, neminem scio, fortassis quia communi mensæ per duas, tres, vel plures horas assidentes, non semper, sed per certa intervalla comedunt &c. vel quia dempto illo tempore, quod erat necessarium ad honestam, licitam, & necessariam refectionem, parum prorsus videbitur illud, quod extraordinarie consumunt comedendo. Profecto non reminiscor me unquam audivisse pœnitentem, qui ex eo, quod plures horas tabulæ assederit cum aliis, manducando ac bibendo &c. sese accusasse, egisse se contra præceptum de abstinendo a laboribus servilibus.

407. R. Jam ad posterius quæsitum, neque Monialibus vel aliis fœminis permitti posse, ut ultra duas horas die festivo vacent vel scapularibus conficiendis, vel pusionibus vestiendis; quia hic labor non minus, quam ille sartorum servilis est. Ad repellendam tamen otiositatem una vel altera hora a Confessario tanto facilius indulgeri potest, quanto ad sanctiorem finem scilicet ad cultum Dei, vel B. Virginis promovendum ordinatur: idipsum Azorius & Pellizarius (teste R. P. Kresslinger *addit. post n. 18. ad tr. 10. dist. 1. theolog. mor. R. P. Reiffenstuel*) admittunt nobilissimis Matronis, fortassis qui norunt, eas non solere nimium temporis impendere hujusmodi laboribus, sed potius illud conversationibus, & aliis nugis terere &c.

Sed quid, inquies, tenendum est de acu pingendi in tela opere ut vocant, phrygio, poteстne hæc permitti a Confessario diebus etiam festivis exercenda?

408. R. Hanc artem licite exerceri putant Sporer *cit. tr. 3. in decalog. c. 4. num. 45.* Felix Potestas *Exam. Confess. tom. 1. part. 2. n. 2033.* Sabinus Bononiens. *part. 1. tr. 17. nu. 43.* idipsum, sicut & confectionem florum ex cera, vel serico, vel plumis ad imitationem naturæ, &c. concedit Monialibus Francisc. Barelli *part. 2. Resolut. pract. Resol. 6.* idque vel quia a pluribus habetur pro labore liberali, & ad animum oblectandum deservit; vel quia consuetudine jam præscriptum est. Unde R. D. Michel *ubi supra n. 32.* ait excusantur leviusculi labores, qui nec animum valde occupant, nec corpus admodum fatigant, interea tamen serviunt ad fallendum tempus, & malas otii sequelas evitandas: videmus passim in piis familiis ancillas die festo occupari in decerpendis rosis, decorticandis pomis vel rapis &c. Videatur Filliucius *tr. 27. n. 167. & 169.* Sayrus *in clavi reg. lib. 7. c. 2. n. 9.* Bonacina *disp. 5. qu. un. pu. 3. n. 1.* Michel *loc. cit.* vel Kresslinger *loc. prox. cit.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Comes Conjugem suam prægnantem & partui pedetentim appropinquantem majoris securitatis & commoditatis gratia alio a famulis miseræ servituti subjectis asportari jussit in quadam lecti-

lectica, & quidem spatio quatuor vel quinque dierum, itinere ipsa Dominica Pentecostes inchoato: quia tamen dicti famuli valde fuere defatigati sub præfato onere, & insuper una alterave die nullum prorsus Sacrum audierunt; hinc idem Comes ex post facto non nihil fuit agitatus stimulis conscientiæ, eo præsertim, quod transportum illum opera jumentorum potuisset facere diebus ferialibus. Dubitat proin, an non graviter deliquerit in hoc facto? quid Confessarius sciscitanti respondebit?

409. R. Comitem hunc probabilius peccasse mortaliter duplici peccato mortali semper commisso, quod diebus festis famulos ad laborem hunc servilem adstrinxit, & ab audiendo Sacro moraliter loquendo impedivit. Ratio hujus resolutionis facile erui potest ex dictis *n.* 393. qui enim sine necessitate alium adigit ad non observandum diem festivum (cujus observantia secundum dicta importat duo distincta, scilicet auditionem Sacri, & abstinentiam ab operibus servilibus) ille graviter delinquit: atqui Sempronius hoc fecit, & quidem sine necessitate, ut supponitur in ipsa specie facti: ergo &c. Secus dicendum fuisset, si transportum hunc non potuisset facere opera animalium, vel necessitas non fuisset passa dilationem usque ad diem ferialem. Secus etiam resolvendum de famulis, quippe, qui misera servitute pressi sine periculo durioris tractationis, vel mulctæ moraliter loquendo non potuerunt recusare laborem hunc servilem, quos proin Ecclesia velut pia Mater vel ex hoc ipso capite miseratione dignos non vult cum tantis difficultatibus adstringere ad observationem festorum, veluti jam superius *n.* 376. diximus, & ex *communi DD.* tenent Sayrus *loc. cit. num.* 8. Bonacina *num.* 15. Michel *l. cit. num.* 33.

Sed quid ais, si famuli hujus Comitis fuissent hæretici, qui aliunde Sacrum non audiissent? quid, si fuissent omnino infideles?

410. R. Esto fuissent hæretici, tamen non licuisset absque necessitate ipsis imponere illud onus; quia secundum dicta *part.* 1. *Theolog. decal. Confer.* 13. *num.* 355. omnes fideles seu baptizati, consequenter etiam hæretici, tenentur legibus Ecclesiasticis: ergo quisquis illos sine necessitate inducit ad harum transgressionem, peccat: quemadmodum peccaret, qui amentem induceret ad transgressionem legis naturalis, puta ad occisionem, fornicationem, blasphemiam &c. At vero si famuli fuissent famuli omnes infideles, seu non baptizati, censeo probabilius cum P. Illsung, eos potuisse absque culpa adigi ad laborem servilem, & ad omissionem Sacri &c. Ratio est: quia hi non tenentur legibus Ecclesiasticis: ergo non peccant contra eas agendo: sed hoc ipso, quod non peccent, ne quidem materialiter, cuivis licet eos inducere ad agendum contra illas leges; nam propterea nullus Theologorum peccati facile condemnabit illum, qui infantem, vel aliunde quemlibet dispensatum suadendo, jubendo &c. inducit v. g. ad comedendas carnes in Quadragesima &c. non enim dici valet, quod talis transgrediatur legem in propria persona; quia supponitur abstinere a servilibus &c. neque in aliena: quia illa persona velut infidelis non est adstricta lege: neque verum est, quod Ecclesia velit etiam infideles abstinere ab hujusmodi laboribus: quia juxta effatum *Apostoli* 1. *Cor.* 5. *Ecclesia non judicat de iis, qui foris sunt.*

Dices adhuc: sed quid de illo Opifice tenendum, qui ut laborem promissum ad certum diem expediret, plures famulos adegit, ut die festo juncta opera collaborarent per sesquihoram circiter?

411. R. Si id contigit necessitatis causa (prout non raro hujusmodi Opifices, præsertim Sartores, quodammodo coguntur, nisi velint privari lucro justo, & ulteriori labore) dicendum, quod non peccaverit, Ecclesia velut pia Matre condescendente secundum dicta: rursus si plures v. g. 5. vel sex famulos etiam sine necessitate adegisset, ut omnes juncta opera per sesquihoram laborarent simul, adhuc probabiliter non peccasset graviter, quia seclufo Scandalo, ut supponi debet, dici nequit una gravis inhonoratio diei festi; sed quinque vel sex leves, quæ non videntur coalescere in unam, sicut si plures simul parum comedant die esuriali, non censentur frangere jejunium, vel graviter peccare: Secus pro-

probabilius dicendum existimo, si talis Opifex mandaret, ut singuli famuli successive laborarent; tum quia labor ita protractus Domino mandanti imputari debet, nec sine gravi dehonoratione diei festivi fieri potest; tum etiam, quia hoc videtur graviter scandalosum, quippe ex quo sequeretur, posse hujusmodi Opificem abuti multitudine hominum, & facere, ut toto die in domo sua serviliter laboreretur; quod procul dubio esset graviter inhonorativum diei festi, prout cum Arsdekin, & de la Croix jam insinuavimus *part. 1. in decalog. Confer. 20. num. 587.*

CASUS TERTIUS.

Æstate proxime præterita contigit, ut tempore Messis ultra octo, vel decem dies continuo quasi plueret, non sine permagna consternatione Rusticorum, timentium, ne ex abundantia pluviarum segetes jam ab aliquot diebus succisæ tandem computrescerent in campo: dum ergo quadam Dominica phœbus radios suos vehementius dispersisset, factum est in quodam pago, ut plures Rustici minus scrupulosi altera die (qui pariter erat festivus,) absque omni prorsus insinuatione motu proprio segetes curribus & equis in borreum colligerent. Alii e contra a suo R. D. Parocho petiere facultatem id agendi. Nonnulli magis Zelosi piaculo sibi duxissent etiam cum tali dispensatione &c. idipsum, quod alii, practicare. Cujus Parochus primos velut præsumptuosos gravius objurgavit ex post facto; cum aliis sese insinuantibus benigne dispensavit: Reliquorum vero Zelum pro Dei & Sanctorum gloria omnimodis approbavit, & dilaudavit. Jam vero ad nostrum propositum quæritur 1. an Rustici absque omni prorsus insinuatione potuerint tuta conscientia colligere fructus die festivo? 2. an R. D. Parochus ex allegato motivo cum reliquis potuerit dispensare in hoc præcepto Ecclesiastico?

412. R. ad primum. Si revera fuit periculum (prout rationabiliter licet credere) ne segetes in campo diutius relictæ vel computrescerent, vel excrescendo notabiliter deteriorarentur, rustici colligendo illas die festivo non peccarunt contra præceptum Ecclesiæ: quippe quæ juxta jam sæpius inculcata, velut pia Mater non vult filios suos cum tanto onere ad observantiam festorum adstrictos; nihilominus cum labor ille servilis publice fuerit susceptus, & causa exemptionis ab observantia festi fortassis aliis potuit videri dubia, hinc debuissent a suo R. D. Parocho prius humiliter petere licentiam vel dispensationem; tum ad demonstrandam debitam Ecclesiæ submissionem; tum etiam ad tollendum & præcavendum omne periculum scandali; quod cum non fecerint, merito a R. D. Parocho fuere objurgati. Videatur Tamburinus *l. 4. in decalog. c. 3. §. 2. a n. 31.* Michel *cit. pu. 1. sect. 7. n. 34.*

413. R. jam ad alterum quæsitum, potuisse R. D. Parochum ex allegato motivo dispensare; esto enim juxta dicta de legibus *part. 1. Confer. 16. n. 441.* per se loquendo nullus inferior valeat dispensare in lege Superioris; nihilominus partim per Epychiam, partim etiam per consuetudinem hodie nedum Episcopis, sed & Parochis (casu quo Episcopus conveniri non potest) censetur concessa facultas dispensandi in festis a S. Pontifice aut universali Ecclesiæ consuetudine institutis, modo subsit rationabilis causa, sine qua nec licita, neque valida foret talis dispensatio. Et ratio hujus est: quia suavis Ecclesiæ gubernatio postulat, ut in similibus casibus, utpote frequenter contingentibus, in quibus ad summam Sedem pro gratia recurri non potest moraliter, etiam aliis Inferioribus, utputa Episcopis & Parochis concedatur facultas dispensandi. Et ita tenent Doctores satis communiter. Azorius *instit. mor. tom. 1. l. 2. c. 28. q. 6.* Filliucius *tr. 27. nu. 224.* Castropalao *tom. 2. tr. 9. pu. 10. n. 5. in fine.* Michel *ubi supra appendice 2. pu. 1. sect. 7. num. 35.* recte addens, eandem facultatem competere Superioribus religiosis respectu suorum subditorum, non tamen respectu famulorum sæcularium, ait de la Croix: neque etiam necessum esse, ut causa dispensandi sit tam liquida, ut per se excuset subditum; secus enim opus non esset dispensatione, sed sufficere, ut sit rationabilis.

Sed quid, ais, si neque Episcopus adiri

adiri possit, neque Parochus utpote absens, poteritne in tali casu Capellanus vel Cooperator dispensare?

414. R. Poterit probabiliter, si habeat a suo R. D. Parocho potestatem delegatam: secus si hanc non habeat; si tamen necessitas urgeat, vel damnum notabile subditis immineat, poterit illis declarando dicere, se de benignitate Ecclesiæ pie præsumere, quod nolit eos in tali articulo necessitatis obligatos: quo facto subditi facile sese resolvent, nec amplius peccabunt ex hoc capite; etenim in casu, ubi urget necessitas, simulque nullus potestate dispensandi præditus adiri potest, sufficit dispensatio rationabiliter præsumpta, ita scilicet, ut prudenter credere liceat, Superiorem, si præsens adesset, dispensaturum, vel Ecclesiam nolle in tali casu fideles adstrictos, prout sapienter animadvertit Filliucius *l. cit. n.* 226. referens pro eadem opinione Sylvestrum & Suarezium. Videatur Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 5. *art.* 2. *n.* 19.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

415. COlliges ex hactenus dictis primo, multas dari posse causas excusantes ab observantia festorum quoad abstinentiam ab operibus servilibus; quia ut ex hactenus dictis constat, plures possunt occurrere casus, in quibus labor servilis permittitur, quemadmodum in superiori Conferentia *a n.* 362. multas recensuimus causas excusantes ab auditione Sacri. Porro hujusmodi causæ reddentes licitum laborem servilem a P. Busenbaum apud de la Croix *l.*3. *pu.* 1. *a nu.* 583. & aliis pluribus recensentur septem sequentes. 1. dispensatio, de qua mox dictum. 2. Consuetudo, de qua rursus per decursum plura diximus. 3. Pietas in Deum. 4. Charitas erga proximum. 5. Necessitas propria vel aliena corporis vel animæ. 6. Utilitas magna. 7. insuper saltem a gravi peccato excusare potest parvitas operis seu temporis secundum dicta *n.* 395.

416. Colliges secundo, illa opera, quæ a Doctoribus velut liberalia & non servilia probabiliter defenduntur, permitti posse a Confessario, tunc præsertim, quando simul peraguntur ad bonum finem v. g. ad vitandam otiositatem, curiositatem oculorum, conversationes periculosas cum altero sexu &c. Nam hoc ipso, quod non certo constat hujusmodi opera esse servilia, & per consequens prohibita; manet subditus in possessione suæ libertatis, & Ecclesia tanto facilius condescendit, quanto sanctius hujusmodi opera exercentur. Hac de causa R. D. Michel *Theolog. Canon-mor. tom.* 1. *part.* 2. *append.* 2. *pu.* 1. *sect.*7. *n.* 27. non abs re scripsit, ob animi bonum laborem alioquin servilem, modo non adeo operosus vel strepitosus sit: permitti posse ad unam, alteramve horam, præsertim garrulis & levibus mulierculis, si ad fallendum otium & vitandas occasiones peccati necessarius videatur. Videatur Tamburinus §. 2. *num.* 17. & 18. vel de la Croix *num.* 587.

417. Colliges tertio. Rei familiaris conservandæ vel augendæ gratia excusari posse illos labores serviles, qui sine notabili jactura differri, vel abrumpi nequeunt, prout revera abrumpi nequit coctio salis, vitri, calcis, vasorum fictilium &c. item labores coquorum, pistorum, lanionum, in civitatibus vel oppidis populosis: item instauratorum pontium, viarum publicarum &c. denique & labores Sartorum, ubi id exigit casus necessitatis v. g. pro conficiendis vestibus funeralibus, nuptialibus &c. vel ad alium apparatum necessariis &c. Ita *ex communi DD.* Suarez, Laymann, Busenbaum apud de la Croix *cit. l.* 3. *part. n.* 583. Felix Potestas *cit. n.* 1028.

Sed quid, ais, si talis Sartor tanta ad se confluentium copia obruatur, ut plane omnibus satisfacere nequeat, nisi cum aliis suis sociis, omnibus fere pervigiliis ac festis majoribus per integram noctem usque ad auroram dominicæ aut festi laboret, poteritne hoc a Confessario dissimulari?

418. R. cum nostro V. P. Mayr *in suo trismegisto continuato dist.* 3. *c.* 3. §. 2. *num.* 344. quod non. Ratio est: quia minime necessum est, ut iste solus omnibus satisfaciat; cum alii ejusdem Professionis magistri passim ubivis locorum reperiantur, quorum opera petentium desideriis

deriis poterit satisfieri : ergo non est, cur Ecclesia huic condescendat, permittendo, ut *singulis fere festis* per plures horas laboret serviliter : necessum igitur erit, ut vel non tantam laborum copiam in se suspiciat, vel susceptum cum aliis Sartoribus dividat ita, ut regulariter laborem hunc diebus ferialibus expedire possint.

419. Colliges quarto, diebus festivis ob pietatem & necessitatem proximi excusari posse sequentes 1. laborantes extinguendo incendio. 2. Chyrurgos & Pharmacopeos medicinas conficientes pro curatione infirmi actu indigentis. 4. Barbitonsores unum vel alterum tondentes, immo & plures, non potentes aliis diebus ob laborum abundantiam accedere Tonstrinam, uti contingit rusticis & aliis opificibus, vel famulis &c. 4. item exercenes opera corporalia misericordiæ, sepeliendo mortuos, vestiendo nudos &c. 5. denique peragentes quantumvis servilia, necessaria tamen ad salutem vel vitam proximi defendendam &c. Ita Castropalao ubi supra *pu.* 10. *n.* 3. Filliucius *n.* 214. & 215. Sporer *tr.* 3. *c.* 4. *n.* 52. Ratio est : quia præcepto charitatis jubemur proximum diligere sicut nos ipsos : atqui certum est, quod intuitu nostri pro casu necessitatis similia possimus præstare nobis : ergo & proximo : profecto Christus Dominus *Luc.* 14. verbo & exemplo docuit, fas esse, etiam die Sabbathi benefacere proximo, quando id exigit necessitas, vel dictat pietas.

420. Colliges tandem quinto, intuitu pietatis in Deum excusandos esse sequentes 1. qui crucem, vexilla vel labra portant in publicis Processionibus. 2. qui campanas pulsant, vel 3. parietes templi aulæis adornant, hostias conficiunt &c. 4. qui Sepulcrum Christi, ejusve Præsepe exstruunt. 5. qui Aras, molesque artificiosas erigunt ad exponendum venerabile Sacramentum, vel ad hunc finem vias publicas adornant &c. Ratio est, quia hujusmodi opera potius habenda sunt pro spiritualibus, quam pro corporalibus & servilibus. Minime tamen fas est, actiones serviles valde remote duntaxat ad cultum Dei se habentes exercere diebus festivis, utputa ligna cædere, lapides, calcem, cæmenta comportare ad Ecclesiam vel Aram construendam : quin immo ornatus Altarium, Ecclesiæ purgatio &c. & similia, quæ non adeo propinque se habent, in ordine ad cultum actualem Dei, debent anticipari, nec possunt sine peccato veniali (seclusa vera necessitate) ipso die festo peragi. Ita Tamburinus *l.* 4. *c.* 3. §. 2. *a num.* 3. Sporer *loc. cit.* Babenstuber *ubi supra art.* 2. *num.* 17. R. D. Michel *tom.* 1. *part.* 2. *append.* 2. *pu.* 1. *sect.* 7. *num.* 32. & alii Doctores *communiter*.

CONFERENTIA

DECIMA QUINTA.

De Natura seu Essentia Jejunii Ecclesiastici.

SUMMARIUM.

421. *Nomine jejunii improprie sumpti intelligitur abstinentia etiam a vitiis &c.*

422. *Nomine vero jejunii magis proprie sumpti abstinentia a cibo & potu.*

423. *Nomine denique jejunii Ecclesiastici abstinentia a cibo & certa ciborum qualitate &c. Unde*

424. *Ad substantiam hujus jejunii Ecclesiastici requiruntur ad minus duæ conditiones, scilicet abstinentia a secunda refectione, & a carnibus.*

425. *Probabile quidem est, eum, qui secundam refectionem jam sumpsit, non amplius teneri ad abstinendum a tertia sumenda in iisdem cibis esurialibus.*

426. *Oppositum tamen spectata ratione intrinseca videtur longe verosimilius.*

427. *Tempore jejunii esus carnium, a carnibus piscium distinctarum, est prohibitus ab Ecclesia.*

428. *Similiter in Regionibus non exemptis prohibitus est esus ovorum, & lacticiniorum.*

429. *Qui tamen in Provinciis Septentrionalibus, ubi major sentitur penuria ciborum quadragesimalium, censetur permissus.*

430. *Non item usus lardi porcini, aut pinguedinis anserum &c.*
431. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium factæ.*
432. *Sorbitio chocolatæ tenuis non obstat jejunio, multo minus decoctum ex herba thee, aut fabis caffee.*
433. *Secus dicendum foret, si chocolata coqueretur, aut sumeretur per modum pultis.*
434. *Resolvitur Casus I. Cujusdam paupherculæ, quæ die jejunii destituta oleo & butyro pro se suisque miseris prolibus præparavit cibum ex farina frixa in sebo & sagimine.*
435. *Famula de mandato Heri vel Heræ condiens herbas, rapas, vel olera &c. pinguedine anserum aut lardi porcini, potest equidem excusari a peccato.*
436. *Non item (saltem in nostris partibus) Herus ipse vel Hera mandans, si aliunde habeant, quo condiant v. g. butyro simplici, vel eliquato.*
437. *Resolvitur Casus II. Cujusdam Parasiti, soliti non raro cum aliis diebus jejunii assidere ad tabulam per quatuor vel quinque horas;*
438. *Subindeque a mensa surgere, cum aliis per mediam horam conversari, ac denuo reverti ad tabulam, opusque strenuo prosequi.*
439. *Immo vero absoluta cœna in uno loco, accedere alium, ubi noverat convivium protrahi, ibique denuo comedere.*
440. *Resolvitur Casus III. De quodam Bibulo, qui singulis quasi diebus jejunii assueverat sese ingurgitare potu excessivo.*
441. *Per Potum proprie sumptum non frangitur jejunium.*
442. *Dissolvitur quædam instantia in contrarium facta.*
443. *Qui cœnam notabiliter anticipant, etiam sine causa justa, probabilius non peccant, nisi venialiter.*
444. *Quod, si fiat ex causa justa, omni prorsus culpa vacat.*
445. *Qui extra tempus refectionis in die jejunii sæpius modicum quid comedit, potest tandem peccare mortaliter.*
446. *Fas tamen est, ad haustum extra horam refectionis factum modicum quid sumere ne noceat.*
447. *Fas insuper est, extra idem tempus modicum quid per modum medicinæ sumere de electuariis seu confectis.*
448. *Lectoribus ac Servitoribus mensæ permittitur, offam, vel aliud simile quid sumere prius, quam inchoent suum officium.*
449. *Qui in die jejunii carnes sine legitima causa comedit, peccat mortaliter toties, quoties in notabili quantitate, interruptis moraliter vicibus, manducat de illis.*
450. *Secus dicendum, si in quantitate exigua aliquid sumeret.*
451. *Qui immemor jejunii de mane sumpsit jentaculum, per se loquendo adhuc tenetur ad servandum jejunium, abstinendo a carnibus, & a secunda refectione.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de natura jejunii Ecclesiastici.

QUæres primo, quid, & quotuplex sit jejunium?

421. R. ad 1. Nomine jejunii a nonnullis DD. intelligitur abstinentia, sive dein a cibis, sive etiam a vitiis, quo sensu D. Bernardus *serm.* 2. *in capite jejunii n.* 4. dixit, *jejunandum longe amplius a vitiis, quam a cibis*. Et rursus *serm.* 3. *num.* 4. ait: *quod si sola gula peccavit, sola quoque jejunet, & sufficit si vero peccaverunt & membra cetera, cur non jejunent & ipsa?* Verum ad nostrum propositum, & magis proprie loquendo nomine jejunii intelligitur abstinentia a cibo & potu. Unde

422. R. Jam ad alteram partem quæsiti. Jejunium in hoc sensu pro abstinentia scilicet a cibo & potu sumptum duplex est; naturale, & Ecclesiasticum. Ita *communis DD.* Jejunium naturale est abstinentia ab omni cibo ac potu in stomachum transmisso: ubi nomine cibi vel potus etiam intelligitur illud, quod per modum medicinæ sumitur &c. & tale jejunium a medio noctis inchoandum hodie requiritur ab Ecclesia ad dignam & licitam susceptionem Eucharistitiæ extra casum necessitatis, prout ex professo diximus *part.* 1. *Theolog. Sacram.*

Confer. 14. *n.* 83. & videre licet in Rubricis Missalis *sub titulo de defectibus dispositionis corporis*. Jejunium vero Ecclesiasticum consistit in abstinentia a cibo & certa ciborum qualitate &c. Verum majoris claritatis gratia

Quæres secundo, quidnam proprie sit jejunium Ecclesiasticum, & quot, vel quænam conditiones ad hoc necessario requirantur?

423. R. ad priorem partem hujus quæsiti. Jejunium Ecclesiasticum recte describitur, quod sit *religiosa observantia abstinentiæ a cibo, & certa ciborum qualitate, designato tempore ad Deum colendum, & carnem mortificandam ab Ecclesia ordinata*. Ita in terminis Marchantius noster *tom.* 2. *tr.* 12. *tit.* 3. *q.* 1. eumque secutus Sporer *tr.* 3. *in decal. append. de observ. jejun. sect.* 1. *num.* 2. & in re *alii DD. communiter*.

Dicitur autem 1. *religiosa observantia*, quia ex virtute Religionis fuit instituta: per hoc insuper excluditur jejunium, quod vel necessitatis causa, ob defectum scilicet alimentorum, vel avaritiæ impulsu subinde suscipitur.

Dicitur 2. *a cibo*, id est, ab alimento, seu quod corporis alimentandi gratia solet in stomachum trajici, additur: & *certa ciborum qualitate*, scilicet a carnibus, prout statim amplius patebit. Dicitur 3. *statuto tempore*, id est, certis diebus ac horis a medio noctis usque ad alterum noctis medium, & certa temporis refectione: ut paulo infra videbitur. Additur denique 4. *ab Ecclesia ordinata*, non *præcepta*; jejunium quippe Ecclesiasticum appellatur non solum illud, quod ab Ecclesia præcipitur, sed omne illud, quod vel ex voto, vel ex particulari devotione assumitur juxta formam & modum ab Ecclesia ordinatum. Ita in re Sporer *loc. cit.* Unde

424. R. jam ad posteriorem partem ejusdem quæsiti. Ad substantiam jejunii Ecclesiastici requiruntur duæ conditiones, scil. 1. abstinentia ab altera refectione, & 2. a certa ciborum qualitate. Ita rursus *in re communis* DD. ut videre licet apud Azorium *tom.* 1. *l.* 7. *c.* 8. *q.* 3. Lessium *lib.* 4. *de J. & J. c.* 2. *dub.* 2. *n.* 8. Filliucium *tr.* 27. *part.* 2. *n.* 20. Reiffenstuel *tr.* 20. *disp.* 2. *n.* 9. Babenstuber *tr.* 6. *disp.* 1. *art.* 1. *n.* 2. Ratio hujus est: quia finis Ecclesiæ jejunium instituentis fuit, ut per hoc corpus castigetur, & concupiscentia coerceatur, ita tamen, ut natura non lædatur notabiliter: atqui hic finis commodissime obtinetur per jejunium cum præfatis duabus conditionibus observatum: ergo &c. Scio equidem Doctores mox citt. insuper assignare tertiam conditionem, scilicet *certum refectionis tempus*, quod olim in primitiva Ecclesia fuit tempore quadragesimæ hora vespertina, in aliis vero jejuniis hora nona post meridiem: moderna autem Ecclesiæ praxi receptissima est hora sexta, id est, illa, quæ juxta horologium germanicum coincidit cum hora undecima; verum tametsi negari minime possit, fideles saltem sub culpa veniali, sin minus sub mortali (prout Marchantius & nonnulli alii nimis in hoc rigorosi volunt) teneri regulariter ad observantiam hujus temporis, ita, ut saltem non nimis notabiliter præveniant; nihilominus juxta communiorem & probabiliorem Doctorum opinionem, quam Lessius, Laymann, Filliucius, & alii tenent, hæc circumstantia non est de essentia seu substantia jejunii: prout vel inde liquet, quia id, quo quantumvis culpabiliter prætermisso, & non servato, adhuc potest & debet servari jejunium quoad substantiam, nequit dici de substantia jejunii: atqui non servata hora prandii, bene vero abstinentia a carnibus & unica refectione &c. adhuc tenetur quis, & potest servare jejunium Ecclesiasticum: ergo &c. Hinc est, quod Ecclesia quidem nunquam non voluerit a jejunantibus servari abstinentiam a carnibus, & a secunda refectione, tempus autem refectionis mutaverit, primo in horam nonam, quæ juxta nostrum horologium est tertia pomeridiana; modo autem ex quadam condescensione omnino in sextam, id est, juxta nostrum horologium, undecimam meridianam. Videatur Matthæucci *in cautel. Confess. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 3.

Quæres tertio. Utrum abstinentia a secunda refectione sit ita de substantia jejunii, ut ille, qui vel culpabiliter, vel etiam ignoranter & inculpabiliter jam sumpsit

psit secundam refectionem, non amplius teneatur abstinere a tertia & quarta?

425. R. Est probabile, quod non teneatur amplius sub peccato mortale abstinere a tertia vel quarta refectione; tum quia potuit Ecclesia secundam refectionem prohibere non absolute, sed limitate tantum, & quatenus per secundam refectionem destruitur forma jejunii, quæ exigit unicam duntaxat refectionem; & quod hæc fuerit mens Ecclesiæ satis communiter tenent DD. Classici. Castropalao *part.* 7. *tr.* 1. *disp.* 3. *pu.* 2. §. 2. *n.* 8. Diana, Tamburin. Laymann, Lessius, Sporer, Illsung, Babenstuber, Matthæucci *loc. cit. n.* 10. & alii plures videndi apud Castropalaum *loc. cit.* Confirmatur hæc opinio ex eo: quia sumpta secunda refectione non est amplius possibile servari jejunium, quippe quod essentialiter importat abstinentiam a secunda refectione, qua sublata eo ipso destructa manet essentia & substantia jejunii: ergo qui sumpsit secundam refectionem, non amplius tenetur abstinere a tettia & quarta: sicut (ait Castropalao *loc. cit.*) si præceptum esset, ne limites alicujus loci transires, sola prima transgressione præcepto contradiceres, non vero ulterius progrediens; secus enim hæc lex obligaret ad impossibile. Ex quo idem Castropalao, Illsung, & alii nonnulli inferunt, nequidem venialiter peccaturum, qui post secundam refectionem sæpius se reficeret; e contra communior DD. apud de la Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 1267. existimat, talem saltem venialiter peccaturum, eo quod agat contra finem legis, qui est mortificatio carnis. Ego hanc sententiam Castropalai & aliorum sequacium nedum ab extrinseco, verum etiam ab intrinseco probabilem censeo, prout jam alibi insinuavi. Nihilominus ad idem quæsitum.

426. R. Jam secundo. Spectata ratione longe probabilius videtur, quod is, qui jam sumpsit secundam refectionem, vi præcepti Ecclesiastici teneatur abstinere ab aliis, ita, ut quoties etiam in cibis esurialibus se reficit, peccet mortaliter. Et ita tenent Medina, Joannes Major, Covarruvias, Montesinos apud Castropalao *loc. cit.* quibuscum etiam sentit Henno *tr. de peccat. actual. disp.* 4. *appendic. de jejunio qu.* 1. *Resol.* 2. *post conclus.* 2. Ratio me potissimum movens ad hanc opinionem est: quia abstinentia a carnibus non minus est de substantia seu essentia jejunii, quam abstinentia a secunda refectione, & nihilominus qui semel comedit carnes, tenetur adhuc sub peccato mortali abstinere a secunda refectione, vel etiam comestione carnium, ergo similiter, qui semel sumpsit secundam refectionem, tenetur adhuc abstinere a tertia & quarta, non obstante; quod abstinentia a secunda refectione sit de substantia jejunii, vel fatendum, quod si in hoc posteriori casu Ecclesia obligaret ad impossibile, etiam ad impossibile obligaret in casu priori.

Nec dici valet, disparitatem in eo sitam esse, quod præceptum abstinendi a carnibus sit negativum, ideoque semper & pro semper obligans, ita, ut quoties contravenitur, graviter peccetur &c. Contra enim facit, quod etiam præceptum de abstinendo a secunda refectione sit negativum; nam illud dicitur negativum, quo intenditur omissio actus: atqui per præceptum, quo jubemur abstinere a secunda refectione, utique intenditur omissio actus, id est, secundæ refectionis: ergo hæc disparitas nulla est. Et certe si Sacerdos ter in die celebrans, aut Laicus ter communicans committat peccatum mortale nedum in secunda, sed etiam in tertia sumptione, eo quod juxta præceptum Ecclesiæ non nisi semel in die communicari fas sit: quidni probabilius sæpius se reficiens, sæpius peccet, cum de præcepto Ecclesiæ liceat tantum unica refectio? Et licet talis homo post secundam refectionem non possit amplius integre servare jejunium, potest tamen illud servare secundum aliquid, quoad iteratas scilicet refectiones: consequenter tenetur ab his abstinere, quemadmodum tenetur abstinere a carnium comestione, esto non possit amplius integre servare jejunium Ecclesiasticum, qui jam semel carnes comedit.

Quæres quarto, an, vel qualis esus carnium sit prohibitus?

427. R. Certum esse debet, esum carnium esse prohibitum, prout liquido con-

constat ex dictis; nomine autem carnium intelliguntur illæ, quæ communi usu & existimatione fidelium aut judicio Medicorum habentur pro carnibus aliis, quam est caro piscium. Ita vix non in terminis P.Babenstuber *tr. 6. disp. 1. art. 1. n. 3.* secutus Lessium *lib. 4. de J. & J. c. 2. dub. 2. n. 8.* Tamburinum, Bonacinam, & alios. Et ratio est: quia licet pisces habeant suo modo carnem, non tamen est ita nutritiva, sicut aliornm animalium, proptereaque Ecclesia velut benigna Mater, ne videatur nimium gravare fideles, permittit carnem piscium, & illorum animalium, quæ piscibus æquiparantur: uti sunt caro testudinum, cochleraum, limacum, lutrarum, fibrorum, sive castorum, nec non certi cujusdam generis anatum; quia cum hæc animalia vix sanguinem habeant, vel sanguinem frigidum, vel in aquis ad instar piscium educentur, aut nutriantur piscibus, judicio Medicorum, & communi persuasione, usu ac praxi fidelium reputatur licitus eorum esus: itaque *ab illis duntaxat animalibus vel esu animalium abstinendum, quorum usus communi fidelium est persuasione, aut Medicorum judicio, Ecclesiæve consuetudine (quæ in variis locis varia esse potest) habetur prohibitus*, prout bene docet noster Herincx *part. 3. tr. 2. disp. 2. n. 71.* Porro in dubio, an hoc vel illud animal constet carne prohibita, putat Gobat, præsumi posse non constare prohibita; eo quod possessio stet pro ipso comedente, quamdiu non constat de certa prohibitione; idque verissimum existimo, præsertim si alii fideles in tali loco sine scrupulo assueverint vesci hujuscemodi carnibus, v.g. certarum anatum, quas Germani Blässelandlen vocant.

Quæres quinto, an præter carnes alii insuper cibi sint prohibiti diebus jejuniorum?

428. R. Tempore Quadragesimæ insuper (in Regionibus non exemptis) prohibitus est esus ovorum & lacticiniorum, id est, eorum, quæ ex lacte proficiscuntur, uti caseus, butyrum &c. Ratio hujus desumitur ex *cap. denique dist. 4.* ubi non solum præcipitur observantia jejuniorum in quadragesima, sed & abstinentia a lacticiniis sequentibus omnino verbis: *par est, ut nos, qui his diebus a carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam trahunt originem carnis jejunemus, a lacte videlicet, caseo & ovis.* Nec refert, quod Pontifex solum dicat, *par est* &c. Enimvero, quod per hæc verba non merum consilium sed præceptum voluerit inculcare, patet tum ex contextu, cum per hæc responderit ad quæstionem, an esset illicitum vesci ovis in quadragesima tum evidentius adhuc ex eo, quod Alexander VII. inter alias etiam sequentem *num. 32.* propositionem damnaverit: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget.* Quia tamen mox allegatum *cap.* loquitur duntaxat de jejunio quadragesimali, extra hoc vero tempus de jure communi non legitur prohibitus esus ovorum & lacticiniorum; hinc dicta Constitutio vel odiosa neutiquam extendi debet ad alia jejunia extra Quadragesimam. Et licet *cap. Rogationes de consecr. dist. 3.* dicatur, in his jejuniis *utendum cibis quadragesimalibus*, hæc tamen verba communissime intelliguntur de abstinentia a carnibus, non ab ovis, & lacticiniis. Videantur de hoc Viva *ad dictam proposit. n. 10.* Babenstuber *tr. 6. disp. 1. art. 1. n. 4.* Henno *ubi supra q. 2. Resp. ad petes 2.* Herincx *loc. cit. dist. 2. n. 72.*

429. Dixi etiam per Parenthesin: *in Regionibus non exemptis* &c. Nam in Provinciis Superioribus nostræ Germaniæ, seu partibus septentrionalibus, ubi major est penuria ciborum quadragesimalium, olei præsertim ac piscium, jam consuetudine legitime præscripta absque scrupulo licet comedere ova, & lacticinia, prout de Diœcesi Coloniensi, Monasteriensi, aliisque viciniis testatur de la Croix *lib. 3. part. 2. n. 1261.* de nostris quoque Diœcesibus quotidiana experientia probat. Attendenda itaque est quantum ad hoc ubivis locorum consuetudo legitime recepta, quæ, sicut aliarum, ita & hujus legis poterit esse optima interpres. Videantur *DD. citt.* vel Laymann, *lib. 4. tr. 8. c. 1. n. 3.* Sporer *ubi supra in appendice n. 10.* Reiffenstuel *tr. 10. dist. 2. n. 10.*

Sed quid in his partibus tenendum, ais,

ais, de usu lardi porcini, pinguedinis anserum? vel prodii, e pullis vel gallinis eliquati?

430. R. Hunc usum neutiquam esse permittendum. Ratio est: quia pugnat contra consuetudinem legitime receptam. Adde insuper, subfore ingens periculum, ne usus hujusmodi pinguedinis ulterius extenderetur ad esum farciminum, jusculi &c. de quibus pari modo negari posset, quod sint caro &c. quod utique cederet in grave scandalum, nec non in detrimentum jejunii Ecclesiastici & disciplinæ christianæ, uti sapienter advertunt Sporer *loc. cit.* Laymann *c. 1. n. 5.* Illsung *tr. 4. disp. 1. n. 38.* Babenstuber *ubi supra n. 5.*

Dices tamen contra hanc resolutionem. Juxta *Glossam in cap. Presbyter dist. 82. & in cap. admonere 33. q. 2.* quando ova permittuntur, etiam permittur sagimen: atqui secundum proxime dicta in nostra Patria permittitur esus ovorum: ergo & sagiminis.

Confirmatur: Pinguedo juxta Aristotelem non est caro, licet originem trahat ex carne: ergo licet vesci pinguedine. Rursus butyrum est longe melius, quam ova vel pinguedo: ergo si fas sit vesci butyro, etiam fas erit vesci pinguedine vel lardo &c. itemque prodio e pullis vel gallinis eliquato &c.

431. R. Ad instantiam, locis ex Jure Canonico citt. nomine sagiminis intelligi butyrum seu sagimen ex lacte expressum & confectum, teste Castropalao, Reding. & aliis: libenter autem admittimus, fas esse vesci sagimine hoc, id est, butyro in locis, ubi permissus est esus ovorum.

Ad Confirmationem R. pinguedinem anserum & lardum in nostris saltem partibus æquiparari carnibus, non minus, quam farcimina, jusculum, & intestina animalium, ideoque censeri prohibita; tum ratione consuetudinis; tum etiam ratione scandali & dissolutionis, quæ exinde facile possent introduci. Esto proin ex rationibus adductis opinio Fagundez, Sylvestri & aliorum nonnullorum nobis ex hac parte adservantium cuipiam videri posset speculative probabilis, in praxi tamen a Doctoribus hujus Patriæ ac nationis communiter rejicitur, nisi vel necessitas vel paupertas aliud suadeant, velut amplius videbitur *in casu 1. a n. 434.*

432. Quæres sexto, utrum diebus jejunii sit permittendus usus Chocolatæ?

R. Est permittendus, saltem si bibatur tenuis, & non misceatur nimium illius materiæ, ita scilicet, ut instar densæ pultis coquatur. Ita de la Croix *l. 3. par. 2. n. 1291.* Felix Potestas *tom. 1. Exam. Confessar. part. 3. n. 2876.* Matthæucci *in Cautel. Confes. l. 1. c. 16. n. 17. & 18.* Kresslinger *in addit. post. n. 6. dist. 2. ad tr. 10. Theolog. mor.* R. P. Reiffenstuel. Et hoc etiam a Gregorio III. Pio V. & Paulo V. fuisse declaratum, testatur Illsunger *tr. 4. disputa 1. num. 39.* de la Croix addit Urbanum VIII. Ratio hujus est: quia si conficiatur in illa quantitate tenui v. g. cum una, vel (ut alii admittunt) duabus unciis, revera obtinet rationem potus; unde etiam a pluribus viris piis, doctis & religiosis bibitur, vel potius sorbetur; quod certe nunquam facerent, nisi crederent esse licitum: ergo &c.

433. Dixi tamen: *nisi misceatur nimium illius materiæ* &c. quia cum ingredientiæ sint valde nutritivæ; hinc minime dubitandum, quin si ad instar pultis coquatur, potius rationem cibi vere substantialis & nutritivi habeat, quam potus: & hac de causa Tamburinus *lib. 4. in decalog. cap. 5. §. 2. a num. 9.* Castropalao & alii multi absolute putant, usum chocolatæ frangere jejunium. Secus tamen Doctores communissime tenent de Lymonide, de potu Kaffe, vel de illo ex herba The confecto &c. eo quod ab omnibus nomine & re habeantur pro potu, & non pro cibo nutritivo &c. Videatur de la Croix *cit. n. 1292.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, tangentes modum & substantiam jejunii Ecclesiastici.

CASUS PRIMUS.

Titia paupercula fatetur, se tempore Quadragesimæ pro se suisque prolibus præ-

præparasse cibum ex farina quidem, sed frixa in sebo & sagimine (germanice Unschlitt und Schmeer) *eo quod nec Butyrum purum, neque eliquatum, multo minus oleum vel aliud condimentum habuerit: rogasse nihilominus Deum una cum prolibus innocentibus, quatenus sibi hoc peccatum vellet ignoscere: insuper a Confessario postulat pro hac culpa salutarem sibi pœnitentiam injungi. Quid Confessarius ad hæc? an judicabit Titiam graviter peccasse?*

434. R. Confessarius facile, ni fallor, apprehendet, Titiam commiseratione potius, quam reprehensione dignam esse. Enimvero Ecclesia velut pia Mater non vult pauperes illos, qui aliunde misere sustentantur, nec habent, quo sufficienter reficiantur, adstrictos ad abstinentiam a carnibus vel ad jejunium, quippe quod moraliter sine vere grandi difficultate servare nequeunt. Unde Alexander Alensis apud Pontas *in dictionario casuum Verb. jejunium R. ad Cas. quintum* ait: *egenus est ille, qui indiget petere ab aliis; non manet in domo sua, sed circuit domos aliorum: & tales, aut habent determinatam aliquam annonam sufficientem, quæ datur ab aliquibus personis: & si hoc, tenentur jejunare: aut non habent aliquid certum & determinatum, sed quotidie vivunt de eo, quod mendicant; & tales, ut existimo, non tenentur, quia non datur eis totum simul; & quia uno die abundant, altero nihil habent &c. Ita* Alensis, ita etiam S. Thomas *2. 2. q. 147. art. 4. ad quartum*.

Sed quid, ais, si famula vel coqua ab hera sua aliunde satis divite & abundante jubeatur condire cibos v. g. olera &c. pinguedine anserum, vel lardo, & dein pro se & aliis domesticis in mensa apponere, licebitne huic famulæ exequi imperium heræ?

435. R. Licebit, haud equidem ex eo capite, quod usus lardi & pinguedinis juxta morem patriæ nostræ non sit contrarius jejunio Ecclesiastico; sed quia famuli aut famulæ moraliter nequeunt declinare executionem imperii, unde P. Sporer *supra cit. n. 10.* sapienter ait, pauperibus licentiam vescendi ejusmodi pinguedine diebus jejunii permitti posse ob causam paupertatis, vel defectum butyri; item famulis & ancillis permitti posse, ut de adipe animalium diebus jejuniorum coquant, & cocta comedant, quando a Dominis jubentur, & similia proponuntur. Subdit insuper Laymann *l. 4. tr. 8. c. 3. in. 3.* laborantibus & famulantibus Catholicis apud nos in oppidis hæreticorum permitti posse, ut diebus jejuniorum carnibus vescantur, dummodo scandalum tolli possit, si nimirum dicant, se in tali casu necessitatis Ecclesiæ præcepto non teneri; neque etiam carnes in contemptum vel odium fidei apponantur, ut supponi debet. Addit insuper secundo idem Laymann *l. cit.* tolerari apud nos consuetudinem, ut finitis Bachanaliorum diebus carnium reliquiæ, quæ a divitibus absumi non poterant, dentur pauperibus absumendæ.

Ergone, inquies, Herus vel Hera mandans, ut ancilla cibos pinguedine anserum, aut lardo condiat, esto possent uti butyro eliquato, vel oleo condire, & ipsi immunes erunt a peccato?

436. R. Nequaquam: quia secundum dicta *n.* 430. praxis hujus sententiæ velut usui hujus Patriæ, & communi fidelium persuasioni contraria, neutiquam tolerari potest aut debet, nisi infirmitas, necessitas vel paupertas aliud suadeat. Confessarii proin erit similia efficaciter dissuadere Heris aliunde habentibus, nisi forsan in tali loco contraria consuetudo fuerit legitime (scientibus scilicet & non contradicentibus Superioribus Ecclesiasticis) introducta: de quo certe in hisce partibus nostris minime constat, quin immo procul dubio annumeraretur Acatholicis, quisquis diebus esurialibus vesceretur lardo, pinguedine anserum &c. aut alios sibi subditos absque necessitate ad vescendum quodammodo compelleret.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius *cognomine parasitus ubi ubi demum potest, opportune, immo & importune sese ingerit Conviviis: nec raro diebus etiam jejunii occasione utendum ratus Solemni prandio assidet cum aliis per tres, vel quatuor omnino horas, interea vero vel necessitatis vel urbanitatis*

tis etiam causa aliquoties e mensa surgit, exit, cum aliis per mediam horam conversatus; redit denuo, & strenuo prosequitur cœptum laborem, ne in comedendo vel bibendo videatur ulli alteri esse secundus. Jam ad nostrum propositum dubitare licet, 1. an tanto tempore assidentes mensæ non frangant jejunium? 2. an Sempronius non infringat legem jejunii ex eo, quod subin per mediam horam recedens a tabula cum aliis converſetur, postea denuo prosequatur opus &c.?

437. R. Ad prius quæsitum. Per hoc præcise, quod Convivium ad tres vel quatuor horas protrahatur in rigore probabilius non frangi jejunium. Ratio est: quia Ecclesia permittit unam refectionem: atqui in morali hominum existimatione more patriæ nostræ saltem censetur unica refectio, licet convivium protrahatur per tres vel quatuor horas, &c. Et certe, qui in principio & fine talis convivii vesceretur carnibus, per hoc non nisi unicum peccatum mortale admitteret, ut bene observat Gobat *Quinar. tr.* 5. *c.* 26. *n.* 9. ergo &c. Non me latet, huic resolutioni contradicere Tamburinum, eo quod putet, refectionem per tantum temporis spatium protractam esse virtualiter multiplicem, seu æquivalere multiplici comestioni &c. At, si hoc sit verum, pariter dicendum foret, eos, qui per duas circiter horas mensæ assident, & comedunt, agere contra jejunium, quia talis comestio virtualiter duplex dici potest, utpote protracta per duas horas, in quarum qualibet honesta & ordinaria comestio seu refectio fieri potuisset: demus insuper, aliquem per unicam duntaxat horam tantum devorare, quantum eidem pro duplici integra & completa refectione corporis sufficeisset: nunquid dici poterit, talem virtualiter duplicem refectionem sumpsisse? & tamen nemo facile dicet, quod fregerit jejunium, licet omnes fateri cogamur, quod tales possint, & sæpius quam par est, soleant agere contra regulas temperantiæ, quamquam nec hoc quidem universaliter verum sit; cum subinde convivia a nonnullis ita protrahantur, ut merito dubitares, num refectionis, num vero longioris conversationis causa sint instituta; quandoquidem singuli cibi apponuntur post singulas medias horas, vel certe horarum quadrantes. Videantur Gobat *loc. cit. n.* 8. *& sequentibus.*

438. R. Jam ad posterius quæsitum, Sempronium non infringere legem jejunii ex eo, quod subinde e mensa surgens cum aliis per mediam horam converſetur, & denuo prosequatur opus. Ratio est: quia cum ciborum convivia nedum ad comedendum, sed etiam ad invicem amicabiliter conversandum instituantur, Sempronius in morali hominum existimatione dici potest, ac debet uni interfuisse convivio, unicam moraliter sumpsisse refectionem, esto subinde mediam horam conversationi potius, quam refectioni impenderit; fere quemadmodum Sacerdos dicitur moraliter unicam legisse Missam, esto post Evangelium (uti pluribus in locis mos habet) Concionem vel discursum ad populum habuerit. Similiter casu quo Mercator mensæ assidens vocatur ad merces vendendas, surgit, commercii causa agit per mediam horam vel ultra, ac denuo reversus mensam prosequitur, censetur moraliter sumpsisse unicam refectionem, prout fatetur Sancius *in Selectis disp.* 52. *n.* 4. ergo idipsum in morali hominum existimatione tenendum est de Sempronio nostro.

Sed quid ais, si Sempronius noster absoluta jam Cœna in uno loco v. g. Monasterio &c. inde vadat in alium, inveniat etiamnum cœnæ assidentes, & cum iisdem prosequatur eandem, comedendo ac bibendo perinde, ac si intra 24. horarum spatium ne quidem micam panis comedisset, poteritne nihilominus dici servasse jejunium?

439. R. Cum distinctione. Nam si supponatur non comedisse satis in priori loco, propptereaque parasitorum more illico alibi quæsivisse, unde ventrem ac stomachum repleret, salvo meliori judicio existimarem, eum non fregisse jejunium; tum quia per intentionem Sempronii utraque refectio præsertim tam parum interrupta dici potest, se habuisse per modum unius refectionis completæ: idipsum sentire videntur Lessius *l.* 4. *de J. & J. c.* 2. *dub.* 2. *num.* 11. Fillicius *tr.* 27. *part.* 2. *nu.* 41. Diana

part. 2. *tr.* 9. *resolut.* 32. Sporer *in appendic. ad tr.* 3. *Theolog. Sacram. n.* 13. At vero, si Sempronius in priori cœna supponatur jamjam manducasse usque ad satietatem, mihi probabilius videtur acturus contra legem jejunii, eo quod posterior cœna in morali hominum existimatione dici non valeat complementum prioris, utpote jamjam completæ in ratione plenariæ refectionis per legem jejunii interdictæ. Videatur de hoc Kresslinger *in addit. I. Resp. II. post n.* 35. *ad tr.* 10. *dist.* 2.*R.P. Reiffenstuel.* Tamburinus *in decal. lib.* 4. *c.* 5. §. 2. *n.* 18. ubi sapienter ait, hæc & similia judicio prudentis viri, gravitatem negotii, temporis distantiam (unius scilicet ab altera cœna) personæ vires, & similia perpendentis potius, quam certa Regula definiri posse.

CASUS TERTIUS.

CAjus valde bibulus jam eo Stomachum suum assuefecerat, ut is multum quidem potus, parum vero admodum cibi admittat, quo fit, ut singulis quasi diebus etiam jejunii soleat sese ingurgitare non solum ad crapulam usque seu temulentiam, sed subinde etiam ad plenam ebrietatem, potitando quidquid demum eidem vel sponte offertur, vel præter aliorum intentionem ad manus occurrit: esto autem Cajus ipsemet sciat, se per hujusmodi excessus agere contra regulas temperantiæ, de Jejunio tamen frangendo nullum prorsus sibi movit scrupulum ea ratione ductus, quod per integrum diem vix soleat comedere tantum, quantum alii ejusdem conditionis homines vel in sola collatione absque scrupulo manducant: ab aliis nihilominus id advertentibus cœptum est dubitari & quæri, an Cajus non solum contra temperantiam, sed & contra legem Ecclesiasticam de jejunio observando committat speciale peccatum?

440. R. Cajum peccare quidem contra legem naturalem, qua jubemur temperanter juxta dictamen rectæ rationis & exigentiam naturæ vivere &c. non tamen contra legem jejunii Ecclesiastici, si supponatur ingurgitare mere cerevisiam, aut vinum, vel quæ rationem potus obtinent. Ita post S. Thomam *q.* 147. *art.* 6. *ad* 2. & alios plures Herincx noster *part.* 3. *tr.* 2. *disp.* 2. *n.* 75. dicens hanc esse communem aliorum. Ratio est: quia potus magis ordinatur ad sanguinis refrigerationem, cibi distributionem ac digestionem, quam ad corporis alimentationem. Et licet aliquo modo nutriat, id tamen est per accidens, eo quod in hunc finem potus per se non ordinetur: neque alit tantum, quantum cibus; unde Ecclesia ejus non habet rationem, quantum ad observantiam jejunii Ecclesiastici, prout consuetudo declarat, ait Herincx *l. cit.* Hinc illud jam receptissimum verbiverbium: *liquidum non frangit jejunium*; quod omnino verum arbitror, si ratione liquidi intelligatur liquor se habens per modum potus, prout contradistinguitur a cibo.

At, inquies, quænam ergo liquida dici debent, vel possunt se habere per modum potus, prout is contradistinguitur a cibo?

441. R. cum R. P. Kresslinger *supra cit. addit. post n.* 6. *dist.* 2. *ad tr.* 10. *Theolog. mor. R. P. Reiffenstuel.* Illa censeri possunt, ac debent se habere potius per modum potus, quam cibi, quæ ex sua natura, institutione, & communi prudentum præsertim Medicorum existimatione non sunt ordinata ad nutriendas solidas partes corporis, sed magis ad extinguendam sitim, & ad vehendum & concoquendum alimentum, esto fortassis similia aliqualiter per accidens nutrire soleant: unde de aqua naturali certum est, quod se habeat per modum potus: idem tenendum de decocto ex herba Thee vel Caffe, uti jam dictum: idem judicium de vino formandum esse, nullus prudentum facile dubitaverit. Similiter cerevisia tam alba, utpote parum differens ab aqua, quam nigra per modum potus habentur communi Germanorum existimatione; quia ex sua natura, & hominum institutione ordinantur ad naturam refrigerendam, sitimque extinguendam, deserviuntque per modum vehiculi ad faciliorem ciborum digestionem, esto ob succum triticeum seu hordeaceum in se inclusum aliqualiter soleant nutrire, fa-

famemque sedare. Econtra vero lac & jusculum seu brodium e pullis ac gallinis, aliisve carnibus eliquatum &c. censentur prudentum existimatione se habere per modum cibi & alicujus comestibilis; etsi enim sint quid liquidum, ex natura tamen sua, & communi hominum apprehensione ordinantur per se ad nutriendas solidas partes corporis. Ita in re laudatus R. P. Kresslinger. Sporer *n.* 15. Babenstuber *art.* 1. *n.* 9.

Dices fortassis contra resolutionem *n.* 440. datam: qui excessivo potu, præsertim extra principalem refectionem, sese ingurgitat, non abstinet: sed qui non abstinet, non jejunat, consequenter qui se ingurgitat potu contra legem jejunii, graviter peccat. Confirmatur: Quisquis compotando sese ingurgitat, destruit genus *abstinentiæ*: at destructo genere *abstinentiæ* scilicet necessum est destrui speciem talis abstinentiæ, qualem requirit jejunium Ecclesiasticum: ergo peccat graviter contra legem jejunii, & non solum contra regulas temperantiæ.

442. R. Ad hanc instantiam *dist. Maj.* qui potando sese ingurgitat, non abstinet a potu, *con.* a cibo, *neg. Maj. ad Min.* fateor, eum qui non abstinet a cibo, vel potius a secunda refectione, non jejunare: potest tamen dici, illum jejunare jejunio Ecclesiastico, qui a cibo abstinet, esto non a potu. Unde ad Confirmat. R. *cum eadem distinctione:* quisquis se ingurgitat, destruit genus *abstinentiæ* a potu, *conc. abstinentiæ a cibo*, *neg. Maj.* & sub *eadem min. neg. conf.* Equidem verum est, quod potus immoderatus stare nequeat cum sobrietate, neque cum omni abstinentia, bene tamen cum abstinentia a cibo, a certa ciborum qualitate, & a secunda refectione, qualem abstinentiam Ecclesia præcipit, dum fideles ad jejunandum adstringit. Profecto si hoc argumentum aliquid probaret, sequeretur jejunium frangi ab eo, qui semel tantum immoderate comedit, vel qui sub unica moderata comestione immoderate bibit; quod sane nemo facile dixerit: licet enim tales nimium comedendo aut bibendo agant contra rationis imperium, non tamen per hoc agunt contra præceptum Ecclesiasticum de servando jejunio, utpote consistente in abstinentia a certa ciborum qualitate, & a secunda refectione, uti jam dictum fuit. Videatur Henno *ubi supra disp.* 4. *p.* 3. *concl.* 1.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda:

443. Colliges ex hactenus dictis 1. eos, qui etiam sine causa in die jejunii refectionem notabiliter anticipant ante meridiem (quæ hora 12. incidit) v. g. comedendo hora undecima vel decima, non peccare graviter, sed ad summum venialiter. Ita Lessius *lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 2. *n.* 13. Laymann *ubi supra tr.* 8. *c.* 1. *n.* 11. Sporer *n.* 23. Babenstuber *tr.* 6. *disp.* 1. *a.* 1. *n.* 20. contra Henno, qui nimis rigorose hora decima sumentes refectionem condemnat peccati mortalis, & per consequens ad infernum. Ratio hujus est: quia per hujusmodi anticipationem non violatur jejunium quoad substantiam secundum dicta *n.* 424. Sed solum quoad conditionem accidentalem, & modum secundario præceptum, saltem spectata hodierna Ecclesiæ consuetudine.

Nec refert, quod hujusmodi anticipatio videatur minuere difficultatem jejunii, & notabiliter impedire mortificationem intentam ab Ecclesia; licet enim minuat difficultatem, quæ sentitur ante meridiem exspectando usque ad horam duodecimam vel undecimam (qua hora juxta omnes licet sumere refectionem) hoc ipso tamen compensat augendo difficultatem, quæ sentitur a cœna usque ad vesperam, seu collatiunculam vespertinam, & licet fames matutina nonnullis saltem longe sensibilior videatur, quam pomeridiana, tamen diminutio hujus mortificationis per anticipationem hora decima vel adhuc prius factam tantæ considerationis non est, ut mereatur puniri perpetua inedia in inferno.

444. Colliges secundo, horam meridianam refectionis legitima de causa etiam notabiliter præveniri posse absque omni culpa. Hujusmodi causæ esse possunt 1. iter inchoandum, 2. urgens negotium,

gotium; quod non patitur dilationem refectionis hora prandii primum sumendæ v. g. Concio habenda illa hora 3. infirmitas corporis, quæ non permittit exspectare meridiem. 4. hospitalitas sive urbanitas, ut si veniat ad te amicus viator, qui causa itineris prosequendi debet anticipare comestionem : quo casu licite cum illo reficeris, si ita videbitur expedire v. g. amicitiæ, vel comitivæ dandæ gratia &c. Similiter horam prandii prævenire per tempus non notabile v. g. quadrantem, vel semi horam, omni prorsus culpa vacare, apud omnes in confesso est : quin immo receptissima consuetudine apud multos Religiosos sine omni culpa cœna sumitur hora undecima, tertio quadrante ad undecimam, vel omnino medio undecimæ. Videatur Tamburinus *lib.* 4. *in decal. c.* 5. *§.* 4. *n.* 3. vel de la Croix *lib.* 3. *p.* 2. *n.* 1277. Sporer *l. cit.* Babenstuber *cit. n.* 12.

445. Colliges tertio. Eos, qui in die jejunii extra tempus refectionis sæpius modicum quid comedunt, posse peccare mortaliter, si illa modica tandem constituant materiam notabilem, seu talem, quæ pro secunda refectione sufficeret. Ratio est : quia quemadmodum plura furta minuta confluunt ex parte objecti ad inferendum grave damnum, & consequenter ad peccatum mortale, ita & plures partiales comestiones minutorum ex parte objecti tandem confluunt ad secundam refectionem graviter prohibitam lege Ecclesiastica, prout evidentius liquet ex illa propositione n. 29. ab Alexandro VII. damnata : *qui in die jejunii sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium*. Secus dicendum, si quis singulis quadragesimæ diebus extra refectionis tempus parum quid comederet; tum quia jejunium unius diei non habet connexionem cum jejunio alterius, quemadmodum præceptum unius diei moraliter est distinctum a præcepto alterius; tum etiam quia illud modicum, quod hodie comedis, neque hodie, neque etiam crastina die potest contribuere ad unam integram refectionem &c. Ita *ex communi DD.* Henno *tr. de peccat. actual. disp.* 4. *qu.* 1. *Resol.* 3. *post concl.* 2.

Sed quid, ais, de eo tenendum, qui extra horam refectionis sæpius bibit, & ne haustus noceat, modicum quid v. g. bolum panis aut amygdalam manducat?

446. R. Probabilius fas est parum quid v. g. bolum panis comedere, modo id non nimis frequenter fiat. Ita sane contra Henno *communissime* sentiunt DD. Sporer *tr.* 3. *appendic. num.* 14. Laymann *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *num.* 7. de la Croix *ubi supra n.* 1293. Ratio est : quia illud modicum potius per modum medicinæ sumitur, ne noceat haustus, quem subinde humanitatis causa declinare non possumus : putat tamen de la Croix *l. cit.* non licere plus panis vel cibi per modum medicinæ, ut dictum est, sumere, quam mediam unciam; quæ quantitas commixta potui sufficit ad impediendum nocumentum. Quo circa tamen non sine causa Stephanus a S. Paulo *Theolog. mor. tr.* 1. *d.* 5. *num.* 12. recte admonet his verbis : *puto de facto sub colore, ne potus noceat, sæpius a variis aliqua sumi, tantum ideo, ut potus magis sapiat; quod profecto non licet*.

447. Colliges quarto, etiam extra tempus refectionis modicum quid sumi posse de electuariis seu confectis, ut vocant. Ita post Sanchezium, & communem aliorum Babenstuber *cit. n.* 10. Ratio est : quia principaliter sumuntur non ut cibus, sed ut medicina ad promovendam digestionem ciborum, vel ad confortandum stomachum. Hinc non abs re Reding, Sporer & alii dicunt, *illud omne, quod per modum medicamenti sumitur, non frangere jejunium*. Dixi tamen : *modicum quid*; nam si magna quantitate sumerentur similia, minime dubitandum est, quin jejunium frangeretur. Videatur de hoc Sporer cit. *nu.* 14. Kresslinger *addit. II. post num.* 35. Herincx *ubi supra num.* 77.

448. Colliges quinto, a Lectoribus & Servitoribus mensæ in Monasteriis diebus jejuniorum licite aliquid sumi posse antequam inchoent suum ministerium &c. Ita Lessius, Sanchez, Tamburinus *lib.* 4. *in decalog. c.* 5. *§.* 2. *n.* 17. Ratio est : tum quia id solum faciunt eo fine, ne nimium debilitentur vires legendo, aut ser-

serviendo, propterea que Ecclesia iisdem condescendit; tum quia illa prævia comestio censetur quædam inchoatio justæ refectionis finita lectione & servitio mensæ complendæ: idipsum tenent Sporer & alii de Concionatoribus ante Concionem hora undecima vel duodecima habendam sumentibus offam, vel quid simile.

449. Colliges sexto, toties mortaliter delinqui, quoties absque legitima causa cibi prohibiti in quantitate notabili comeduntur. Ita *ex communi DD.* Matthæucci *in Cautel. Confess. lib.* 1. *c.* 16. *n.* 9. Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 10. *dist.* 2. *n.* 19. Ratio est: quia talis agit contra præceptum negativum *non comedendi carnes, vel cibos vetitos*: atqui toties peccatur graviter, quoties in materia gravi agitur contra præceptum negativum, utpote obligans semper & pro semper: ergo &c. Hoc tamen intelligendum est de comestionibus moraliter interruptis; secus dicendum de eo, qui in eodem prandio comederet plures ac diversos cibos carnales; quia tunc moraliter constituerent unam refectionem illicitam, & unum peccatum mortale, prout alibi diximus, ubi de distinctione numerica peccatorum. Hæc vero interruptio vel continuatio vel maxime relinquenda est judicio viri cordati & prudentis, prout bene advertit Matthæucci *loc. cit.* & facile colligi potest ex dictis *num.* 437. *&* 438.

450. Dixi insuper: toties peccari graviter, quoties *in quantitate notabili carnes comeduntur* &c. ut per hoc innuerem, etiam in hoc esu carnium dari posse parvitatem materiæ, prout Pasqualigus, Tamburinus. Illsung, Matthæucci, & alii Doctores communiter fatentur, esto in designatione parvitatis non sint unanimes; nam Diana, Tamburinus, & alii putant, eam esse censendam parvam quantitatem, excusantem a mortali, quæ coquo ad gustandum, vel Dapiferis Principum ad prælibandum sufficit; at hoc nimis scrupulose dictum arbitratur Sporer *cit. n.* 11. subdens: *ego non damnarem peccati mortalis eum, qui. absque ulla necessitate, etiam ex mera levitate, curiositate, vel gulositate die jejunii modicum frustillum carnis, v. g. instar nucis communis, mediam aviculam, vel quid simile devoraret: quia præceptum Ecclesiæ piæ Matris non obligat cum tanto rigore.* Ita Sporer *cit. loc.* omnino probabiliter: subdens, quodsi rationabilis causa accedat, puta ex parte coqui ad gustandum & tentandum, an cibus bene sit præparatus; in infirmario ad orexin vel appetitum infirmo provocandum &c. omni culpa vacabit.

Dices adhuc: sed quid illi agendum, vel a Confessario consulendum, qui ignorans vel immemor esse diem jejunii, de mane sumpsit jentaculum, tenebiturne adhuc jejunare?

451. R. Affirmative cum Laymann; Matthæucci *cit. n.* 13. & aliis, idque probabilius verum arbitror, esto comedisset carnes, prout jam insinuavi *p.* 1. *Theolog. decal. Confer.* 13. *num.* 372. Et quod a carnibus teneatur abstinere, apud omnes in confesso est: quod insuper a secunda refectione, probatur hac ratione: quia præceptum de non sumenda secunda refectione juxta dicta *hac Conferentia n.* 426. probabilius est negativum, & distinctum ac separabile ab abstinentia a carnibus, potestque adhuc observari a tali homine: ergo tenetur abstinere. Itaque Confessarius quærat, an sumendo jentaculum jamjam comederit ad satietatem, vel non? si primum, tunc intermisso prandio jubeat eum esse contentum collatiuncula vespertina. Si secundum: tunc jentaculo illo matutino pro collatione reputato, poterit intermisso omnino prandio noctu cœnare, vel in meridie se reficere. Ita DD. *proxime citati*.

CONFERENTIA
DECIMA SEXTA
De Obligatione, Subjecto, & tempore jejunii Ecclesiastici.

SUMMARIUM.

452. *Datur hodiedum in Ecclesia obligatio jejunandi.*

453. *Vi*

453. *Vi cujus fideles tenentur sub gravi culpa abstinere a carnibus, & a secunda refectione.*

454. *Satisfit breviter cavillationibus Hæreticorum, Ecclesiam redarguentium.*

455. *Potestas præcipiendi jejunium pro universali Ecclesia competit primario Summo Pontifici: Secundario Episcopo pro suis subditis.*

456. *Ad jejunium Ecclesiasticum hodie adstringuntur omnes omnino fideles; post septennium quidem completum ad solam abstinentiam a carnibus, post annum vero 21. etiam a secunda refectione.*

457. *Recensentur breviter dies, universim 60. quibus fideles per annum adstringuntur ad jejunandum.*

458. *Probabile est, sexagenarios ab obligatione jejunandi fuisse exemptos: oppositum tamen tutius & probabilius videtur.*

459. *Fratres Minores post solemnem professionem Regulæ tenentur ad jejunia in Regula expressa, esto nondum attigerint annum vigesimum primum.*

460. *Idipsum probabilius tenendum est de aliis professis, viribus adhuc potentibus, esto jam compleverint annum sexagesimum.*

461. *Resolvitur Casus I. Cujusdam militis carnes comedentis in pervigilio Immaculatæ Conceptionis, non obstante, quod hac die fuerit in diœcesi præceptum jejunium.*

462. *Religiosi non exempti tenentur ad jejunia ab Episcopo præcepta, non item exempti, nisi forte ratione scandali.*

463. *Quo non obstante etiam exempti dispensante Episcopo licite non observarent jejunia præcise ab Ecclesia instituta.*

464. *Resolvitur Casus II. De quodam Concionatore tempore Quadragesimæ ter vel quater per septimanam non sine permagno fructu ad populum dicente, ast non jejunante.*

465. *Concionator unicam duntaxat Concionem habens per septimanam, in pervigilio non est liber a jejunio.*

466. *Clericus obligatus ad psallendum vel cantandum in choro dietim quatuor aut quinque horis, reliquo vero tempore ad studendum, liber est a jejunio, si fideliter & fortiter suum exequatur officium.*

467. *Resolviter Casus III. De duobus studiosis tempore vacantiarum peregrinantibus more solito, minime tamen servantibus jejunium.*

468. *Subinde conficiens iter trium vel quatuor horarum, excusari potest a jejunio.*

469. *De hoc tamen regula universalis ratione itineris præcise statui non potest, sed potius ratione lassitudinis.*

470. *Qui alium ad violandum jejunium sine causa scienter inducit, graviter peccat.*

471. *Graviter etiam peccant Caupones, qui in locis Catholicis diebus ab Ecclesia interdictis hospitibus suis indifferenter carnes administrant.*

472. *Aliter tamen discurrendum videtur de Cauponibus habitantibus in locis permixtæ Religionis.*

473. *Obligatio jejunandi est personalis, & affixa certis diebus, quibus elapsis cessat: nec ullus tenetur vel potest huic obligationi satisfacere per alium.*

474. *Qui vovit v.g. bis vel ter per septimanam jejunare, satisfacit huic obligationi, sive hoc sive alio die ejusdem septimanæ jejunet.*

475. *Omittens jejunium duplici præcepto formali debitum, committit duplex specie distinctum peccatum.*

476. *Propositum nunquam jejunandi per totam Quadragesimam unicum duntaxat numero peccatum conficit: executio autem hujus propositi multiplex seu numero distincta.*

477. *Quidnam circa pœnitentem de non servato jejunio sese accusantem sit observandum, & quomodo talis sit examinandus.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa obligationem & subjecta jejunii Ecclesiastici.

Quæres primo: Deturne in Ecclesia obligatio jejunandi, & quanta?

452. R. Ad priorem partem quæsiti: Datur hodie in Ecclesia obligatio jejunandi, id est, abstinendi a carnibus, & a secunda refectione. Ita *communis & certa omnium Catholicorum sententia* contra hæreticos moderni temporis, aversantes summopere jejunia, & superstitionis ea con-

condemnantes : prout videre licet apud Leſſium *l.* 4. *c.* 2. *numer.* 25. Ratio autem hujus deſumitur ſane efficaciſſima tum ex conſenſu & uſu omnium ſæculorum, jam inde a temporibus Apoſtolorum ; tum etiam ex eo, quod (uti ſancti Patres videndi in *Epitome controverſiar.* R. P. *Julii Cæſaris demonſt.* 16. *c.* 1. teſtantur) jejunium quadrageſimale ab ipſis Apoſtolis fuerit Eccleſiæ traditum, juxta illud Apoſtoli 1. *Cor.* 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo* : & rurſus 2. *Cor.* 11. teſtatur ſe vitam tranſegiſſe in jejuniis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate. Apoſtolorum autem exempla ſecuti ſunt viri etiam Sanctiſſimi, qui quo Sanctiores, eo etiam erant in ſuis jejuniis auſteriores, ait Henno.

453. R. Jam ad alteram partem quæſiti. Jejunium Eccleſiaſticum quoad utramque abſtinentiam obligat per ſe, & ex ſuo genere ſub peccato mortali. Ita rurſus *communis & certa DD. ſententia*. Ratio eſt : quia leges Eccleſiaſticæ ſemper obligant ſub gravi peccato, quando feruntur de gravi materia concernente bonum ſpirituale animarum, prout eſt hæc materia de jejunio, quippe quod atteſtante S. Leone ad medendum corporibus & animabus, ſeu etiam ſubjiciendum carnem Spiritui ſalubriter inſtitutum eſt : ergo. Veritas hujus reſolutionis evidentius adhuc colligitur ex decreto Alexandri VII. edito 7. *Septembris* 1665. in quo præter alias etiam ſequentem *numer.* 23. propoſitionem damnat : *frangens jejunium Eccleſiaſticum, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto*. Dixi tamen : *per ſe loquendo obligare graviter &c.* Nam quod nedum in unius, ſed & alterius abſtinentiæ tranſgreſſione poſſit dari parvitas materiæ, ſatis, ni fallor, liquet ex dictis in priori Conferentia.

Aſt contra hanc ſanam & veriſſimam doctrinam Catholicorum Hæretici opponere ſolent I. juxta effatum Chriſti *Matth.* 15. *non quod intrat in os, coinquinat hominem* : atqui caro comeſta die jejunii intrat in os : ergo &c. II. Abſtinentia a certis cibis vocatur ab Apoſtolo 1. *Tim.* 4. *doctrina dæmoniorum* : *quia* (ait idem Doctor Gentium) *omnis creatura DEI bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur* : at carnem ita percipiunt Acatholici : ergo &c. III. Apoſtolus ipſe 1. *Cor.* 10. fideles hortatur ſequentibus verbis : *omne quod in macellum venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam* : at huic contradicunt Baptiſtæ : ergo &c. IV. Per hujuſmodi abſtinentiam a certis cibis reſuſcitatur Judaiſmus, propterea que Apoſtolus *ad Coloſſ.* 2. hoc redarguit, & ab eo abſterret dicens : *nemo vos judicet in cibo, aut in potu* : ergo rejiciendus eſt iſte abuſus ſuperſtitioſus papiſtarum, inquiunt AA. noſtri. Verum quam parum firmitatem doctrinæ Catholicæ labefactent hujuſmodi cavillationes, vel potius calumniæ hæreticorum, demonſtratu haudquaquam eſt difficile. Unde

454. R. Ad I. *Diſting. Maj.* non quod intrat in os, cibus videlicet, ſecundum ſe ſumptus præciſe, & nulla lege vetitus, non coinquinat hominem, *concedo* : ſi ſit lege juſta prohibitus, veluti prohibentur carnes *neg. Maj. cum conſeq.* Secus enim neque Judæi inquinaſſent animas tunc temporis manducando id, quod erat lege prohibitum ceu immundum v. g. carnes porcinas, vel ſi comediſſent intemperanter cum notabili exceſſu ; quod tamen ipſimet AA. noſtri fatebuntur, eſſe factum, cum talis impingat in legem naturæ. Ad II. R. pariter *diſt. Maj.* abſtinentia a certis quibuſdam cibis vocatur ab Apoſtolo doctrina dæmoniorum, ſi ab iis abſtineatur tanquam ex natura ſua illicitis & immundis, prout fecerunt Manichæi, & Priſcillianiſtæ, & alii quidam hæretici, quos Prophetiæ Spiritu Apoſtolus 1. *Tim.* 4. prædixit aliquando venturos, *conc.* ſi ab iis abſtineatur præciſe propter mortificandam carnem, eandemque Spiritui ſubjiciendam *neg. Maj.* Nam ſecus dicendum foret, Apoſtolum ipſum & alios Viros Sanctitate conſpicuos carnem ſuam jejuniis emacerando, & Spiritui ſubjiciendo ſecutos fuiſſe doctrinam dæmoniorum ; quod, quam alienum ſit a ſana ratione, nemo prudentum non videt. Ad III. R. Apoſtolum per

illa

illa verba solum voluisse liberare fideles ab anxia sollicitudine inquirendi an carnes, quæ in macellis vendebantur, Idolis expositæ fuissent, vel non? minime vero per hoc voluit innuere fidelibus esse licitum omni tempore manducare, quidquid in macellum venit, secus etiam indicasset, sanguinem & suffocatum licite manducari posse, quia hæc in macellis Gentilium sæpe vendebantur; sequela autem hæc est certe contra mentem Apostoli: ergo & doctrina hæreticorum. Ad IV. R. pariter explicando mentem Apostoli, qui loco allegato aliud non voluit, quam, ob cibum & potum neminem esse judicandum ex eo capite, quasi adhuc ob certam significationem, vel vi legis veteris essent immundi, prout hodiedum Judæi nonnullos habent velut tales: minime vero voluit, neminem esse judicandum ob cibum & potum, si his vel immoderanter & inordinate contra rationis, aut etiam justæ legis præscriptum abutatur: nunquid enim & ipsi Superiores hæreticorum tales judicarent? atqui Ecclesia non judicat quemquam in cibo, aut in potu, quasi essent de se immundi &c. Sed solum quia vult servari certum quendam ciborum delectum, idque præcise ob carnis mortificationem & subjectionem Spiritui, prout Apostolus ipse fecisse legitur: ergo male propterea ab Hæreticis arguitur &c. Videantur de his Herincx *part.* 3. *t.* 2. *disp.* 2. *n.* 69. noster A. R. P. Marinus Panger *in* 3. *Sentent. quæst.* 16. *controvers.* vel R. P. Julius Cæsar *in sua Epitome Controv. demonstr.* 16. *c.* 3.

Quæres secundo, quibusnam competat potestas indicendi, vel instituendi jejunium?

455. R. Fere eodem modo, quo superius *n.* 332. de potestate instituendi festa responsum fuit, nempe, hanc potestatem pro universali Ecclesia competere 1. Summo Pontifici. 2. Etiam Episcopis pro sua cuique Diœcesi. 3. Aliis Prælatis Ecclesiæ, sed pro sibi subjectis duntaxat. Ratio primi colligitur ex communi & usatissima Ecclesiæ praxi; nam obligatio jejunia pro universali Ecclesia instituta observandi immediate proficiscitur a potestate humana summorum Pontificum, licet fundetur in exemplo Christi, & Apostolorum, velut jam dictum fuit, in traditione ab Apostolis derivata.

Ratio autem secundi & tertii fundatur in jurisdictione spirituali pascendi gregem dominicum, vi cujus Pastores spirituales, Episcopi scilicet & alii Prælati Ecclesiæ tenentur ac possunt ovibus sibi concreditis præscribere, quæ ad animarum salutem, & Dei gloriam viderint expedire: ergo ubi pensatis omnibus prudenter visum fuerit expedire jejunium v. g. ad placandum DEUM &c. vel aliud malum Ecclesiæ imminens, puta pestem, famem, & bellum &c. avertendum, poterunt hujusmodi Prælati suos subditos ad jejunandum adstringere; velut legitur de Episcopo Sipontinorum, quod ad impetrandam a Deo revelationem, quid sibi voluerit illa sagittæ retorsio e quadam spelunca montis Gargani, indixerit jejunium trium dierum.

Arbitror tamen (salvo meliori judicio) quod quemadmodum secundum dicta superius *nu.* 332. dies festi de novo absque consensu Cleri & populi non debeant institui, ita nec talia jejunia, ne jugum Ecclesiæ nimium aggravetur, & salutis media vertantur in animarum perniciem, vel laqueum.

Quæres tertio, quinam fidelium obligentur ad servandum jejunium Ecclesiasticum?

456. R. 1. Omnes fideles (scilicet per baptismi januam Ecclesiam ingressi) post completum septennium, & adeptum usum rationis, tenentur abstinere a carnibus diebus ab Ecclesia præscriptis. 2. Post completum vero annum vigesimum primum nedum a carnibus, sed etiam a secunda refectione tenentur abstinere. Ita quoad utramque partem *communis Doctorum*. Sporer *cit. num.* 35. Illsung *tr.* 4. *disp.* 1. *num.* 43. Filliucius *tr.* 27. *part.* 2. *num.* 57. Lessius *ubi supra num.* 38. Henricx *cit. disp.* 2. *num.* 89. Ratio prioris patet communi Ecclesiæ, & vere fidelium consuetudine, quæ est optima legum interpres. Ratio autem posterioris nedum consuetudine receptissima, sed insuper etiam ex eo suadetur: quia finis præcepti Eccle-

siastici est mortificatio corporis, & subjectio carnis ad Spiritum: ergo quemadmodum omnes fideles tenentur ad mortificationem carnis, & ad subjiciendam eandem Spiritui, ita omnes merito adstringuntur ab Ecclesia ad servandum jejunium. Hac de causa S. *Leo Serm.* 11. *de Quadrages.* ait: *adest dilectissimi maximum, Sacratissimumque jejunium; quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat &c.* Quia tamen natura humana ante completum 21. annum velut in via ad terminum justæ magnitudinis constituta, semper adhuc crescit, & hoc ipso indiget alimento ampliori & perfectiori; hinc Ecclesia velut benevola, & pia Mater voluit iisdem condescendere quoad abstinentiam a secunda refectione, licet consultissimum sit, ut juvenes præsertim robustioris complexionis etiam in hac abstinentia sese exerceant, tum ut carnem, quæ illo tempore lasciviis sæpe solet esse valde subjecta, spiritui promptius subjiciant, ut ait Herincx *loc. cit.* tum etiam, ut natura posteaquam dictam ætatem anni 21. compleverint, facilius hanc obligationem subeat, & portet.

Quæres quarto quo tempore, vel quibus diebus fideles teneantur ad servandum jejunium Ecclesiasticum?

457. R. Sequentibus I. per totam Quadragesimam, quæ incipit a feria quarta cinerum, & durat usque ad Sabbathum Sanctum inclusive: diebus tamen dominicis permittitur secunda refectio, & solum præcipitur abstinentia a carnibus, veluti habetur *c. Quadragesima de Consecr.* d. 5. & *c. Non liceat de Consecr. d.* 3. II. in quatuor temporibus feriis 4.6. & Sabbatho *cap. Statuimus dist.* 76. III. In vigilia Nativitatis Domini, & Assumptionis B. Virginis jejunandum esse, habetur *c. Ex parte de observatione Jejunii.* Item in singulis Vigiliis tredecim Apostolorum, includendo Mathiam & Paulum, *c. Consilium eod.* Excipiuntur tamen Vigiliæ Sanctorum Philippi & Jacobi ob exultationem temporis Paschalis, & S. Joannis Evangelistæ ob festivitatem Natalis Domini. IV. Præterea sunt quatuor jejunia, scilicet in Vigilia S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, omnium Sanctorum, & Pentecostes, quæ, etsi jure scripto non contineantur, tamen generali Ecclesiæ consuetudine servantur, veluti communiter tradunt DD. & docet ipsa praxis Ecclesiæ. Ex his patet, inquit Lessius *l. 4. c. 2. dubit. 9. n. 67.* jejunia, ad quæ *jure scripto* obligamur, esse 56. nimirum quadraginta dies in quadragesima: novem ratione quatuor temporum (nam tria ex his incidunt in quadragesimam) & septem vigiliarum; quibus si addantur jejunia quatuor Vigiliarum consuetudine introducta, erunt universim Sexaginta dies. Quo circa tamen illud adhuc monendum est, quod quemadmodum consuetudine recepta, & longo tempore cum intentione sese obligandi practicata, introduci possunt festa & jejunia particularia, ita pariter eadem consuetudine abrogari valeant nonnulla jejunia ex proxime recensitis, prout in hisce partibus nostris Vigilia S. Barnabæ Apostoli non jejunatur. Eadem quippe est ratio aliorum festorum & jejuniorum. Ita Lessius *l. cit.* Filliucius *tr.* 27. *part.* 2. *n.* 95. *& seqq.*

Quæres quinto, utrum illi etiam, qui Sexagesimum annum jamjam inchoarunt, vel omnino compleverunt, teneantur ad servanda jejunia Ecclesiastica?

458. R. Eos post completum saltem annum sexagesimum a lege jejunii quoad secundam refectionem saltem esse exemptos, probabiliter tenent Castropalao, Burghaber, Tamburinus, Portel, Sanchez, Illsung, & alii plures; quia ætas senum est inconstans & infirma, seu (ut Gallenus asserit) media inter morbum & sanitatem; immo juxta commune verbiverbium senectus ipsa est morbus: ergo merito præsumitur, Ecclesiam velut piam Matrem velle tales ab abstinentia secundæ refectionis excusatos, sicut juvenes ante annum 21. completum vult exemptos; quia etiam hoc a Pio V. vivæ vocis oraculo fuisse declaratum, itemque in Bullis cruciatæ de annis 1569. & 1570. sexagenarios fuisse exemptos, refert noster Marchantius *trib. tom.* 2. *tr.* 12. *tit.* 3. *q.* 4. *§.* 1. adducens oculatum hujus testem Liamas 3. *part. methodi c.* 5. *§.* 20. Econtra tamen ne sexagenarios quidem (si aliunde sint robustæ naturæ) a lege jejunii

esse exemptos probabilius tenent Fagundez, Bonacina, Laymann, Filliucius, Tannerus, Lessius, & alii hac ratione: quia certum est, illos ante annum sexagesimum fuisse obligatos, & ex altera parte manet revera dubium, an Ecclesia præcise ob hanc ætatem eos velit exemptos: ergo lex manet in possessione obligationis. Unde non est eadem ratio de juvenibus ac de senibus, inquiunt; nam quod juvenes Ecclesia voluerit exemptos, certo constat, non item quod senes, idque fortassis propterea, quod omnes usque ad annum vigesimum primum adolescant, & debeant firmari: e contra multi post annum sexagesimum non deficiunt notabiliter. Ita *Doctores citt.* ut videre licet apud de la Croix *l.* 3. *part.* 2. *n.* 1317. Ego hanc posteriorem sententiam nedum tutiorem (ut de se liquet) sed spectata ratione probabiliorem censeo, propterea que in praxi sectandam consulerem; refragantem tamen seniculum (nisi aliunde ex voto aut præcepto esset obstrictus) non multum urgerem, eo quod & prior opinio sit probabilis, & tuta, quam propterea in confessionali practicasse se testatur noster P. Sporer.

Quæres sexto. Utrum Fratres Minores, qui ante annum vigesimum deponunt Professionem suæ Regulæ, non teneantur ad jejunandum ante completum annum vigesimum primum?

459. R. Tenentur ad jejunia in Regula expressa, utpute quadragesimale, itemque omnibus ac singulis feriis sextis per annum, nec non a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini; non tamen 2. ad alia jejunia Ecclesiæ, vel aliunde particulari locorum consuetudine assumpta. Ita Herincx noster *cit. disp.* 2. *n.* 89. Sporer *in appendic. n.* 49. Reiffenstuel *tr.* 10. *dist.* 2. *n.* 44. Henno *tr. de peccat. actual. disp.* 4. *q.* 7. *Resp. ad petes post concl. secundam*, R. P. Bernard. Thenhaven *in Nucleo Theol. can. moral. Exam.* 19. *n. III.* Ratio prioris est: quia tametsi Ecclesia ante dictam ætatem noluerit eos obligare; potuerunt huic favori renuntiare, immo vero vovendo & obligando se ad observationem Regulæ ante dictam ætatem censetur actu renuntiasse huic favori: cum ergo supponantur aliunde ratione virium capaces ad supportandum jejunium, non est, cur eosdem eximamus ab hac obligatione. Ratio autem posterioris est: quia nullibi legitur, quod Ecclesia Religiosum potius, quam alium sæcularem voluerit obligare ad jejunium: ergo quemadmodum alii sæculares ante dictam ætatem non tenentur ad jejunia Ecclesiastica quo ad abstinentiam a secunda refectione, ita nec frater minor ad aliam extra Regulam: & certe quamplures alii Religiosi ante illud tempus hodiedum minime adstringuntur.

Ergone, inquies, frater minor habens sexaginta annos, ceteroquin viribus adhuc valens & robustus, pariter vi Regulæ suæ tenebitur ad servanda illa jejunia, ad quæ Juvenis Professus?

460. R. Omnino idipsum existimo resolvendum; quandoquidem uterque eodem modo sese obstrinxerit ad observantiam Regulæ: ergo si juvenis professus ante annum 21. tenetur vi Regulæ ad observantiam jejunii etiam quo ad secundam abstinentiam, non video, cur senex eandem Regulam professus, &, ut suppono, viribus potens, ac bene valens sit eximendus. Et ita sentiunt probabilissime plures Doctores, quibus assentitur noster R. P. Gaudentius KerKove *in Exposit. Regulæ in cap.* 3. *n.* 14. Non ignoro, oppositum a Marchantio, Diana, Sporer & aliis nonnullis teneri, sed meo judicio minus probabiliter: neque satis capio disparitatem, quam dare nituntur: dicunt enim Juvenes ex mera indulgentia, senes vero ex deficientia seu infirmitate eximi, ac proin illos posse indulgentiæ renuntiare, non item istos infirmitati &c.; falsum quippe est juvenum exemptionem fundari in mera indulgentia, sed hæc indulgentia fit propter debilitatem naturæ, quæ velut in via ad justum incrementi terminum constituta indiget ampliori alimento: si ergo frater minor juvenis huic favori in debilitate naturæ fundato possit, immo præsumatur actu renuntiare profitendo Regulam, cur non pro senectute etiam huic favori, in quadam infirmitate vel debilita-

te naturæ fundato censeatur renuntiasse? Accedit, quod hic quæstio moveatur de senibus seu sexagenariis adhuc robustis, prout revera multos reperire est, qui in vigore naturæ superant non paucos juvenes, nondum habentes viginti & unum annum: ergo ob debilitatem naturæ non possumus illos eximere, hos vero obligare. Merito proin dicit Sporer *cit. n.* 51. *in fine*: *probabilis opinio* (scilicet quod senes sint exempti a secunda refectione) *non tamen ita confulenda senibus satis valentibus: nec a viginti annis ab ullo vidi practicari, nisi aliunde excusentur ratione infirmitatis, ideoque non tam senectutis vel ætatis, quam infirmitatis.*

§. *II.*

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de obligatione, & subjecto jejunii.

CASUS PRIMUS.

T*Itio militi nuper in pervigilio Immaculatæ Conceptionis ad mensam accumbenti, uxor carnes apposuit: hic dum nonnihil obstupefactus quæsierat ab illa, an non sciat, hic loci esse præceptum jejunium, uxor amplius admirata Calendarium inspexit, & indictum jejunium reperit. Cum vero Titius, utpote vocatus ad stationes vigiliarum, diutius domi sese continere non potuerit, rem altiori dispositione ita gestam arbitratus, carnes sibi appositas comedit, & in aliqualem compensationem, vel potius gratiarum actionem Deo* Salve Regina *devotissimè persolvit: puto (ajebat idem postea in Sacro Tribunali sese expectorando) me non errasse graviter, tum quia alium cibum solidum non habui, nec exspectare tam subito potui: tum etiam quia hoc jejunium non est ubivis locorum, multo minus ab universali Ecclesia receptum; tum denique quia uxor bona, immo optima fide processit ministrando mihi carnes. An Confessarius Titium gravis peccati condemnabit?*

461. R. Videtur non esse condemnandus peccati gravis: tum quia (ut casus refert) alium cibum solidum non habuit, neque etiam moraliter loquendo exspectare potuit, obedientia eum alio avocante; tum etiam quia tam uxor, quam ipse Titius bona fide processit, præsumentes de bonitate Ecclesiæ, quod in his circumstantiis minime velit obligatos. Unde Sylvester *Verb. jejunium q.* 8. Navarrus *c.* 21. *n.* 20. Laymann *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 3. *n.* 6. Toletus & alii non sine ratione dicunt, quod si bona fide ac probabili ratione existimetur subesse causa excusans a jejunio (tametsi reipsa nulla adsit) & idcirco aliquis non jejunet, vel in nocturna cœnula consuetam quantitatem excedat, non possit culpæ saltem mortalis condemnari: quia moralia præcepta moraliter interpretari convenit: neque Ecclesiæ intentio est, grave aliquod jugum conscientiis fidelium injicere: quam ob rem Cajetanus *Verb. jejunium* §. *quoad tertium*, monet, ut Confessarii pœnitentes suos non nimis urgeant, ne forte, si ipsis denique contradicant, vel nunquam omnino jejunent, vel ob conscientiam gravius peccent, qui alioquin sine omni culpa, vel saltem sine mortali fuissent. Videatur Laymann *loc. cit.* Ex eo tamen, quod hoc jejunium non ubivis locorum sit receptum, Titius sinistre intulit, se ad illud non obligari: quia jejunia particularia locorum legitima auctoritate vel consuetudine cum intentione obligandi introducta obligant incolas loci, nisi Legislator aliud exprimat, prout exprimunt statuta nostra Provincialia de quibusdam jejuniis ex particulari devotione v. g. in Vigilia S. P. N. Francisci, S. Sebastiani &c. assumptis.

Ergone, inquies, etiam Religiosi tenebuntur ad jejunia ab Episcopo indicta?

362 R. Religiosi non exempti tenentur, non item Religiosi exempti, saltem per se loquendo. Ratio est: quia priores substant jurisdictioni Episcopali, non item posteriores: ergo non exempti tenentur legibus Episcopalibus, ac per consequens lege jejunii, si Episcopus velit illos obligatos: non item Religiosi exempti: hac de causa Conci. Trid. *Ss.* 25. *c.* 12. *de Regularibus* præcepit quidem, ut Regulares etiam exempti censuras & interdicta ab Ordinariis promulgata publicent, ac servent in eorum

rum Ecclesiis, dies enim festos, quos in diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit celebrent: de jejuniis vero, quæ Episcopus forte dictaret, prorsus præscindit: forsan quia novit Regulares Exemptos aliunde vi suarum constitutionum jejuniis satis esse gravatos, propterea que noluit eos amplius onerari. Dixi etiam: *saltem per se loquendo*, Religiosos exemptos non teneri ad illa jejunia &c. Nam per accidens v. g. ad avertendum scandalum ab aliis sumendum &c. & hi possunt obligari, juxta *omnes*.

Dices. Sed quid, si Episcopus alicubi dispenset pro sua Diœcesi v. g. in esu carnium, vel ovorum, aut lacticiniorum, licebitne tunc Religiosis etiam exemptis (nam de non exemptis seu Episcopo subjectis nemo dubitat) comedere carnes, vel ova aut lacticinia?

463. R. Nobis fratribus Minoribus non licebit (idem judicium formato de aliis specialiter vi suæ Regulæ obligatis) Ratio est, quia nos Fratres Minores ex præcepto Regulæ obligamur ad certa jejunia proxime specificata: atqui hanc obligationem S. Regulæ sine consensu Legislatoris nec vult, nec potest tollere Episcopus vi suæ dispensationis. Et licet juxta Expositores S. Regulæ nostræ, nominatim Kerkove, Marchantium, Kazenberger, & alios, etiam nos Fratres Minores in diebus jejunii licite vescamur cibis illis, quibus alii incolæ utuntur ordinarie, v. g. ovis, lacticiniis &c. non tamen licite vesceremur aliis, quibus illi utuntur *ex sola dispensatione*, prout advertit Henno *ubi supra q.* 2. Aliter nihilominus arbitror discurrendum de jejuniis: ad quæ nos, vel alii Religiosi Exempti adstringimur non vi Regulæ, sed præcise vi præcepti Ecclesiastici, utputa ad jejunia quatuor temporum, & vigiliarum &c. &c. non enim video, unde nos ad hæc jejunia amplius, quam reliqui fideles adstringamur: si ergo reliquis fidelibus juxta *communissimam DD. sententiam* per talem Diœcesim, ubi Episcopus dispensavit, transeuntibus liceat vesci carnibus, cur non & nobis? Neque refert, quod Episcopus in Religiosos exemptos non habeat jurisdictionem; nam neque talem habet in peregrinos, & tamen hi licite comederent carnes, sicut etiam licite non audirent Sacrum v. g. in festo S. Bartholomæi, Catharinæ &c. supposito, quod festivitas horum dierum fuisset legitime abrogata; *nimirum odia restringi, & favores convenit ampliari per Reg.* 15. *J. in sexto*.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Concionator egregius tempore Quadragesimæ singulis septimanis ter vel quater vi obedientiæ suæ cogitur e suggestu dicere ad populum, id quod etiam non minori cum fatigatione corporis, quam fructu animarum præstat: gaudet proin in Domino de fructu sui laboris, quem ut facilius prosequi valeat, quotidie sumit alteram refectionem, licet ceteroquin latera firma, naturamque satis robustam ac viribus potentem a Deo possideat, hinc nonnullæ anxietates animum pulsant, redduntque sollicitum, an non revera in legem jejunii impingat: quid Sempronio sciscitanti respondebit Confessarius?

464. R. Sempronius probabiliter non peccavit. Ratio est: quia magno cum fervore, nec minori cum fatigatione supponitur dicere ad populum, & quidem ter vel quater in hebdomada: atqui hæc moraliter fieri nequeunt, nisi per iteratam refectionem natura confortetur: & licet Sempronius supponatur possidere latera firma, & naturam robustam, tamen etiam hæc nedum defatigari, sed & destrui potest, nisi congrue reficiatur: certum quippe est, vehementia clamoris naturam mirum in modum debilitari; adde insuper, quod tres vel quatuor Conciones per singulas Quadragesimæ septimanas requirant ingens studium: tali autem studio sive dein concionem componendo, sive eam memoriæ commendando consumuntur spiritus animales, quorum reparatio vel maxime ad vitam & valetudinem corporis est necessaria. Quod vero de Concionatoribus hic dictum, pariter ob eandem rationem de illis Professoribus dicendum putant DD. qui continuis studiis vacant, v. g. singulis diebus aut ferme singulis quatuor ad minus vel quinque horis; horum enim labor magis consumit spiritus

ritus animales, quam labor corporis, proptereaque multum studentes facies præseferunt pallidas, & plerumque debiliores sunt, quam corporaliter laborantes. Videantur de hoc Diana 1. *part. tr.* 9. *resolut.* 10. Bonacina *de legibus disp. ult. q. un.* Sporer *cit. in appendic. n.* 59. Sanchez *lib.* 1. *Consil. c.* 1. *dub.* 13. Babenstuber *tr.* 6. *disp.* 1. *art.* 3. *n.* 6.

Sed quid, ais, si Concionator unicam duntaxat Concionem v. g. in festo B. Virg. vel alicujus Apostoli habeat &c. licebitne huic in privigilio sumere alteram refectionem, ne altera die nimium debilitetur perorando ad populum?

465. R. Quod non; tum quia in pervigilio non adeo graviter (ut suppono) debilitatur, ut altera die sumpta sola collatione commode dicere nequeat ad populum; tum etiam, quia in ipso festo, antequam cathedram conscendat, licebit confortare naturam manducando &c. itaque non quivis labor, nec quodvis studium illico eximit ab obligatione jejunii, sed ille duntaxat, de quo constat, aut certe rationabiliter creditur esse incompatibilis cum jejunio. Ita Felix Potestas *Exam. Confessar. tom.* 1. *part.* 3. *n.* 2895. Diana *loc. cit. ex communi DD.* idipsum extendens ad Confessarios excipiendis Confessionibus pœnitentium occupatos, putans tamen, hoc arbitrio boni viri esse relinquendum. Si vero dubitetur, an talis labor sit compatibilis cum jejunio, debent aliæ circumstantiæ perpendi, v. g. an talis homo sit teneræ aut robustæ complexionis; an multum sese intendat in perorando, an sit felix ingenio, vel vero infelix, ita, ut ad concionem memoriæ commendandam multo tempore indigeat, eandemque fortiter defatiget &c. Denique ubi nequidem ex his circumstantiis satis firma decisio fieri potest, juvabit ad majorem cautelam adhibere, vel petere a Superiore dispensationem, prout sapienter advertit Viva *ad proposit.* 30. *ab Alexandro VII. damnatam n.* 10. *in fine*.

Ast, inquiet nonnemo, Ego singulis diebus quinque vel sex horis in Choro teneor canere vel psallere, reliquum temporis quod extra chorum superest, jubeor partim in schola, partim in cella studiis impendere, labore tam improbo, ut vix unquam per integrum diem liceat respirare; num scrupulus mihi movendus, si secundam refectionem sumam, vel certe in collatione aliqualiter excedam?

466. R. Minime sane: neque ullus prudentum tibi movebit scrupulum, nisi forte nunquam expertus, quod sit in choro clamare, & extra chorum vires studendo consumere. Profecto, si Concionatorum & Professorum diligenter muneri suo vacantium labor censetur improbus in tantum, ut communiter censeantur propter ea exempti ab onere præcepti Ecclesiastici, non video, cur non & tu, quinque vel sex horis in Choro cantans, aut psallens, & reliquum temporis studiis impendens, absque scrupulo possis sumere secundam refectionem, modo tantum tibi administraretur, quantum ad hanc sufficit: quare si non obstantibus hisce laboribus, & occasione comedendi, amore corporis castigandi abstineas, te omnino laudo: sin minus, non vitupero, neque condemno. Aliter nihilominus discurrendum & resolvendum arbitror de iis qui vel chorum rarius frequentant, vel si quidem frequentent, vix guttur aut linguam movent, ut ne quidem a sibi proxime assistentibus audiantur, vel intelligantur: tales enim ob chorum aut psalmodiam a jejunio eximi non posse, de se liquet: num vero ob studium? ipsi noverint; nam res hæc ob particulares circumstantias tam multipliciter occurrentes, & prudentum etiam judicia alternantes, cujusvis conscientiæ relinqui debet ultimato. Videatur Reiffenstuel *tr.* 10. *dist.* 2. *n.* 69. vel de la Croix *lib.* 3. *p.* 2. *a n.* 1328.

CASUS TERTIUS.

Cajus tempore vacantiarum assumpto sibi famulo, eques hinc inde vagabatur more studiosis solito, quærens, quid bibat aut devoret, famulus velut pauper Aristoteles cogebatur ire pedes: & licet uterque 21. ætatis suæ annum jamjam excesserit, & subin per integrum diem vix tres aut quatuor horas itinerando confecerint, nihilo secius ubibi demum invenerunt, manducarunt, quidquid appone-

ponebatur sine ullo respectu ad dies jejunii illo tempore incidentes; post vacantias Cajus famulo suo nonnihil religiosior, cogitans dies antiquos, & annos æternos ad mentem revocans, dubitare cœpit, an non revera contra præceptum Ecclesiæ uterque, tam ipse scilicet, quam famulus graviter deliquerit. Quid huic interroganti respondeat Confessarius?

467. R. Videtur probabilius, immo prope certum, utrumque graviter deliquisse contra legem jejunii. Et de Cajo quidem res de se liquet; quia non supponitur plus itineris confecisse, quam tres aut quatuor horas, & quidem eques: atqui confectio itineris in equo per duas, vel tres, etiam quatuor horas non solet defatigare hominem in tantum, ut censeatur liber ab onere jejunii. Quin etiam illi juvenes, qui incedendo pedites conficiunt iter trium aut quatuor horarum, regulariter non solent ita defatigari, ut possint ab eadem lege eximi: prout colligere fas est ex decreto Papæ Alexandri VII. damnantis sequentem *n.* 31. Propositionem: *Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.* Secus dicendum foret, si uterque fuisset pauper, ita, ut non habuissent media de ordinario victu sibimet providendi, & hoc ipso coacti apprehendere, quidquid primo occurrit, vel a benefactoribus oblatum fuit, non sine timore sequenti fortassis die famem, inediamque sufferendi; tunc enim ratione paupertatis fuissent excusati.

468. Dixi etiam, quod Juvenes conficientes iter trium vel quatuor horarum *regulariter* loquendo non soleant ita defatigari &c. fatendum quippe est, etiam Juvenem minus assuetum tempore pluviarum, vel lubrici itineris, ubi pes vix unquam solide figi potest, & hoc ipso itinerans totius corporis nisu cogitur incedere, quod inquam conficiendo iter trium horarum magis defatigari quis possit, quam si sereno cœlo, aridoque & sicco solo 6. vel 7. horas confecisset, prout nullus rem expertus facile (credo) inficias ibit. Quin & fieri posse arbitror, ut aliquis equitando quatuor aut quinque horis vel ob itineris asperitatem, vel ob ipsius equi exoticum portandi & incedendi modum amplius defatigetur, quam si 6. horis pedes incessisset; quo supposito de benignitate Ecclesiæ etiam tales fuissent exempti a præcepto Ecclesiastico de observando jejunio. Videatur de la Croix *cit. n.* 1344. Babenstuber ubi supra *art.* 3. *n.* 7.

Dices: Quantum ergo itineris itinerans conficere debet, ut propterea possit excusari a jejunio, & tuta conscientia sumere secundam refectionem?

469. R. Universalem regulam de quantitate itineris respectu omnium statui non posse, licet aliqui statuant 5. vel 6. horas, alii quatuor, vel quinque leucas &c. Et ratio hujus est: quia regula exemptionis non est ipsa quantitas itineris, sed quantitas defatigationis ex itinere: atqui plus quam certum est non omnes æqualiter defatigari conficiendo æquale iter; nam pro diversitate itinerum, viarum, temporum, personarum, non raro invenies unum, qui conficiendo tres horas magis defatigatur, quam alius conficiens tres vel quatuor leucas: ergo quoad quantitatem itineris statui nequit pro omnibus regula universalis.

Placet nihilominus quoad hoc Regula, quam velut universalem tradit Henno *tr. de peccat. actual disp.* 4. *q.* 8. *art.* 3. *concl.* 3. *quodcunque iter, ita alterans hominem, ut ea, in quibus ordinarie occupatur, non possit, nisi cum magna difficultate exequi, solvit itinerantem a lege jejunii, sive iter fiat pedibus, sive equo, sive curru:* hanc eandem regulam quoad substantiam jam pridem tradidit Marchantius, ubi supra *q.* 4. *§.* 4. eandemque approbavit P. Sporer *cit. n.* 58. hanc pariter servituram credo illis, qui in navi iter conficiunt.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

470. Colliges ex hactenus dictis primo, graviter contra legem jejunii delinquere illos, qui alios ad jejunium violandum scienter inducunt. *Ita omnes.* Ratio est: quia inductio ad malum semper est mala, & repugnat eidem

eidem speciei virtutis, cui vitium, ad quod inducis, est oppositum: at, qui alterum inducit ad violandum jejunium, inducit ad malum contra virtutem temperantiæ, seu abstinentiæ ab Ecclesia juste præscriptæ: ergo peccat contra eandem legem jejunii. Ex hoc liquet, Patresfamilias, aliosque œconomos suis subditis diebus jejunii cibos vetitos præbendo graviter delinquere, nisi justa subsit causa v. g. defectus ciborum esurialium &c. Quin & patresfamilias ex lege charitatis saltem tenentur suos subditos admonendo, & ubi opus fuerit, modeste increpando dehortari a fractione jejunii; hoc enim in Ecclesiam pietas, hoc & in subditos debita gubernatio suadet, juxta illud Apostoli 1. *Tim.* 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Secus dicendum foret, si talis Paterfamilias prævideret, se nihil effecturum suis dehortationibus; tum quia in hoc casu cessaret finis dehortationis: tum etiam, quia non tenetur eos compellere, aut cogere ad observantiam jejunii; id enim esset nimis rigidum ac durum. Videatur Filliucius *tr.* 27. *part.* 2. *n.* 91. Reiffenstuel *tr.* 10. *dist.* 2. *n.* 51. Tamburinus *l.* 4. *in decal. c.* 5. *§.* 6. *n.* 2. *& seqq.* vel *tract.* 4. *de* 4. *præcept. Eccles. cap.* 12. *num.* 12.

471. Colliges secundo, pariter a peccato immunes non esse caupones illos, qui (sine speciali dispensatione) in locis mere Catholicis hospitibus etiam Acatholicis indifferenter carnes administrant diebus prohibitis, v. g. Quadragesimæ. Ratio est: quia etiam hæretici tenentur a parte rei ad observantiam jejunii Ecclesiastici, & licet aliunde supponantur parum vel nihil omnino curare hanc legem jejunii: nihilominus talis caupo administrando carnes quodammodo cooperatur ad actuale exercitium fractionis, quod utique culpa non vacat, juxta dicta *de scandalo part.* 2. *in decal. Confer.* 12. *n.* 377. Secus dicendum pro casu, quo infirmitas, vel alia necessitas, puta defectus ciborum esurialium id expostulat; vel si hospes fide dignus (de quo tamen ex hac parte minime fidendum Acatholicis) afferat, se esse dispensatum quoad esum carnium. Videatur Lessius *l.* 4. *de J. & J. c.* 2. *dub.* 4. *n.* 22. Filliucius *cit. n.* 92. Babenstuber *tr.* 6. *disp.* 1. *art.* 2. *n.* 13.

Sed quid, ais, dicendum de Cauponibus in loco permixtæ Religionis habitantibus v. g. Augustæ &c. licebitne his diebus ab Ecclesia interdictis ad se confluentibus sive Catholicis, sive Acatholicis indifferenter carnes præbere, si postulent?

472. R. Licet, servatis tamen quibusdam conditionibus, scilicet 1. ut hoc fiat sine contemptu Religionis. 2. ut non, nisi ad petitionem hospitis, minime vero ante omnem petitionem arbitrarie, & quasi invitando apponantur &c. 3. ut id Caupo nequeat detrectare sine suo notabili incommodo, puta, quia vel ab hospitibus esset deferendus, vel quia alibi facile invenirent, qui sibi carnes administrarent &c. Ratio est, quia his stantibus censetur merum permissive sese habere in ordine ad peccatum illorum, quippe quod sine gravi suo incommodo impedire nequit; tum etiam, quia incassum niteretur illud peccatum impedire, quandoquidem in talibus locis semper inveniantur aliqui, qui carnes promptissime administrarent. Scio equidem, & in talibus locis inveniri viros, qui contempto interesse proprio zelant pro lege Ecclesiæ, nec ullo modo eo adduci possunt, ut carnes administrent, nequidem Acatholicis: horum Zelum omnino laudo, velut speciali benedictione dignum: aliorum tamen praxin condemnare non audeo, suppositis circumstantiis mox recensitis; eo quod hanc a tot viris pietatis, doctrinæ ac Religionis Zelo clarissimis videam minime condemnari. Videatur Lessius *cit. num.* 23. Sporer *in appendice ad* 3. *præcept. decalog. n.* 45. Reiffenstuel *ubi supra n.* 52.

473. Colliges tertio, obligationem jejunii Ecclesiastici & personalem esse, & certis diebus affixam. Ita *omnes*. Ratio prioris inde liquet, quia finis hujus obligationis est maceratio corporis, & subjectio carnis, juxta illud, quod canit Ecclesia in Præfatione quadragesimali: *qui corporali jejunio vitia com-*

comprimis, *mentem elevas &c.* atqui maceratio corporis est obligatio personalis: ergo &c. Ex quo fit, eum, qui per se ipsum jejunare non valet, nequaquam obligari, ut curet, ab alio loco sui jejunari. Ratio autem posterioris satis liquet ex dictis supra *n.* 457. ubi certos dies de mente Ecclesiæ recensuimus. Unde si quis tali die nequeat jejunare, non tenetur illud supplere alio tempore, juxta *communissimam DD.* fere quemadmodum non potens audire Sacrum die festo, non tenetur illud audire die non festivo; aut non potens hac die dicere suum Breviarium, non tenetur de eodem festo recitare alio die.

Sed quid, ais, de illo tenendum, qui ex particulari devotione seu voto statuit, vel qui ex præcepto Confessarii obligatur v. g. bis vel ter per septimanam jejunare?

474. R. Talem satisfacturum suæ obligationi quibuscunque demum diebus jejunaverit, siquidem obligatio non supponitur affixa diei, sed hebdomadi: secus dicendum foret, si quis vovisset singulis feriis sextis jejunare; quo supposito sine causa non jejunans graviter quidem delinqueret, non tamen teneretur alio die v. g. Sabbathi jejunium supplere, prout ex hactenus dictis de se liquet.

475. Colliges quarto, duplex peccatum mortale in Confessione necessario exprimendum committi ab eo, qui omittit jejunium duplici præcepto formaliter distincto debitum, utputa præcepto Ecclesiæ ex motivo castigandi corporis, & præcepto Confessarii ex motivo pœnitentiæ injuncto, vel ex voto proprio virtute Religionis sibimet injuncto. Ratio horum est: quia in tali casu interveniunt privationes distinctarum virtutum, & rectitudinum: atqui ex his oritur distinctio specifica peccatorum, velut ex *communi DD.* diximus *part.* 1. *prælim. in decalog. Confer.* 19. *n.* 540. ergo committuntur distincta specie peccata. Secus dicendum de eo, qui intermittit jejunium ex duplici quidem præcepto, sed eodem fine, ideoque non formaliter distinctis debitum, puta in Vigilia incidente in diem quatuor temporum, vel in Quadragesimam; quia hæc præcepta non sunt nisi materialiter diversa, quandoquidem tendunt ad eundem finem, scilicet macerationem corporis: ex quorum prævaricatione non oritur distinctio peccatorum, neque specifica, neque numerica, prout *loc. prox. cit.* diximus, *n.* 542. & ex *communi DD.* tenet Sporer, Reiffenstuel *cit. n.* 48. & alii: ergo talis satisfaceret in Confessione dicendo: *semel non servavi jejunium Ecclesiasticum*.

Sed quid, ais, tenendum de illo, qui firmissime statuit, quod per totam Quadragesimam (etiam præscindendo ab omni causa legitima) nunquam velit observare jejunium Ecclesiasticum?

476. R. Talis vi hujus propositi committit unum numero peccatum pluribus æquivalens: quin immo, si postea effective exequatur hujusmodi propositum, singulis diebus incurrit novum numero distinctum peccatum in Confessione necessario explicandum juxta *communem* DD. quam *part.* 1. *Theol. decalog. Confer.* 19. *num.* 556. insinuavimus, & adhuc clarius *in Theol. Sacram. part.* 2. *Confer.* 7. *num.* 197. Ratio prioris est: quia propositum voluntatis est unicum, simulque objectum, obligatio scilicet jejunandi apprehenditur per modum unius, & revera moraliter loquendo ita potest apprehendi: ergo vi solius propositi non committitur nisi unicum tantum peccatum. Ratio autem posterioris est: quia cum obligatio jejunandi singulis diebus affixa sit revera multiplex; immo tot obligationes distinctæ, quot dies; (quævis enim cum ipsa die exspirat) plane sequitur, quod tot numero distincta peccata committantur, quot diebus effective non jejunatur: sicut pluribus diebus non recitans suum Breviarium, singulis diebus committit numero distinctum peccatum. Videatur de hoc R. P. Reiffenstuel *cit. tr.* 10. *dist.* 2. *n.* 50. Filliucius *l. cit. n.* 87.

477. Colliges denique quinto, casu quo pœnitens sese accusat, non servasse, vel fregisse jejunium, non illico a Confessario inferendum vel concludendum esse, eum peccasse mortaliter; nam homines præsertim simpliciores nesciunt distinguere inter jejunium & abstinentiam: quin immo multos, dum strictius examinaveris, quomodo jejunium fregerint? audies respondere, se parum ali-

aliquid extra ordinarium tempus refectionis comedisse vel bibisse etiam haustum frigidæ. Itaque interrogari debet talis pœnitens 1. quomodo fregerit? an carnes comederit? 2. an fortassis secundam refectionem sumpserit? Et si hoc: 3. an non habuerit causam excusantem, vel quare id fecerit? 4. an putaverit se graviter delinquere contra legem Ecclesiæ? subinde enim ex conscientia erronea graviter peccant minus intelligentes hanc legem jejunii. 5. an ad tale jejunium non fuerit alio titulo v. g. voti vel præcepti Regulæ adstrictus? &c. Ratio horum liquet ex alibi dictis: quia Confessarius tenetur indagare in numerum & speciem delictorum a pœnitente commissorum, nisi is sufficienter sese exprimat: atqui ex omnibus circumstantiis mox enumeratis potest augeri vel species, vel saltem numerus peccatorum circa fractionem jejunii Ecclesiastici: ergo tenetur Confessarius in hæc indagare, casu quo pœnitens seipsum non satis exprimit. Videatur de hoc Matthæucci *in Cautela Confessar. lib. 1. c. 16. num. 22.* vel ea, quæ tradidimus *part. 2. Theolog. Sacram. Confer. 17. n. 432. & seqq.*

CONFERENTIA DECIMA SEPTIMA.

De Collatiuncula Vespertina.

SUMMARIUM.

478. *Hodie ab Ecclesia permissa censetur collatiuncula seu refectiuncula vespertina diebus jejunii.*

479. *Quæ tamen in quantitate modica (qualem nonnulli putant consistere in 7. vel 8. circiter unciis) sumenda est.*

480. *Nomine unciæ intelligunt decimam sextam partem libræ.*

481. *Alii adhuc verosimilius statuunt, quartam partem cœnæ justæ, seu proportionatæ respectu cujusvis sumi posse sine scrupulo.*

482. *Quoad qualitatem rursus alii magis rigorosi existimant, in collatiuncula abstinendum esse ab omnibus cibis proprie dictis.*

483. *Alii e contra asserunt, non tam qualitatem ciborum, quam quantitatem esse observandam in dicta refectiuncula.*

484. *Tempus ordinarium hujus secundum omnes est vespertinum.*

485. *Quod tamen (ob causam rationabilem præsertim) absque omni culpa præveniri seu immutari potest.*

486. *Resolvitur Casus I. De quodam, qui tempore Quadragesimæ in cœna assueverat sumere duplicem portionem, quatenus hoc modo facilius posset esse contentus refectiuncula.*

487. *Huic proin probabilius pro refectiuncula non potest indulgeri quarta pars cœnæ.*

488. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium factæ.*

489. *Resolvitur Casus II. Cujusdam, qui pro refectiuncula præter alios cibos suos solus comedit portionem lactucæ pro quatuor personis præparatæ, idque per modum medicinæ, ut ajebat.*

490. *Verum hoc non videtur tolerandum, licet fortassis ratione itineris vel fatigationis potuerit suo modo excusari.*

491. *Alia quædam satis conveniens regula R. P. Marchantii pro sumenda refectiuncula insinuatur.*

492. *Resolvitur Casus III. Cujusdam honesti viri, qui quantumvis modicum comedendo sentit se plane saturari, tam in cœna, quam in refectiuncula.*

493. *Quid de illo tenendum, qui se sentit saturari totaliter sumendo in collatiuncula octo uncias, vel quartam partem cœnæ justæ.*

494. *Quid si hanc quartam partem modicum excedat, sumendo adhuc unam vel alteram unciam.*

495. *Confessario velut Medico spirituali caute cum pœnitentibus secundum diversitatem inclinationum procedendum est circa hoc punctum.*

496. *In certis quibusdam vigiliis, ubi plura in matutino veniunt cantanda, &c. fas est, paulo amplius sumere in refectiuncula &c.*

497. *Nobilibus tamen ex eo præcise, quod tales sint, per se loquendo non est plus condescendendum, quam aliis fidelibus.*

498. *Collatiuncula, de qua hactenus, etiam præcisa necessitate permittitur jam ab Ecclesia, & quidem ad sedandam quodammodo famem.*

499. *Probabilius insuper fas est, æquam panis portiunculam commiscere seu coquere in aliquo liquore, puta vino aut cerevisia, & hoc modo decoctum sumere.*

500. *Ad formulam tamen hujus collatiunculæ servandam etiam tenentur illi, qui vel ex voto privato, vel ex præcepto Confessarii, vel ex motivo lucrandi Jubilæi jejunare obligantur.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa collatiunculam diebus jejuniorum hodie permissam.

QUæres primo, sitne hodie permissa fidelibus collatiuncula seu refectiuncula, uti vocant?

478. R. Est permissa hodiedum in diebus jejuniorum collatio seu refectiuncula vespertina, nedum per modum medicinæ, vel ne noceat haustus, somnusve impediatur, sed etiam ad aliqualem corporis nutritionem. Ita hodie *communissime DD.* contra nonnullos antiquiores, qui, si hodie fortassis viverent, absque scrupulo aliis subscriberent, & hanc opinionem nedum calamo, sed & opere ipso practice probabilem ostenderent. Ratio est: quia tametsi pristinis temporibus, durante præcipue primario rigore Ecclesiæ, hæc collatio prorsus fuerit ignorata quasi in Ecclesia; nihilominus posterioribus hisce sæculis, dum mundo paulatim senescente, & charitatis fervore refrigescente natura humana similiter labefactatur, diversisque infirmitatibus obruitur, usus & praxis in Ecclesia jamjam tolerata invaluit, ut fideles quantumvis devoti vel Religiosi non dubitent modicum quid per modum alicujus restaurationis virium sumere. Perbene autem notandum est, hanc collationem non appellari *refectionem*, sed *refectiunculam* duntaxat, quatenus per hoc fideles intelligant, eam non esse sumendam in tanta quantitate vel ciborum apparatu, ut potius refectio vel semirefectio, quam collatio dici mereatur.

Quæres secundo, quantum ciborum in refectiuncula vespertina sumere fas sit?

479. R. Quoad hanc quantitatem magnum inter Doctores esse dissidium, dum diversi diversas quantitates universaliter determinant: alii enim volunt permissam esse quantitatem quatuor, alii quinque, alii sex unciarum, alii denique omnino octo uncias volunt esse universaliter permissa: & hanc sententiam de octo unciis sumendis velut practice probabilem tenent Stoz *part.* 3. *n.* 524. Tamburinus *l.* 4. *c.* 5. §. 3. *n.* 1. Sporer *in append. cit. n.* 26. Fagundez, Diana, Sanchez, & alii, quibus adstipulari videtur R. P. Bernardinus Thenhaven *in suo Nucleo Theolog. canon. moralis Exam.* 19. *n. III.* Ratio hujus opinionis est: quia hæc quantitas videtur esse modica, consequenter coaptata refectiunculæ, & non refectioni, immo ne quidem semirefectioni.

Sed quid, ais, nomine unciæ intelligitur ab illis Doctoribus?

480. R. Nomine unciæ teste Reiffenstuel *tr.* 10. *dist.* 2. *n.* 25. intelligi duodecimam partem assis, sive unius libræ: verum libra aromataria distingui solet in sedecim uncias vel 32. semiuncias; ex quo colligo, Doctores, qui pro collatiuncula admittunt octo uncias, dicuntque eas efficere mediam circiter libram, loqui de libra aromataria, non item de alia libra ordinarii ponderis, secus enim admitterent ultra dimidiam libram, prout rem ponderanti facile patebit ad oculum. Verum quemadmodum complexiones hominum universim non sunt æquales, propterea que secundum dicta *num.* 469. respectu omnium statui nequit regula universalis a jejunio excusans v. g. ratione itineris aut laboris: ita pariter probabilius mihi videtur, octo uncias pro collatiuncula seu refectiuncula velut universalem quantitatis regulam respectu omnium convenienter statui non posse. Unde

481. R. jam secundo ad idem quæsitum, in ordine ad determinandam quantitatem ciborum pro refectiuncula sumendorum convenientissime statuitur sequens

quens regula : *in collatione vespertina tuta conscientia regulariter sumi potest quarta pars cœnæ ordinariæ, quam quivis spectatis circumstantiis suæ personæ, ætatis, conditionis, occupationis, regionis, in qua degit, sumere solet*. Ita in re Henno *tr. de peccat. act. disp.* 4. *q.* 6. *concl.* 3. Sporer *ubi supra*. Babenstuber *tr.* 6. *disp.* 1. *a.* 1. *n.* 15. pro eadem sententia referens Laymann, Filliucium, Tamburinum. Ratio est: quia hæc quantitas merito censetur modica; tum etiam quia per hanc velut proportionatam cujusvis genio subvenitur convenienter necessitati naturæ, ita, ut qui plus ordinarie comedit in prandio, majorem refectiunculam, qui vero minus, minorem, sumere possit ac debeat. Et hæc sententia quartam partem cœnæ ordinarie admittens consultis Theologis in celebri Academia fuit approbata teste Filliucio *tr.* 27. *part.* 2. *n.* 33. Ex quo facile inferes, illum, qui pro ordinaria cœna indiget duabus libris, posse tuta conscientia sumere mediam libram velut quartam partem pro collatiuncula: qui vero non indiget, nisi unica duntaxat libra, posse tuta conscientia sumere quartam partem unius libræ, & non amplius, nisi suppetat alia causa rationabilis v. g. laboris, itineris suscipiendi, infirmitatis &c. Videantur *DD. citati*, vel de la Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 1299.

Quæres tertio, quales cibi pro refectiuncula licite sumi possint?

482. R. 1. Quoad qualitatem ciborum non minus, quam quoad qnantitatem esse inter DD. dissidium. Enimvero Pontas Verb. jejunium *Resol. ad Cas.* 19. putat, usum piscium in collatiuncula simpliciter non esse licitum, sed potius esse abusum tolerantiæ ac pietatis Ecclesiæ, quæ suo silentio hunc nondum censetur approbasse: alii non minus rigorosi existimant, in refectiuncula abstinendum esse ab omnibus cibis proprie dictit, id est, ad sustentationem naturæ ordinatis, & levioribus duntaxat, qui potius ad excitandam orexin, ad refrigerandam naturam, vel ad sigillandam comestionem deservire solent, utputa herbis, ficis, uvis passis, nucibus, pomis, pyris, & similibus utendum esse; quia, inquiunt, consuetudine (quæ sola refectiunculæ usum, priscis temporibus incognitæ vel inusitatæ introduxit) receptum est, hanc ciborum qualitatem esse servandam &c. Verum hi (pace tantorum virorum dixerim) videntur nunquam practicasse vel audivisse de praxi recepta aliarum Natiorum, vel Regionum. Unde.

483. R. jam ad idem quæsitum. Pro refectiuncula licite possunt sumi cibi, quos juxta morem diversarum Nationum ac Regionum timorati velut licitos solent sumere. Ita *in re communis DD.* nominatim Henno *ubi supra q.* 6. *conclus.* 2. ubi dat hanc minime spernendam rationem: quia cum refectiuncula illa non fuerit ab Ecclesia universali instituta, sed tantum a particularibus paulatim introducta, & tandem a S. Sede tolerata, eo modo sumi debet, ac potest, quo in singulis Provinciis usu timoratorum fuit introducta & recepta. Quocirca fateri cogimur, Italos, Gallos, &c. utpote melioribus, fructibus ac vinis provisos, non absque ratione quantum ad observantiam jejuniorum, & præsertim quoad hanc refectiunculam strictioris esse observantiæ Germanis. Verum in nostris hisce frigidis Regionibus aliquanto plus indulgendum putant Doctores Classici, præsertim Germani, videlicet modicum casei, butyri, ficorum, pultis amygdalinæ, piscium &c. Quin etiam spectata moderna consuetudine præsertim Germanorum probabile & tutum est, in collatione non esse attendendum ad qualitatem ciborum, sed ad qnantitatem, ita ut de omnibus cibis, quibus licite vescimur in diebus jejuniorum cœnando, etiam in modica duntaxat quantitate licite vescamur sumendo refectiunculam vespertinam; qua ratione Cajetanus V. *jejunium cap.* 1. *in fine* non inepte scripsit: *non referre, quid quisque in serotino jentaculo sumat, si modum non excedat*. Videantur de hoc Tanburinus *in decal. l.* 4. *c.* 5. §. 3. *a n.* 3. Sporer *ubi supra n.* 31. *& seqq.* Burghaber *cent.* 1. *cas.* 74. Marchantius noster *trib. part.* 2. *tr.* 12. *tit.* 3. *q.* 3. *dub.* 1.

Quæres quarto, qua hora, quove tempore sumenda sit refectiuncula?

484. R. Tempus ordinarium hujus col-

collatiunculæ esse vespertinum. Ita *ex communi DD.* Sporer *cit. nu.* 33. Ratio est, quia receptissima Ecclesiæ consuetudo, & praxis jamjam obtinuit, ut cœna sumatur in meridie, scilicet hora 11. vel duodecima, refectiuncula vero vesperi v. g. hora sexta, vel adhuc tardius, seu serius, ita ut si sine rationabili causa secus fiat, peccetur saltem venialiter; quia non observatur aliqua circumstantia jejunii per consuetudinem introducta, quod advesatur consuetudini hodie in Ecclesia universali receptæ. Ita Lessius, Laymann, Babenstuber, *n.* 20. & alii plures.

485. Dixi tamen: tempus ordinarium esse vespertinum, nec fas esse illud *sine rationabili causa immutare &c.* Nam ubi suppetit causa rationabilis v. g. debilitas complexionis, periculum non dormiendi, seu insomniæ, iter vel negotium commodius peragendum &c. licebit refectiunculam hanc sumere in meridie, vel adhuc maturius, cœna ad vesperam usque dilata. Ita rursus *communissime DD.* Sanchez *lib.* 5. *consf. moral. cap.* 1. *dubit.* 27. Filliucius *tract.* 27. *part.* 2. *num.* 28. Tamburinus *ubi supra num.* 11. Marchantius noster *cit. quæst.* 3. *dub.* 3. ubi hanc reddit rationem: quia si Mater Ecclesia cum comedente in meridie dispenset, ut possit sumere collatiunculam vesperi, ne deficiat; potiori sane ratione dispensare credi potest cum eo, qui ut in die iter agat, aliudve negotium commode exerceat, ad vesperam usque suam cœnam transfert, & mane vel meridie collatiunculam sumit; nam in tali est majus periculum deficientiæ. Ubi igitur eadem ratio militat, idem omnino secura conscientia concludi existimo. Et hæc praxis communi usu timoratorum in dies confirmatur. Ita vix non in terminis Marchantius *loc. cit.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, circa refectiunculam, ejusdemque quantitatem præcipue.

CASUS PRIMUS.

T*Itius tametsi jejunii obligationem sat graviter portet, nihilominus ut aliis fidelibus sese conformet velut genuinus & obsequiosissimus Ecclesiæ filius, tempore jejunii quadragesimalis nedum a carnibus, verum etiam a secunda refectione abstinet, ita tamen, ut in prandio duplo plus comedat, quam in aliis refectionibus extra Quadragesimam assumere assueverat: quandoque etiam, ubi occasio id fert, in refectiuncula vespertina aliquid amplius naturæ indulget, utputa aliquot uncias panis, unam vel alteram casei aut piscis assati &c. ita secum ratiocinatus: in refectiuncula juxta probatos DD. fas est sumere quartam partem cœnæ: hæ autem unciæ omnes simul computatæ non excedunt quartam partem eorum, quæ hodie in cœna comedi: quis ergo propterea me arguet de peccato? Jam vero ad nostrum propositum dubitatur. 1. Utrum Titius non infringat jejunii legem, eo quod in prandio vel potius in cœna duplo plus comedat, quam extra Quadragesimam ordinarie comedere soleat? secundo utrum Titio permitti valeat, ut in refectiuncula quartam partem cœnæ, seu illius, quod cœnando comedit, sumat? Quid ad hæc Confessarius?*

486. R. ad prius quæsitum negative. Ita Bonacina *de præceptis Ecclesiæ disp. ultima qu.* 1. *part.* 2. *num.* 7. cum aliis multis; nec dissentit R. P. Claudius de la Croix *lib.* 3 *part.* 2. *n.* 1288. Ratio est: quia Titius revera abstinet a carnibus, & a secunda refectione, ut supponitur: atqui forma jejunii Ecclesiastici essentialiter sita est in his duabus abstinentiis, velut constat ex supra dictis: & licet fortassis ventrem & stomachum inordinate replendo, peccet contra temperantiam, neque etiam attingat finem jejunii, qui est maceratio carnis &c. quia tamen ex una parte finis præcepti non cadit sub præceptum, ex altera vero parte

parte adhuc a Titio ponitur objectum & substantia jejunii ab Ecclesia præscripti; hinc dicendum probabilius, quod Titius præcepto Ecclesiæ satisfaciat: secus enim ne ille quidem satisfaceret huic præcepto, qui comedendo pisces, sentiret se plus per horum esum nutriri, quam per esum carnium.

487. R. ad posterius quæsitum, Titio permitti non posse, ut sumat quartam partem cœnæ. Ratio est: quia Doctores permittentes quartam partem cœnæ pro collatiuncula, loquuntur *de cœna ordinaria* & ordinata, quæ videlicet spectata complexione naturæ, laborum &c. huic tali subjecto est necessaria & conveniens ad conservationem naturæ, non item de extraordinaria, quæ non tam ad conservandam, quam ad onerandam naturam deservit, & ex mera voracitate vel gulositate sumitur: atqui Titius supponitur meridie sumpsisse cœnam extraordinariam, utpote duplo majorem, quam alias extra Quadragesimam solebat sumere ergo nequaquam fas huic est, sumere quartam partem.

Deinde ponamus, Titium extra Quadragesimam sumpsisse in prandio duas circiter libras, ex suppositione hujus casus sequetur, eum tempore Quadragesimæ sumpsisse pro cœna quatuor, seu tot, quot extra Quadragesimam tam pro prandio, quam pro cœna suffecerant: ergo si huic permittatur rursus pro collatiuncula quarta pars, necessario permittendæ erunt sexdecim unciæ; ex quo consequeretur, eum, qui extra Quadragesimam, ubi nulla lege jejunii fuerat adstrictus, per integrum diem non comedit, nisi quatuor libras, posse tempore Quadragesimæ, ubi lege jejunii adstringitur, absque ullo hujus legis præjudicio comedere quinque libras: quam vero absurda sit hæc sequela, nemo, nisi bilance judicii destitutus, non videt.

Dices tamen contra hanc resolutionem, juxta probabilem DD. opinionem, supra *n.* 481. insinuatam, fas est in refectiuncula comedere quartam partem cœnæ ordinariæ, atqui cœna ordinaria Titii tempore Quadragesimæ consistit in quatuor libris: ergo huic pro refectiuncula permittenda est quinta libra seu 16. unciæ, velut pars quarta ordinariæ cœnæ.

Neque adeo mirum videri debet, quod tempore Quadragesimæ sine violatione jejunii fas esset plus comedere, quam extra illud tempus, ubi non est præceptum jejunium; quia certum est, quod cibi esuriales naturam non ita nutriant, vel alimentent, sicut cibi carnales; immo tres vel quatuor unciæ carnis bubulæ &c. plus humoris nutritivi producunt, quam sex vel octo unciæ piscium: ergo non est, cur Titium illico condemnemus velut jejunifragum.

488. R. ad hanc instantiam *trans. Maj. disting. min.* Cæna ordinaria & ordinata, seu juxta exigentiam, & necessitatem naturæ sumpta consistit in quatuor libris, *Neg.* cœna ordinaria inordinate, & ex nimia gulositate vel voracitate sumpta, *conc. min. & neg. conseq.* Et licet verum sit, cibos carnales plus humoris nutritivi præstare, quam esuriales &c. non minus tamen certum videtur, quod ad conservationem naturæ minime opus sit, ut in die jejunii pro cœna sumatur duplex portio, seu tanta, quanta pro congrua duplici refectione sufficeret, & insuper pro collatiuncula pars quarta hujus permittatur; hoc enim nedum fini, sed etiam substantiæ jejunii est contrarium, veluti ex hactenus dictis liquet.

Unde noster A. R. P. Kazenberger *in exposit. Regulæ S. P. N. Francisci ad cap.* 3. *§. infertur* 8. sapienter ait: *si in die jejunii habuisti cœnam extraordinariam & lautissimum convivium in prandio, tunc cœnæ extraordinariæ, in qua nimis multum comedisti, quartam partem comedere non potes; quia fieret integra secunda refectio, quæ tamen prohibita est. Videant proinde illi* (pergit idem) *qui tribus vel quatuor horis assident conviviis lautissimis, & variis ciborum generibus implent ventrem ad nauseam usque, videant hi, an in collatione non frangant jejunium, si velint adhuc comedere quartam partem hujus cœnæ extraordinariæ, immo etiam ordinariæ.* Ita ille.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius cum quodam die esuriali post sumptam cœnam iter trium circiter horarum pedes confecisset, vesperi invenit mensam satis instructam pro completa

immo

immo abundante refectione; hanc vero occasionem minime prætermittendam ratus, præter offam & bonam portionem panis, solus comedit lactucam frigidis conditam ovis pro quatuor personis mensæ accumbentibus præparatam: comedit insuper unam alteramve portionem piscis tam frixi quam assati &c. Hoc dum alius quidam Sempronio valde familiaris animadvertit, amicabiliter quasi jocando monuit, meminisset jejunii Ecclesiastici: Sempronius e contra: sum ajebat (itidem quasi jocando ac ridendo) Theologus, sciens formare dictamen practicum: offam & panem potuissem domi manens tuta conscientia manducare: lactucam per modum medicinæ sumpsi: pisces vero per modum nutrimenti necessarii ad restaurandas vires hodie in itinere consumptas. Jam quæritur, quid Judicii Confessario de hoc responso Theologico sit formandum?

489. R. Per se loquendo minime approbandum esse hoc judicium. Esto enim Sempronius noster domi manens potuisset & offam manducare & panem, nunquid propterea licuit sumere completam refectionem? at si velimus ponderare omnia, quæ Sempronius sumpsit in collatiuncula, plane fateri cogimur, ea sufficere ad plenam refectionem, & non solum ad aliqualem naturæ refocillationem vel refectiunculam, prout nemo prudentum (ni fallor) facile inficias ibit: ergo &c. Nec facile excusandus est ex eo, quod dicat se lactucam per modum medicinæ manducasse: quis enim non videat, tantam lactucæ quantitatem, & quidem frigidis (ut fertur) ovis conditam, sumi non posse per modum medicinæ, cum potius in tanta quantitate sumpta nata sit conducere ad destruendum, quam ad confortandum stomachum? non ergo quidlibet sub quovis prætextu sumere licet in diebus jejunii per modum medicinæ, prout dictum fuit *n.* 447. secus enim sub hoc prætextu multi comederent pernam, vel aliud genus esculentorum; neque etiam confectio itineris trium duntaxat horarum per se loquendo eximit ab obligatione jejunii, veluti ex dictis *n.* 467. constare debet.

490. Dixi tamen: *per se loquendo*; minime enim nego, quin ratione itineris peracti plus solito possit sumi pro refectiuncula & virium refocillatione: quin immo, fateor gratis, fieri posse, ut aliquis simpliciter tuta conscientia possit sumere secundam refectionem, casu quo per hujusmodi iter fuisset nimium defatigatus, vel ratione teneræ complexionis, vel ratione ætatis, aut lubricitatis &c. prout jam insinuavimus *n.* 468. Quocirca ob particulares circumstantias in praxi occurrere natas universalis regula statui non potest: placet tamen mihi consilium sapientissimi Marchantii nostri, Viri in praxi versatissimi, dum *loc. mox cit. quæst.* 3. *dub.* 2. *circa finem* ait:

491. *Quilibet igitur in ratione quantitatis cibi* (pro collatiuncula sumendi) *sit ingenuus arbiter, & sincerus Judex sui actus ad pondus sanctuarii, hoc est, timoris DEI, & candidæ, non scrupulosæ conscientiæ. Et ut regulam dem certiorem: cum tibi Mater Ecclesia collatiunculam illam indulgeat propter imbecillitates & debilitates naturæ, ad confortationem illius, sume tantum, quantum sentis tibi commode necessarium, ut jejunans tuis functionibus ordinariis satisfacias, absque gravi incommodo, v. g. absque privatione somni, vel alterius exercitii, cui vacare soles aut teneris: si parum diminuas: austeritatis erit, & perfectionis; si tantisper excedas, infirmitati vel fragilitati deputabitur. Tantum ne excedas notabiliter mores proborum, qui moderati, & prudentes habentur. Ita Marchantius loc. cit.*

CASUS TERTIUS.

Cajus Vir honestus, ac devotus Confessarium suum ordinarium extra Confessionem invisens sequentem exponit scrupulum. Scio, inquit, & pluries jam audivi, in diebus jejunii nefas esse bis comedere ad satietatem. Verum ego ea sum complexione stomachi ac naturæ, ut si vel in prandio vel in cœna &c. vel etiam in collatione parum quid comedam, me sentiam saturatum ita, ut natura quodammodo abhorreat ab ulteriori cibo, quo non obstante jam aliquoties indifferenter tam in cœna, quam in collatiuncula ad nauseam usque memet refeci, ast vehementer angor, an propterea non egerim contra præceptum

Ecclesiæ de observando jejunio Ecclesiastico? Quid ad hoc Confessarius?

492. R. Confessarius Cajum jubeat bono esse animo, eidemque respondeat, Ecclesiæ velut piæ Matris intentionem eo non tendere, ut vel modicam refectionem naturæ aliunde debilitatæ velit fidelibus vi præcepti Ecclesiastici subtractam, & quidem sub reatu pœnæ æternæ: at, prope evidens signum est naturæ debilitatæ, si hæc non admittat congruam refectionem, qualis profecto dici non valet *parum quid* in cœna vel collatione sumptum. Novi ipsusmet unum alterumve hominem eruditionis ac pietatis Zelo insignem, quos de sola aura potius, quam de solido quodam cibo vel alimento vivere mecum pronunciasses, at non minus debiles corporis viribus: de quibus nullatenus ambigendum arbitror, quin valetudinariis perpetuis sint accensendi: quis vero nesciat, valetudinarios lege jejunii esse exemptos?

Sed quid, ais, si talis homo bene valens pro cœna sumat bonam, & justam refectionem, advertat autem, se in collatiuncula subito saturari, tametsi ultra sex vel septem vel octo uncias non comedat more aliorum.

493. R. Neque huic movendus est scrupulus, probabile enim est, quod ob tollendos infinitos scrupulos & animi perplexitates Ecclesia permittat pro collatiuncula octo circiter uncias, esto per has comedens totaliter saturetur: & ita tenent Tamburinus *in decal. l.* 4. *c.* 5. §. 3. *n.* 1. Sporer *tr.* 3. *in decal. appendice ad* 3. *præcept. nu.* 27. Azorius, Bonacina, & alii plures videndi apud de la Croix *l.* 3. *part.* 2. *n.* 1299. Idque vel maxime confirmari posse existimo, eo quod talis homo supponatur velut bene valens in cœna sumere bonam & justam portionem: atqui sex, septem, vel octo etiam unciæ regulariter non excedunt quartam partem justæ portionis hominis sani, quam partem quartam omnes DD. unanimiter hodie admittunt pro refectiuncula, prout videre licet apud Herincx *cit. num.* 79. Illsung *tr.* 4. *disp.* 1. *n.* 42. Reginaldum *in praxi tom.* 2. *l.* 4. *n.* 185. & alios passim: ergo & huic absque scrupulo potest admitti.

Dices adhuc: Sed quid, si talis homo sentiens se saturatum per septem vel octo uncias, insuper comedat nonam vel decimam, eritne propterea condemnandus peccati mortalis, &. consequenter mittendus in infernum perpetua fame cruciandus?

494. R. Probabile videtur, quod non. Ratio est: quia juxta probabilem opinionem Vivaldi, Leandri, Tamburini, Dianæ ac Sporer, quos refert & sequitur de la Croix *cit. num.* 1300. duæ unciæ ultra justam quantitatem pro refectiuncula permissam in morali existimatione prudentum non reputantur excessus gravis: at, ubi graviter non exceditur contra id, quod lege permissum est, ibi non incurritur reatus peccati mortalis, vel infernalis pœnæ: ergo &c. Idque vel inde etiam probabilius mihi redditur: quia talis excessus de se modicus non ascendit ad semi-refectionem integram, quippe quæ respectu hominis sani & bene valentis verosimiliter exigit sexdecim uncias vel unam circiter libram: at, ubi non attingitur semirefectio, ibi excessus gravis non reputatur: &c. Quod autem talis per sumptionem novem vel decem unciarum totaliter quasi se saturari sentiat, videtur mere per accidens: quemadmodum secundum mox dicta per accidens est, quod aliquis se sentiat saturari sumendo sex vel septem uncias etiam in prandio, vel cœna.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

495. COlliges ex hactenus dictis primo, materiam de refectiuncula licita ventilatam esse valde controversam ac dubiam, & hoc ipso a Confessario, immo a quovis fidelium quoad hanc caute procedendum: quocirca duas insinuavimus sententias probabiles; primam, quæ respectu omnium admittit octo circiter uncias, alteram adhuc verosimiliorem, quæ quartam circiter partem cœnæ justæ seu respectu cujusvis proportionatæ, admittit: prior opinio non nihil laxior est vel benignior, posterior non nihil rigidior: noverit proin prudens Confessarius illis, qui minus scrupulosi sunt, vel potius laxi circa hanc materiam, consulere & inculcare hanc poste-

rio-

riorem; aliis vero tenerioris conscientiæ vel omnino scrupulosis illam priorem; hoc enim modo pœnitentes tutiorem incedent viam, & minus periculi Deum offendendi incurrent, vel jubeatur juxta regulam R. P. Marchantii mox *supra num.* 491. insinuatam sumere tantum, quantum sibi sentit necessarium ad subeundas functiones sibi incumbentes.

496. Colliges secundo in Vigilia Nativitatis, aliisque festivitatibus, ubi Religiosi tenentur cantando matutinum se defatigare per plures horas, fas esse aliquantum plus in collatione sumere. Ita Tamburinus, Sporer, Henno (alioquin satis rigorosus in hac materia) & alii communiter. Ratio facile eruitur ex dictis: quia quo major est labor aut defatigatio subeunda, tanto majori confortatione indiget natura, neque Ecclesia hanc vult denegare: atqui duas vel tres horas cantare in pervigilio, haud quaquam mediocris labor est, prout norunt experti: ergo rationabiliter omnino præsumitur, Ecclesiam hujus intuitu plus indulgere. Et certe juxta regulam ex P. Marchantio traditam *nu.* 491. etiam in collatiuncula cuivis fas est sumere tantum, quantum sibi sentit necessarium, ut jejunans honeste satisfaciat functionibus, sibi incumbentibus: at, vix aut ne vix quidem in matutino poterit duabus vel pluribus horis cantare aut psallere, quia in collatiuncula solito plus non confortaverit naturam: ergo &c.

Ast inquies, nunquid etiam nobilibus fas erit sumere majorem refectiunculam, quam plebeis?

497. R. Nequaquam, saltem per se loquendo. Ita Henno *cit. disp.* 4. *q.* 6. *Resp. ad petes* 2. Ratio est: tum quia nobiles non solent multum defatigari; tum etiam, quia regulariter in cœna solent melius refici, & pluribus dapibus replere stomachum, quam alii plebei; vel communi de plebe homines: ergo his potius, quam illis indulgenda videtur major vel melior refectiuncula. Quia tamen plerumque quanto nobiliores, tanto tenerioris, ac debilioris complexionis esse deprehenduntur; hinc fortassis ratione hujus debilitatis (quæ infirmitati procul dubio æquiparari potest) aliquanto plus iisdem indulgeri potest, si revera tales esse deprehendantur.

498. Colliges tertio, fas esse sumere collatiunculam etiam sine absoluta necessitate, immo etiam ad sedandam quodammodo famem. Ita post Castropalao & Sanchezium *lib.* 5. *consil. c.* 1. *dub.* 25. *nu.* 2. de la Croix *lib.* 3. *part.* 2. *nu.* 1298. Ratio est: quia usus hujus collatiunculæ sola consuetudine & tacita Ecclesiæ approbatione introductus fuit, idque nedum propter necessitatem, vel infirmitatem (licet hæc suo modo ansam præbuerit huic consuetudini) sed etiam ad sedandam quodammodo famem, modo tamen (quod semper supponi debet) quantitas paulo superius præscripta non excedatur. Insuper fas erit comedere uvas, poma, aliosque fructus arborum &c. tum quia hæc minus nutriunt, & potius ad sitim restinguendam, quam ad sedandam famem deserviunt, tum quia ab omnibus DD. inter cibos die jejunii ab Ecclesia permissos reputantur &c.

At, inquies fortassis, estne licitum pro collatiuncula portionem panis vino aut cerevisia, aliove liquore commiscere, & inde decoctum per modum offæ quasi sumere?

499. R. Probabiliter licet. Ita Azorius *instit. mor. lib.* 7. *c.* 8. *q.* 8. Sporer *ubi supra num.* 31. & 32. referens pro eadem opinione Basseum, Drexelium &c. contra Castropalao, Filliucium, Tamburinum, & multos alios existimantes id nequaquam permittendum; quia putant per hujusmodi concoctiones fieri aliud genus ferculi solitum inter dapes apponi ad alendum; tum etiam, quia æqua illa portio panis v. g. septem vel octo unciarum facta concoctione ascendet ad pondus unciarum viginti sex vel octo &c. teste Tambur. *l.* 4. *c.* 5. §. 3. *nu.* 2. Ratio autem hujus nostræ probabilissimæ opinionis est: quia ille liquor vini vel cerevisiæ in substantia semper remanet liquor & vehiculum alimenti, nihilque præterea superaddit vel efficit, quam quod mediante concoctione cibum reddat stomacho magis convenientem: ergo si liceat eam quantitatem panis seorsim sumere, liquoremque bibere, cur nefas sit eundem liquorem sumere ut imbibitum pani? profecto parum refert, quod vi concoctionis panis evadat ferculum inter dapes apponi solitum &c. quia & tale erat præciso liquore: nihil porro interest, quod eadem panis portio fa-

cta concoctione animadvertatur ascendere ad pondus viginti sex vel octo omnino unciarum; cum enim multum liquoris ex sua natura gravis imbibat, mirum non est, quod massa ponderosior evadat: at vero liquoris pondere jejunium non infringi, quis nesciat, sane si octo uncias panis comedam, postea vero 20. uncias vini aut cerevisiæ bibam seorsim, tota hæc massa ascendet ad 28. uncias, & tamen propterea nullus AA. me facile condemnabit velut jejunifragum.

500. Colliges tandem quarto, ad eandem formulam refectiunculæ adstringendos esse illos, qui vel ex præcepto Regulæ, vel ex voto, vel ex mandato Confessarii, aut motivo lucrandi Jubilæi, alteriusve indulgentiæ tenentur ad jejunandum, esto tales per se ratione ætatis aut senectutis forent exempti. Ita Henno *ex communi*, & certa DD. sententia. Ratio est: quia jejunii Ecclesiastici forma essentialiter importat abstinentiam a secunda refectione: ergo obligat ad sumendam duntaxat refectiunculam in modica quantitate juxta hactenus explicata; qui enim desiderat lucrari favores Jubilæi cujuscunque demum conditionis existat, necessum est, ut subeat & onera. Vota etiam particularia & præcepta jejunandi obligant juxta formam & modum jejunii Ecclesiastici, consequenter servari debent conformiter ad consuetudinem Regionis, ubi quis degit, approbatam, non solum quoad qualitatem ciborum, sed etiam quoad quantitatem a Superioribus Ecclesiasticis vel Doctoribus probatis permissam.

CONFERENTIA
DECIMA OCTAVA.

De Causis Excusantibus a jejunio Ecclesiastico.

SUMMARIUM.

501. *Recensentur breviter quatuor Causæ principales excusantes a jejunio Ecclesiastico.*

502. *In Lege jejunii respectu omnium fidelium dispensare potest Summus Pontifex.*

503. *Et subsistente rationabili causa etiam Episcopi vel Prælati Regulares, sed cum suis duntaxat subditis.*

504. *Idipsum pro casu absentiæ Episcopi cum suis Parochianis potest Parochus.*

505. *Nulla tamen Abbatissa, vel Confessarius qua talis, aut Medicus, licet hi declarare valeant, hunc vel illum esse dispensandum, vel de mente Ecclesiæ liberum ab obligatione jejunii.*

506. *Ab obligatione jejunandi excusat nedum impotentia physica, sed etiam moralis.*

507. *Recensentur breviter illi, qui censentur physice vel moraliter impotentes.*

508. *Insuper omnes illi a jejunio Ecclesiastico exempti sunt, qui laboribus seu muneribus suis observato jejunio satisfacere non possent.*

509. *Recensentur breviter sat multi ex hac Classe.*

510. *Enumerantur e contra alii, qui ratione laborum suorum per se non sunt exempti a jejunio Ecclesiastico.*

511. *Porro a jejunio exempti sunt, qui operibus Misericordiæ ita sunt dediti, & occupati, ut hæc moraliter non possent prosequi, nisi sæpius reficerentur.*

512. *Resolvitur Casus I. Cujusdam, qui oblata pecunia a Medico obtinuit testimonium, quod egeat carnium comestione &c.*

513. *An vel qualiter Medicus dando hujusmodi testimonium deliquerit.*

514. *Et quid judicii ferendum de illis, qui tempore Paschali fatentur se comedisse carnes per Quadragesimam non petita dispensatione, eo quod pro hac debuissent facere expensas.*

515. *Resolvitur Casus II. Cujusdam pœnitentis, qui ad initium Quadragesimæ ob aliqualem infirmitatem dispensatus, postea recuperata valetudine perrexit sumere secundam refectionem.*

516. *Dispensatus in esu carnium præcise ex eo, quod non possit comedere pisces &c. probabilius peccat sumendo secundam refectionem.*

517. *Secus dicendum de illis, qui ob infirmitatem in esu carnium dispensantur, vel simpliciter a lege jejunii solvuntur.*

518.

518. *Resolvitur Casus III. De quodam Rustico, qui tametsi potuisset stantibus etiam laboribus suis, non tamen abstinuit a pluribus refectionibus, sed ab esu carnium duntaxat.*
519. *Qui diebus jejuniorum sponte sese defatigant eo præcise fine, ut a lege jejunii evadant liberi, graviter delinquunt.*
520. & 521. *Solvuntur duæ instantiæ contra hanc resolutionem factæ.*
522. *Episcopi ex gravi causa possunt obligationem jejunii Ecclesiastici de uno die transferre in alium.*
523. *Mechanici vel artifices quantumvis periti conficiendis operibus magnificis, & magni laboris, non tamen sunt eximendi a jejunio, nisi regulariter loquendo hujusmodi operibus vires suas impendant.*
524. *E contrario quandoque per accidens a jejunio excusari possunt, qui laboribus de se minus gravibus strenue incumbunt &c.*
525. *Opera incompatibilia cum jejunio diebus jejunii sunt intermittenda, si commode possint intermitti.*
526. *Secus si sine incommodo, vel lucro cessante aliave ponderante causa non possint intermitti.*
527. *Subin etiam tenuiter infirmus excusari potest a jejunio Ecclesiastico.*
528. *Causæ excusantes a jejunio Ecclesiastico pariter excusant a jejunio ex privata devotione vel vi voti debito;*
529. *Nisi vovens ipse intenderit se strictius obligare.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa causas excusantes a jejunio Ecclesiastico.

QUæres primo, quæ, & quot dentur causæ excusantes a jejunio Ecclesiastico?

501. Varii varias recensent causas excusantes, licet in modo recensendi potius, quam in substantia disconveniant. Convenienter tamen statui possunt sequentes quatuor. 1. Dispensatio legitima. 2. Impotentia. 3. Necessitas seu labor. 4. Pietas. Ratio autem est: quia concurrentibus hisce causis, vel una saltem earum, cessat obligatio jejunii Ecclesiastici, vel quia non potest observari, vel quia Ecclesia condescendit, & vult fideles ab hac obligatione exemptos: ergo excusant ab hoc onere. Verum pro majori claritate

Quæres secundo, quinam legitime dispensare valeant in lege jejunii Ecclesiastici?

502. R. I. Dispensare potest Summus Pontifex respectu omnium, & cujuslibet fidelis, idque valide saltem, etiam sine omni causa. Ita omnes. Ratio est, quia obligatio legis tota quanta quoad suum valorem dependet a voluntate Legislatoris, quæ propterea dicitur anima legis; ergo si is velit hanc obligationem vel simpliciter respectu omnium per viam dispensationis sublatam, cessat obligatio legis, prout ex professo diximus *in part. 1. prælim. de act. hum. Conferent. 16. n.* 443. atqui Legislator jejunii Ecclesiastici est summus Pontifex ceu supremum Caput Ecclesiæ, secundum dicta superius *n.* 455. ergo hic potest dispensare valide sine omni causa, licite vero, ex quavis causa rationabili.

503. R. II. In eadem lege jejunii ex legitima & rationabili causa cum suis respective subditis dispensare possunt Episcopi, & Prælati Regulares. Ita rursus *communiter* DD. Ratio prioris est: quia suave Ecclesiæ regimen postulat, ut in casibus frequentioribus, ubi facilis non patet accessus ad S. Sedem, potestas dispensandi in jure communi Pontificio concedatur Episcopo, prout paulo superius jam dictum fuit, idque tum ex interpretativa & præsumpta voluntate S. Pontificis, tum etiam ex longæva consuetudine ac præscriptione; secus enim fidelium communitati non foret satis provisum. Et quia eadem ratio pugnat pro Prælatis Regularibus respectu suorum Religiosorum, quippe in quos habent potestatem Ecclesiasticam quasi Episcopalem, ut dicitur *cap. Abbates de Privileg. in sexto*: hinc idem judicium quoad potestatem dispensandi de his formari debet. Nomine autem Prælatorum Regularium hic nedum intelligendi veniunt Abbates seu Præsules infulati,

lati, sed etiam Priores, Rectores, Præpositi, Guardiani &c. prout præter alios tradunt Tamburinus *lib.* 4. *decalog. c.* 5. §. 7. *n.* 55. Babensuber *tr.* 6. *disp.* 1. *art.* 3. *n.* 11. de la Croix *l.* 3. *p.* 2. *n.* 1310.

Ast, inquies, poteftne etiam R. D. Parochus dispensare cum suis subditis in hac lege Ecclesiastica?

504. R. Probabiliter id potest cum suis Parochianis, saltem ubi suppetit rationabilis causa, & Episcopus non est præsens, vel præsens adiri non potest. Ratio est eadem, quæ mox data fuit: quia, tametsi nec Episcopis, nec Prælatis Regularibus, neque Parochis per se loquendo competat facultas dispensandi in jure communi Auctoritate SS. Pontificum introducto; nihilominus præsumitur de benignitate Ecclesiæ, quod pro tali casu velit eisdem delegare facultatem dispensandi cum suis respective subditis: & hoc etiam teste Reiffenstuel cit. *n.* 77. longæva consuetudine & praxi Ecclesiæ confirmatur. Scio tamen alicubi, & fortassis pluribus in locis a Reverendissimis Ordinariis Roma fuisse hanc facultatem dispensandi specialiter petitam, ac demum delegatam R. D. Parochis: proindeque quoad hoc praxin cujusvis Dioeceseos observandam existimo.

505. Illud tamen certum & exploratum ab omnibus habetur, hanc in jejunio Ecclesiastico dispensandi facultatem non competere Confessario qua tali, utpote destituto jurisdictione spirituali pro foro externo, neque etiam ulli Abbatissæ, vel Medico, velut incapacibus jurisdictionis spiritualis: possunt tamen & hi pro casu necessitatis sapienter declarare, Ecclesiam velut piam Matrem nolle in hoc vel illo casu obligare ad observandum jejunium, velut supra jam in simili dictum fuit *n.* 414. de Capellano vel Cooperatore in absentia Parochi. Videantur de hoc Reiffenstuel *l. cit.* Tamburinus *cit. n.* 62. Reding. *tom.* 13. *q.* 4. *a.* 4. *Controvers.* 2. *n.* 23. vel Babenstuber *cit. n.* 11. & 12. de la Croix *cit. n.* 1311.

Quæres tertio, qualis impotentia excuset a jejunio, & quando talis præsumatur adesse?

506. R. Nedum impotentia physica, sed etiam impotentia moralis excusat a jejunio juxta *communissimam DD.* opinionem, fundatam in benignitate Ecclesiæ, quippe quæ velut pia Mater filios suos ad observantiam hujus legis merum positivæ nec potest, neque vult obligare stante tali impotentia. Porro impotentia physica censetur intervenire quando quis non habet cibos nisi carnales ad necessariam refectionem naturæ, vel quando quis absolute non potest sufferre cibos esuriales &c. Moralis autem impotentia merito reputatur occurrere tunc, quando quis absque permagno incommodo, vel notabili damno abstinere nequit a carnibus, vel a secunda refectione &c. Ratio horum patet a paritate ex dictis *supr. Conferent.* 14. *n.* 415. ubi de Causis excusantibus ab auditione Sacri.

Quinam ergo (inquies) sunt excusandi ratione impotentiæ physicæ, vel moralis?

507. R. Physice vel saltem moraliter impotentes reputantur sequentes 1. Adolescentes usque ad annum 21. saltem quoad abstinentiam a secunda refectione, licet non quoad abstinentiam a carnibus. Item secundo Senes post completum annum sexagesimum, licet hi a multis non absolute, sed cum quibusdam limitationibus eximantur, prout dictum fuit *supra Conferent.* 16. *n.* 458. 3. Impotentes saltem moraliter censentur illi, qui natura sua sunt valde debiles seu infirmi, vel convalescentes; item mulieres prægnantes & lactantes &c. quippe quæ nedum pro se, sed & pro foetu vel prole alenda necessario indigent ampliori refectione, & alimento magis nutritivo, uti sunt carnes &c. His etiam 4. aliqui accensent omnes mulieres quinquagenarias, eo quod mulieres citius senescant viris, & de se sint tenerioris complexionis; quod tamen cum Laymann, Tamburino & aliis universaliter nec verum puto, neque a Confessario indulgendum, nisi accedant aliæ circumstantiæ, utputa specialis debilitas, infirmitas in hoc vel illo subjecto particulari. 5. ob moralem impotentiam excusantur pauperes, non habentes alimemtum sufficiens pro una congrua refectione; qui, si alium cibum invenire

non

non possint, etiam carnes sibi datas licite comedunt; quia Ecclesiæ præceptum cum tanto rigore & incommodo non obligat, inquit recte Reiffenstuel *tr.* 10. *dist.* 2. *n.* 60. & nos *supra Conferent.* 15. *n.* 435. 6. denique moraliter impotentes merito reputantur illi, qui ex vacuitate stomachi notabilem capitis dolorem, vel vertiginem patiuntur, vel tota nocte calefieri, aut dormire non possunt. Neque hi propterea tenentur mane sumere collatiunculam, & vesperi cœnam; tum quia nemo tenetur pervertere ordinariam refectionem; tum quia procul dubio ex hujus observantia de die easdem patientur miserias, quas modo patiuntur de nocte, prout bene notarunt Filliucius, Busenbaum, Diana *part.* 1. *tr.* 9. *Resol.* 51. & alii plures.

Quæres quarto, quinam a jejunio titulo necessitatis vel laboris excusandi sint?

508. R. Omnes illi, quorum labor vel officium cum jejunio non potest consistere: vel (quod in idem recidit) omnes illi, qui, si ad jejunandum adigerentur, vel absolute, vel certe sine permagna incommoditate non possent officio suo aut functionibus sibi incumbentibus satisfacere. Nec refert, an sint pauperes vel divites; quia hoc ipso, quod ex officio laborent, excusantur a jejunio, si reipsa laborem subeant, prout teste Lessio *lib.* 4. *c.* 2. *n.* 42. declaravit Eugenius IV. Et merito; nam Ecclesia diebus jejuniorum nulli prohibet consueta servitia, & labores subire: cum proin labor corporalis, si sit gravis & ferme continuus, corpus defatiget, ejusque vires extenuet, merito ab Ecclesia talibus indulgetur frequentior cibus pro restauratione virium necessarius, quamquam propterea non eximantur ab obligatione abstinendi a carnibus, prout praxis Ecclesiæ docet, & bene monet Lessius *lect.* 4. *cap.* 2. *dubit.* 6. *num.* 45.

Quinam ergo, inquies rursus, sunt illi, quorum labor censetur gravis?

509. R. Tales censentur sequentes. 1. Rustici arantes, ligna cædentes, aut findentes &c. 2. Operarii & 3. fabri lignarii ac ferrarii. 4. Lapicidæ. 5. Murarii. 6. Cœmentarii. 7. Pistores. 8. Sutores consuendis calceis occupati. 9. Corsarii. 10. Figuli. 11. Fossores. 12. Textores. 13. Fullones. 14. Prælum typographicum versantes, & imprimentes &c. Quin immo plerique alii Mechanici excusantur, quos omnes enumerare, magni operis, non item tantopere proficuum foret ad nostrum propositum: sufficit enim Confessario in praxi circa quemvis pœnitentem attendere vel indagare, utrum stante jejunio posset suo muneri commode, vel certe sine magno incommodo satisfacere vel non? si possit, erit adstringendus, sin minus non obligandus ad observantiam jejunii. Porro illis, quos ratione laboris a lege jejunii exemptos diximus, accensendi etiam veniunt alii, qui laboriosum suscipiunt iter, præsertim pedites, etsi quoad distantiam itineris universalis regula dari non possit, sed potius defatigatio ex itinere profecta attendi debeat, secundum dicta superius *Confer.* 16. *num.* 469. Videatur Henno *art.* 3. *concl.* 2.

510. Dixi etiam, plerosque alios Mechanicos ratione laboris posse excusari &c. ut per hoc innuerem, non omnes ac singulos ab hac lege absolvendos esse; Etenim aliquorum labor est valde exiguus, parum vel nihil omnino defatigans, uti est 1. labor Bibliopegarum. 2. Automatariorum, seu Horologiariorum, saltem illorum, qui minora conficiunt. 3. Sartorum. 4. Barbitonsorum. 5. Pictorum. 6. Scribarum &c. Hi omnes, & plures adhuc alii, cum muneribus suis stante etiam jejunio Ecclesiastico absque ullo notabili incommodo satisfacere possint, non est, cur ab hac lege eximantur. Quamobrem Alexander VII. sequentem *n.* 30. Propositionem jure meritissimo proscripsit: *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt execusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cnm jejunio.* Sapienter tamen monet R. P. Reiffenstuel *tr.* 10. *dist.* 2. *n.* 69. in casibus particularibus attendendum esse, an tales quandoque non excusentur ex aliis titulis verbi gratia ratione paupertatis, vel alterius infirmitatis, seu etiam debilitatis adjunctæ.

Quæ-

Quæres quinto, quinam a jejunio excusandi sunt titulo pietatis?

511. R. Omnes illi, qui operibus misericordiæ vel corporalibus vel spiritualibus incumbunt, ita, ut hæc exercere vel prosequi non possent, nisi sæpius reficerentur. Hoc titulo excusari possunt 1. Concionatores, Cantores, si observando jejunium non possent suis officiis satisfacere. 2. excusatur uxor, quæ alioquin ob infirmitatem complexionis naturalis non esset sufficiens ad reddendum debitum. 3. excusatur uxor, si nequeat recusare cœnam absque gravissima offensa, inimicitiis vel blasphemiis a marito effutiendis &c. 4. Etiam excusari possunt, qui ex vero zelo peregrinationem suscipiunt, quam prævident tolerari non posse, nisi sæpius in itinere contra regulas jejunii reficiantur. Ita *ex communi DD.* Sporer *in appendice cit. n.* 63. *&* *seqq.* Reiffenstuel *n.* 65. Lessius *ubi supra n.* 44. referens pro eadem opinione Sylvestrum, Navarrum, Tabienam & alios.

Ratio autem horum est: quia Ecclesia solum vult, ut per jejunium promoveatur animæ bonum, ita tamen, ut per hoc non impediatur majus bonum: atqui impediretur majus bonum, si propter jejunium observandum non possent exerceri opera pietatis, vel charitatis proxime recensita: ergo &c.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa Causas excusantes, vel non excusantes a jejunio.

CASUS PRIMUS.

Titius Germanus, dum in quadam nobili Italiæ urbe negotiationis causa aliquot annis demoraretur, nescio quam nauseam vel displicentiam concepit erga cibos oleo, ut ibi moris est, conditos, quamobrem tempore Quadragesimæ a quodam Medico petiit perhumaniter testimonium, quo exhibito ceteri fideles legitima auctoritate solent dispensari. Renuit Medicus dare testimonium ratus fortassis, hanc ciborum nauseam vel displicentiam non esse sat ponderosam; quod ubi Titius animadvertit, auri pondus adjiciendum censuit: ducatum Medico obtulit, & illico testimonium impetravit, quo exhibito a Parocho loci dispensatus fuit, & deinceps sine scrupulo carnes comedit. Jam ad nostrum propositum dubitare licet 1. quid de hac dispensatione tenendum sit? & 2. An Medicus dando tale testimonium non peccaverit?

512. R. Ad prius quæsitum, hanc dispensationem probabilius valuisse, & per consequens Titium exemisse a lege jejunii. Ratio est: quia Ecclesia viso Medici sapientis testimonio, absolute solet dispensare, & insuper potest dispensando quempiam eximere: ergo censetur id fecisse etiam in hoc casu. Esto etiam sola ciborum esurialium displicentia de se non sit sufficiens ad quempiam simpliciter eximendum a lege jejunii, sufficit tamen, ut hujus intuitu valide dispensetur; nam quod cum nausea & displicentia manducatur, plerumque minus conducit ad nutrimentum aliti, & post se trahere solet periculum infirmitatis. Hinc Filliucius *tr.* 27. *part.* 2. *num.* 129. & Babenstuber *tr.* 6. *disp.* 1. *art.* 3. *numer.* 11. sapienter dicunt, eos, qui dispensare possunt, non debere esse nimium scrupulosos, & irresolutos erga subditos, qui proposita causa dubia petunt dispensationem, remque in petentium conscientias rejicere; quandoquidem ipsorum est tunc dispensare, causamque dubiam dispensando efficere certo moraliter justam.

513. R. Jam ad posterius quæsitum cum distinctione. Vel enim testimonium Titio dedit præcise intuitu auri, vel quia revera apprehendit illam ciborum nauseam posse post se trahere quoddam periculum infirmitatis, & hoc ipso esse causam saltem dubiam exemptionis a jejunio? si primum, concludendum foret, Medicum hunc graviter deliquisse, eo quod in materia gravi contra conscientiæ suæ testimonium turpiter decepërit Ecclesiam, vel Superiorem Ecclesiasticum, qui sine rationabili causa (qualis utique non sunt Schmirbalia Medico offerenda) non censetur, quempiam velle exemptum a jejunio, & per consequens hujusmodi dispensatio velut obreptitia revera est nulla, *juxta communem*

munem DD. opinionem apud Reiffenstuel *numer.* 75. Viderint proin Medici sine rationabili causa, vel ex mero respectu humano, aut intuitu pecuniarum talia testimonia reddentes, qui aliquando coram DEO possint horum rationem reddere.

Si vero secundum, dicendum foret, Medicum non peccasse dando testimonium Titio &c. Ratio est: quia ad validam & lictiam dispensationem sufficit quævis causa rationabilis, etiam talis, de qua dubitatur, sitne de se sufficiens ad aliquem eximendum, nec ne? minime vero necessum est, ut causa sit certo sufficiens; nam ubi talis occurrit, obligatio jejunii per se cadit, nec opus est dispensatione, prout bene advertit Illsung *tr.* 4. *disp.* 1. *num.* 49. de la Croix *l.* 3. *p.* 2. *n.* 1308. at, si Medicus ex tali ciborum nausea animadvertit Titio imminere aliquod periculum, eo ipso habuit causam rationabilem dandi testimonium: ergo potuit hoc dare sine peccato, esto forsan illud non dedisset, nisi aurum vidisset.

Sed quid judicii (ais) ferendum est de illis pœnitentibus, qui in Paschate primum sese accusare solent, quod tempore Quadragesimæ carnes manducaverint non petita dispensatione, eo quod vel pro hac, vel pro testimonio a Medico obtinendo debuissent expendere pecunias, quibus ipsimet indiguere?

514. R. Sententiam circa tales ferendam esse dependenter ab ipsorum judicio practico; vel enim bona fide comederunt carnes, vel mala, aut dubia? si primum: non peccarunt saltem formaliter. Si secundum; certo concludendum est, eos mortaliter deliquisse toties, quoties veluti constare potest, ac debet ex dictis *tr.* 1. *prælim. Confer.* 6. *n.* 149. *ubi de Conscientia dubia*. Pro capienda tamen clariori notitia juvabit examinare talem pœnitentem, quam ob causam carnes comederit, & bene ponderare, an causa illa fuerit vel certo excusans, v.g. infirmitas, paupertas &c. vel alia moralis impossibilitas &c. an vero fuerit insufficiens, vel dubia? si prius, facilius præsumendum, quod non peccaverit mortaliter; sin vero posterius: potius concludendum erit, quod mortaliter deliquerit; quia causa de se dubia, vel dubie sufficiens præcisa dispensatione non habet vim quempiam eximendi ab hac lege, quippe quæ stante tali dubio manet in possessione certa obligationis. Monendi tamen sunt tales pœnitentes, ut in futurum vel dispensationem petant, vel si timeant petere ob expensas hinc inde (utique minus laudabiliter) faciendas, rem conferant prius cum aliquo Viro pio ac docto v.g. Confessario, quatenus securius sine offensa Dei vel periculo scandali procedant; nam in propria causa, præsertim in favorabili difficile est ferre sincerum judicium, prout recte advertit Sanchez, & Illsung *l. proxime cit.* Optandum profecto foret, ut auctoritate Superiorum Ecclesiasticorum similes abusus de faciendis expensis pro dispensatione in jejunio &c. abrogarentur, ne sæpius, quam par est, Deus offendatur, & animarum salus eodem ex capite, quo promoveri debuisset, juxta mentem Ecclesiæ ab aliis utentibus periculo exponatur.

CASUS SECUNDUS.

S*Empronius ad initium Quadragesimæ (fortassis ob aliquem excessum tempore Bachanaliorum commissum) periculum febris incidit, propter eaque licentiam comedendi carnes obtinuit: sed quia medicorum peritia & medicamentorum efficacia post octo vel* 12. *dies denuo reconvaluit, hinc noluit amplius uti beneficio dispensationis, sed a carnibus omnino abstinuit, secundam tamen refectionem per totam quadragesimam absque scrupulo sumpsit; jam vero dubitatur circa hanc speciem facti. An Sempronius potuerit recuperata jam valetudine secundam hanc refectionem sumere tuta conscientia?*

515. R. Probabilius non licuit sumere secundam refectionem. Ita Sanchez *de Matr. lib.* 8. *disp.* 40. *n.* 4. quem sequitur de la Croix *cit. n.* 1309. contra Burghaber, & nonnullos alios. Ratio est: quia Sempronius non potuit juste prætendere dispensationem pro casu, quo non amplius indigeret: & dispensans censeri debet dispensasse tantum pro eodem tempore; secus enim illicite dispensasset: hac de causa *c.* 41. *I. q.* 1. dicitur: *quod pro necessitate temporis statutum est, cessan-*

sante necessitate debet utique cessare pariter: ergo cum ex parte Sempronii recuperata valetudine post octo vel duodecim dies cessaverit necessitas secundæ refectionis, etiam censeri debet cessasse facultas dispensationis. Ex quo facile liquet, ad fundamentum Adversariorum negandum esse, voluntate Superioris legem jejunii respectu talis subjecti simpliciter auferri, sed solum secundum quid, in quantum scilicet exigit necessitas. Secus dicendum, casu quo talis homo nondum recuperasset integram sanitatem, vel certe dubitaret rationabiliter de recuperata valetudine. Videantur *DD. cit.*

Sed quid (ais) tenendum de illo, qui obtinuit dispensationem in jejunio quoad esum carnium, eo quod nequeat comedere pisces, vel alios cibos esuriales, licebitne huic non solum comedere carnes; sed etiam secundam sumere refectionem?

516. R. Probabilius non licet sumere secundam refectionem. Ita contra alios sat multos Herincx noster *cit. disp.* 2.*n.* 95. de la Croix *cit. n.* 1269. Hurtadus, Lessius, Reginaldus & alii contra Azorium, Wiestner & alios plures putantes, talem simpliciter eximi, eo quod substantia jejunii consistat in abstinentia a carnibus; & hoc ipso dispensatus in esu carnium censeri debeat dispensatus quoad secundam refectionem &c. Ratio autem nostræ nedum tutioris, sed & multo probabilioris opinionis hæc est: quia obligatio abstinendi a carnibus est omnino distincta ab obligatione abstinendi a secunda refectione, & una etiam juxta mentem Ecclesiæ, separabilis ab altera: ergo dispensatus quoad esum carnium, non eo ipso censeri debet dispensatus quoad abstinentiam a secunda refectione, prout jam superius *Confer.* 15. *n.* 426. dictum fuit: neque etiam videtur ratio, cur talis simpliciter eximeretur ab hac lege; cum nullla prorsus sit necessitas, vel causa rationabilis simpliciter illum eximendi. Secus dicendum de illis, qui propter infirmitatem naturæ simpliciter dispensantur in jejunio; quia tales præsumuntur & supponuntur indigere ampliori refectione ad recuperandas vires.

Dices adhuc. Sed quid, si dispensatus simpliciter in lege jejunii nolit comedere carnes (prout plures assueverunt tempore Quadragesimæ, quo simpliciter cum omnibus dispensatur in lege jejunii) velit tamen in cibis esurialibus sumere secundam refectionem, poteritne Confessarius huic condescendere?

517. R. Poterit, immo debebit. Ratio est: quia Confessarius nedum potest, sed tenetur etiam sese accommodare pœnitenti, volenti sequi sententiam vere probabilem: atqui quod in tali casu fas sit sumere secundam refectionem, est vere probabile ac tutum, nedum ab extrinseco seu auctoritate DD. Azorii, Fagundez, Wiestner *tit. de observat. jejunii n.* 7. Pichler *in jure can. practice explicato eod. tit. ad q.* 2. sed etiam a ratione: nam dispensatus simpliciter in jejunio vesperi posset sine peccato carnibus sese reficere; certe nullus fidelium simpliciter in jejunio dispensatus propterea sibi faceret scrupulum: at, si fas est sumere secundam refectionem in carnibus, cur quæso nefas foret sumere secundam refectionem in cibis esurialibus? Si quis enim ex parte velit acceptare dispensationem, & corpus suum ac gustum mortificare quoad esum carnium, cur quæso id non possit, cum tamen aliunde constet, abstinentiam a caribus esse prorsus separabilem ab abstinentia a secunda refectione?

Subdit tamen sapienter R. P. Pichler *l. cit. Hanc doctrinam fateor cum Laymanno lib.* 4. *tr.* 8. *c.* 3. *n.* 8. *allegante Lessium & Toletum, procedere solum in casu dispensationis simpliciter, & absolute concessa; nam si quoad esum carnium duntaxat dispensatum sit, eo quod alii cibi præter carnales facile haberi non possint, vel eo quod nimium abhorreas ab aliis cibis, tunc admitto talem non obstante, quod carnes licite comedat, teneri adhuc abstinere a secunda refectione etiam in carnibus; licet putem, ei propter talem causam licitum esse, loco cœnæ collatiunculam sumere etiam in carnibus.* Ita Doctor cit. vix non iisdem terminis: & hoc ipsum est, quod nos numero priori diximus.

CASUS TERTIUS.

Cajus agricola ceteroquin devotus, jejuniis (saltem quoad abstinentiam a pluribus refectionibus) osor est eximius, nec facile persuaderi potest, ut vel in minimo sese mortificet, sed qua lubet hora, manducat panem, fructus & similia: quia tamen subin ob incidentia festa per duos vel tres omnino dies nihil laborat, quin potius otio & bacho indulget: quia insuper animadvertit, se viribus valde potentem ac robustum, laborando cum aliis non usque adeo defatigari, quo minus stante etiam labore commode posset abstinere a secunda, vel saltem a pluribus refectionibus quolibet tempore vel hora sumendis; hinc nonnihil cæpit exagitari conscientiæ stimulis, consuluitque Confessarium, an revera non peccet contra legem jejunii per hujusmodi iteratas refectiones. Quid Confessarius habet respondere sciscitant?

518. Cajus probabilius non peccat contra legem jejunii. Ita Tamburinus *lib.* 4. *c.* 5. §. 7. *n.* 24. referens pro eadem opinione Fagundez, Diana *part.* 1. *tr.* 9. *resolut.* 9. Sanchez *in consilio cap.* 1. §. 7. *num.* 20. Ratio est: quia Eugenius IV. in sua constitutione videnda apud Sylvestrum V. *jejunium n.* 4. absolute declarat, quod *Artifices laboriosa opera exercentes, & rustici, sive sint divites, sive pauperes, non teneantur ad jejunium sub præcepto*: & merito: quia hujusmodi homines laboriosi indigent frequentiori refectione, ne, quando minus putant, minus habiles ad functiones ordinarias evadant. Nec refert, quod Cajus subinde uno vel altero die festo vacet a laboribus, immo viribus tam potentem se animadvertat, ut more aliorum tam facile non defatigetur &c. quia cum hujusmodi homines semper egeant magno robore ad subeundos labores sibi proprios, merito præsumitur, Ecclesiam velut piam Matrem iisdem condescendere, ut si quandoque uno vel altero die etiam non festivo a laboribus vacent, possint nihilominus sæpius refici, sin minus ad vires recuperandas, saltem ad eas conservandas pro subeundis laboribus in futurum.

Si tamen contingeret eos aliquot diebus, puta, tribus aut quatuor omnino infra hebdomadam vacare ab omni labore, tenerentur jejunare; quia tunc nec excusarentur ob labores præteritos, neque ob futuros. Ita Sanchez *cit.* de la Croix *n.* 1333. & alii.

Sed quid, ais, tenendum est de illis, qui ipso die jejunii sponte suscipiunt laborem improbum, & valde debilitantem, puta lusum pilæ, hastiludium, aut venationem &c. idque eo fine præcise, ut supposita tali fatigatione a jejunio eximantur, possintque comedere ad satietatem usque?

519. R. Esto tales supposita defatigatione revera eximantur a lege jejunii, utpote jam impotentes ad servandum jejunium, revera tamen ponendo hujusmodi obstaculum absque justa causa, & eo præcise ex fine, ne teneantur jejunare, peccant graviter contra hanc legem, prout facile suaderi potest a pari; nam secundum dicta superius *Confer.* 13. *n.* 372. Contra legem Ecclesiæ graviter peccat, qui ipso die festo suscipiendo venationem ponit obstaculum audiendo Sacro, vel recitando Breviario: ergo similiter graviter delinquit, qui ipsa die jejunii absque justa causa ponit obstaculum observationi jejunii. Ratio fundamentalis hæc est: quia qui præcipit finem, ipso facto censetur præcipere ea, quæ ad talem finem sunt necessaria, simulque prohibere omnia ea, quæ cum impletione præcepti sunt incompatibilia: atqui talis defatigatio supponitur incompatibilis cum observatione jejunii: ergo ipsa die jejunii nefas est sese graviter defatigare eo præcise fine, ne quis teneatur jejunare. Secus foret, si quis aliunde præcepto charitatis, justitiæ, aut obedientiæ teneretur subire laborem incompatibilem cum jejunio. Ita tenent Laymann *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 3. *n.* 5. Viva *ad proposit.* 31. *ab Alexandro VII. damnatam num.* 8. de la Croix *ubi supra n.* 1334. dicens, *hanc esse communissimam Sententian DD.*

Dices tamen contra hanc resolutionem 1. Per hoc, quod præcipiatnr jejunium, non prohibetur labor defatigativus; secus enim quam plures Mechanici subeundo laborem sum impingerent hanc legem jejunii, quod tamen certo falsum

est,

est, prout ipsimet fassi sumus: ergo cuivis licet etiam diebus jejunii hastiludio, venatione &c. vel alio labore sese defatigare, ut postea liber sit ab obligatione jejunandi. Et certe quivis habet jus ludendi pila vel hasta: ergo ludendo utitur jure suo: qui autem utitur jure suo, non censetur agere in fraudem legis juxta *Reg.* 55. *ff. de R. J.* ergo &c

520. R. ad hanc instantiam *dist. ant.* non prohibetur labor defatigativus juste, id est, vel ex officio, justitia, pietate &c. suscipiendus &c. *Conc.* labor defatigativus præcise ex arbitrio & in fraudem legis, seu animo subterfugiendi obligationem legis obligantis suscipiendus, prout supponitur in nostro casu, *negat. ant. cum conseq.* Negatur etiam suppositum, quod quivis habeat jus ludendi pila, conis, hasta &c. eo die, vel hora, qua præceptum urget; non enim datur jus ad actiones, per quas eluditur præceptum justum Superioris, secus fateri cogeremur, quod tempore Sacrificii liceret vel venari, vel pila aut conis ludere &c. quod, quam falsum, & ab omni pietate alienum sit, nemo prudentum non videt. Aliud dicendum foret, si quis uno vel altero die, antequam urgebat præceptum jejunii suscipiendo hujusmodi laborem sese defatigasset: per hoc enim non impegisset in legem jejunii, quippe quod tunc moraliter non instabat, prout jam superius *n.* 373. innuimus, & post alios tradit Tamburinus *lib.* 4. *in decalog. c.* 2. §. 3. *n.* 6. & 7. Castropalao, Sanchez & alii plures.

Dices iterum. Qui animo subterfugiendi hanc obligationem jejunii exit ad alium locum vel territorium, ubi fas est comedere carnes, vel ubi non est dies festivus &c. & ibi carnes comedit, vel labores seviles peragit, non peccat, nec censetur agere in fraudem legis, sed potius uti jure suo, prout ipsimet fassi sumus *part.* 1. *Theolog. decalog. Conferen.* 13. *num.* 370. ergo nec dici debet agere in fraudem legis, qui seipsum defatigat ludendo conis vel pila, quatenus hoc modo defatigatus a lege jejunii evadat exemptus.

521. R. *Neg. con.* disparitas est: quia dum quis exit in locum, ubi non urget præceptum, non ponit impedimentum saltem directum adimplendæ legi: & quia se ponit in tali loco, ubi lex non viget, hinc impune agit contrarium; quin impingat in legem, e contra vero, qui manet in loco, ubi jejunii lex viget, & huic adimplendæ voluntarie sine gravi causa impedimentum ponit, utique in legem impingit ob rationem proxime datam. Uno verbo: qui exit ad alienum territorium, ubi lex non viget, dicitur exeundo *obligationem fugere*: qui vero manens in loco, ubi lex viget, sine gravi causa reddit se voluntarie impotentem ad legis impletionem, dicitur *obligationem legis violare* & non fugere. Pro cujus meliori captu juvabit recolere ea, quæ diximus supra *Conferentia* 13. *num.* 371. de duplici impedimentorum genere, quorum unum (scilicet dispensatio Superioris, vel mutatio territorii &c.) ab obligatione legis simpliciter liberat; alterum vero solum excusat secundum quid, v. g. ob ignorantiam, impotentiam &c. vel quia tale impedimentum justa & gravi de causa ponitur: talis autem causa non est lusus pilæ, vel conorum &c. ergo &c.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

522. Colliges ex hactenus dictis primo, Episcopo nedum competere potestatem in jejunio Ecclesiæ dispensandi cum uno vel altero subdito privato, sed etiam cum omnibus suis subditis, saltem tunc, quando de facili nequit recurri ad Summam Sedem, simulque concurrit gravis causa, & publica, seu concernens bonum publicum, prout jam superius *n.* 503. insinuavimus. Ob easdem rationes permissum censetur Episcopo jejunium ab Ecclesia præceptum ab uno die transferre in alium: ut si vigilia S. Matthiæ incidat in feriam secundam vel tertiam Quinquagesimæ, & Episcopus animadvertat, fore, ut quamplures, vel major pars populi violent jejunium etiam comedendo carnes, non sine scandalo aliorum, prudenter omnino faciet, transferendo dictam obligationem jejunandi in Sabbathum præcedens. Ita Laymann *l.* 5. *t.* 8. *c.* 3. *n.* 8. Babenstuber *tr.* 6. *disp.*

disp. 1. *art.* 3. *nu.* 12. Tamburinus & alii plures.

523. Colliges secundo, ea, quæ *num.* 509. diximus de Mechanicis ob laborem gravem exemptis a lege jejunii, intelligenda duntaxat esse de illis, qui revera laboribus gravibus vacant: secus dicendum de illis, qui parum vel nihil omnino laborant, prout familiare est nonnullis principalibus (uti vocant) Magistris, qui vix aliud conferunt ad opera quantumvis magnifica, nisi quod alios sibi subjectos dirigant, iisdemve invigilent. Unde si quis in die jejunii v. g. duo vel tria indusia lavet, aut parvo labore frumentum sive bestiarum, sive ventorum vel aquarum vi molat &c. leviusculas vittas texat &c. quod utique cum labore modico fieri assolet &c. propterea a jejunio Ecclesiastico nequaquam eximendus est, esto etiam pluribus diei horis hujusmodi labore exiguo occupetur, prout bene observat Tamburinus *cit. lib.* 4. *decalog. c.* 5. §. 7. *n.* 22. & 23. Ratio est: quia Ecclesia hujusmodi hominibus non alia ex causa quam ob labores graves, seu multum defatigantes indulget plures refectiones velut necessarias in ordine ad restaurandas & conservandas vires &c. qui autem modice duntaxat occupantur, vires propterea non perdunt, neque etiam indigent earundem restauratione: ergo non est ratio, cur ab hoc onere jejunii Ecclesiastici eximantur &c.

524. Colliges e contra tertio, illos, qui exercent opera vel artes de se non non ita laboriosas secundum dicta *n.* 510. quandoque per accidens excusari posse a jejunii observatione quoad secundam refectionem. Ratio est: quia subinde evenit, ut persona laborans tam sit teneræ complexionis, ut officium vel artificium quantumvis de se tenue, nequeat exercere sine magno incommodo, nisi sæpius de die reficiatur v. g. Sartor nedum de die, sed insuper per medias noctes cogitur laborare: Barbitonsor per medium vel integrum diem cogitur partim alios radere, partim etiam balbeo interesse, nec modicum sudare ob extraordinarium calorem &c. quo procul dubio fieri potest, ut talis homo sese sentiret imparem subeundis hujusmodi laboribus, nisi sæpius reficeretur &c. & hoc ipso merito præsumitur liber ab onere jejunii. Quin & Fagundez, Ledesma & alii putant barbitonsores & sartores esse absolute eximendos a jejunio ob labores, sibi incumbentes: idipsum Angles, Burghaber, & alii censent de Secretariis, aliisve, qui multum scribunt &c. Verum hæc sententia merito rejicitur a Sanchez *cit.* de la Croix, & aliis, ob rationem jam superius *n.* 510. datam; secus enim quævis mulier fila trahens ratione laboris foret eximenda; quod tamen de se absque absurdo nequit admitti.

525. Colliges quarto, omne opus incompatibile cum jejunio, esse in die jejunii intermittendum, si commode omitti possit. Ita post S. Thomam, Moyam, Tamburinum & alios de la Croix *cit. n.* 1335. Ratio patet ex proxime *n.* 519. dictis, quia obligatus ad præceptum implendum, eo ipso prohibetur ponere obstacula adimpletioni &c. hac de causa Tamburinus *l. cit. nu.* 31. testatur, se olim non excusasse à jejunii lege adolescentem nobilem, qui magna animi propensione per integros quandoque dies operam dabat elaborandis sclopetis, aliisque bellicæ artis exquisitis instrumentis: talem quippe non ars propria, non necessitas, non labor ex aliqua rationabili causa susceptus excusare potest &c. ait recte Doctor laudatus.

526. Dixi tamen: Omittendum esse omne illud opus, *quod commode omitti potest* &c. Secus enim tenendum est de operibus ad utilitatem corporalem vel spiritualem propriam vel alienam assumendis; hac de causa merito excusantur 1. omnes artifices, esto ab sustentationem propriam fortassis non indigerent exercitio talis artis; id quod & Eugenius IV. declarasse fertur. Excusantur insuper 2. omnes operibus jejunio melioribus vacantes; quia Ecclesia non intendit hæc impedire; quin & 3. laborem ex honesto fine assumptum, ut si tempore vacantiarum venatum eas; pedes usque ad lassitudinem incedas ad invisendum amicum &c. a jejunio excusare, multi probati, classici Doctores tradunt, uti Sanchez, Castropalao, Bonacina, & alii plures apud de la Croix *l. cit.* 4. denique excusandi sunt illi a jejunio, qui labo-

laborem valde defatigantem suscipiunt damni vitandi, vel notabilis lucri (cujus occasio non semper datur) captandi causa, v. g. proficiscendo ad nundinas præsertim pedites, vel ad alia negotia, quæ commode differri nequeunt.

527. Colliges quinto, fieri posse quandoque, ut & tenuiter infirmus, vel metuens rationabiliter gravius infirmandi periculum, excusetur a jejunio: tametsi enim lex Ecclesiastica de servando jejunio lata sit in ordine ad mortificandam carnem, non tamen lata est ad eam subjiciendam infirmitatibus, aut morborum, aut mortis periculis. Quocirca tamen illud adhuc observandum puto ex dictis, exemptionem a jejunio commensurandam esse proportioni infirmitatis, ita, ut si infirmus advertatur, seu prudentum judicio existimetur ad recuperandam valetudinem indigere duntaxat pluribus refectionibus, non item carnibus, eidem permitti possit iterata refectio, non item esus carnium: si vero ad vires vel valetudinem recuperandam insuper indigeat carnium comestione, poterit hæc absque scrupulo a Confessario approbari, immo & suaderi; Casu quo tamen de sufficientia exemptionis vel infirmitatis adhuc dubium relinquitur, oportebit a Superiore petere dispensationem, quatenus hoc modo causa dubia quodammodo elevata, reddatur certo sufficiens ad eximendum ab omni peccato ratione jejunii non observati, prout facile colligetur ex dictis *numer.* 512. Videatur de hoc Henno *tr. de peccatis actual. disp.* 4. *q.* 8. *art.* 1.*Resol.* 7.

528. Colliges denique sexto, Causas, quas hactenus recensitas diximus excusare a jejunio Ecclesiastico, pariter excusare a jejunio ex privata devotione v. g. Voti causa suscepto, nisi vovens voluerit se aliter (strictius scilicet) obligare ad observantiam jejunii. Ita Sanchez *lib.* 4. *decalog. c.* 11. *num.* 54. Bonacina, Reiffenstuel, & alii. Ratio est; quia votum jejunandi velut lex privata voventium intentione introducta regulariter obligat juxta normam, & formam jejunii ab Ecclesia præcepti: ergo interpretandum est juxta normam & mentem Ecclesiæ: atqui Ecclesia ob rationes & causas supra allegatas vult fideles exemptos ab obligatione jejunii Ecclesiastici: ergo etiam eximendi sunt ab obligatione jejunii voto promissi.

529. Dixi tamen rursus: *nisi vovens se voluerit strictius obligare* &c. quia minime dubitandum, quin aliquis possit sibimet ponere legem strictius obligantem: immo talem a quovis Fratre Minore vi Professionis sibi poni, constat ex dictis supra *num.* 459. & 460. Cum enim quisque illorum voveat *toto tempore vitæ suæ servare Regulam S. P. N. Francisci*, & vi hujus S. Regulæ jubeamur servare triplex jejunium &c. sequitur plane, quod & fratres juvenes ante completum annum 21. & senes post completum 60. adhuc teneantur ad observationem hujus, modo supponantur valentes & potentes viribus. Illi porro, qui intendunt lucrari Jubilæum &c. non eximuntur a jejunio, sed tenentur petere saltem commutationem hujus oneris, ni velint privari hoc thesauro, prout alibi dicitur, & nos paulo superius *num.* 500. insinuavimus.

CONFERENTIA

DECIMA NONA.

De Obligatione Pietatis & Observantiæ Parentibus debitæ.

SUMMARIUM.

530. *Vi quarti præcepti decalogi jubemur Parentibus exhibere pietatem.*
531. *Quinam nomine Parentum veniant.*
532. *Et quidnam intelligatur per virtutem pietatis, observantiæ, & gratitudinis.*
533. *Virtute pietatis filii tenentur Parentibus exhibere amorem, obedientiam, & reverentiam.*
534. *Amorem quidem nedum ex- sed & internum.*
535. *Ordinatum tamen, ita ut huic Deum non postponant.*
536. *Obedientiam pariter in omnibus ad curam paternam pertinentibus.*

537.

537. *Id est, illis, quæ ad domesticam gubernationem, bonos mores, & ad animæ salutem spectant.*
538. *Non item in deligendo vitæ statu. Hinc*
539. *Filius etiam contra voluntatem parentum potest licite amplecti statum Religiosum, nisi Parentes ob vere graves causas hunc dissuadeant.*
540. *Reverentiam denique nedum corde, sed ore etiam, atque opere.*
541. *Resolvitur Casus I. Cujusdam filii, qui Parenti decrepito negaverat pecunias pro haustu extraordinario &c.*
542. *An post obitum Patris potuerit obligari ad solvenda debita ad eodem Patre relicta, & ratione haustus ac compotationum hinc inde contracta.*
543. *An, vel quando filius ex bonis vinculatis v. g. Majoratu &c. teneatur solvere debita a Patre contracta.*
544. *Resolvitur Casus II. Cujusdam puellæ, sciscitantis, an non invitis etiam Parentibus sibi liceat nubere militi haud ignobili, neque indigno.*
545. *Undenam, & ex quibus capitibus dignitas vel indignitas sponsi sit petenda.*
546. *Si filia nubat digno, etiam contra voluntatem Parentum, propterea nec potest, nec debet privari dote sibi congrua.*
547. *Resolvitur Casus III. Cujusdam uxoratæ hinc ex parte parentis graviter decumbentis, illinc ex parte mariti sibi contradicentis valde afflictæ, & angustiatæ;*
548. *Quæ durius non nihil tractando & alloquendo Parentem, per se loquendo graviter delinquit.*
549. *Nihilominus etiam sæpius cum iisdem peccatis reversa, potest ac debet absolvi, modo serio pœniteat, ac proponat emendationem &c.*
550. *Filii Parentes suos odio habentes, durius alloquentes, torvis oculis aspicientes peccant mortaliter.*
551. *Idipsum tenendum est de aliis, qui Parentibus in vere gravi necessitate animæ vel corporis constitutis, non succurrunt pro viribus.*
552. *Religiosus sciens Parentes suos ante professionem Religionis vere gravem indigentiam ac pauperiem incidisse, ad hanc sublevandam tenetur de consensu sui Prælati regredi ad sæculum, si utiliter possit;*
553. *Nec eandem indigentiam sublevare valeat manens Religiosus.*
554. *Sublevata tamen necessitate Parentum, vel iisdem per mortem sublatis, tenetur denuo reverti ad suam Religionem.*
555. *Inobedientia filiorum erga Parentes sæpe sæpius a mortali potest excusari, vel ob parvitatem materiæ, vel imperfectionem actus.*
556. *Percussio tamen Parentis, quantumvis de se levis, per se loquendo semper est mortaliter mala.*
557. *Peccant etiam graviter, qui Parentes convitiis, gestis, vel factis ad gravem iracundiam voluntarie provocant.*
558. *Item, qui Parentes contemnunt, ita ut pudeat eos agnoscere, aut profiteri tanquam suos Genitores &c.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Observantia filiorum erga Parentes.

Quæres primo, quidnam velit quartum decalogi præceptum: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Exod. 20.?*

530. R. Hoc quarto decalogi præcepto in quantum affirmativum est, jubemur exhibere 1. Pietatem, primario quidem Parentibus carnalibus, secundario illis, qui locum Parentum respectu nostrum tenent. 2. jubemur exhibere observantiam Superioribus qua spiritualibus, qua temporalibus etiam. Jubemur denique tertio exhibere gratitudinem debitam benefactoribus. Et quia omne præceptum formaliter affirmativum, simul virtualiter negativum est; dum enim positive aliquid præcipitur, illius contrarium positive prohibetur, juxta *DD. communissime*: hinc eodem quarto decalogi præcepto nobis interdicta censetur inhonoratio parentum vel eorum, qui parentum vicibus funguntur. 2. Prohibitum insuper nobis censetur Superiorum contemptus vel inobedientia. 3. pro-

3. prohibetur nobis pariter ingratitudo erga benefactores &c. Quemadmodum enim priora tria præcepta primæ tabulæ secundum dictâ superius nos ordinent ad DEUM in sanctitate per virtutes theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem, nec non per virtutem moralium præstantissimam, scilicet Religionem; ita hæc præcepta secundæ tabulæ nos ordinant ad hominem seu ad proximum *in justitia*, quæ virtus est, reddens unicuique, quod suum est, veluti constare potest ex dictis *de Restit. Confer.* 1. ad justitiam vero reducuntur mox enumeratæ virtutes, scilicet pietas, observantiæ, & gratitudinis. Sed pro majori claritate

Quæres secundo, quinam ergo intelligantur nomine Parentum?

531. R. Nomine Parentum proprie loquendo intelliguntur illi, a quibus secundum carnem fuimus progeniti. Secundo improprie vero & suppletive etiam intelliguntur illi, qui in parentum jus succedunt, locum & officium horum quodammodo supplent, quantum ad curam & educationem, uti sunt adoptantes, Patrini, Tutores, Curatores &c. Tertio, huc etiam pertinent Superiores spirituales, utpute Episcopi, Pastores, Confessarii &c. Item quarto Superiores sæculares, uti sunt Reges, Principes &c. qui instar Parentum se habent, vel habere debent respectu subditorum, utpote vel instruendo, vel defendendo eos &c. &c. proptereaque dicuntur parentes similitudinarie.

Quæres tertio, quidnam intelligatur per virtutem pietatis observantiæ, & gratitudinis?

532. R. 1. *Pietatis* nomine intelligitur virtus, qua Parentibus principaliter, aliisque majoribus carnalibus debitum cultum, honorem, obsequiumque impendimus. 2. Nomine *observantiæ* intelligitur virtus, qua Superioribus potestatem super nos habentibus pro ratione superioritatis debitum cultum & obsequium impendimus. 3. Nomine autem *gratitudinis* intelligitur virtus, qua Benefactoribus pro beneficiis acceptis cultum & gratias debitas rependimus, utputa recognoscendo, laudando vel deprædicando beneficia accepta &c. vel etiam pro viribus eadem compensando &c.

Quæres quarto, quidnam filii aut filiæ Virtute pietatis & quarti hujus præcepti debeant Parentibus suis?

533. R. Hoc quarto præcepto ex virtute pietatis obligantur filii (idem est de filiabus) honorare Parentes suos, exhibendo eis amorem, obedientiam, & reverentiam, & sollicite cavendo, quidquid his adversatur affectu, signo vel opere. Ita *ex communi DD.* Marchantius *tom.* 2. *tr.* 5. *tit.* 1. *q.* 1. *concl.* 1. Sporer *tr.* 3. *in decal. c.* 5. *num.* 6. Tamburinus *decalog. lib.* 5. *c.* 2. §. 2. *per tot.* Rationem hujus DD. colligunt ex illo *Eccl.* 7. *Fili honora Patrem tuum, & gemitus Matris tuæ, ne obliviscaris &c.* sub nomine autem hujus honoris Parentibus exhibendi tria significari, scilicet amorem, reverentiam, & obedientiam, declarat Catechismus Romanus: ergo &c.

Quæres quinto, quomodo, & sub quanta obligatione Parentes sint amandi?

534. R. Sub gravi peccato Parentes sunt amandi, nedum amore externo, sed interno etiam, ordinato tamen. Ita omnes. Ratio est: quia sub reatu pœnæ æternæ quisque tenetur diligere proximum suum amore tam ex quam interno, prout ex professo pluribus dictum fuit *part.* 2. *theol. decalog. Confer.* 7. *num.* 207. *& seqq.* & innuit satis clare Innocentius XI. *in suo Decreto de die* 2. *Martii* 1679. damnando sequentem *nu.* 10. Propositionem: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali &c.* at, si tenemur diligere proximum, a fortiori tenemur sub gravi culpa diligere Parentes, quibus nihil nobis est proximius; quandoquidem persona Patris censetur quodammodo eadem cum persona filii.

535. Dixi tamen: *amore ordinato*, ita scilicet, ut propterea amorem Parentum non præferamus amori Deo debito; Etenim Salvator noster *Matth.* 10. ait: *qui amat Patrem aut Matrem plus quam me, non est me dignus.* Et rursus *Luc.* 14. ait: *si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem suam &c. non potest meus esse discipulus.* Quo quidem loco Salvator noster minime nos

doce-

docere voluit, ut Parentes reipsa & absolute odio habeamus; hoc enim esset contrarium legi naturali, sed ut eos non plus, quam Deum ipsum, & hoc ipso inordinate diligamus: DEUS quippe solus appretiative diligendus est super omnia, consequenter præferendus amori Parentum, idque vel maxime tunc, cum Parentes aliquid illicitum, inhonestum, aut contrarium legi divinæ præcipiunt; non enim justum est, ut ipsi potius, quam DEUS audiatur, prout innuitur *Actor.* 4.

Quæres sexto, quomodo, & sub quanta obligatione Parentibus sit obediendum?

536. R. Filii sub reatu peccati mortalis per se loquendo tenentur obedire Parentibus in omnibus licitis & honestis ad curam paternam spectantibus. Ita rursus *communisse DD.* nominatim Toletus, Marchantius *ubi supra tit.* 2. *q.* 1. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 5. *a* 1. *num.* 15. Henno *tr. in decalog. disp.* 4. *q.* 1. *concl.* 3. Patet hoc tum ex S. Scriptura *Ephes.* 6. ubi dicitur: *filii obedite Parentibus per omnia* (scilicet ad curam paternam spectantia) *hoc enim placitum est in Domino &c.* Ratio insuper suffragatur, fundata in jure naturæ; quia Parentes tenentur instruere & educare filios in omnibus, quæ ad honeste vivendum, & ad salutem assequendam sunt necessaria, ita, ut secus facientes pro qualitate culpæ non raro fuerint gravius a Deo puniti, prout constat ex 1. *Reg.* 2. de Heli Sacerdote magno &c. ergo vicissim filii sub gravi culpa tenentur obedire Parentibus in omnibus ad eorum curam spectantibus: & hoc, ut sacer textus proxime relatus habet, justum est, id est, fundatum in ipso jure naturali, & voluntate divina.

537. Dixi rursus: *in omnibus ad eorum curam pertinentibus*, utputa, primo in omnibus, quæ concernunt animæ salutem & observantiam mandatorum Dei, in quibus, si filius (aut filia) contra expressum mandatum Parentis (secus enim foret si Parens non præcepisset, sed solum admonuisset, aut dehortatus fuisset) non obediat, semper committit duplex peccatum, sive mortale sive veniale secundum proportionem materiæ & inobedientiæ. secundo, tenetur obedire in omnibus pertinentibus ad morum honestatem; utputa si Pater præcipiat, ut filius vel filia deinceps evitet certam conversationem, conventicula, præsertim nocturna vel secreta cum altero sexu &c. lusum immoderatum &c. tertio, denique tenetur obedire in omnibus ad familiæ administrationem, aut rei domesticæ gubernium pertinentibus, tam in temporalibus, puta ut certo tempore domum redeat &c. ut de rebus domesticis nihil vendat, aut distrahat &c. quam etiam in spiritualibus: utputa ut certo tempore oret, Missam audiat, Concionem frequentet, litteras, fidei ac pietatis rudimenta addiscat &c. In his omnibus, vel eorum aliquo filii inobediendo, & contraveniendo mandatis Parentum, committunt peccatum qualificatum in Confessione necessario exprimendum, idque vel grave, vel leve, juxta proportionem materiæ &c.

Ergone, inquies, filius etiam in electione status tenetur obedire Parentibus, quia & hæc electio videtur pertinere ad salutem? &c.

538. R. Filii non tenentur obedire Parentibus in eligendo vitæ statu. Ita *unanimiter DD.* hac ratione: quia in eligendo vitæ statu quivis naturaliber liber est, & esse debet: at, hoc ipso non tenentur quoad hoc obedire Parentibus: quin immo hi gravem illis injuriam inferunt, dum eos quovis modo sive directe sive indirecte compellunt ad amplectendum vitæ statum, sive dein conjugalem, sive etiam clericalem. Nec minus graviter peccant illi Parentes, qui liberos suos retrahunt v. g. ab honesto matrimonio, vel amplectendo sanctioris Vitæ instituto. Unde si filius se sentiat a DEO vocatum v. g. ad statum clericalem, aut religiosum, simulque advertat, Parentes id ægre laturos, & ex carnali affectu, aliisve futilibus motivis sese oppositUros &c. non tenetur eos hac in re consulere, quin consultius aget, rem totam celando Parentibus, & sequendo divinum instinctum; magis quippe obediendum est Deo vocanti, quam Parentibus carnalibus inde retrahentibus, veluti haud obscure nobis innuit Salvator noster, dum *Matth.* 8. di-

8. discipulum reprehendit, eo quod noluerit intuitu Patris sepeliendi Christum vocantem illico sequi. Hac de causa D. Hieronymus *in Epist. ad Heliodorum* ait: *per calcatum perge Patrem: per calcatam perge Matrem: ad vexillum Crucis evola: summum genus pietatis est, in hac re esse crudelem.*

539. Dixi rursus: *si filius advertat, Parentes ex carnali affectu, aliisve futilibus motivis sese oppositiuros &c.* Secus enim dicendum est, si Parentes ob graves, & rationabiles causas contradicerent: quales esse possent 1. si filius esset ligatus aliquo impedimento Religiosam Professionem irritante, vel 2. si deflorasset jam Virginem cum promissione matrimonii, damno non aliter, nisi per connubium reparabili vel 3. si nobilissima & antiquissima familia defectu propagationis esset demoritura, præsertim si hujus bona forent devolvenda ad aliam lineam diversæ Religionis, non absque detrimento animarum. 4. si Parentes ipsi in vere gravi, vel omnino extrema necessitate constituti egeant subsidio filii, quo casu hic postposito statu Religionis jure naturali tenebitur manere in sæculo eo fine, ut Parentum inopiam sublevet, suppositis tamen certis conditionibus. 1. ut in sæculo remanens revera posset succurrere Parentibus. 2. ut non adsint alii liberi vel amici, qui & possent & vellent eorum inopiam sublevare. 3. ut filius ipse post ingressum Monasterii non amplius possit iisdem succurrere; si enim hoc possit (prout in quibusdam Monasteriis Dominorum capacium bonorum temporalium fieri posset) vel si adsint alii v. g. amici, qui velint ac possint sublevare, non tenetur filius deserere propositum Sanctioris Vitæ in Monasterio, vel Sacra Religione instituendæ. Quod autem hisce conditionibus stantibus, & supposita vere gravi vel extrema necessitate (non item necessitate communi duntaxat) filius teneatur relicto statu perfectiori remanere in sæculo, Parentibusque succurrere, inde suadetur: quia ingredi Religionem consilii duntaxat est, & Evangelici quidem: subvenire autem Parentibus in gravi vel extrema necessitate constitutis, jure naturali jubemur: atqui jus naturale prævalet consiliis Ecclesiasticis; prout Christus Dominus satis ostendit, dum *Matth.* 15. graviter reprehendit Judæos, qui suasere filiis misericordiam erga parentes negligere sub specie pietatis & Religionis, seu munerum Deo offerendorum.

Quæres septimo, quomodo & sub quanta obligatione Parentes a filiis sint reverendi?

540. R. Filii sub gravi culpa tenentur reveri Parentes suos tam corde, quam ore & opere. Ita *omnes*. Fundatur hæc obligatio in S. Scriptura *Eccli* 3. ubi dicitur: *qui timet Dominum, honorat Parentes, & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt*; idipsum patet ex verbis quarti præcepti decalogalis: *honora Patrem tuum & Matrem tuam &c.* Ex quo sequens confici potest ratio ad suadendum nostrum intentum: filius jubetur servire Parentibus quasi Dominis: at servorum est magna cum reverentia assistere Dominis suis, eos humiliter alloquendo, famulando, caput inclinando &c. ergo & filii ad hoc tenentur respectu Parentum. Quocirca advertendum est, reverentiam internam præcipue in eo sitam esse, quod quis alterum recognoscat tanquam Superiorem, majorem & excellentiorem, & consequenter quendam timorem reverentialem erga eundem concipiat: externa vero consistit tum in verbis, ut nempe de tali honorifice loquamur; tum etiam in aliis signis & factis, utputa, caput detegendo, assurgendo, locum nobiliorem cedendo, & ab omni eo, quod in illius injuriam aut damnum vergere posset, sollicite cavendo, & abstinendo: omnibus ergo his modis filii tenentur honorare Parentes, uti jam dictum fuit.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, circa obligationem filiorum erga Parentes.

CASUS PRIMUS.

T*Itius artifex a Parente suo decrepito domum paternam, officinam, & alia*

lia non pauca bona mobilia, præsertim instrumenta artificialia obtinuerat ea lege, ac conditione, ut præter habitaculum eidem suo Parenti ad dies vitæ præberet sustentationem honestam & congruam; id quod Titius longo tempore fideliter præstitit: verum quia Parens assueverat extra tempus prandii ac cœnæ frequenter bibere, hinc a filio identidem opportune & importune postulat pecunias, quibus haustum extraordinarium solvere posset; Titius e contra advertens sibi vix tantum suppetere, quantum ad sustinenda familiæ onera necessarium est, Patri aliquoties negat subsidium, causatus, se promisisse duntaxat honestam & congruam sustentationem, non item haustum extraordinarium. Hinc Parens graviter offensum se existimans, haud infrequenter abit in hospitium, ibique non sine querelis ac murmure contra filium potitat, pecuniis credito hinc inde collectis. Denique naturæ debitum solvit, relictis aliis pluribus debitis: veniunt jam Creditores sollicitantes Titium pro solutione debitorum: hic vero sciscitatur a Confessario 1. an fortassis contra legem pietatis egerit, negando Parenti suo subsidium pecuniarum? 2. an in Conscientia teneatur solvere creditoribus debita a suo Parente relicta? Quid Confessarius, respondebit sciscitanti?

541. R. ad prius quæsitum; Videtur Titius non egisse contra debitum pietatis; tum quia, ut supponitur in specie facti, Parenti præbuit honestum victum, & sustentationem congruam; tum etiam, quia se nunquam obligavit ad præstandas pecunias pro haustu extraordinario: tum denique, quia quotidiano labore ac sudore suo vix sibi & familiæ suæ necessaria potuit acquirere: ergo Parens rationabiliter non potuit plura prætendere: quia filius solum tenetur necessitatibus Parentum succurrere, quantum vires sufficiunt, juxta communem DD. apud Navarrum & Tamburinum *l. 5. c. 2. decalog. §. 2. n.* 10. Secus dicendum foret, si vel Parens multa bona filio reliquisset, vel filius aliunde bonis abundasset; tunc enim pietati omnino congruum fuisset, ut de superfluis Parenti pro haustu etiam extraordinario, & quodammodo superfluo contribueret; vix enim dubitare licet, quin & a suo Parente nedum ad sustentationem necessaria, sed & superflua quandoque receperit: ergo conveniens est, ut Parenti de sibi superfluis tribuat abundanter juxta illud *Eccli. memento, quoniam nisi per illos, Parentes scilicet, natus non fuisses; & retribue illis, quod & illi tibi.*

542. R. jam ad posterius quæsitum, Titius in conscientia non tenetur solvere debita a suo Parente relicta &c. Ratio est: quia obligatio solvendi mutuum personalis est: atqui solus Pater, & inscio quidem filio, mutuum hinc inde accepit: ergo filius non tenetur solvere debita a Parente hinc inde contracta: Secus denuo resolvendum foret, si Titius pro suo Parente fide jussisset. Secus etiam dicendum foret: si Parens Titio multa bona reliquisset; quia succedens in bona, etiam succedere debet in onera præstanda, per *Regul. 55. J. in sexto*. Hac de causa filius tenetur adimplere ea, quæ in testamento a Parentibus fuere disposita circa æs alienum, vel legata &c. ita, ut si hæc absque causa legitima notabili temporis intervallo differat, reatum peccati mortalis incurrat. Ita Navarrus, Tamburinus *l. cit. n. 6.* Sporer *tr. 3. in decal. c. 5. n. 11.* Babenstuber *tr. 5. art. 1. n. 9.*

Sed quid, inquies, si Pater relinquat filio suo bona vinculata, id est, adstricta certis obligationibus v. g. Majoratum &c. tenebiturne filius ex his, vel horum fructibus solvere debita a Patre contracta?

543. R. cum distinctione; nam si Parens ipse Majoratum instituit, & ante institutum debita contraxit, tunc filius tenebitur solvere, prout dicitur *l. filius familias §. divi & lib. 2. ff. de Legat.* 1. Ratio hujus est: quia filius majoratus successor repræsentat defunctum institutorem quoad universum patrimonium: at, æs alienum spectat universum patrimonium: ergo filius tenetur solvere illa debita ex majoratu, nisi Pater, vel Institutor majoratus reliquerit alia bona libera, ex quibus Creditoribus satisfieri potest. Ita tenent multi, nominatim Molina, Lopez, Palacios, quos citat & sequitur Sanchez *Consil. mor. t. 2. l. 4. c. 1. dubio 31. n. 3.* Econtra si

si debita primum post majoratum irrevocabiliter institutum fnere contracta, sive a Parente, sive ab alio quocunque demum possessore, tunc filius, vel quiscunque alius successor non tenetur solvere illa debita. Ratio est: quia majoratus semel irrevocabiliter institutus non amplius potest hypothecari aut vendi, nequidem ab ipso institutore, consequenter nec debita post hujus constitutionem contracta ex prælegato irrevocabili sunt deducenda. Ita Gomez, Lopez, Molina, Sanchez *l. cit. num.* 9. Tamburinus *ubi supra cap.* 2. §. 2. *num.* 9.

CASUS SECUNDUS.

S*Empronia puella honestissimorum & sat divitum Parentum amorem suum, affectumque conjecit in quendam militem sanguine nobilem, animo generosum, & naturæ quidem, non item fortunæ donis divitem; quod ubi Parens Semproniæ advertit, extreme sese opposuit, protestatus publice, se nunquam consensurum, nec permissurum, ut filia nubat huic militi velut homini vagabundo, & mille periculis exposito &c. Verum hæc optimi Parentis indignatio amori carnali non valuit ponere metam, quo minus Sempronia sponso suo nedum animo, se & corpore conjungeretur in tantum, ut post modicum temporis intervallum ab eo evaserit gravida: quin & ultro fatebatur, se nunquam prorsus destituram ab amore hujus Juvenis: Parens e contra protestabatur, se nunquam consensurum in hoc connubium, tametsi filia sæpius in hoc statu evaderet gravida. Denique Sempronia Theologum consuluit, an tuta conscientia prædicto sponso nubere possit, non obstante qualicunque demum offensa & contradictione Parentum? Quid ad hæc Confessarius vel Theologus respondebit?*

544. R. A Confessario nunquam suadenda, sed potius dissuadenda esse hujusmodi connubia contra voluntatem Parentum cœco amore potius, quam sana ratione contrahenda; plerumque enim comperimus, hujusmodi homines vanis omnino motivis, & inordinato libidinis æstu duci, qui cum primum intepuerit, amor converti solet in odium, ita ut a potiori hujusmodi matrimonia malum sortiantur exitum, velut in nostro hoc casu contigisse, quam optime reminiscor.

Nihilominus si Confessarius in hoc casu animadvertat, Semproniæ hunc sponsum nullis rationibus dissuaderi posse, simulque eam continuo fore expositam periculo peccandi, quamdiu matrimonium non contraxerint, haud imprudenter eidem responderet, quod si nullis rationibus possit Parentes in suam trahere sententiam, tuta conscientia possit nubere huic sponso suo, etiam contra voluntatem Parentum: tametsi enim secundum dicta *n.* 538. filii ac filiæ teneantur de congruo Parentes suos consulere circa eligendum vitæ statum, absolute tamen loquendo non tenentur amplecti eorum consilium juxta *communem DD.* apud Thom. Sanchez, Sporer, Tamburinum & alios: idque vel maxime verum est, ubi filius aut filia vult inire matrimonium cum homine digno, prout revera Sempronia nostra intendit. Arbitror proin hoc casu Patrem potius quam filiam esse arguendum gravis peccati; tum quia hanc nititur impedire ab honesto connubio, & hoc ipso libertatem jure naturæ filiæ permissam tollere, non sine gravi præjudicio; tum etiam, quia hoc modo filiam relinquet expositam continuo quasi periculo peccandi, non sine detrimento animarum &c. prout ex dictis *loco cit.* facile constabit.

Quandonam ergo, inquies, filius aut filia censeri debet contrahere cum digno, & quando cum indigno?

545. R. Cum indigno filia censetur contrahere 1. quando huic nubere nequit sine dedecore in familiam, Parentes vel consanguineos redundante, ut dicit Sanchez *de Matr. lib.* 4. *disp.* 26. *num.* 23. Vel 2. si Sponsus malis moribus sit imbutus, ut habet Baldus *L. Nec filium C. de Nupt.* Vel 3. si nubat multo pauperiori, juxta Menochium *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 189. *num.* 85. Excipe tamen: nisi Sponsus defectum divitiarum suppleat nobilitate, litteris, militiæ meritis, aut præstantia officii, ve simili non vulgari prærogativa. Vel 4. si sit imparis conditionis cum altero conjuge, ut si ignobilibus ortus Parentibus-

nec aliis ornamentis vitæ suffultus, nobilissimam puellam, eamque ditissimam sibi connubio sociari contendat, ait Bartolus *L. cum ita l. 1. ff. de condit. & demonstrat.* Ex quibus facile erui valet, tunc filium aut filiam dici debere cum digno contrahere, quando compars non est imbuta malis moribus, vel alia infamiæ nota, unde dedecus in familiam redundare posset, respersa. Item quando altera pars non est multò pauperior aut ignobilior, vel quando hujusmodi defectum aliis haud quaquam vulgaribus prærogativis compensat &c. quæ omnia, si maturius perpendere libuerit, inveniemus, Semproniam non indigno, sed digno potius voluisse nubere; quod enim milites vi sui officii hinc inde cogantur vagari, illos non reddit ignobiles, sed potius commendabiles; siquidem hujusmodi officia intuitu Patriæ ac boni publici suscipiunt.

Sed nunquid Parens filiæ contra suam voluntatem nubenti jure poterit negare, vel saltem diminuere dotem?

546. R. Breviter cum Sanchezio *l. 4. de Matr. disp. 24. n. 2. & seqq.* Tamburino *l. cit. n. 7.* & aliis passim, quod non, loquendo de dote congrua. Ratio est: quia per hoc, quod filia contra voluntatem Parentum nubat, digno tamen, non peccat, nec quidquam indignum facit, sed utitur libertate ab auctore naturæ sibi concessa: at si filia non delinquit, eo ipso non debet puniri: ergo &c. Loquimur autem de congrua præcise; per quod minime negamus; penes Patrem stare de iis, quæ liberæ hujus potestati subsunt, plus aliis filiis vel filiabus magis obedientibus tribuere. Verum si filia supponatur contra voluntatem parentum nupsisse indigno, tunc de rigore quidem nec dotem neque alimenta eidem deberet, nihilominus si sint pauperes, æquitati ac paternæ pietati consonum erit, ut iisdem tribuat alimenta saltem necessaria, ne fame pereant: at si indigno quidem, satis tamen diviti vel habenti nupsit, & hoc ipso sibimet sufficiant ad procurandum victum necessarium, merito a parentibus destituitur, inquit Tamburinus *loc. cit.* Videatur Sanchez *de Matr. disp. 26. n. 19.*

CASUS TERTIUS.

Caja Uxorata Parentem pauperculum nedum sustentare, sed eidem utpote longa & misera infirmitate decumbenti continuo quasi deservire cogitur; quod, si non faciat ad amussim, Parentis indignationem, dicteria &c. incurrit: si faciat, incidat Mariti disgratiam, & ab hoc objurgatur severius, eo quod prolibus, aliisve rebus domesticis non satis invigilet. Quamobrem Caja malleum inter & incudem constitutam se sentiens haud infrequenter ad indignationem & impatientiam movetur, subinde verbis durioribus Parentem alloquitur, mortem huic optat ex animo, ut tantis miseriis tandem aliquando liberetur, licet fateatur, quod dilapso iracundiæ motu illico pœniteat facti, atque ex animo optet, ne parens propterea mali quid patiatur. Jam dubitatur 1. an Caja sit condemnanda peccati mortalis, & 2. si protinus in tali statu perseveret, vel cum iisdem peccatis sæpius redeat, possit a Confessario tuto absolvi?

547. R. ad hoc quæsitum, Cajam procul dubio peccare mortaliter saltem per se loquendo; tum quia intuitu evadendi hanc servitutem velut malum temporale, eidem, & quidem ex animo optat mortem, quæ est longe majus malum; & hoc ipso graviter lædit charitatem proximo debitam, juxta dicta *part. 2. Theol. decal. Confer. 7. num. 216.* tum etiam quia repugnat pietati Parenti debitæ, durioribus verbis eundem aliunde satis afflictum alloqui. Nec refert, quod dilapso iracundiæ motu illico pœniteat facti, & ex animo optet, ne Parens propterea mali quid patiatur: ex hoc enim plus non sequitur, quam quod in malo nolit perseverare, & potius ex infirmitate, quam ex malitia peccaverit graviter contra charitatem, pietatem, & reverentiam parentibus debitam, prout bene advertunt Laymann *lib. 2. tract. 3. cap. 8. n. 8.* Matthæucci *in Cautela Confess. l. 2. cap. 10. n. 4.*

548. Dixi tamen: *Cajam per se loquendo graviter peccasse* &c. quia minime dubitandum, quin subin (non tamen

ſemper) talis perſona poſſit a peccato mortali formaliter tali excuſari, idque vel ob imperfectionem actus, & nimium iracundiæ motum, qui concurrentibus ſimul tot, tantiſque tam ex parte Parentis, quam ex parte mariti etiam afflictionibus, procul dubio poteſt perturbare rationem, & hominem quantumvis bonæ voluntatis reddere ſui ipſius impotentem, præſertim, ſi ſtante tam diuturno & laborioſo ſervitio loco gratitudinis non reportetur aliud a Parente, niſi aſpera verba &c. vel quia contradicente & redarguente Marito plura obſequia præſtare non licuit &c. Unde.

549. R. Jam ad alterum quæſitum, Cajam tuta conſcientia abſolvi poſſe a Confeſſario, eſto etiam ſæpius redeat cum iiſdem peccatis nihil emendata, modo ſemper concipiat firmum propoſitum ſeſe emendandi. Ratio hujus reſponſionis deſumi poteſt ac debet ex dictis *part. 2. Theol. Sacram. de Pœnit. Confer. 4. numer.* 97. Eſto enim Caja revera ſit expoſita periculo proximo peccandi, quia tamen in hoc non voluntatis propoſito ſed neceſſitatis & vinculi matrimonialis ac pietatis debito perſeverare cogitur; quia inſuper contra inclinationem propriam occaſione extrinſeca, vel Parentis ſcilicet, vel mariti objurgatione ad hujuſmodi impatientiam, maledicta, & improperia commovetur; hinc & fragilitati huic a Confeſſario condeſcendendum eſt, & ſatagendum, ut propoſitis patientiæ motivis, Chriſti patientis exemplo, meritorum ex tali ſervitio colligendorum cumulo &c. Cajæ ſuadeat ac perſuadeat patientiæ propoſitum, nec durioribus verbis vel aſpera increpatione aliunde ſatis afflictæ afflictionem addat. Videantur ea, quæ *loc. proxima cit.* diximus.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

550. Colliges ex hactenus dictis primo, mortalis peccati condemnandos eſſe filios illos, qui Parentes ſuos odio habent, eiſdem volendo vel optando aliquod grave malum ſive animæ, ſive corporis, vel gaudendo, quod tali malo v. g. infirmitate, doloribus, aliiſve afflictionibus ſint obruti; graviter enim lumini naturæ repugnat illos odiſſe, qui nobis tot & tanta beneficia contulere, tantoque amore nos proſecuti ſunt. Quin & illi filii graviter delinquunt, qui Parentes ſuos torvis oculis aſpiciunt, vel ita aſpere alloquuntur, ut revera videantur eos odiſſe; unde *Prov.* 30. dicitur: *oculum, qui ſubſannat Patrem, & qui deſpicit partum Matris ſuæ effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Hac de cauſa S. Ambroſius ſancte dixit, pietatem Parentum ne vultu quidem lædendam eſſe. Videantur de hoc Henno *tr. in decalog. diſp.* 4. *q.* 1. *concl.* 1. *Reſol.* 2. *poſt concl.* 1. Matthæucci *ubi ſupra num.* 3.

551. Colliges ſecundo, reatum peccati mortalis etiam ab illis filiis, aut liberis incurri, qui Parentibus in neceſſitate ſpirituali vel corporali conſtitutis non ſuccurrunt pro viribus, vel qui eos in aſſecutione talium bonorum impediunt. Unde ſi filius ſua deſidia negligat Parentibus moribundis procurare Sacramenta Eccleſiæ, ſcilicet pœnitentiam, Viaticum Sacrum &c. vel ſi ſine juſta cauſa (qualis certe non eſt avaritia & cupiditas omnia acquirendi) impediat dolo, vel vi, ne teſtamentum condant, vel pia legata pro animæ ſuæ ſalute faciant; vel, ſi legata facta exequi negligant, tametſi poſſent moraliter, procul dubio mortaliter peccant contra pietatem & charitatem parentibus debitam. Idipſum dicendum, ſi eos in vere gravi neceſſitate corporis conſtitutos (qualis reputatur, ſi vel mendicando, vel exercendo artem, officium, aut laborem ſuo ſtatu indecorum, aut viribus imparem, cogerentur victum quærere &c.) non ſublevent, ſubminiſtrando media neceſſaria, ſi tamen id moraliter poſſent facere. Ratio eſt eadem: quia ſcilicet amorem Parentibus debitum, & in ipſa natura fundatum graviter lædunt: dictat profecto lumen naturæ, & ſana ratio, cuivis nobis benefacienti reciproce a nobis benefaciendum, & pro viribus in pari neceſſitate conſtituto ſuccurrendum eſſe. Ita *ex communi DD.*

Babenstuber *tr.* 1. *disp.* 5. *art.* 1. *nu.* 5. *&* 6. Felix Potestas *Exam. Confessar. tom.* 1. *par.* 2. *n.* 2037.

Sed quid, ais, si Religiosus post professionem paupertatis advertat, Parentes suos quocumque demum fato incidisse paupertatem, & quasi extrema egestate premi, tenebiturne illis succurrere, vel qua via eorum pauperies sublevanda erit?

552. R. Si Parens incidit hujusmodi necessitatem vere gravem post Professionem a filio emissam, filius tenetur quidem modo moraliter possibili ejusdem pauperiem & indigentiam sublevare, non tamen tenetur amplius, immo nec potest sine licentia sui Prælati egredi Monasterio. Ita cum S. Thoma, Cajetano, Sylvestro, & aliis Lessius *de J. & J. lib.* 2. *c.* 41. *dubit.* 3. *n.* 34. Ratio est: quia filius jam mutavit statum, nec subest amplius patriæ potestati, sed Prælati: consequenter huic obligationi supervenienti non tenetur satisfacere, nisi quantum potest salvo statu: sicut si esset conjunctus matrimonio, non teneretur deserere Uxorem eo fine, ut sublevet indigentiam Patris, nisi is extreme indigeret. At vero, si filius Religionem ingressus fuit permittente duntaxat, vel omnino invito Parente, & hic ante Professionem filii quocunque demum fato incidit in paupertatem & necessitatem vere gravem, Professio quidem valida erit; filius tamen tenetur pro possibili ad sublevandam Parentum pauperiem, ita, ut si in Religione id non possit, bene tamen in sæculo, teneatur egredi Religione saltem ad tempus, & hoc modo Parenti succurrere. Ita ex communi Lessius *loc. cit.* Henno *ubi supra q.* 3. *Resol.* 2. *post. concl.* 1. Ratio est: quia tempore Professionis filius tenebatur jure naturali succurrere: ergo hæc obligatio velut fortior præferenda est obligationi voti, jure merum humano introductæ.

553. Dixi tamen, filium teneri egredi, *si in Religione non possit sublevare, bene vero in sæculo &c.* Quia in tali casu obligatio voti religiosi solum suspenditur; eo quod supponatur filius non posse aliter sublevare parentum indigentiam: ergo si in Religione manens idem possit præstare, ut si esset professus in aliquo Monasterio Dominorum; vel si Conventus ipse velit hanc in se obligationem suscipere; vel si legendo Sacra possit per hujusmodi stipendium succurrere &c. teneretur procul dubio in Monasterio perseverare. Et quia plerumque contingit, ut vel Monasterium Parentibus hanc charitatem exhibeat, vel filii ipsi relicta Religione in sæculo non illico inveniant occasionem, puta præbendam, beneficium, aut Parochiam &c. talem, ex cujus redditibus & sibi & suis Parentibus possent satisfacere; hinc rarius hisce temporibus Religiosi professi permittuntur Religionis institutum deserere eo fine, ut Parentum necessitates sublevent. Huc pariter referendæ sunt limitationes mox supra *n* 539. insinuatæ.

554. Dixi insuper secundo, filium teneri egredi Religione *saltem ad tempus &c.* Quia cum sola necessitas permittat talem egressum, obligatione Religiosæ solitudinis interim suspensa duntaxat; sequitur, quod sublevata necessitate vel Parentibus ipsis per mortem sublatis (propter necessitatem enim sororum aut fratrum suorum nec potest, neque tenetur deserere Religionem, ut bene notat Lessius *cit.* & alii) illico teneatur regredi ad suum Monasterium. Insuper talis Religiosus in sæculo vivens tenetur pro possibili servare vota substantialia Religionis, aliaque ejus præcepta majoris momenti, modo stante tali observatione possit sublevare parentum indigentiam. Ita Sayrus *lib.* 7. *clav. reg. c.* 5. *n.* 19. Filliucius *tr.* 28. *part.* 2. *c.* 1. *n.* 10. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 5. *a.* 1. *n.* 8. Henno *q.* 3. *Resp. ad petes post concl.* 3.

555. Colliges tertio, quod licet secundum dicta superius *n.* 536. *&* 537. filii teneantur parere parentibus in omnibus ad domesticam gubernationem, bonos mores, & salutem animæ spectantibus, idque per se loquendo sub gravi peccato, nihilominus non raro a peccato mortali in praxi eorum inobedientia excusari possit, idque vel ob levitatem materiæ, & inadvertentiam seu levitatem animi, vel ob quandam negligentiam humanam &c. Nam ad peccatum mortale inobedientiæ requiritur, ut quis omnino deliberate & ex proposito præcepto pa-

paterno contraveniat, cum virtuali saltem contemptu & contumacia; qualis contemptus saltem virtualis merito præsumitur intervenire, si filius aut filia sæpissime, & ordinarie transgrediantur præcepta Parentum, præsertim talia, quibus retrahuntur a suspectis consortiis, conventiculis, vel nimia familiaritate cum altero sexu, ob periculum labendi, vel infamiam incurrendi &c. At vero ubi transgressio semel vel iterum duntaxat fit ex socordia, vel incuria juvenili &c. non debent propterea ocyus argui gravis culpæ; bene tamen charitative ad obedientiam Parentibus debitam Exemplo Christi JESU præstandam admoneri. Videatur Sporer *tr.* 3. *decalog. c.* 5. *n.* 16. Marchantius *tom.* 2. *tr.* 5. *tit.* 2. *q.* 3.

556. Colliges quarto, Filium, qui Parentem etiam de se leviter duntaxat percutit, graviter peccare. Ratio est: quia esto percussio de se levis supponatur, tamen facta a filio respectu Parentis morali & prudentum existimatione censetur injuria gravis: id, quod etiam *Exod.* 21. insinuatur, dum dicitur: *qui percusserit Patrem suum aut Matrem, morte moriatur*. Similiter noxæ mortalis Doctores condemnant filium, qui non quidem percutit, deliberate tamen manum levat ad percutiendum Patrem vel Matrem. Ita Sayrus *lib.* 7. *Clav. Reg. cap.* 5. *num.* 2. Tamburinus *ubi supra* §. 2. *n.* 12. Filliucius *cit. n.* 17.

557. Colliges quinto, Etiam illas filias ac filios a peccato mortali non esse absolvendos qui Parentes suos verbis contumeliosis proscindunt, probris, aut convitiis lacerant, aliisve gestis, exprobrationibus aut factis ad notabilem iracundiam voluntarie & deliberate provocant. Ratio est eadem: quia per hoc censentur gravem injuriam inferre Parentibus. Hac de causa *Exod.* 21. & *Levit.* 20. dicitur: *qui maledixerit Patri suo aut Matri, morte moriatur* &c. idque procedit, ait recte Babenstuber *cit. n.* 12. sive Parentibus vivis quis maledicat, sive defunctis. Loquimur tamen hic de illis, qui *voluntarie* & *deliberate*, & quidem *ad notabilem iracundiam* provocant &c. quia & in hoc potest peccari venialiter duntaxat vel propter indeliberationem & imperfectionem actus; vel quia verbum aut factum de se non fuit ita contumeliosum, & iracundia gravis solum ex quadam sinistra apprehensione, indispositione, vel colera Parentis ortum traxit. Videatur Sayrus vel Babenstuber *loc. cit.*

558. Colliges denique sexto, Etiam illos filios a peccato non esse immunes, quos pudet suorum Parentum, ita, ut sibi dedecori ducant, reputari, aut haberi pro filiis ipsorum: quod sane haud infrequenter contingere natum est, quando illi, qui a pauperibus nati, ad quodcunque demum dignitatis fastigium evectos se sentiunt; & hæc doctrina saltem tunc locum habere debet, quando filius ita se gerit, ut Parentes, aliive possint advertere, id fieri ex pudore, & quasi contemptu Parentum. Ratio est: quia ejusmodi contemptus ac fastus ex parte filii nedum de se scandolosus est, sed & graviter afflictivus Parentum. Hac ratione *Proverb.* 19. dicitur: *qui affligit Patrem, & fugat Matrem, ignominiosus est, & infelix*. Secus dicendum foret, si filius ideo duntaxat erubescat Parentes suos profiteri; quia scit, eos infami crimine v. g. proditionis, hæreseos, furti &c. notatos, vel publico supplicio affectos, vel quia rationabiliter timet aliud grave incommodum aut damnum, ex eo, quod manifestaret suos Parentes. Videantur de hoc Sporer *cit. c.* 5. *n.* 31. Filliucius *n.* 6. Tamburinus *n.* 17.

CONFERENTIA VIGESIMA.

De Obligatione Parentum erga filios seu Liberos.

SUMMARIUM.

559. *Parentes jure naturali divino tenentur filios suos amare, & educare.*

560. *Amare quidem amore nedum ex-sed & interno, ordinato tamen.*

561. *Educare autem tam spiritualiter, quam corporaliter.*

562. *Edu-*

562. *Educatio spiritualis tria importat, scilicet 1. Doctrinam sanam. 2. Exemplum bonum, & 3. correptionem charitativam.*
563. *Quomodo filii charitative sint corrigendi.*
564. *Educatio corporalis similiter tria exigit, nempe 1. Providentiam vitæ, seu de vita filiorum conservanda. 2. Providentiam victus, & 3. Providentiam status in futurum.*
565. *Ex filiis illegitimis alii naturales, alii spurii appellantur.*
566. *Illegitimis parentes non tenentur præstare omnia illa, quæ legitimis.*
567. *Quomodo Mater teneatur alimentare prolem.*
568. *Resolvitur Casus I. Cujusdam puellæ luxuriosæ, quæ ob iteratam impraegnationem a Parentibus derelicta duos gemellos recenter natos occiderat.*
569. *An Parentes hanc potuerint juste domo paterna excludere.*
570. *Et an potuerint eandem ob prædicta scelera exhæredare.*
571. *Resolvitur Casus II. De quodam parvulo, qui Catechistæ respondendo mirum in modum confudit Matrem prope adstantem.*
572. *Parentes coram parvulis suis minus caute utentes conjugio, graviter peccare possunt peccato scandali.*
573. *Graviter insuper contra Virtutem pietatis peccant, si prolibus suis cœco amore inescati omnia dissimulent, permittant, & nihil corrigant.*
574. *Resolvitur Casus III. De quodam Parente, quem ob supinum neglectum educationis filius supra scalam in manibus Carnificis constitutus coram plebe accusavit.*
575. *Si Mater post triennium elapsum cogatur sola enutrire filium, potest saltem in foro conscientiæ a Patre prætendere, vel tacite compensare expensas alimentorum.*
576. *Idipsum poterit, si post mortem Patris, facta præsertim divisione bonorum, familiam sola gubernet, nisi gratis voluerit alimenta præbere filio.*
577. *Parentes graviter delinquunt filiis suis male imprecando.*
578. *Parentes rusticani a Confessariis adhortandi sunt, ut tempore hyemali saltem liberos suos in doctrina Christiana instruant, vel instrui ab aliis curent sollicite.*
579. *Qui hoc negligunt ex mera tenacitate, ut scilicet sumptibus parcant, severius (inter limites tamen modestiæ) a Confessariis reprehendendi sunt.*
580. *Non tamen tenentur facere expensas pro alimentatione, nisi secundum proportionem facultatum, & juxta morem Patriæ.*
581. *Quodsi hoc neglexerint, tenentur postea solvere debita a filio ratione alimentorum necessariorum contracta.*
582. *Peccant insuper per se loquendo graviter illi Parentes, qui proles suas recens natas in Ecclesiis, vel alio loco publico exponunt, & tecto quidem nomine, deinceps alendos in Orphanotrophio, hospitali, vel ab aliis &c.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur, quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Obligatione Parentum erga suos Liberos.

Quæres primo, ad quid teneantur Parentes respectu filiorum, seu liberorum?

559. R. Parentes tenentur filiis amorem & educationem, idque jure divino naturali. Ita *ad unum omnes*. Ratio hujus obligationis fundatur in visceribus naturæ & titulo generationis: certe bruta animantia videntur amare suos fœtus, eosdemque pro viribus educare & alere: & hac fortassis de causa in decalogo non fit specialis mentio hujus obligationis Parentum erga filios, esto fiat mentio obligationis filiorum erga Parentes: multo enim fortior est inclinatio naturalis Parentum erga filios, quam horum erga illos, etsi subin aliqui Parentum inveniantur, qui nescio quantum ab instinctu naturæ declinantes, minorem videntur portare amorem erga suos liberos, quam bestiæ irrationales erga suos fœtus.

Quæres secundo, quomodo Parentes teneantur filios suos diligere?

560. R. Amore nedum externo, sed interno etiam, ordinato tamen. *Omnes*. Ratio hujus patenter colligi potest ex dictis supra *n.* 534. & 535. quemadmodum enim filii.

filii Parentes, & quisque seipsum, ita & Parentes filios ac liberos suos velut aliquid sui, carnem de carne sua tenentur sincere diligere, eisdem benevolendo, benefaciendo; mala pro posse ab iisdem avertendo &c. Hinc fit, ut illi Parentes, qui propria pignora sine justa ratione odio, rancore aut pravo affectu persequuntur, domo expellunt, vel suo dedignantur aspectu, vel uni favent, reliquos quasi adulterinos tractant &c. nedum Deo, Angelis, sed & hominibus reddant se odiosos, & multum abominabiles. Unde Apostolus *Ephes.* 6. ait: *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros*. Dixi tamen rursus, amore ordinato, scilicet non plus, quam Deum, ita, ut omnia ipsis indulgeant, Deum postponant, vel offendant &c.

Quæres tertio, Qualem educationem parentes debeant filiis suis?

561. R. Debent iisdem duplicem educationem, scilicet nedum corporalem, sed & spiritualem. Communis apud Sporer *tr.* 3. *decalog. c.* 5. *n.* 38. Ratio est: quia homo est creatura rationalis, qui præter illud esse materiale seu corporale commune cum ceteris animalibus insuper participat a Deo animam rationalem nobilissimam, Divinitatis imaginem, estque creatus, ut in Deum ceu ultimum finem supernaturalem tendat: ergo a suis Parentibus primario nedum corporaliter debet educari, sed vel maxime etiam in hunc finem supernaturalem dirigi & instrui; id, quod Sanctissime præstitisse legitur B. Tobias, dum *Tob. cap.* 4. filium suum instituisse legitur sequentibus omnino verbis: *Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & cave, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei Nostri --- omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant*. Plura de hoc videri possunt in eodem libro Tobiæ. Verum pro clariori notitia hujus obligationis

Quæres quarto, Quidnam importet educatio spiritualis filiis debita a Parentibus?

562. R. Educatio spiritualis tria potissimum importat, scilicet 1. doctrinam. 2. bonum Exemplum. 3. Correptionem. Ita Tamburinus, Sporer, Henno *tract. in decalog. disp.* 4. *q.* 4. *concl.* 3. 4. & 5. & *alii communiter*. Explico brevissime.

I. Doctrinam scilicet sanam de iis, quæ ad assequendam salutem scitu sunt necessaria, nec non ad debite sperandum & honeste vivendum &c. Ratio hujus obligationis patet ex proxime *n.* 561. dictis: quia scilicet, tametsi Parentes generent filios mundo, non tamen propter mundum, sed propter Deum laudandum & assequendum, consequenter media in hunc finem necessaria debent illis administrare: talia autem media sunt doctrina sana de rebus fidei, Sacramentorum, & mandatorum Dei &c. Hinc *Deuter.* 11. dicitur: *docete filios vestros* (verba mea) *ut illa meditentur* &c. & *Eccl.* 30. habetur: *doce filium tuum, & operare in illo &c.* quocirca tamen illud observandum est, quod Parentes huic obligationi possint satisfacere curando, ut filii ab aliis, utputa Ludimagistris, Præceptoribus, Catechistis &c. erudiantur in hac doctrina; quo casu illa] Regula 72. *Juris in* 6. verificabitur: *qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum*: nec dubium, quin proles plerumque per hujusmodi instructores perfectius erudiri valeat, quam per ipsos Parentes, utpote a potiori vel minus eruditos, vel aliis negotiis distractos, & impeditos.

II. *Exemplum bonum* Parentes debent filiis. Ratio est: tum quia verba quidem movent, exempla autem ad sequelam quodammodo trahere noscuntur; tum etiam quia, si Parentes ipsi noscantur malis moribus imbuti, parum vel nihil verbis movebunt liberos ad sectandos bonos mores. Unde D. Hieronymus *Epist.* 7. *ad Lætam mementote* (ait) *vos Parentes Virginis, magis eam exemplo doceri posse, quam voce* &c. Quocirca Parentes vel maxime cavere debent, quantum ad usum Matrimonii, ne filii aut filiæ in eadem fortassis camera jacentes male videant, vel ex aliis indiciis advertant, quod melius ignorassent. Nec sine causa P. Sporer *cit. n.* 35. Pro! exclamat; quot peccatis scandalorum hic se intricant mali, & incauti Parentes.

III. De-

III. Denique Parentibus incumbit filios aut filias delinquentes *corripere*, modeste tamen ac discrete, & cum prudentia. *Omnes*. Ratio hujus facile colligitur ex jam dictis; Parentum quippe est filios dirigere in viam salutis : at hoc nunquam præstabunt, nisi errantes & delinquentes corripiant : ergo. Hac de causa *Proverb.* 13. dicitur : *qui parcit virgæ, odit filium suum : qui autem diligit illum, instanter erudit*. Et rursus *cap.* 23. dicitur : *noli subtrahere a puero disciplinam ; si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis* &c.

563. Diximus tamen : *moderate ac prudenter* corrigendos esse liberos : enim vero castigatio immoderata, & nimius Parentum rigor vel severitas in corrigendis liberorum defectibus plus obesse, quam prodesse noscitur; præterquam enim, quod nullum inde sperare liceat fructum, filios reddit pusillanimes ac desperabundos & loco amoris Parentibus debiti parit contemptum, immo & exitiale odium subinde. Nec dubitandum, quin bonus Parens plus verbis charitativis, quam verberibus, & immoderata castigatione sit affecturus.

Quæres sexto, Quidnam educatio corporalis requirat, vel importet?

564. R. Educatio corporalis pariter importat tria. 1. Providere scilicet, & invigilare ad conservandam prolium vitam. 2. providere de victu, & vestitu &c. 3. providere de statu futuro &c. Ita rursus Sporer *cit. numer.* 40. *& seqq.*

Explico rursus brevissime singula membra.

I. Providentia vitæ postulat, ut tam Pater quam Mater sedulam gerant curam, ne quidquam agant, quod a tempore conceptionis prolis vitæ, sanitati aut perfectioni naturali obesse possit, sive ante, sive etiam post partum, præsertim usque ad triennium. Quocirca juxta sententiam multorum graviter peccare possunt Parentes 1. qui tempore menstrui inordinatis commixtionibus vacant, ex quibus regulariter proles miseræ ac monstruosæ gigni solent. 2. Item si tempore, quo Mater vicina est partui, & multum prægnans, cum periculo abortus importune coeant &c. 3. Si Maritus uxorem prægnantem dire tractet, verberando, vel quod pejus est, pedibus conculcando &c. aut ad gravem iracundiam non sine præviso partus periculo concitando &c. 4. graviter delinquunt fœminæ, quæ tempore prægnationis noxia edunt aut bibunt, vel onera gravia levant, portant &c. saltant, vel alios quoscunque demum notabiles corporis gestus, vel agitationes exercent, non sine periculo abortus &c.

II. Ad *Providentiam Victus* prolibus procurandi pertinet 1. nedum alimenta ad conservationem vitæ necessaria charitative eisdem procurare, sed insuper de honesto vestitu, lecto, & habitatione congrua, itemque de medicinis ad recuperandam sanitatem forte deperditam necessariis providere. In his omnibus Parentes culpabiliter & graviter negligentes peccant per se loquendo mortaliter : quia in materia gravi salutem tum corporis, tum animæ etiam saltem indirecte concernente minime satisfaciunt suæ obligationi. Ita *DD. communiter*.

III. *Providentia Status* in futurnm requirit 1. ut Parentes juxta proportionem sui status curent filios erudiri in artibus congruis, utputa nobiles in exercitiis nobilium seu etiam artibus liberalibus : Plebeos in aliis artificiis plebeorum &c. juxta filiorum capacitatem instrui curent, quatenus cum tempore sibimet sufficiant ad lucrandum panem. 2. ut expensas pro similibus, vel etiam pro studiis ipsimet Parentes solvant, vel saltem non impediant, si filius cujuscunque demum beneficio velit se applicare; quandoquidem filius rationabiliter eligit talem statum, ad quem Parentes potius opem ferre debent, quam ponere obstaculum &c. tertio insuper tenentur Parentes pro filiis thesaurizare, quantum salva justitia & eorum indigentia fieri potest, juxta illud Apostoli 2. *Corinth.* 12. *Non debent filii thesaurizare Parentibus, sed Parentes filiis*. Quocirca Parentes nedum per defectum, dum scilicet nullam prorsus curam gerunt de providendis aliquando liberis, v. g. filiæ de honesta ac competenti dote &c. sed & per excessum peccare possunt; dum

dum nimia avaritia & bonorum temporalium cupiditate, animove liberos suos ad magnos honores, dignitates, divitias &c. evehendi per fas & nefas congregant (verius dicerem) rapiunt, quidcunque possunt, quæ postea filiis evadunt in laqueum, scandalum & ruinam, dum resciunt, hujusmodi bona a suis progenitoribus injuste fuisse collecta, & tamen nihil amplius illis, quibus de jure deberentur, restituunt. Videantur de hoc Sporer *num.* 42. Babenstuber *ubi supra art.* 2. *num.* 6. Filliucius *tr.* 28. *part.* 2. *num.* 28. Reiffenstuel *tr.* 9. *dist.* 2. *num.* 17.

Quæres sexto an hactenus enarrata omnia Parens teneatur præstare etiam filio illegitimo?

565. Ante responsionem gnaviter distinguendum est inter illegitimos filios; alii enim dicuntur *naturales*, alii omnino *spurii*, licet uterque dicatur illegitimus, eo quod extra Matrimonium, & non ex toro legitimo sint procreati. Itaque illegitimi *Naturales* illi vocantur, qui a personis merum solutis, habilibus tamen ad matrimonium contrahendum nascuntur: & tales postea subsecuto Parentum matrimonio ipso facto legitimantur: non subsecuto subin legitimari solent auctoritate Comitum (ut vocant) Palatinorum.

Illegitimi *Spurii* illi appellantur, qui nascuntur ex copula damnata per leges, utputa ex adulterio, incestu, Sacrilegio &c. & universim omnes illi, qui a talibus personis generantur, quæ tempore coitus secundum leges erant inhabiles ad invicem, ita, ut matrimonium inter se valide non potuissent contrahere. Hoc notato

566. R. Jam ad præsens quæsitum. Filio illegitimo parens non tenetur omnia præstare, quæ potest aut tenebitur legitimo. Ita *communis & certa DD.* sententia, nam esto illegitimo tam spurio, quam naturali teneatur de jure naturæ exhibere amorem, instructionem, exemplum, & correctionem, sicut cuivis legitimo: esto insuper filio illegitimo teneatur præstare alimenta, possitque, si velit filio merum naturali in defectu aliarum prolium legitimarum omnia sua bona donare, vel testamento relinquere, prout fuse probat Sanchez *tom.* 2. *consilior. lib.* 4. *c.* 7. *dub.* 16. præter alimenta tamen ad vitæ sustentationem necessaria, vel dotem filiæ spuriæ (quæ loco alimentorum succedit) nihil tenetur hæreditate relinquere, neque thesaurizare, sed hæc debentur duntaxat filiis legitimis; quorum intuitu ne quid his subtrahatur, jura civilia olim prohibuere, dare alimenta prolibus, aut filiis spuriis; quæ tamen quantum ad hoc haud immerito correcta fuere per jus Canonicum *c. cum haberet, de eo, qui duxit &c. &c. per venerabilem: qui filii sint &c.* eo quod Pater de jure naturæ teneatur alere filium quocunque demum, vel ex quocunque coitu genitum. Videantur Laymann *lib.* 3. *tr.* 3. *part.* 3. *c.* 14. Tamburinus *lib.* 5. *c.* 3. §. 1. *a n.* 6. Molina *tom.* 2. *de justit. disp.* 168. Henno *ubi supra q.* 5. Filliucius *tr.* 28. *part.* 2. *num.* 30.

Quæres denique septimo, an, vel quomodo Mater teneatur alimentare filium, aut filiam?

567. R. Mater filium aut filiam etiam spuriam tenetur 1. alere usque ad finem tertii anni, post triennium vero educatio usque ad emancipationem pertinet ad Patrem. Ita statuitur *L. nec filium C. de Patr. potest.* Si tamen Mater esset dives, & Pater pauper, tunc Mater tenetur alere filium: idipsum dicendum, si Pater deficiat, vel moriatur, aut non possit alimenta procurare, tunc enim tenebitur Mater *L.* 5. *ff. de Liberis agnoscend.* si autem etiam Mater deficiat, tenebuntur Avi, & alii ascendentes. Secundo singulariter incumbit Matri lactare filios per se, vel per bonam nutricem, quando id justa de causa per se non potest, ut si lacte sit destituta, vel admodum imbecillis, vel inops, ita, ut lactando alium infantem sibi, suisque victum procurare cogatur: vel si Mater sit admodum illustris, ac nobilis, in locis, in quibus more receptum est, prout in hisce partibus nostris communiter fieri assolet apud nobiles, ut proprio lacte non nutriant filios, ne inde nimium emacerentur, suamque pulchritudinem naturalem deperdant: per se loquendo tamen Matres sine ulla causa ubera sua filio lactando subtrahentes peccant ad minus venialiter, propatereaque tales a Doctori-

ctoribus, & Scriptoribus etiam ethnicis reprehenduntur, velut minus charitativæ. Videatur Azorius *institut. mor. tom.* 2. *l.* 2. *c.* 4. *qu.* 3. 4. & 5. Filliucius *ubi supra c.* 2. *num.* 43.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici tangentes Obligationem Parentum erga Liberos suos.

CASUS PRIMUS.

T*Itia puella octodecim circiter annorum ab Amasio suo sub spe futuri matrimonii fuerat impraegnata, propterea que Parentum suorum honestissimorum offensam incurrit & disgratiam: reconciliata denuo Parentibus, nec ob id Amasium deseruit, nec a luxurioso vivendi modo destitit, sed sub quolibet ligno frondoso prosternebatur effrons meretrix, scortum infame, ut jam tertio portaret uterum nunquam adhuc contracto matrimonio. Parentes summo dedecori id sibi ducentes filiam nec aspectu dignabantur, neque alloquio, interdicta etiam eidem domo paterna: Titia e contra multis miseriis oppressam, & ab omnibus, quasi derelictam se sentiens, nedum in magnam pusillanimitatem, sed prope in omnimodam desperationem prolapsa est, quamobrem vel sibi vel certe foetui, quem portabat in utero, mortem inferre sæpius proposuerat: tandem ad angustias partus devoluta, nocturno tempore domum paternam latenter ingressa fuit, sefeque in fœno, cujus abundantiam invenerat, abscondit a facie totius mundi. Sub noctis medium vero sola in tenebris ab omnibus quasi derelicta enixa fuit duos gemellos, quos eadem hora priusquam lucem aspexerant suffocando miserabiliter & luce & vita privavit infelix mater. Nec poterat diu latere infandum scelus, quin altero die illico ex certis quibusdam reliquiis partus, & indiciis apud domesticos veniret in suspicionem Titia: immo vero conscientia rea omni carnifice crudelior nullam amplius infanticidæ concesserat requiem; hinc mortem ipsam tollerabiliorem existimans, propria sponte accessit Judicem, & confessa delictum juxta qualitatem criminis plecti postulavit; id quod etiam haud difficulter obtinuit ob meritum causæ dextra manu, & capite paulo post obtruncata. Jam ad nostrum propositum quæri potest* 1. *an Titia peccaverit, proponendo, quod vel sibi, vel fœtui velit inferre mortem; eo quod propterea viderit contemptui & aliis miseriis se expositam?* 2. *An Parentes filiam hanc ob vitam scandalose protractam, juste potuerint dedignari alloquio, excludere domo &c. etiam in tantis miseriis, & in ipso periculo partus?*

568. R. Ad prius quæsitum, Titiam procul dubio peccasse, & quidem mortaliter; nedum contra justitiam, sed & contra pietatem, quam Parens debet proli etiam nondum natæ, dum vel solum proposuit, quod fœtui velit inferre mortem, & a fortiori, dum jam enixos gemellos suffocavit. Ratio de se liquet ex dictis *num.* 564. Neque propterea, quod ex iterata impraegnatione animadverterit sibi imminere multas, & quasi extremas miserias, contemptum &c. licuit occidere innocentes &c. cum hoc sit intrinsece malum, & hoc ipso nullo casu, nullo eventu cohonestabile &c. Quin immo & procurationem abortus alicujus fœtus nondum animati, veluti intrinsece malam nequaquam cohonestari posse ob finem declinandi infamiam, vel alias miserias &c. sub prætextu, quod talis fœtus se habeat ad instar injusti aggressoris &c. ex professo tradidimus *part.* 3. *Theol. Sacram. Confer.* 19. *num.* 464. Neque enim ullatenus facienda sunt mala, ut eveniant bona *c.* 8. & 10. *XXXII. q.* 4. Videantur *dicta loc. cit.*

569. R. Jam ad posterius quæsitum. Parentes quidem haudquaquam peccasse, filiam tot scelerum ream, & infamem dedignando alloquio, vel excludendo domo paterna; tum in vindictam criminum, tum etiam ad correptionem justam, præsertim cum Titia jam semel, & fortassis sæpius Parentibus reconciliata resipiscere noluerit, quin potius peccata peccatis, infamiam infamiis cumulaverit, non sine permagno dedecore familiæ: Parentum quippe secundum dicta *n.* 562. est, filios ac liberos corripere moderate: atqui dedignatio

tio alloquii vel aspectus, exclusio e domo paterna &c. comparative ad delicta Titiæ non fuit pœna immoderata: ergo &c. Censeo tamen, Parentes hos minus pie fuisse acturos, & graviter peccaturos, sive prævisо & agnito actuali periculo partus Titiam ab omnibus (ut fertur) derelictam non admisissent ad domum, nec periclitanti succurrissent &c. Ratio est: quia quivis saltem ex charitate (Parentes insuper suis prolibus ex pietate) tenetur succurrere proximo etiam inimico suo extreme periclitanti: atqui minime dubitandum est, quin Titia tempore partus extreme periclitata fuerit: & licet hæc fuerit satis rea, atque culpabilis, tamen gemelli recenter effusi erant innocentes, & commiseratione digni; quandoquidem & hi propterea fuerint expositi extremo periculo corporis & animæ, prout tragicus eventus demonstravit: ergo Parentes peccassent, si Titiam non obstante & agnito etiam partus periculo domo exclusissent. Videantur, quæ de hoc diximus *part.* 2. *Theolog. decalog. Confer.* 7. *n.* 213.

Dices: Sed nunquid Parentes potuissent hanc filiam juste exhæredare propter tot scelera & infamiæ notam honestæ familiæ aspersam quodammodo?

570. R. Potuissent procul dubio, saltem in foro conscientiæ; nam inter alias causas exhæredandi jure per *Authent. ut cum de appellat. cognoscitur* §. *causas autem* &c. permissas etiam hæc est: *si Patre offerente dotem filia minor viginti quinque annis luxuriose vixerit* &c. At, hoc certo verificatur de Titia; ergo Parentes, saltem in foro conscientiæ hanc possunt juste exhæredare: ut autem in foro externo idipsum permittatur, debebit probare, quod filiæ dotem obtulerit: quo facto & alimenta negare (extra extremam necessitatem) posset Parens, nec amplius teneretur eidem filiæ dotem constituere, quippe quæ ob ingratitudinem non amplius mereretur appellari filia, prout tenent Molina, & alii plures cum Sanchezio *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 26. quamquam non desint alii Doctores videndi apud eundem Sanchez, qui putant probabiliter etiam tali filiæ alimenta ad vitæ sustentationem necessaria deberi, eo quod propter hujusmodi scelera non amittat esse physicum filiæ, quod a Parentibus obtinuit. De aliis causis exhæredandi liberos videri possunt Azorius *tom.* 2. *lib.* 2. *c.* 3. *q.* 6. Busenbaum apud de la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 69. Sporer *tr.* 3. *in decalog. c.* 5. *n.* 61. Tamburinus *l.* 5. *in decal. c.* 3. §. 1. *n.* 8.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia maritata filiolum suum quinquennem inter alios parvulos præsentaverat in Ecclesia ex doctrina Christiana examinandum, hunc dum Catechista, quid sciret? jussit edicere, parvulus non nihil hæsitans & subridens respondit: scio aliquid, sed non audeo dicere: instititit Catechista, & promisso præmio jussit, audacter ediceret, quidquid illud esset, qui Matre simul adhortante & animante coram omnibus prorupit in hæc verba: hodie Pater meus in camera amplexatus & osculatus est matrem meam. Quam hæc inopinata, quam omnibus inexspectata responsio fuerit, quantum insuper Matri audienti & adstanti ruborem expresserit, quisque prudentum facile capiet. Casus tamen non fictus, sed factus est, quem licet non adeo resolutu difficilem, curiosum tamen partim ad Confessariorum eruditionem, partim etiam ad Parentum fortassis audientium vel legentium cautelam proponere placuit. Ad forum nostrum id unicum interrogari potest, an vel qualiter præfati Conjuges peccarint, in conspectu parvuli sese amplexantes & osculantes?

671. R. ad hanc quæstionem, quod si amplexus & oscula fuere lasciva, procul dubio peccaverint Parentes, & quidem per se loquendo mortaliter coram parvulo talia exercentes, secus, si non fuissent lasciva, obiter vel absque corporis denudatione facta &c. Ratio hujus distinctionis est; quia tametsi hujusmodi amplexus & oscula liceant Conjugibus, non tamen absque periculo scandali, & quidem gravis fieri possunt priori (id est lascivo modo) coram parvulo quinquenni, vel majoris adhuc ætatis: ergo Parentes talia in præsentia liberorum exercentes peccant peccato scandali contra charitatem & pietatem suis prolibus debitam.

Quanta enim ex hujusmodi incauto agendi modo coram prolibus etiam tenerioris ætatis, nata sint suo tempore oriri scandala, peccata, & offensiones Dei, fortassis Confessariis magis, quam ipsis Parentibus notum erit: esto enim tempore hujus tam teneræ ætatis liberi nondum apprehendant rem, adultiores tamen facti gravius ceteris innocentibus tentari solent, dæmone hujuscemodi species resuscitante, propertereaque facilius in impudicitias prolabuntur.

672. Confirmo hoc exemplo, quod quædam mulier non sine conscientiæ remorsu olim mihi narravit: Pater! ajebat hæc, dum nuper adverti filiam meam ab aliquo impraegnatam, acrius eam reprehendi; quæ illico mihi reposuit: hujus mei lapsus causam tibimet imputes, oportet; cum enim parvula adhuc sæpius viderem Patrem rem tecum habentem, jam adulterior facta, quod tunc non intellexeram, volui experiri, quid rei esset, quidve delectamenti in hoc agendi modo inveniretur: tentavi, & jam detestor factum, nec minus malum exemplum; quod si nunquam vidissem, fortassis in hodiernum diem nec innocentiæ, neque Virginitatis jacturam incurrissem. Utinam omnes Conjuges hanc facti speciem rescirent, fortassis cautius deinceps tractarent coram prolibus suis ea, quæ quidem inter se honeste fieri, minime tamen a prolibus vel aliis honeste & absque scandalo videri possunt. Quod autem hic dictum est de Conjugibus minus caute inter se agentibus, a fortiori intelligi debet dictum de Parentibus, qui vel proles suas infando scelere ad peccata carnis sollicitant; vel cum aliis extra Matrimonium rem habent, prolibus illius rei consciis: hi profecto sunt, *qui parvulos Israelis allidunt ad petram*, Scandali scilicet.

Sed quid, ais, de illis Parentibus tenendum, qui omnia dissimulant (ne dicam approbant) esto sciant filium aut filiam amoris vinculo irretitos sæpius convenire temporibus ac locis suspectis &c. &c.?

573. R. Etiam tales nequaquam absolvendi sunt a peccato impietatis; quia secundum dicta n. 562. Parentibus incumbit gravis obligatio filios ac filias delinquentes corripiendi, scandala impediendi, quod cum non faciant, esto revera & possent, ac deberent, eorundem peccatorum carnalium reos sese faciunt; nam qui tacet, consentire videtur. *per Reg. 43. J. in 6.* Idque a fortiori dicendum est de illis Parentibus, qui sub spe Matrimonii favorabilis etiam viam sternunt ad hujusmodi conventicula præsertim nocturna, ubi solus cum sola conversetur: id ipsum intelligas velim de aliis Parentibus, qui cæco & nimio amore carnali captivati filiis aut filiabus in juventute tenera omnia permittunt, omnia dissimulant &c. tales profecto sibimet flagella cudunt, & quanto fuere indulgentiores in juventute filiis, tanto eosdem sibimet rigidiores justo Dei judicio experiuntur in senectute. Nec mirum; nam propter eandem causam Heli Sacerdotem magnum a Deo severius castigatum legimus: de quo S. Chrysostomus *hom. 9. in Epist. ad Timoth.* ait: *Heli propter filios periit; illos quippe, cum acrius coercere debuisset, verbis tantum levibus monu t: quocirca, dum illis molestus esse severa increpatione recusat, illos, & seipsum una perdidit. Audite hæc Patres.* Ita Sanctus.

CASUS TERTIUS.

Cajus multorum Liberorum Pater minimam sane ac postremam filiorum curam gerit, quin potius Uxore ac prolibus sine cibo, sine vestitu competenti relictis, quidquid hinc inde facili labore acquirit, eadem facilitate dilapidat, id unum Uxori dehortanti, & ad Liberorum curam sæpius adhortanti respondere solitus: nudus ego ingressus sum mundum, nudus inde egrediar: a meis Parentibus nihil obtinui, sed labore ac industria quæsivi, quo me sustentarem: sequantur exemplum Patris filii: provideant sibimet, qui sustententur; mihi sufficit, eisdem dedisse & esse, & vivere. Uxor Caii e contra quantumvis sollicita, non tamen erat sufficiens prolibus omnibus alendis, quas proin permisit hinc inde vagari, & quærere victum &c. quo factum, ut unus alterve filius necessitate compulsus cœperint pauca hinc inde esculenta clepere; successu temporis in hac arte liberali, jam magis practicati, tantum profecere,

ut major natu in flagranti deprehensus, confessus plurima furta, tandem lata mortis sententia ad altiora fuerit promotus; jamque in supremo gradu sub potestate & arbitrio Carnificis constitutus cœpit in hunc modum fari ad populum in magna copia adstantem spectaculo: Notum sit omnibus, ajebat ille, me solius Parentis mei incuria ac negligentia ad hunc miserum statum & infamem mortem devolutum, qui, si majorem ut oportuisset, mei curam habuisset, & ad vitæ sustentationem necessaria procurasset, nunquam sane hoc miserum & infame mortis supplicium incurrissem: discant ergo Parentes ex me, quanti referat prolium curam gerere &c. Jam ad nostrum intentum quæri potest, an Cajus graviter deliquerit negligendo liberorum curam, &c. &c.

574. R. Minime dubitandum, quin mortaliter deliquerit. Ratio hujus resolutionis liquet ex dictis *n.* 564. quia ad educationem corporalem prolibus jure naturæ debitam pertinet, ut Parentes prolibus provideant de victu necessario & vestitu honesto juxta proportionem status, ita, ut si secus fecerint, graviter contra pietatem delinquant: frivola autem prorsus fuit excusatio Caji, quod nudus fuerit ingressus mundum, nihil a Parentibus acceperit &c. frivola, inquam, est; non enim quid Parentes Caji fecerint, sed quid secundum leges & jus naturæ facere debuissent, attendendum: debuissent autem certe & ipsi suis liberis pro viribus providere de honesta sustentatione naturæ, & vestitu congruo: ergo &c. Facilius tamen Mater seu Uxor Caji excusanda est a peccato gravi, quippe quæ, ut Casus fert, non erat sufficiens alendis tot prolibus, licet & hæc potuerit peccare graviter, & alienorum peccatorum participem sese reddere, si supponatur scivisse filios furando hinc inde se sustentare &c. & tamen non contradixit, nec ad sectanda meliora charismata admonuit. Ratio horum omnium patet ex dictis *loco proxime cit.*

Sed quid, ais, si talis Mater sola sua industria, arte ac labore alat liberos, Patre, etsi potuisset, nihil prorsus contribuente, poteritne a Patre juste prætendere compensationem alimentorum, vel, si is nolit, tacitæ compensationis causa ea clam subtrahere?

575. R. Si talis mater fuit protestata, quod nolit gratis alere filios &c. & tamen non obstante tali protestatione Pater nihil contribuit, potest præfato modo prætendere alimenta, vel expensas factas tacite compensare; quia revera expensæ incumbebant Parenti; consequenter hic nequit esse rationabiliter invitus, quod Uxor illas velit subtrahere, quandoquidem propria sponte deberet eas refundere. At vero si nunquam fuit protestata, quod nolit gratis alere proles, tunc in foro externo præsumeretur liberaliter & gratis id fecisse amore mariti vel prolium, consequenter non amplius concederetur compensatio. *L. Nessennius ff. de negotiis gestis* quemadmodum (teste Sanchezio de *Matr. lib.* 9. *disp.* 5. *num.* 7.) si Maritus Uxorem alat nondum soluta dote, censetur eam grati voluisse alere. Nihilominus Azorius *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *qu.* 10. Tamburinus *lib.* 5. *c.* 3. §. 2. *n.* 4. & alii plures Doctores probabile putant, quod talis Mater pro foro conscientiæ adhuc possit compensare alimenta, tametsi ex timore aliove respectu humano nunquam protestata fuerit, modo revera alimenta illa administraverit animo eadem compensandi, neque etiam plus subtrahat, quam Maritus expendere debuisset: idque probare nituntur per *L. si quis a liberis*, & *L. si Mater ff. de liberis agnoscendis*. Et revera nullam nec Patri, neque etiam prolibus infert injuriam compensando tacite ea, quæ in eorundem bonum expendit.

Quidsi ergo (inquies adhuc) mortuo Patre sola Mater (nullo coexistente Tutore) administret familiam, & alimenta procuret, poteritne tunc a filio prætendere compensationem alimentorum?

576. R. Si post obitum Patris pariter bona fuerant divisa, parte sua cuivis tam Matri scilicet quam filio assignata, præsumitur Mater noluisse gratis administrare; propterea namque communiter fieri assolet rationum & liberorum distincta divisio: at vero si bona mansere indivisa, & Mater nunquam protestata fuit contra alimentationem gra-

tuito

tuito præstandam, in foro externo præsumetur gratis, & ex amore filii fecisse, idque vel maxime, si filius multum laboraverit in administranda familia, vel re domestica: ideoque ex hac suppositione Mater non permitteretur compensare alimenta. Illud quoque certum esse debet, quod Mater nequeat tuta conscientia compensare, vel de portione filii subtrahere æstimationem sui laboris, quem in educatione filii expendit; quia Mater pro filio laborem suum gratis impendere jure præsumitur, immo fortasse jure cogitur, ait recte Tamburinus *loc. cit. n.* 6. Videantur de his Sporer *ubi supra n.* 54. Henno *tr. in decalog. disp.* 4. *q.* 5. *Resol.* 5. *&* 6. *post. Concl.* 2. Gobat *in Quinar. tr.* 5. *c.* 28. *sect.* 2. *a. n.* 16. Felix Potestas *Exam. Confessar. tom.* 1. *part.* 2. *n.* 2055.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

577. Colliges ex hactenus dictis primo, Parentes graviter peccare, si liberis suis mala imprecentur v. g. dicendo: diabolus te rapiat: eas in malam crucem: tabescas omnibus membris ac sensibus &c. Quod si hæc & similia proferant ex vero odio erga filios aut liberos, duplex peccatum grave committunt, unum scilicet contra pietatem, alterum contra charitatem. At vero si similia pronuncient ex subitanea iracundia absque animo ut eveniant &c. sed eo potius fine, ut filius per hæc similia absterreatur, se corrigat &c. solum venialiter peccant contra virtutem mansuetudinis & pietatis. Ita Laymann *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 8. *n.* 8. eumque secutus Matthæucci in Cautela Confess. *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 14. ubi hic sapienter subdit: quia tamen res periculosa est, ne filius audiens Patrem sibi maledicere in faciem, iram & odium contra eundem suum Parentem concipiat, hinc a Confessariis tales absterrendi sunt.

578. Colliges secundo, etiam Parentes Rusticanos a Confessariis esse adhortandos & adigendos ut filios suos vel liberos tempore hyemalis saltem curent instrui sive per se, sive per alios Ludimagistros: certum quippe est ex supra dictis *n.* 562. Parentibus hanc incumbere obligationem: cui cum ob labores tempore autumnali vel vernali instantes regulariter non possint satisfacere, saltem hyemali tempore, quo plus otii communiter huic plebi esse solet, id faciant necessum est. Nam teste Apostolo 1. *Timoth.* 5. *qui suorum* (maxime in spiritualibus) *curam non habet, fidem* suo modo *negasse censetur, & est infideli deterior.* Deploranda sane in hoc puncto est quorundam Parentum desidia, qui omnem curam ad temporalia tantum impedentes, spiritualium ita obliviscuntur, ut ne ipsimet quidem sciant, quæ sunt ad salutem assequendam necessaria, multo minus liberos suos instruant, vel instrui curent. Quocirca oportet Pastores animarum esse vigilantes, quatenus Dei gloriam & animarum sibi concreditarum salutem promoveant, etiam per pœnas & mulctas pecuniarias (ubi ita necessum est) cogendo Parentes, ut filios suos tempore debito mittant ad Catechesin instruendos in principiis fidei Catholicæ &c. prout pluribus in locis non sine speciali animarum fructu practicari solet.

579. Colliges tertio, a fortiori etiam illos Parentes carpendos esse, & reprehendendos a Confessario, qui ut sumptibus parcant, educationem spiritualem suorum liberorum prorsus negligunt, non advertentes, melius se facturos, si virtutibus & doctrina Christiana bene imbutos curarent promovere ad Cœlum, quam divitiis temporalibus provisos exponere periculo incidendi infernum. Et certe si in tenera ætate non instituantur proles, vix unquam erit spes dirigendi eas modo debito in viam salutis æternæ; nam juxta effatum sapientis *Prover.* 22. *v.* 6. *Adolescens juxta viam suam* (quam scilicet in juventute apprehendit) *etiam cum senuerit, non recedet ab ea:* nec mirum; quia ut bene advertit Sayrus *in Clav. Reg.* puerorum animus se habet ad instar tabulæ rasæ, qui, sicut facile tempore juventutis teneræ inducitur ad bonum; ita senectutis tempore difficulter retrahitur ab illo. Videatur Matthæucci *loc. prox. cit. n.* 13.

580. Colliges quarto ea quæ supra *n.* 564.

564. de educatione prolium diximus, ita intelligenda, ut Parens secundum proportionem facultatum teneatur providere suis prolibus de victu, & vestitu &c. juxta morem Patriæ, & juxta conditionem status; nisi aliunde suppetant; nam si filius aut filia sibimet prospicere possit (honesto scilicet labore vel arte &c.) jus naturæ non amplius dictat, ut Pater pro tali filio gerat curam vel alimenta necessaria procuret &c. Ita Tamburinus *lib.* 5. *decal. c.* 3. *§.* 1. *n.* 1. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 5. *art.* 2. *n.* 2. Bonacina & alii.

581. Colliges quinto. A Patre postea solvenda esse debita, quæ filius pro alimentorum necessariorum comparatione contraxit, nisi is aliunde habuisset, quo sese honeste potuisset sustentare. Ratio patet ex dictis; quia Patri incumbit alere filium; idque verum est, tametsi filius esset spurius, vel hæreticus, vel auctoritate Principis aut Reipublicæ proscriptus &c. vel e Monasterio ejectus; quia nec hæresis, neque proscriptio Principis, neque ex Ordine Sacro ejectio possunt tollere obligationem jure naturæ impositam, nisi filius ob insignem erga Parentes proprios ingratitudinem sese reddidisset indignum nomine vel prærogativa filii &c. Dixi etiam, solvenda esse debita *pro alimentis necessariis* a filio contracta &c. Nemo enim facile obligabit Parentem ad solvenda illa debita in lusus, Convivia, comessationes &c. extraordinarie a filio prodigo contracta; nam hæc vel filius debebit ex propriis solvere, vel si non habeat, creditores sibimet debebunt imputare, quod tot crediderint absque speciali Parentum assecuratione.

582. Colliges denique sexto, etiam illos Parentes graviter contra jus naturæ delinquere, qui absque justa causa proles recens natas v. g. ex concubitu illicito vel damnato exponunt in locis publicis, v. g. in plateis, in Ecclesiis &c. postea alendas in Orphanotrophiis vel aliis hospitalibus &c. Ita Communis & *certa DD.* sententia apud Sporer *cit. num.* 41. Babenstuber *nu.* 4. Tamburinus *cit. c.* 3. *§.* 1. *nn.* 4. Felix Potestas *Exam. Confessar. tom.* 1. *part.* 2. *num.* 2047. Præterquam enim, quod tales obligationi de alimentanda prole sua minime satisfaciant, insuper prolem ipsam exponunt subin corporis & animæ periculo, vel alios innocentes damnificant saltem indirecte, dum eos cogunt quodammodo ad faciendas expensas minime debitas. Loquimur autem de illis, qui *absque justa causa exponunt* infantes alendos &c. Nam si hoc faciunt compulsi necessitate declinandi gravem infamiam, vel aliud periculum damni devitandi, probabiliter non peccant; licet, si sint divites, & aliunde habentes media, probabilius teneantur ad refundendas expensas hospitali vel Orphanotrophio, prout *part.* 3. *Theolog. Sacram. Confer.* 18. *num.* 461. diximus. Videantur de hoc Lessius *de J. & J. l.* 2. *c.* 19. *dub.* 6. *nu.* 69. vel Laymann *l.* 3. *tr.* 3. *part.* 3. *c.* 14. *num.* 4.

CONFERENTIA VIGESIMA PRIMA.

De Obligatione Superiorum erga Subditos, & vice versa Inferiorum erga Superiores.

SUMMARIUM.

583. *Pastores animarum tenentur gregem sibi commissum pascere exemplo conversationis, verbo Prædicationis, & fructu orationis.*

584. *Patres vero Spirituales (uti sunt Patrini) in defectu Parentum tenentur instruere filios spirituales in fide, & moribus Christianis &c.*

585. *Clientes e contra suis Pastoribus & Patribus spiritualibus debent amorem, reverentiam, & obedientiam &c.*

586. *Principes & Magistratus sæculares subditis suis debent bonum exemplum, eos conservare in pace, & justitiam recte administrare. Tutores similiter suos pupillos debent educare, eorum bona administrare &c.*

587. *E contra Pupilli Tutoribus, & subditi Principibus debent amorem, bono-*

honorem, obedientiam, & fidelitatem &c.

588. *Maritus tenetur Uxorem amare, fidem tori servare, debitum reddere, alimentare & gubernare eandem.*

589. *E contra Uxor præter amorem, tori fidem, ac debitum conjugale reddendum, tenetur eidem obedire in iis, quæ ad familiæ gubernationem pertinent, eundemque velut caput familiæ revereri.*

590. *Dominus tenetur famulum suum dirigere charitative, & mercedem ei debitam solvere.*

591. *E contra famulus debet suo Hero reverentiam, obedientiam seu obsequium, rationabile tamen, & fidelitatem.*

592. *Magistri ac Præceptores, vel Professores debent suis discipulis amorem, bonum exemplum, correctionem, & doctrinam sanam.*

593. *Discipuli vicissim debent suis Magistris amorem reciprocum, reverentiam & obedientiam. Denique*

594. *Quivis tenetur suo Benefactori gratitudinem rependere, agnoscendo scilicet beneficium acceptum, pro eodem gratias referendo, & illud pro facultate, loco ac tempore recompensando &c.*

595. *Resolvitur Casus I. De quodam Rustico, qui suum Parochum insigniter decepit in solutione Decimarum.*

596. *Neglectus Pastoris circa animarum curam commissus, an præbeat sufficientem causam defraudandi Decimas.*

597. *Abutens beneficentia Benefactoris positive, committit speciale peccatum in Confessione exprimendum.*

598. *Resolvitur Casus II. De quodam Marito, qui ob distortos Uxoris mores eandem cum prolibus domi reliquit, castra secutus.*

599. *Fueritne a Confessario obligandus ad mittendum e castris subsidium pro alimentatione Uxoris & prolium.*

600. *Vel ad eandem denuo recipiendam, casu quo cum prolibus voluisset & ipsa Castra sequi.*

601. *Resolvitur Casus III. Cujusdam famuli, qui in odium alterius conservi aliquoties notabiliter damnificavit suum Dominum Postarum Præfectum.*

602. *Utrum famuli vel ancillæ præter intentionem damnum aliquod suo Domino inferentes, teneantur ad restitutionem.*

603. *An Dominus famulo ægrotanti juste possit subtrahere mercedem condictam.*

604. *Animarum Pastoribus graviter incumbit reducere oves errantes modo possibili.*

605. *In cura animarum negligentes, Sacramenta non administrantes &c. graviter delinquunt.*

606. *Graviter etiam peccant Principes & Magistratus præficiendo, aut tolerando Reipublicæ Judices indoctos vel desides, vel justitiam non bene administrantes &c.*

607. *A fortiori ipsimet Judices ignorantes, vel justitiam debite non administrantes, conscientiam suam inquinant.*

608. *Maritus Uxorem suam convitiis proscindens, vel tyrannice tractans, familiæ curam negligens &c. gravis noxæ arguendus est.*

609. *Nec minoris Uxor, assueta irridere, subsannare, vel ad iracundiam, blasphemias &c. provocare Maritum.*

610. *Præceptor discipulum suum seducens ad peccandum &c. committit peccatum qualificatum.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Obligatione observantiæ Superioribus a subditis debitæ &c.

QUæres primo, quæ vel quanta obligatio incumbat Pastoribus animarum, nec non Patribus spiritualibus respectu commissorum suæ Curæ, & quæ obligatio e contrario his incumbat respectu illorum

583. R. Primo ad primam partem hujus triplicis quæsiti. Pastores animarum (quo Nomine intelliguntur Episcopi, Prælati Ecclesiæ, Parochi, & alii Superiores Religionum) tenentur sub gravi culpa pascere gregem sibi commissum 1. *Exemplo conversationis*. 2. *Verbo Prædicationis*, & 3. *fructu orationis*. Ita Henno noster *tr. in decalog.*

log. disp. 4. *q.* 6. *concl.* 1. secutus D. Bernardum *lib. de Colloquio Simonis ad Jesum: pasce oves meas. Joan.* 21. Ratio primi quod teneantur pascere Exemplo conversationis desumitur ex illo *ad Titum* 2. *in omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum* &c. Unde D. Gregorius *part.* 3. *curæ pastoral. admonit.* 5. ait: *Scire Prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt* &c. Et certe, si secundum dicta superius *n.* 562. Parentes corporales ex eo, quod filios mundo carnaliter genuerint, teneantur eisdem bono exemplo prælucere, quanto amplius ad hoc tenebuntur illi, qui ex professo tenentur animas Cœlo gignere &c.

Ratio secundi, quod teneantur pascere Verbo Prædicationis, est: quia officium Pastoris proprium est, ignorantes docere erudiendo in doctrina sana; & avertendo a via iniquitatis, seu reducendo oves aberrantes in viam justitiæ; quod aliter fieri non solet, nisi Verbo Prædicationis. Hinc Concil. Trident. *Ss.* 5. *de Reformat. C.* 2. ait: *statuit & decrevit S. Synodus, omnes Episcopos, Archi-Episcopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per seipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum JESU Christi Evangelium.*

Ratio autem tertii, quod Verbo Orationis teneantur sibi concreditos pascere, inde colligitur, quia quivis Sacerdos, utpote constitutus quodammodo velut Mediator Secundarius Deum inter & hominem, tenetur populi sibi concrediti necessitates Deo repræsentare, & pro bonis impetrandis, pro malis vero avertendis suppliciter Deum exorare, juxta illud *Apostoli Hebr.* 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.*

584. R. secundo ad alteram partem quæsiti: Patres Spirituales (quo Nomine veniunt Patrini parvulos e fonte Baptismatis levantes, vel in Confirmatione tenentes) in defectum propriorum Parentum carnalium tenentur sub gravi peccato instruere filios spirituales in fide, Religione, virtutibus & moribus Christianis. Ita *Omnes*. Patet hoc ex ipso officio & munere Patrinis proprio, quod est, in defectu Parentum carnalium agere curam suorum clientum, & eosdem ad honestatem morum, & semitam vitæ æternæ inducere, prout ex professo diximus *part.* 1. *Theolog. Sacram. Confer.* 7. *de Baptismo n.* 75. Hac de causa S. Augustinus *serm.* 215. *de tempore* de Patrinis ait: *Filios, quos in Baptismo excepistis, scitote vos fidejussores pro ipsis apud DEUM extitisse, & ideo tam illos, qui de vobis nati sunt, quam illos, quos de fonte excepistis, semper castigate, & corrigite, ut caste, juste, & sobrie vivant.*

585. R. Jam ad tertiam partem ejusdem quæsiti. Omnes fideles suis respective Pastoribus, sicut & filii spirituales Patrinis debent 1. Amorem reciprocum. 2. Reverentiam, & 3. Obedientiam obligationi Pastorum, & Patrinorum proportionatam. Ita rursus Henno *ex communi DD.* De amore liquida res est: si enim quisque teneatur diligere proximum suum, quanto magis Pastoribus & Patribus spiritualibus debebitur amor reciprocus pro tanta charitate, & sollicitudine &c. De Obedientia constat ex illo *ad Hebr.* 13. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* De reverentia debita similiter loquitur Apostolus 1. *Timoth.* 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habentur.* Ultra hæc tria insuper a Parochianis debetur *subsidium* suis Parochis, vel Pastoribus animarum, id est, decima pars fructuum &c. &c. prout nedum ex Veteri Lege seu Jure Divino *Gen.* 14. & 28. *Exod.* 22. *Levit.* 27. *Num.* 28. sed ex N. Lege, & Jure Canonico habetur, *cap. ex transmissa* 23. *de Decimis*, ubi dicitur: *fidelis homo de omnibus, quæ licite potest acquirere, decimas erogare tenetur.* De hoc videri potest de la Croix *lib.* 4. *n.* 1361. & *seqq.*

Quæres secundo, quidnam alii quasi Parentes temporales, scilicet Principes, Magistratus sæculares, & Tutores &c. debeant suis subditis, & quid hi vicissim illis?

586. R.

586. R. Ad primam partem hujus quæsiti, Principes & Magistratus Sæculares tenentur subditis suis 1. dare bonum exemplum, 2. eosdem conservare, & 3. justitiam eisdem recte administrare. Tutores vero 4. debent suis pupillis bonorum temporalium administrationem, nec non educationem tum corporalem, tum spiritualem etiam. Ita rursus Henno noster *q. 7. concl. 1. & 2. & alii DD. communiter* quoad rem ipsam. Ratio primi est: quia Principes & Magistratus sunt aliis dati in exemplum, juxta illud *Psal. 2. Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore* &c. Hinc communi proverbio dicitur: *Regis ad exemplum totus componitur orbis*: videant ergo Principes & Magistratus (ait recte Henno *cit. concl. 1.*) quot peccatis se, suosque exponunt, si eorum vita sit scandalosa. Ratio secundi similiter colligitur ex officio & munere proprio Principum; quippe qui præficiuntur populo, non solum ut ipsi præsint, sed ut prosint: Eorundem igitur constituta, mandata & leges eo debent dirigi, ut tranquillitas, pax, & bonum publicum conservetur, subditique in sua possessione pacifice relinquantur &c. Ratio tertii colligitur ex modo dictis, nisi enim a Principe aut Republica justitia debite administretur, non poterit Respublica diu conservari in pace. Unde *Sap. 1.* dicitur: *diligite justitiam, qui judicatis terram* &c. Ratio denique quarti est: quia Tutores substituuntur pupillis loco Parentum: ergo tenentur respectu eorum agere curam paternam: atqui ad hanc curam spectat munus providendi nedum de bonis temporalibus, sed & de spiritualibus &c. &c.

587. R. Jam ad alteram partem ejusdem quæsiti. Pupilli Tutoribus suis debent amorem, honorem, & obedientiam: idipsum subditi debent suis Principibus ac Magistratibus. Ratio patet: si enim secundum dicta filii Parentibus debeant amorem, honorem, ac reverentiam, quidni & pupilli Tutoribus, & subditi Principibus ac Magistratibus idipsum debeant, cum & hi quasi Parentum vices gerant respectu illorum. Insuper autem sub gravi culpa subditi tenentur ad fidelitatem suis Principibus servandam in tantum, ut nihil contra Eosdem, nihil contra Patriam, aut bonum publicum moliantur &c. æquitas enim postulat, ut, quemadmodum Princeps & Magistratus tenentur tueri jura boni publici, ac subditorum; & nihil contrarium permittere, ita vicissim jure correlativo subditi maneant suo Principi ac Magistratui fideles, quamdiu is nihil prætendit, quod vel Juri Divino, bonis moribus, vel æquitati repugnat.

Quæres tertio, Quidnam Maritus Uxori debeat, & quidnam vice versa Uxor teneatur præstare Marito?

588. R. ad prius quæsitum. Maritus tenetur Uxorem 1. amare, 2. fidem ei servare, & debitum reddere, 3. præstare alimenta, & 4. debite eandem gubernare. Ita *communiter DD.* Sporer *ubi supra n. 67.* Babenstuber *tr. 5. disp. 5. art. 3. n. 12.* Ratio primi est: quia uxor censetur quasi unum cum Marito; sunt enim, ut Scriptura loquitur, *duo in carne una*: ergo sicut vir tenetur diligere seipsum & proximum suum, ita & uxorem velut fortiori vinculo sibi conjunctam; unde Apostolus *ad Colos. 3.* ait: *Viri diligite uxores vestras &c.* amore scilicet ordinato &c. Ratio secundi est: quia hoc postulat tum bonum prolis, tum etiam bonum fidei in ipso contractu matrimoniali substantialiter involutum, vi cujus Conjuges sibi invicem, & non alteri, tradunt potestatem mutuam in corpora ad usum conjugii, & propagationem generis humani: quemadmodum proin uxor secundum dicenda tenetur reddere debitum viro, rationabiliter & juste petenti, ita vicissim vir uxori, velut ex professo fusius declaravimus *part. 3. Theolog. Sacram. Confer. 16. n. 385.* Ratio tertii est: quia juxta effatum Apostoli *ad Ephes. 5.* Viri debent ita diligere uxores suas ut corpora sua: corpus autem suum quisque tenetur alimentare, ergo &c. Accedit expressa Constitutio Juris *L. si cum dotem §. 2. sin autem ff. soluto Matrim.* Nomine vero alimentorum intelligitur victus, vestitus, lectus, habitatio, & alia ad vitam necessaria juxta personæ conditionem & qualitatem, prout fu-

fusius declarat Gobat *Theolog. Jurid. Moral. c.* 28. *sect.* 1. *n.* 2. Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *c.* 2. *q.* 2. & 19. aliique plures. Ratio quarti est : quia Superiori incumbit gubernare suos inferiores : vir autem est Superior, & caput nedum uxoris, sed & totius familiæ suæ : ergo tenetur uxorem gubernare, & ubi opus fuerit, corripere & castigare verbis, vel si hæc non sufficiant, omnino verberibus, moderate tamen, & non tyrannice aut sine ratione ex mero passionis impetu &c. Videatur de hoc Gobat *l. cit.* vel *in Theol. experim. tr.* 10. *num.* 769. & sebq.

589. R. Ad posterius quæsitum vel membrum ejusdem quæsiti. Uxor vicissim tenetur virum amare 2. fidem servare, ac debitum reddere, 3. obedire in iis, quæ ad familiæ gubernationem pertinent &c. 4. insuper tenetur eundem suo modo revereri velut caput, ac Superiorem suum. Ita *communis DD.*

Ratio primi & secundi patet ex dictis numero præcedenti : est enim virum inter & mulierem quantum ad amorem & fidem conjugalem, obligationemque debiti conjugalis utrobique par ratio. Ratio autem tertii & quarti ex eo facile suadetur, quod vir sit caput mulieris, & huic incumbat obligatio sustentandi ac gubernandi familiam : atqui recta ratio dictat, capiti a reliquis membris deberi subjectionem & obedientiam ac reverentiam; unde & 1. *Petr.* 3. Claviger Christi ait : *Mulieres subditæ sint viris suis.* Hinc fit, ut mulier graviter delinquere possit, si nolit sequi jussa Mariti, aut eo invito gubernacula domus sibi arroget, nisi vir esset prodigus, aut nimis incurius, vel certe minus intelligens ea, quæ ad gubernandam familiam sunt necessaria &c. Videatur de hoc Filliucius *tr.* 28. *n.* 144. & *seqq.* Henno *cit. q.* 8. *concl.* 2. Gobat *prox. cit. tr.* 10. *nu.* 780. & *seqq.*

Quæres quarto, quidnam Dominus famulo debeat, & e contra famulus Domino &c.

590. R. Ad prius membrum hujus quæsiti. Dominus obligatur famulum suum instruere & dirigere charitative, quamdiu sibi a servitiis manet, & 2. mercedem ei debitam solvere. Ita *communis & certa DD. sententia.* Ratio prioris est : quia Dominus est caput famuli : capiti vero incumbit dirigere, & ubi opus est, etiam corrigere reliqua membra : unde Apostolus 1. *Timoth.* 5. ait : *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum* (quos inter reputantur famuli) *curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Quemadmodum vero erga omnes oportet habere charitatem communem, ita a fortiori erga domesticos ceu famulos oportet habere charitatem singularem, consequenter charitative eos, & non tyrannice corripere &c. Ceterum quod justam mercedem & salarium iisdemmet teneantur solvere, & quidem sub gravi obligatione, suadet justitia & æquitas naturalis : unde defraudatio talis mercedis inter peccata in cœlum clamantia recensetur.

591. R. Jam ad posterius membrum eusdem quæsiti. Famuli debent suis Dominis 1. reverentiam, 2. obedientiam, seu obsequium rationabile, 3. fidelitatem. Ita Henno & alii plures. Ratio primi est : quia famuli sunt inferiores Dominis : inferior autem debet reverentiam Superiori secundum dicta ; unde Doctor gentium 1. *Timoth.* 6. ait : *Famuli Dominos suos omni honore dignos arbitrentur* : quod cum non faciant ii, qui suos heros irrident, traducunt, cavillantur &c. sane noscuntur peccare nedum peccato v. g. detractionis, sed & irreverentiæ Dominis debitæ. Ratio secundi inde colligitur : quia famuli eo fine conducuntur a Dominis, ut suam ipsis operam navent pro viribus, quod & Apostolus *ad Ephes.* 6. inculcat dicens : *Servi obedite Dominis carnalibus.* Et Princeps Apostolici agminis 1. *Petr.* 2. *Servi*, ait, *subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis*, &c. quod tamen intelligendum est : nisi aliquid illicitum seu moraliter aut physice impossibile præcipiant : quiquid enim sine pecccato fieri nequit, moraliter impossibile censetur ; *ad impossibile autem nemo potest obligari*, *Reg.* 6. *J. in sexto.* Unde Innocentius XI. jure merito damnavit sequentem *n.* 51. Propositionem : *famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras*

nestras ad stuprandam Virginem .... non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti &c. Propterea que diximus, quod famulus Hero debeat *rationabile obsequium*, quale non est illud, quod est offensivum Dei, & peccaminosum. Ratio tertii patet ex modo dictis: quisquis enim famulum conducit, censetur velle servum fidelem, & infideles semel deprehensi tam facile non amplius conducuntur a quovis alio, prout experientia docet: hac de causa Apostolus *ad Titum* 2. adhortatur famulos, ut suis Dominis serviant *non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes*.

Quæres quinto, quidnam Magistri & Præceptores suis discipulis debeant, & quidnam discipuli Magistris?

592. R. Magistri ac Præceptores, utpote ad instar Parentum suo modo se habentes, debent discipulis suis 1. Amorem, 2. Exemplum, 3. Correctionem & 4. Doctrinam. Ita in re Navarrus, Filliucius *tr.* 28. *n.* 152. *&* *alii DD.* Ratio primi & secundi liquet ex dictis a paritate desumpta a Parentibus. Ratio tertii similiter: nam Parentes filios suos Magistris vel Præceptoribus tradentes præsumuntur eosdem committere eorum disciplinæ & correctioni, quatenus in bonis moribus educentur: profecto si hoc non faciant (prout subinde nimio filiorum amore excœcati nonnulli reperiuntur) cum tempore habebunt liberos minus disciplinatos &c. Ratio quarti similiter liquet; etenim Præceptores ac Magistri eo fine instituuntur tum publica tum privata etiam auctoritate Parentum, in ordine ad erudiendos liberos in doctrina sana morum & litterarum. Ex quo R. P. Babenstuber recte infert, Magistris ac Præceptoribus, vel Professoribus incumbere 1. ut ipsi bene studendo satagant sese perficere ad erudiendos alios juxta qualitatem suæ Professuræ, 2. ut studeant eisdem tradere dogmata certa, aut verisimiliora, non autem falsa, vel bonis moribus, Regulis fidei &c. adversantia, 3. ut insuper pro possibili conentur promovere eorum profectum in litteris, 4. ut alios pravis moribus imbutos arceant a suis scholis pro possibili, & 5. denique, ut insignia Doctoratus non denegent dignis, nec conferant indignis &c. Videatur Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 5. *art.* 3. *n.* 18.

593. R. Jam ad alteram partem ejusdem quæsiti. Discipuli reciproce tenentur suis Magistris, Præceptoribus & Professoribus exhibere 1. amorem & reverentiam ob Superioritatem, & curam ac laborem eorundem, ut liquet ex hactenus dictis, 2. obedientiam, dum erudiuntur ab iisdem in bonis moribus, & artibus liberalibus; hoc enim importat obligatio reciproca discipulorum ad Magistros, qui plane frustra obligarentur ad eos erudiendos, vel imbuendos bonis moribus, nisi discipuli pariter obligarentur ad sectanda monita & dogmata Magistrorum. Possunt igitur graviter delinquere discipuli & Studiosi 1. Si vel non diligenter studeant, sed potius otio, lusu, compotationibus, aliisve ineptiis contra voluntatem Majorum suorum tempus inutiliter consumant, 2. si pecunias a Parentibus oblatas expendant contra voluntatem Magistrorum, quorum curæ commissi fuere. Videatur Doctor *proxime cit. num.* 19.

Quæres sexto, ad quid unusquisque teneatur Benefactoribus suis?

594. Unusquisque tenetur suo Benefactori rependere debitum gratitudinis, quod tribus modis fieri potest ac debet. 1. agnoscendo beneficium acceptum. 2. pro eodem agendo gratias, 3. illud compensando pro facultate, tempore & loco; hoc enim virtus gratitudinis postulat, prout nedum D. Thomas 2. 2. *q.* 106. *a.* 1. sed etiam Seneca lumine fidei destitutus solo rationis naturalis ductu agnovit & docuit *lib.* 1. *de beneficiis c.* 6. Videatur Sporer *tr.* 3. *c.* 5. *nu.* 77.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Obligatione Majorum ac Superiorum erga Inferiores, ac vicissim.

CASUS PRIMUS.

Titius *Rusticus inter alia fatebatur ingenue, quod suum Dominum Parochum insigniter defraudeverit numerando Decimarum manipulos, dum aliquos fraudulen-*

dulenter subtraxit, alios pondere minores, aut certe de sorte infima in agris reperta præbuit &c. hunc cum Confessarius nonnihil redarguit, dicendo : an ergo non sciret suam obligationem, quod scilicet Decimæ tam divino, quam humano Jure utriusque testamenti paginis confirmato deberentur ? Titius illico reposuit : scio equidem meam obligationem, verum scio insuper, nec Parochum nostrum suæ obligationi satisfacere; raro enim concionatur : rarius adhuc catechizat liberos nostros : insuper quantumvis ditissimus, rerum simul tenacissimus est : vix unquam videtur pauperibus præbere eleemosynam, & his de causis ego aliunde non adeo abundans bonis existimavi, me non adeo male facturum, vel offensurum Deum decipiendo Parochum : faciat ipse prius, quod suum est, & tunc ego, quod mihi incumbit, præstabo fideliter. Jam ad hanc speciem facti pro nostra eruditione disquirere oportet 1. *An vel qualiter R.D. Parochus peccet raro prædicando Verbum Dei, & rarius adhuc catechizando juventutem sibi concreditam ?* 2. *An, vel quomodo Titius defraudando, & modo præfato decipiendo suum Parochum peccaverit ? &c.*

595. R. ad prius quæsitum. Si R. D. Parochus non nisi admodum raro in propria persona Verbum Dei proponat ovibus sibi concreditis, neque id faciat per alium a se substitutum (quod procul dubio gravibus & rationabilibus de causis posset facere absque omni peccato) si insuper rarius adhuc juventutem sibi concreditam catechizet, probabilius graviter delinquit, nec satisfacit suæ obligationi. Ita *Omnes*. Ratio est : quia animarum salus æterna, & DEI gloria fere unice dependet ab instructione juventutis, & propositione verbi divini, prout experientia multiplex docuit, & hac de causa nedum jure communi Concilii Trident. *SS.* 24. *c.* 4. *de Reform.* Sed & juribus municipalibus in singulis ferme Diœcesibus cautum est sub gravibus pœnis, etiam privationis beneficii &c. ut Domini Parochi qua catechizando, qua concionando etiam seu e pulpito dicendo populum sibi concreditum erudiant seu pascant Verbo Dei. Unde P. Henno *tr. in decalog. disp.* 4. *q.* 6. *Resol.* 2. & 3. *post concl.* 1. ait : *peccati lethalis reos esse illos, qui Catechismum negligunt* (notabiliter scilicet) *item illos, qui raro concionantur, ubi vitia redarguant, virtutes extollant &c. immo vero etiam illos, qui prædicando in altis ambulant, quærentes conceptus sublimes, & ea, quæ sunt ad captum populi negligentes : sic enim concionari* (inquit ipse) & *non concionari, perinde est, ita, ut verificetur illud Thren.* 4. *parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*. Videatur Barbosa de Officio Parochi *c.* 14. *n.* 9. de la Croix *lib.* 3. *patr.* 1. *a n.* 764.

596. R. ad posterius quæsitum. Licet certum & exploratum sit, Decimas integre & sine diminutione solvendas esse *per cap. Commissum cap. Tua nobis*, & alia multa *de Decimis*, propterea que notabiliter defraudantes præter peccatum injustitiæ cum onere restitutionis, & peccatum Sacrilegii, per se loquendo incurrant sententiam Excommunicationis, juxta communissimam & certam sententiam DD. videndam apud Lessium *lib.* 2. *de J. & J. c.* 39. *dubit.* 3. *n.* 16. Barbosam *de Offic. & potest Parochi part.* 3. *c.* 28. *n.* 16. Si tamen negligentia Parochi in catechizando & concionando revera fuit gravis, non video, cur Titius gravis peccati foret condemnandus (præsertim cum aliunde constet, gravitatem peccati formalis petendam esse ex prudenti dictamine practico conscientiæ ipsius pœnitentis) cum enim beneficium detur propter officium, ita, ut ex parte Pastoris & ovium sit quoddam quasi pactum mutuum justitiæ commutativæ; non video profecto, quo minus subditus advertens revera gravem defectum & negligentiam sui Pastoris in officio & cura animarum, posset se tuto resolvere, quod nec ipse teneatur in his circumstantiis ad fidelem Decimarum solutionem ; qui enim non facit, quod debet, æquum est, ut non recipiat, quod oportet. *Arg. l. si ea Cod. de Cod. insert.* Verum cum amor proprius soleat esse cœcus, atque interessatus, & communis plebs communiter soleat esse promptior ad sinistre, quam juste judicandum : cum insuper non semper constet de causis legitime excusantibus v. g. infirmitate &c. hinc facile

cile contingere potest, ut talis subditus erret, & sinistre atque injuste suum D. Parochum defraudet. Quare censeo, in praxi equidem posse dissimulari severiorem increpationem talis pœnitentis, vel obligationem compensandi Decimas defraudatas; nihilominus talem serio & blande dehortandum esse ab hujusmodi fraudibus: neque etiam ovium est dijudicare, sed sequi Pastorem, qui, si a parte rei prudentum judicio graviter negligens & culpabilis inveniatur, poterit deferri ad suum Reverendissimum Ordinarium.

Sed quomodo, ais, deliquisse censendus est subditus ille, qui noverat suum Reverendissimum D. Parochum erga pauperes liberalissimum, pauperum Patrem propterea dictum, omnibus se petentibus ex quadam pixide argentea sat liberaliter tribuere, proptereaque ab eodem eleemosynam petiit, pixidemque argenteam e manibus elargientis subito eripuit, cum eadem aufugiens?

597. R. Salvo meliori judicio: talis mihi videtur graviter deliquisse nedum contra justitiam, utpote inique rapiendo e manibus optimi Pastoris rem gravem & magni pretii, sed & specialiter contra reverentiam & gratitudinem Benefactori debitam. Ratio est: quia beneficium sibi præstitum non solum non agnovit, sed potius benefica liberalitate optimi sui Pastoris positive abusus fuit ad rapinam, non sine permagna irreverentia, proprio suo Pastori inferendam. Hinc P. Sporer *proxime cit. n. 79.* sapienter ait: ingratitudo per commissionem, scilicet retribuendo mala pro bonis (uti fecit hic lurco) plerumque peccatum mortale est: quia ordinarie malitiam & internum contemptum admixtum habet: unde sunt tot in hoc vitium invectivæ S. Scripturæ, SS. PP. ac sapientum Ethnicorum. Et specialiter in gravibus injuriis benefactori illatis semper explicanda erit circumstantia ingratitudinis utpote speciem mutans. Ceterum sicut in aliis, ita & hic excusat imperfectio actus, & levitas materiæ. Ita Sporer *l. cit.* referens pro eadem opinione Tannerum *tom. 3. disp. 6. q. 1. dub. 3. a n. 38.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius sortitus fuit (cæco amore mulieris, ut plerumque fieri solet, Paranymphum agente) Uxorem pessimam, cui cum aliquot annis in continuo mœrore & animi afflictione ob distortos mores, & continuas rixas &c. cohabitasset, aliquot etiam prolibus etiamnum viventibus inde susceptis, tandem statuit miseram hanc servitutem (habebatur enim ab illa velut mancipium) commutare liberiori aura; unde nomen suum militiæ dedit: quia tamen vir ceteroquin sincerus non sine compassione proles suas abituriens ad castra in manibus suæ Erinnyis reliquit, & ab hac etiamnum absens continuo sollicitatur, ut vel castris desertis domum revertatur, vel subsidium pro se ac prolibus relictis subministret e castris; hinc sciscitatur e Confessario 1. an teneatur redire ad uxorem & liberos? 2. item an remanens in castris teneatur de tenui suo marsupio aliquid transmittere suæ Uxori ac prolibus? Quid sciscitanti respondebit Confessarius?

598. R. ad primum, si Sempronius rationabiliter credat, se Uxori non posse cohabitare sine gravibus rixis, & continuo animi mœrore ob distortos ipsius mores &c. non tenetur reverti ad illam. Ratio est: quia inter reliquas divortii justi causas etiam hæc est non minima, *si pars innocens nequeat alteri cohabitare absque periculo animæ, & grandium peccatorum*. Ita expresse tenet Castropalao *de Sponsal. & Matrim. disp. 3. pu. 6. §. 9. n. 1.* Valentia *tom. 4. disp. 10. q. 4. p. 2. vers. 7.* Laymann *lib. 4. tr. 10. part. 3. c. 7. n. 16.* aliique plures, quos citat & sequitur Gobat *in Quin. tr. 5. c. 33. sect. 2. n. 42.* item *sect. 3. n. 69.* Ratio est: quia nullus prudentum præsumi potest ac debet, voluisse se adstringere ad cohabitandum alteri parti innocenti, tametsi absque continuo quasi periculo peccandi cohabitari eidem non posset. Unde S. Augustinus *cap. idololatria 28. quæst. 1.* ait, *quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quæ in stupris committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, & perniciose, turpiterque corrumpunt, possit sine crimine & Vir Uxorem*

dimit-

dimittere, *&* *Uxor Virum*. Quocirca tamen ſupponendum eſt, quod Vir ſit innocens, vel certe non iisdem moribus diſtortis, vel aliis ſceleribus cauſam dederit uxori ad rixas, iracundias &c. ſecus enim delicta quodammodo compenſarentur; quemadmodum ſi Maritus poſt adulterium ab uxore commiſſum, & ipſe eodem crimine ſeſe polluat, nequit amplius prætendere divortium, eo quod in tali caſu delicta compenſentur, prout cum Clar. P. Schmier, Sanchez, Schmalzgrueber, & aliis pluribus *part.* 3. *Theol. Sacram. Confer.* 15. *n.* 383.

599. R. ad alterum quæſitum. Sempronius tenetur (ſi tamen poſſit) aliquid e caſtris ſubmittere pro ſuſtentatione prolium, non tamen pro ſuſtentatione uxoris. Ratio prioris liquêt ex dictis *priori Confer. n.* 564. quia elapſo triennio Patri jure naturali incumbit alimenta adminiſtrare prolibus, prout etiam ſtatuitur *L. ſi quis a liberis ff. de cognoſ. & alend. lib.* & cum proles prorſus ſint innocentes, plane non eſt, cur iiſdem alimenta jure naturæ ac civili debita poſſit ſubtrahere. Ratio autem poſterioris hæc eſt: quia vir non tenetur alimentare uxorem, niſi hæc faciat, quod debet *arg. l. ſi ea Cod. de condit. inſert.* atqui Uxor Sempronii non fecit, quod debuit, prout patebit conſideranti obligationes Uxoris erga Maritum mox ſupra *n.* 589. recenſitas: ergo &c. Nec propterea poteſt eſſe rationabiliter invita; nam *damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare*, *per Reg.* 86. *J. in ſexto*. Ex quo liquet, Sempronium prorſus fore deobligandum ab onere aliquid è caſtris mittendi Uxori, caſu quo proles morerentur.

Sed quid? ais, ſi hæc Uxor velit cum Viro ſuo, ac prolibus caſtra ſequi, tenebiturne Vir eandem recipere?

600. R. Non tenetur recipere, niſi emendatam vel promittentem, quod ſerio ſeſe velit emendare, ac deinceps pacifice, ſubmiſſe &c. cohabitare Marito &c. quod ſi opere ipſo obſervaret, ſimulque Maritum una cum prolibus ſequi vellet, utique non poſſet Sempronius eandem repudiare. Ratio hujus jam fuit data *part.* 3. *Theol. Sacram. Confer.* 15. *n.* 369. quia ſola fornicatio vel adulterium ab altero conjuge commiſſum dat cauſam juſtam perpetui divortii, reliquæ vero cauſæ, utputa ſævitia Mariti, vel Uxoris, &c. periculum infectionis ex morbo contagioſo, &c. ſolum præbent cauſam ſe ſeparandi ad tempus, quamdiu ſcilicet durat hujuſmodi cauſa: ergo ſi Uxor revera ſe emendaverit, tenebitur Vir eandem recipere, ſi tamen a ſuis ducibus vel officialibus permittatur; de quo valde dubito, niſi hi, antequam eundem receperunt, ſciverit eſſe conjugatum. E contra tamen putarem, quod talis Uxor non poſſet obligari ad ſequenda caſtra cum Viro, caſu quo ab hoc peteretur; quia ſi Vir poſt contractum matrimonium evadat vagabundus, Uxor deobligatur ab onere cohabitandi, niſi hoc ipſum ante vel in contractu matrimonii adpromiſerit, prout habet Communis DD. apud Buſenbaum & alios; de quo videri poteſt Sanchez *lib.* 1. *de Sponſal. & Matr. diſp.* 40. *n.* 6.

CASUS TERTIUS.

Cajus famulus a ſervitiis cujuſdam Præfecti Poſtarum exiſtens, odii ac invidiæ livore erga alium quendam conſervum concepto, ſtatuit eundem Domino ſuo reddere exoſum eo fine, ut a ſervitiis omnino dimitteretur: hac de cauſa dum prævidit alterum juxta ordinem ſeu turnum curſurum &c. equo clavum eduxit, moxque eundem in tranſverſum nonnihil intruſit in ungulam ita, ut equus vel parum currendo naturali impetu ſibimet eundem amplius intruderet uſque ad carnem vivam, indeque rediret claudicans: id quod opere ipſo aliquoties contigit non ſine permagno Domini Præfecti Poſtarum detrimento: Præfecto huic, ut Vir erat valde diſcretus, & magni ingenii, res tandem nonnihil ſuſpecta videbatur, nec poterat capere, cur huic ſoli, & non aliis ſervis id accideret, ut ſcilicet cum equo claudicante ſemper rediret ad propria? quam ob rem ſecreto accuratius juſſit invigilari, qui res cum equis, priuſquam excurrerent, ageretur, nec multo poſt deprehendit Cajum, clavum modo mox dicto infigentem in ungulam equi. Jam pro praxi ad noſtram eruditionem dubitari poteſt, quomodo Cajus in hoc facto peccaverit?

601. R.

601. R. Cajum certo certius in hoc facto peccasse mortaliter toties quoties; idque nedum peccato invidiæ erga conservum, cujus fortunam supportare non potuerat, sed etiam injustitiæ & infidelitatis erga suum Dominum, Præfectum scilicet Postarum. Ratio hujus resolutionis patebit consideranti ea, quæ *n.* 591. diximus: quia famulus ex justitia commutativa tenetur suo Domino præstare servitium, & quidem *fideliter*, laborando in ordine ad avertenda damna, & procurandum bonum ipsius &c. atqui Cajus hoc non fecit, quin potius positive studuit damnificare tum conservum, tum etiam Dominum suum: ergo &c. Et licet hoc fortassis non fecerit ex directa intentione nocendi, vel damnificandi Dominum suum, sed potius conservum, convincitur tamen saltem indirecte voluisse damnificare Dominum; quandoquidem non potuit non prævidere, immo experientia jam pridem didicit, hoc suum attentatum nunquam non vergere in grave detrimentum sui Heri: consequenter in omni foro condemnari potest ac debet ad compensanda pro viribus & facultatibus damna tum Domino suo, tum etiam alteri conservo illata, veluti constare potest ac debet ex iis, quæ *de Restitut. Confer.* 4. *num.* 94. fusius diximus cum *communi DD.*

Sed quid, ais, si famulus vel ancilla Dominum suum præter intentionem damnificet, v. g. aliquid negligendo aut, frangendo &c. tenebiturne in conscientia illud recompensare, vel certe sustinere, si subtracta sibi mercede Dominus ipse sibi velit resarcire hujusmodi damnum.

602. R. Si damnificent Dominum præter omnem intentionem etiam indirectam, ideoque sine culpa theologica; tunc per se loquendo (præcisa scilicet speciali conventione vel pacto &c.) in foro conscientiæ non tenentur damnum illud resarcire, neque pati, ut subtracta mercede Dominus sibimet illud resarciat, aut compenset. Ratio hujus peti debet ex dictis *de Restitut. l. cit. n.* 95. ad hoc enim ut quis ex delicto injustæ damnificationis coram Deo teneatur ad restitutionem vel compensationem damni, necessum est, ut in conscientia & coram Deo commiserit culpam theologicam, & gravem quidem, ubi materia resarcienda gravis est, prout habet communis persuasio Doctorum Lessii *lib.* 2. *de J. & J. c.* 7. *dubit.* 6. Laymanni *l.*3. *tr.* 3. *part.* 1. *c.* 6. *n.* 2. Sporer *tr.* 4. *in decal. n.*191. ergo si famulus vel famula in conscientia nullam vel certe non gravem culpam theologicam commisere, revera in conscientia & coram Deo non tenentur ad compensationem damni. Verum si culpam civilem vel politicam etiam levem commisisse supponatur, in foro civili datur Domino actio *ex l. Aquilia de damno dato*, possuntque per Judicem compelli ad integram resarcitionem, prout videre licet *in ff. & instit. ad l. Aquiliam.* De quo fusius Molina *disp.* 697. Laymann *l. c.*

603. R. Cum Filliucio *tr.* 28. *n.* 84. & Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 5. *art.* 3. *n.* 17. affirmative. Ratio est: quia Dominus mercedem non condixit vel promisit, nisi pro servitiis a famulo vel ancilla præstandis: ergo si famulus ob ægritudinem servitia sua non præstet, esto etiam sine culpa, non tenetur Dominus eidem solvere mercedem, sed juste subtrahit saltem pro eo tempore, quo non servit; & hanc esse communem ac receptam DD. sententiam, ait Filliucius *lot. cit.* quam multiplici praxi videmus confirmatam, præsertim circa opifices & operarios, qui, si quancunque demum de causa vel per mediam diem duntaxat non laborent, merces huic tempori correspondens a Dominis subtrahi solet. Nec refert, quod *cap.* 1. *de Cleric. ægrot.* habeatur, quod Clericus ægrotans stante & non obstante ægritudine sua non debeat impediri a percipiendis in Ecclesia consuetis, scilicet distributionibus beneficii &c. hoc enim Pontifex observari jussit eo fine, ne alii hoc exemplo a Ministerio Ecclesiastico absterrerentur: hæc autem ratio vel constitutio non pugnat pro famulo ægrotante &c. licet omnino conveniens sit pietati & charitati christianæ, ut hujuscemodi famulo vel ancillæ ægritudine jam satis afflictæ non addatur amplius afflictio subtractione salarii.

§. III.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

604. COlliges ex hactenus dictis primo, animarum Pastoribus sub districtu Judicii Divini incumbere, ut si quos forte ex suo grege noverint hæresi infectos, vel aliis criminibus scandalosis, ut puta blasphemiis, concubinatui, usuris &c. assuetos, studeant pro possibili, scilicet opportune, importune, obsecrando, admonendo, exhortando, increpando, minitando &c. eos reducere ad meliorem viam; hoc enim amor erga Christum Pastorem omnium Pastorum, hoc animarum salus, & sollicitudo pastoralis exigit, propptereaque contrarium facientes graviter reprehenduntur *Ezech. c.* 34. *Væ Pastoribus Israel --- quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, & quod abjectum est, non reduxistis, quod perierat, non quæsivistis.*

605. Colliges secundo, a fortiori illos Pastores gravissimæ culpæ arguendos & reos esse, qui ovibus suis Sacramenta non administrant, aut in iis administrandis desides, impatientes &c. sese monstrant; item, qui vix unquam extra tempus Paschale Confessionibus excipiendis sese exponunt: licet enim fideles semel duntaxat in anno teneantur confiteri, tenentur nihilominus Pastores sæpius per annum, ubi requisiti fuerint, præsertim tempore infirmitatis, eisdem SS. Ecclesiæ Sacramenta administrare. Meminerint etiam suæ obligationis (ait Henno noster *dist.* 4. *q.* 6. *Resol.* 6. *post. concl.* 1.) in visitandis infirmis, admonendis, edocendis, consolandis &c. preces ab Ecclesia ordinatas pro iisdem recitando, & eorum morti, si fieri possit per se, vel per alium assistendo &c. De his omnibus utilissime videri potest Barbosa *de Officio & Potestaie Parochi part.* 1. *c.* 7. *per totum.*

606. Colliges tertio, Principes ac Magistratus sæculares graviter delinquere, qui præponunt, vel certe tolerant Judices ignaros, desides, injustos, vel nimium interessatos &c. qui scilicet vel non intelligunt, vel partium lites disquirere aut decidere negligunt, vel qui justitiam non administrant, nisi prius corrupti auro vel argento, prout hodiedum, proh dolor! plures reperire est. Unde *Exod.* 18. Moysi præceperat Deus: *provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam.* Ratio est facilis; nam Principibus incumbit primario Rempublicam bene administrare, pacem conservare &c. hoc autem nunquam fiet, nisi præponantur Judices docti, & Justitiæ amatores &c. ergo &c.

607. Colliges quarto, a fortiori Judices ipsos gravissimo peccato suam conscientiam inquinare, si officium tale suscipiant absque sufficienti legum peritia, si Viduarum vel Pupillorum, vel aliorum pauperum causas negligant, item qui sine justa ratione lites protrahunt, aut vel personarum acceptores, sontes absolvant, vel insontes condemnant; quive ultra stipendium justum aliquid a partibus exigunt &c. Ita rursus Henno *cit. p.* 7. § *Resol.* 2. & 3. *post conclus.* 1. Neque vero opus est ulteriori proba, lumen quippe naturale cuivis congenitum dictat, hæc & similia esse illicita, eo quod sine gravi damno & injuria, præsertim ab iis, quibus de jure incumbit administrare justitiam, fieri nequeant.

608. Colliges quinto, Maritum gravis noxæ reatum incurrere 1. si suam uxorem convitiis proscindat, utpote vocando adulteram, veneficam, sagam, &c. saltem in eis circumstantiis, in quibus uxor posset coram aliis incurrere infamiæ notam: peccat similiter 2. si eandem absque justa causa impediat ab executione præceptorum Divinorum, vel aliis devotionibus, puta ab observantia jejunii, auditione Missæ, Communione S. &c. item 3. si eam graviter cædat, vel modo tyrannico tractet ad instar mancipii vilissimi 4. Si eidem non cohabitet absque justa & legitima causa, vel 5. si substentationem congruam, debitum conjugale &c. neget. 6. Si familiæ gubernationem negligat, prolium curæ & educationis honestæ nullam prorsus curam gerat &c. Ita cum Sporer, Filliuc. Sayro, & aliis pluribus cit. Babenstuber *ubi supra art.* 3. *n.* 13. Ratio est: quia in his omnibus & singulis casibus graviter

viter lædit obligationem Marito incumbentem &c.

609. Colliges sexto, vice versa a gravi delicto excusandam non esse uxorem, quæ Maritum solet irridere, subsannare, verbis asperis, inobedientia contumaci vel capitositate nimia eundem ad iracundiam, perjuria, blasphemias provocare: item si detrectet reddere debitum, præsertim eo fine, ut Maritum suum mortificet, quo casu sæpius præter inobedientiam poterit sese inquinare peccato alieno, dando quodammodo occasionem marito quærendi occasiones extra matrimonium &c. Ratio est: quia in his contravenit obligationi gravi de jure naturæ, & vi status matrimonialis sibi incumbenti. Videantur de his Henno *cit. q.* 8. *Resol.* 2. *&* 3. *post concl.* 2. Matthæucci *in cautela Confessar. l.* 2. *c.* 10. *n.* 16. Busenbaum *apud de la Croix lib.* 3. *part.* 1. *n.* 708. vel Gobat *supra n.* 588. *citatus*.

610. Colliges tandem septimo, Præceptores non solum delinquere, dum discipulorum instructionem negligunt, vel eos injuste aut indiscrete puniunt, sed vel maxime reatum conscientiæ incurrere, si (quod absit) eosdem seducant, inducendo ad peccata v. g. carnalia &c. quo casu nedum contra castitatem, sed & contra charitatem peccato scandali; & contra pietatem triplici specie peccati necessario in Confessione explicanda delinquunt, ita, ut talis non satisfaceret in Confessione præcise accusando se, & dicendo: *Seduxi aliquem ad peccatum luxuriæ*, sed oportet dicere: *seduxi aliquem meæ curæ vel institutioni commissum* &c. Ratio est, quia Præceptor a Parentibus substituitur, ut loco sui, Parentum scilicet, curam, quantum ad instructionem in litteris & bonis moribus, in se suscipiat, & hoc ipso obligationem pietatis Parentibus primario incumbentis in se suscipere censetur, dum hujusmodi munus in se suscipit: atqui inducere alium ad peccandum, quem Parentis loco debuisset inducere ad omne genus morum ac disciplinæ, nedum charitati, sed & pietati graviter repugnat: ergo talis Præceptor gravissime peccat peccato scandali & impietatis; nec dubium, quin olim in districto Dei Judicio, vel ab ipso tali discipulo accusatus, redditurus sit rationem gravissimam de omnibus peccatis, ad quæ vel suo exemplo vel suasu discipulum sibi concreditum induxit. Videatur de hoc Henno *tr. in decalog. disp.* 4. *q.* 7. *concl.* 5. Busenbaum *apud de la Croix lib.* 3. *p.* 1. *n.* 768. Sporer *tr.* 3. *c.* 5. *n.* 75. Hæc omnia cum humillima subjectione ad limam, & censuram S. Matris Ecclesiæ Romano-Catholicæ, & eorum, ad quos attinet, dicta sunto ad Majorem DEI gloriam.



I N-

INDEX ALPHABETICUS

Rerum & Materiarum in hoc opuſculo contentarum.

Littera C. Conferentiam, n. cum cifra numerum marginalem deſignat.

A

ABbatiſſa an poſſit ſubditas ſuas ad quartum votum Clauſuræ perpetuæ obligare? C. 8. n. 224. Item an poſſit in lege jejunii reſpectu ſuarum diſpenſare? c. 18. n. 505.

Acceſſorium ſequi principale quomodo intelligendum? c. 3. n. 66.

Adjuratio proprie talis quid? c. 6. n. 151. quotuplex? c. 6. n. 152. An, & quomodo licita? c. 6. n. 153. An, & quænam interrogatoria ab exorcizante licite poni poſſint? c. 6. n. 157. In adjuratione Dæmonis qualis modus obſervandus? c. 6. n. 156. Omnes & ſolæ Creaturæ rationales, etiam Dæmones licite adjurari poſſunt. c. 6. n. 154. Etiam omnes, & ſolæ Creaturæ intellectuales adjurare poſſunt, ſed non omnes ſolemniter. c. 6. n. 155. Adjurare Dæmones eo fine, ut aliquid faciant, vel omittant Divini honoris cauſa, an licitum? c. 6. n. 170. An fas ſit eoſdem adjurare eo fine, ut circa agnitionem occultorum opem ferant. c. 6. n. 172. Adjurare vitulos ad eos cicurandos num prohibitum? c. 6. n. 168. Adjurare locuſtas, & vermes an licitum? c. 6. n. 169.

Amentes an ſint capaces ad deponendum verum Juramentum? c. 3. n. 84.

Amor. Qualem amorem filii debeant ſuis Parentibus? c. 19. n. 534. Et qualem alii inferiores, aut ſubditi ſuis ſuperioribus? c. 21. n. 589.

Amphibologia quid & quotuplex? c. 5. n. 126. Referuntur tres propoſitiones circa hanc materiam ab Innocentio XI. damnatæ. c. 5. n. 127. An, vel quibus de cauſis amphibologice loqui licitum? c. 5. n. 131. Item n. 146. n. 147. & 148.

Ars ſartoria an licita diebus feſtivis? c. 14. n. 406. Item ars acu pingendi an diebus feſtivis permiſſa? c. 14. numer. 408.

Artifices, quomodo propter laborem excuſati ſint a lege jejunii c. 18. num. 523. & 524.

Attentio ad Miſſam quotuplex? c. 12. num. 337.

Aurigæ jus vehendi habentes, ſi ob hoc nequeant intereſſe ſacro, an peccent? c. 13. n. 390.

B

BElligerare diebus feſtivis an licitum? c. 14. n. 403.

Benefactori quid debeatur? c. 21. n. 594. Benefactoris beneficentia abuti quale peccatum? c. 21. n. 597.

Blaſphemia quid? c. 1. n. 2. quotuplex. c. 1. n. 3. quale peccatum? ibid. n. 7. An poſſit a peccato excuſari? c. 1. n. 8. num omnis Blaſphemia ſit ejuſdem ſpeciei? c. 1. n. 9. & 10. Blaſphemare non quidem animo blaſphemandi, ſed alia de cauſa, an licitum? c. 1. n. 17. & 18. An tales incurrant caſum reſervatum? c. 1. n. 19.

Blaſphemorum pœnæ quales in jure ſtatutæ? c. 1. n. 11. & 12. Quandonam, & quomodo tales pœnæ ſubſtent arbitrio Judicis. ibid. n. 13. circa Blaſphemos quid Confeſſario obſervandum? c. 1. n. 15. An blaſphemus dicendus, qui Creaturis ſine ordine ad DEUM maledicit? c. 1. n. 20. Item qui verbis Scripturæ abutitur? ibid. n. 23. Aliæ nonnullæ pro-

propositiones pessime sonantes, & suo modo blasphemæ innuuntur, & dissuadentur c. 1. numero 24. Blasphemi habituati ad quid teneantur? c. 1. num. 26. Quibus motivis, aut mediis a consuetudine removendi? c. 1. n. 27. & an debeant & possint absolvi? c. 1. n. 16.

Breviarium sub Missæ auditione in die Festo recitare, an licitum? c. 12. n. 359.

C

CÆci an excusentur ab obligatione audiendi Sacrum? c. 12. n. 360.

Capellanus in absentia Parochi an possit in diebus festivis dispensare quo ad labores serviles? c. 15. n. 414.

Catechistæ quandonam debeant sibi commissos dedocere consuetudines jurandi, vel errantes instruere circa hanc materiam? c. 2. n. 55.

Caupones an, & quando possint diebus ab Ecclesia interdictis, suis hospitibus, vel domesticis administrare carnes? c. 6. n. 471. & 472.

Causæ principales a jejunio Ecclesiastico excusantes quot, & quales? c. 18. num. 501. An, & qualis impotentia excuset a jejunio? c. 18. n. 506 An, & qualis labor? c. 18. n. 508, Item an opera Misericordiæ? c. 18. n. 511. An causæ excusantes a jejunio Ecclesiastico pariter excusent a jejunio vi voti debito? c. 18. n. 529. Causa dispensationis, ut sit justa, qualis debeat esse? c. 10 n. 276. Causa dispensationis circa vota qualis debeat esse? c. 10. n. 275. & 276. Quænam causa gravis censeatur, ut liceat jurare cum restrictione? c. 5. num. 130. Quot sint causæ excusantes ab observantia festorum, & reddentes licitum laborem servilem? c. 14 num. 415. Causæ excusantes ab auditione sacri quænam? c. 13. n. 362. & seqq. Vide Missa. Num & distantia loci ab Ecclesia sit causa excusans ab auditione sacri? c. 24. n. 370.

Cautela circa votum qualis adhibenda? c. 10. n, 284

Clausura, An Abbatissa, vel Superiorissa ad Clausuram possit suas subditas obligare? c. 8. 224. Quid si in tali Monasterio Clausura jam semel introducta, successu temporis vel per abusum sublata fuisset? ibid. n. 225.

Clericus an & quomodo precepto jejunandi deobligetur? c. 16. n. 466.

Clientes quid suis Pastoribus, & spiritualibus Patribus debeant? c. 12. n. 585.

Cœnam anticipare an licitum? c. 15. n. 15. 443.

Collatiuncula Vespertina an licita? c. 17. n. 478. An ab Ecclesia etiam permissa ad quodammodo sedandam famem? c. 17. num. 498. In quali consistat quantitate? c. 17. n. 479. 480 481. 482. 483. Quale tempus sibi determinet? ibid. n. 484. An hoc tempus præveniri, vel mutari possit? c. 17. n. 485. Quid de eo, qui in cœna assueverat sumere duplicem portionem? c. 17. n. 486. Num tali pro refectiuncula quarta pars cœnæ possit indulgeri? c. 17. n. 487. Satisfit cuidam instantiæ. ibid. n. 488. In collatione an fas sit æquam panis portiunculam commiscere, seu decoquere in aliquo liquore? c. 17. 499. Quid si sumens octo uncias, vel quartam partem cœnæ justæ, sentit se saturatum? c. 17. n. 492. & 493. & quid si hanc partem modicum excedat? ibid. n. 494.

Commutatio voti quid? c. 11. n. 295. Quotupliciter fieri possit? c. 11. n. 297. Commutatio in opus evidenter melius an propria auctoritate voventis possit fieri? c. 11. n. 298. Item commutatio in opus aliud æque vel minus bonum an ex mero voventis arbitrio fieri possit? c. 11. n. 304. Satisfit instantiæ contra hanc resolutionem. ibid. n. 304. An propria auctoritate commutare possit votum septenalis peregrinationis in quotidianam auditionem sacri? c. 11. n. 316. Commutatio valida qualem agnoscat causam? c. 11. n. 306. Commutatio voti, vel Juramenti in favorem Ecclesiæ facti num possit fieri a Parocho tale votum aceptante; vel num possit voventem a tali obligatione liberare? c. 11. n. 309. & 310. Quid si tale votum in gratiam Parochi emissum? ibid. n. 311. Commutatio circa votum pœnale, quomodo facienda? c. 11. num. 315. An commutatio voti possit extra actum Confessionis & absque speciali forma fieri? c. 11.

. 11. n. 314. An commutatio votorum poſſit etiam applicari ad commutationem juramentorum. c. 11. n. 327. Num commutatio voti etiam poſt Jubilæum poſſit a quolibet Confeſſario fieri. c. 11. n. 326. Commutare quinam poſſint. c. 11. n. 296. An Commutans votum propria auctoritate in aliud opus, & hoc poſtea non potens præſtare teneatur ad primum votum. c. 11. n. 319.

Concionator an & quando ſit Præcepto jejunandi deobligatus. c. 16. n. 464. & 465. Quando, & quomodo debeat dedocere Auditores conſuetudines juramenti. c. 2. n. 55.

Concionem negligere an ſit contra præceptum de ſanctificando die Feſto. c. 13. n. 386.

Conditiones ad Juramentum quales, & quot. c. 2. n. 29. & 36. Item c. 3. n. 56. Quæ & quot conditiones fictione juris in omni Juramento promiſſorio tacite ſubintelligantur. c. 3. n. 70.

Conditiones ad ſubſtantiam jejunii Eccleſiaſtici quot, & quales requirantur. c. 15. n. 424.

Confeſſarius an poſſit militem deſertorem obligare, ut revertatur ad caſtra. c. 2. n. 44. Confeſſarius non debet de facili a pœnitentibus exigere Juramentum propoſiti, emendationis, vel reſtitutionis. c. 4. n. 115. quomodo practice ſit examinandus pœnitens, qui fatetur ſe juraſſe. c. 4. n. 116. An Confeſſarius a Tyranno adactus ad revelandum Sigillum Sacramentale poſſit negare etiam cum Juramento, ſe aliquid ſcire, de tali pœnitente. c. 5. n. 149. Quid ſi Tyrannus expreſſe petat, ut Confeſſarius de hoc juret ſine omni reſtrictione mentali. ibid. n. 150. Confeſſarius excipiens Confeſſiones an ſimul poſſit audire ſacrum. c. 12. n. 342. Quomodo cum pœnitente de non ſervato jejunio ſeſe accuſante debeat procedere? c. 15. n. 477. Item quomodo in aſſignanda pro collatione portione debeat ſe habere. c. 17. n. 495. Quomodo Confeſſarius habeat agere cum pœnitente Beſtiis maledicente. c. 1. n. 15. Quid ſi in tali peccato pœnitens ſit habituatus. c. 1. n. 16. Et quid Confeſſario agendum, dum pœnitens ſimpliciter dicit: Er habe geſcholten / geflucht / und geſchwört. c. 1. n. 25. Quale judicium ferendum circa jurantes? c. 2. n. 49. Confeſſarius quando, & quomodo debeat pœnitentes dedocere conſuetudinem jurandi. c. 2. n. 55. Quid agendum circa Parentes negligentes filios in Doctrina Chriſtiana inſtrui. c. 20. n. 578. & 579. An Confeſſarius qua talis poſſit aliquem a jejunio eximere. c. 18. n. 505. Confeſſarius an poſſit in votis dubiis diſpenſare. c. 10. n. 288. Confeſſarius Privilegiatus an valeat diſpenſare in voto peregrinationis facto non ex devotione, ſed alio motivo. Item in voto caſtitatis imperfectæ. c. 10. n. 290. & 291. Num & in voto imperfecto Religionis. ibid. n. 288. Num Confeſſarius Privilegiatus poſſit cum quibuſvis fidelibus diſpenſare in omnibus illis votis, in quibus poſſunt Ordinarii cum ſuis. c. 10. 274. Confeſſarii Mendicantes quænam poſſint vota commutare. c. 11. n. 300. 301. & 302. Quid agendum cum pœnitente deſiderante diſpenſationem in voto caſtitatis tempore gravis infirmitatis facto. c. 10. n. 285. Quid ſi talis ſupponatur promiſiſſe caſtitatem; ſub conditione reconvaleſcentiæ, & jam jam recuperaſſe ſanitatem. c. 10. n. 286. & quid ſi votum fuiſſet pœnale. ibid. n. 287. Confeſſarius Privilegiatus an poſſit tam votum, quam pœnam debitam, vel ſtatutam pro prioribus tranſgreſſibus commutare. c. 11. num. 313. & 314. Quid Confeſſario obſervandum in commutatione, vel diſpenſatione circa votum pænitentis. c. 11. n. 320. & 321.

Confeſſio an poſſit ſimul ſtare cum auditione Sacri? c. 12. n. 341.

Conjuges poſt Matrimonium voventes caſtitatem an, & quomodo diſpenſari queant. c. 10. n. 281.

Conſuetudo blaſphemandi quibus motivis, & mediis ſit removenda. c. 1. num. 27. An conſuetudo contra præceptum audiendi Sacrum ſit admittenda. c. 13. num. 384. An ea, quæ conſuetudine permiſſa ſunt, excuſent ab obligatione feriandi dies Feſtivos. c. 14. num. 394.

Contemp us Parentum quale peccatum. c. 19. n. 558.

Contractus an firmentur Juramento, qui de lege naturæ irriti, & nulli ſunt? c. 3. n. 61. & 62. Afferuntur nonnulla Exem-

pla

pla talium contractuum. ibid. num. 63. Undenam discernendum, aut colligendum, an contractus firmentur juramento? ibid. n. 64.

Cooperator an possit in absentia Parochi quoad labores serviles diebus festivis prohibitos dispensare c. 14. n. 414.

Creaturæ an, & quales adjurari possint? c. 6. num. 154. Creaturis sine ordine ad DEUM sumptis maledicere, an blasphemia? c. 1. n. 20.

D

DÆmones an licite adjurari valeant? c. 6. n. 154. an Dæmones adjurare eo fine, ut aliquid faciant, vel omittant Divini honoris causa, licitum. c. 6. n. 170. An saltem Dœmones possint adjurari deprecative, vel imperative quidem, sed cum pacto, sut Exorcista se illis quodammodo submittat. c. 6. n. 271. Item an non eo fine, ut circa agnitionem occultorum opem ferant. c. 6. n. 171. Dæmonis nomen Schedulæ inscriptum, comburere, num licitum. ibid. n. 173. An fas sit, Dæmonem cogere ad dandum aliquod signum sui e corpore Energumeni egressus. c. 6. n. 174. Dæmonem habens quomodo liberari debeat. ibid. n. 162.

Debita a Patre relicta an teneatur Filius post mortem Patris solvere. c. 19. n. 542. & 543.

Decimas subtrahere an peccatum. c. 21. n. 595. Item an decimæ possint subtrahi ob neglectum Pastoris. c. 21. n. 596.

Deliberatio qualis ad valorem voti requiratur. c. 7. n. 176. & 177.

Dies Festi quinam censeantur. c. 12. n. 330. Quandonam incipiant. ibid. n. 331. An diebus festis licitum itinerari, venari, piscari, & belligerare. c. 14. n. 402. 403. & 404. Vide labor servilis. Num die Festo licitum segetes colligere. c. 14. n. 412.

Difficultas accedendi Ecclesiam publicam an excuset ab auditione Missæ. c. 12. n. 352.

Dignitas Sponsi undenam sit petenda. c. 19. n. 545.

Discipuli quidnam debeant suis Magistris. c. 21. n. 593.

Dispensatio voti quid. c. 10. n. 268. Dispensatio valida qualem petat causam, c. 10. n. 275. & 276. Dispensare potens in votis cum aliis an etiam possit dispensare secum ipso. c. 10. num. 278. Utrum ad valorem dispensationis requiratur specialis forma. c. 10. n. 294. An Dispensatio in voto procurandi certo Monasterio paramenta Ecclesiastica valeat, & quid sit in hoc observandum. c. 10. n. 282. 283. & 284. a quonam dispensari valeant vota dubia. c. 10. n. 288. Dispensatio a Privilegiato concessa sine justa causa an valeat, & quid sit tenendum, quando motivum dispensandi ab Oratore allegatum non subsistit. c. 10. n. 292. Quid si uterque tam Dispensans, quam Dispensatus bona fide processerunt. c. 10. n. 293. An ad valorem Dispensationis sufficiat, quod Dispensans serio se manifestet velle talem a voto absolutum. c. 10. n. 294.

Dispensare quis possit, in lege jejunii respectu omnium fidelium. c. 18. num. 502. An dispensare possit Parochus qua talis, in obligatione jejunii. c. 18. n. 505. An Dispensatus ob aliqualem infirmitatem recuperata valetudine possit sumere secundam refectionem? c. 18. n. 515. An Dispensatus in esu carnium ex eo præcise, quod non possit comedere pisces, possit sumere secundam refectionem. c. 18. n. 516. & quid si aliquis ob infirmitatem in esu carnium sit Dispensatus? ibid. n. 517.

Distantia loci ab Ecclesia an sit causa excusans ab auditione Sacri. c. 13. num. 370.

Distinctio Juramentorum qualis sit tum ex parte rei juratæ, tum ex pater modi jurandi. c. 1. n. 31.

Dominus quid suo famulo debeat. c. 21. n. 590. An possit famulo ægrotanti juste subtrahere mercedem condictam. c. 21. n. 603. Utrum Dominus possit irritare vota famuli. c. 9. n. 246.

Dubiam rem jurejurando asserere velut certam an peccatum. c. 4. n. 114. Dubitans num ante, vel post pubertatem sese obstrinxerit aliquo voto, an teneatur voto? c. 9. n. 251. & quid si dubitetur, an non post pubertatem adeptam ratificaverit. c. 9. num. 252. An dubitans de voto castitatis tuta conscientia contrahere valeat Matrimonium, a quonam juvari, vel dispensari possit contra-

cto jam Matrimonio? c. 10. num. 279. & 280.

E

EBrii an sint capaces ad deponendum verum Juramentum? c. 3. n. 84.

Educatio corporalis quid importet? c. 20 num. 564. Quid spiritualis? ibid. n. 562.

Elevans duos digitos in testimonium afferti an censeatur vere jurare? cap. 2. n. 45.

Eligere minus dignum num peccatum? c. 5. n. 136. An consultum Electoribus imponere juramentum de non eligendo minus digno? c. 5. n. 135.

Energumenus quandonam a Ministro Ecclesiæ exorcizandus? c. 6. n. 158.

Episcopus an possit cum suis Diæcesanis dispensare in omnibus votis? c. 10. n. 271. An Episcopo competat potestas præcipiendi jejunium? c. 16. n. 455. & c. 18. n. 503. An possit obligationem jejunii Ecclesiastici de uno die transferre in alium? c. 18. n. 522.

Error circa substantiam an invalidet Juramentum promissorium? c. 3. n. 85. Qualis error irritet votum? c. 7. n. 179.

Esus carnium a carnibus piscium distinctarum an sit ab Ecclesia prohibitus? cap. 15. num. 427. Esus in die jejunii sæpius repetitus an sit peccaminosus? c. 15. n. 445.

Excusari a peccato an possit, qui Creaturis maledicunt sine ordine ad DEUM? c. 1. n. 21.

Exorcizans qualia interrogatoria licite possit ponere? cap. 6. num. 157. Quænam huic specialiter observanda c. 6. n. 159. Minister Ecclesiæ quandonam exorcizare teneatur Energumenum? c. 6. n. 158. An Exorcismis Ecclesiæ competat vis infallibilis expellendi Dæmones? cap. 6. num. 160. & unde proveniat, quod sæpius Exorcismi in cassum videantur adhiberi? c. 6. n. 161.

Exorcizans Energumenum an bene faciat interrogando Diabolum de anima Salomonis? c. 6. num. 165. & 166. & quid si Diabolus respondeat se egressurum sub conditione tamen, ut permittatur intrare in alium hominem, vel Creaturam saltem irrationalem. c. 6. n. 168.

F

FAlso jurans quale peccatum committat? c. 2. n. 54.

Famulus quid suo hero debeat? c. 21. n. 591. Famuli a suis heris ordinarie impediti, an excusari possint ab obligatione audiendi Sacrum? c. 13. n. 377. Famuli, vel Famulæ præter intentionem Dominos suos damnificantes, an teneantur ad restitutionem. c. 21. n. 601. & 602.

Fidem Sponso, vel Sponsæ promissam frangere an sit peccatum contra Virtutem Religionis? c. 2. n. 42. Fidem Sacerdotalem, vel fidem Nobilium iterponentes, an vere jurent, c. 2. n. 46.

Filii illegitimi alii sunt naturales, alii spurii. c. 20. n. 565. Num illegitimis Parentes teneantur præstare omnia illa, quæ legitimis? ibid. n. 566. Filii quid teneantur Parentibus exhibere? c. 19. n. 533. Qualem Parentibus debeant reverentiam? c. 19. n. 540. Qualem amorem? ibid. n. 534. & 535. qualem obedientiam? ibid. n. 536. & 537. Filii an, & quomodo possint contra voluntatem Parentum licite amplecti statum Religiosum? c. 19. n. 539. An possint Parenti pecunias negare pro aliquo haustu extraordinario? c. 19. n. 541. An teneantur ad solvenda debita a Patre relicta? ibid. n. 642. Et quomodo filii ex bonis vinculatis, v. g. majoratu teneantur solvere debita a Patre relicta? c. 19. n. 543. An Filii invitis Parentibus matrimonium contrahentes peccent? c. 19. n. 544. An possint, si contra Parentum voluntatem nubant, digno tamen, privari dote congrua, c. 9. n. 546. Filii durius Parentes alloquentes quomodo peccent? ibid. n. 547. 548. & 550. An sæpius cum iisdem peccatis reversi possint vel debeant absolvi? c. 19. n. 549. Filii Parentibus in gravi necessitate animæ, vel corporis non succurrentes qualiter peccent. c. 19. n. 551. Filiorum inobedientia erga Parentes an possit aliquando a peccato excusari? c. 19. n. 555. Filii publice neglectum educationis suis parentibus obiicientes, an peccent? c. 20. n. 574. Filii quomodo corrigendi? c. 20. n. 563.

Fiscus utrum teneatur debitis relictis satisfacere, si ob perpetratum aliquod delictum bona voventis sibi attribuit. c. 8. n. 229.

Formulæ quædam, quæ non sonant verum Juramentum, c. 2. n. 53. Formulæ nonnullæ commutationum ab aliis factarum, c. 11. n. 308.

Fratres Minores Professi an nondum expleto vigesimo primo anno teneantur ad jejunia in Regula expressa. c. 16. n. 459. An Sexagenario majores ad idem teneantur. ib. n. 460.

Fur inducens alios commilitones ad perjurium, ut se a delicto purget, quomodo peccet. c. 4. n. 108. & 109.

G

GRatitudo quid. c. 19. n. 532. An ingratitudo sit speciale peccatum. c. 21. n. 594. & 597.

H

HÆres an teneatur ad solvenda Vota realia defuncti. c. 8. n. 213. Et ex quali virtute. ibid. n. 214. Hæres an & quomodo teneatur ad vota & legata pia decedentis solvenda. c. 8. num. 226. & 227. Quo ordine ab hæredibus hujuscemodi Votis satisfaciendum sit. c. 8. n. 228.

Herus quid suo famulo debeat. c. 21. num. 590. Herus vel hera an peccent mandando, ut olera die jejunii condiantur pinguedine anserum, vel lardi porcini. c. 15. n. 436.

I

JEjunium proprie & improprie sumptum quid. c. 15. num. 421. & 422. Quid jejunium Ecclesiasticum. c. 15. n. 423. Quales ad hoc requirantur conditiones. c. 15. n. 424. Jejunium frangens quoad secundam refectionem, an teneatur ad abstinendum a tertia. c. 15. n. 425. & 426. In jejunio an sit prohibitus esus carnium a carnibus piscium distinctarum. c. 15. n. 427. Item in Regionibus non exemptis an sit prohibitus Esus ovorum, & lacticiniorum. c. 15. n. 428. & 429. Quid de usu lardi porcini, aut pinguedinis anserum. c. 15. n. 430. & 431. An obstet jejunio Ecclesiastico sorbitio chocolatæ tenuis, aut decocti ex herba Thee, aut fabis Caffee. c. 15. n. 432. Quid si chocolata coqueretur, aut sumeretur per modum pultis. c. 15. n. 433. An tempore jejunii in defectu butyri, aut olei licitum sit comedere cibum ex farina frixa in sebo & sagimine. c. 15. n. 434. An fas sit die esuriali condire herbas, vel olera pinguedine anserum, aut lardi porcini. ibid. n. 435. & 436. An jejunium frangant, qui solent diebus jejunii assidere ad tabulam per quatuor, vel quinque horas. c. 15. n. 437. Item qui per aliquod temporis spatium surgunt, & denuo ad mensam revertuntur, vel absoluta una cœna in alio loco denuo comedunt. ibid. n. 438. & 439. Num potus excessivus tollat substantiam jejunii Ecclesiastici. c. 15. n. 440. & 441. item 442. An die jejunii sæpius modicum quid comedens peccet mortaliter. c. 15. n. 445. 446. & 447. Utrum comedens carnes die jejunii peccet mortaliter toties quoties. c. 15. n. 449. & 450. An jejunii immemor de mane sumens jentaculum adhuc teneatur ad servandum jejunium abstinendo a carnibus, & secunda refectione. ibid. n. 451. Potestas jejunium pro universali Ecclesia præcipiendi cui competat. c. 16. n. 455. Quinam ad jejunium Ecclesiasticum stringantur. c. 16. n. 456. An etiam tenuiter infirmi. c. 18. n. 527. Recensentur dies universim 60. quibus fideles per annum ad jejunandum adstringuntur, c. 16. n. 457. Jejunio Diœcesano quinam stringantur. c. 16. n. 461. Ad jejunia ab Episcopo præcepta num etiam teneantur Religiosi. c. 16. n. 462. An a jejuniis ab Ecclesia præcise institutis dispensante Episcopo etiam Religiosi exempti deobligentur. c. 16. n. 463. Jejunium omittens duplici præcepto formali debitum, quotuplex committat peccatum. c. 16. n. 475. Quisnam in jejunio respectu omnium fidelium possit dispensare. c. 18. n. 502. An etiam Episcopus, vel Prælati Regulares, & respectu quorum. c. 18. n. 503. Item an, & quomodo Parochus. ibid. num. 504. Causæ a jejunio excusantes quot principaliter sint. c. 18. num. 501. Quænam a jejunandi obligatione causæ excusent. c. 18. n. 506. & seqq. An jejunio

sit deobligatus, qui a Medico oblata pecunia testimonium obtinet, quod egeat carnium comestione. c. 18.n. 512. Et quid de illis, qui tempore Paschali fatentur, se comedisse carnes per quadragesimam non petita licentia, vel dispensatione, eo quod pro hac debuissent facere expensas. ibid. n. 514. An jejunii tempore sponte se fatigantes eo præcise fine, ut a lege jejunii evadant liberi, graviter delinquant. c. 18.n. 519. 520. & 521. Num jejunandi obligatio sit personalis, & quomodo affixa diebus. c. 18. n. 473. Propositum per totam quadragesimam violandi jejunium, quotuplex peccatum. c. 18. n. 476. Num a jejunio Ecclesiastico exempti sint, qui laboribus vel muneribus suis observato jejunio satisfacere non possent. c. 18. n. 508. Recensentur sat multi ex hac classe, ibid. n. 509.

Illegitimis filiis an omnia illa Parentes teneantur præstare, quæ legitimis. c. 20. n. 566.

Impedimentum ab auditione Sacri excusans quotuplex. c. 13. n. 371. Impedimentum solum impediens pro die Dominico aut festivo ponere an liceat. ibid. n. 372. Num & tale pridie, aut maturius ponere fas sit. ibid. n. 373.

Impossibilitas qualis ab auditione Sacri excuset. c. 13. n. 362. Quandonam impossibilitas physica censeatur intervenire, ibid. n. 363. Et quandonam impossibilitas moralis ob detrimentum in bonis animæ, corporis, vel fortunæ. ibid. num. 364. & seq. Qualis impotentia a lege jejunii excuset. c. 18. n. 506.

Impotentes interesse Sacro an obligentur domi, vel ruri vacare precibus. c. 13.n. 474. Quinam physice vel moraliter impotentes censeantur. c. 18. n. 507.

Impuberes quinam in jure dicantur. c. 9. n. 243. An Parens possit impuberum vota irritare. ibid. n. 244. & 245.

Indignitas Sponsi undenam sit petenda. c. 19. n. 545.

Inducere aliquem ad jurandum de jure incerta quale peccatum. c. 4. n. 102. Et ad quid talis teneatur. ibid. num. 103. Inducere aliquem ad perjurium quale peccatum. c. 4. n. 111. An liceat aliquem inducere ad perjurium materiale. c. 4. n. 112. An fas sit inducere Prælatum ad Votum in Sæculo emissum, post Professionem irritandum. c. 9. nu. 253. & 254. An inducens alium ad violandum jejunium graviter peccet. c. 6. num. 470.

Infantes an excusentur ab obligatione audiendi Sacrum. c. 12. n. 360.

Infirmus tenuiter an possit excusari a jejunio Ecclesiastico. c. 18. n. 527. An infirmus tempore infirmitatis suæ sæpius asserens, se induiturum habitum Religiosum, si Deus restitueret sanitatem, censendus sit vovisse. c. 189.

Inobedientia Filiorum erga Parentes an possit aliquando a peccato mortali excusari. c. 19. n. 555.

Intentio habitualis, vel interpretativa an sufficiat ad Valorem Voti. c. 7. n.198. Num intentio audiendi Sacrum sine intentione satisfaciendi præcepto Ecclesiæ sufficiat. c. 12. n. 336. An & quando intentio jurantis sit examinanda. c. 2. n. 38.

Interpretatio Voti quid. c. 8. n. 217. Interpretandi regulæ nonnullæ breviter recensentur. ibid. n. 218.

Irritatio Voti quid & quotuplex. c. 9. n. 241. & 242. Quinam valeant irritare Vota. c. 9. n. 244. & 245. Irritare Vota sine causa, an, & quale peccatum. c. 9. n. 248. An Parens respectu filii, vel filiæ possit irritare Votum amplectendi Ordinem Religiosum. c. 9. n. 249. & 250. Quomodo a Superiore irritari possint Vota Novitiorum. c.9.n.262. Item an irritari possint Vota ante pubertatem edita. ibid. n. 263. & 264. An & quomodo Vota ante subjectionem, v. g. ab uxore ante Matrimonium nuncupata irritari possint tempore Subjectionis. c. 9. n. 265. Num directe irritata Vota non amplius reviviscant. ibid. n. 266. An Maritus possit irritare Vota uxoris. c. 9. n. 257. & seq. Num irritari possint Vota edita, & in posterum edenda. c. 9. n. 260. Pontifex an irritare possit Vota tum Religiosorum, tum Sæcularium. c. 9. n. 261. An irritari posit a Prælatis Nostri Ordinis Votum eundi inter Saracenos vel Jerosolymam. c. 9. n. 255.

Itinerare die festo an liceat. c. 14. n. 404.

Judex an posit deferre juramentum purgatorium reo fatenti se cum puerpera

pera imperfectam habuisse copulam. c. 5. n. 141. Num Judices ignorantes, vel justitiam debite non administrantes peccent. c. 21. n. 607. Judex in foro externo ad quid soleat attendere in juramentis. c. 2. n. 40. Utrum Judex possit exigere juramentum, licet prævideat periculum perjurii. c. 4. n. 110.

Judicium criminale an diebus festivis prohibitum. c. 14. n. 405.

Judicium Juramenti in quonam consistat. c. 4. n. 98.

Juramentum quid. c. 2. n. 28. Quales ad hoc requirantur conditiones. ib. n. 29. Jurare an licitum. c. 2. n. 30. Juramentorum distinctio tum ex parte rei juratæ, tum ex parte modi jurandi breviter insinuatur, ib. n. 31. Juramentum assertorium quid? & quid promissorium. ibid. n. 32. Quid explicitum, quid implicitum. ibid. n. 33. Quid simplex, quid solemne. c. 2. n. 34. Quid denique, & quotuplex Juramentum judiciale, quid extrajudiciale. ibid. n. 35. Quænam requirantur conditiones ad hoc, ut quis licite in judicio juret? c. 2. n. 36. Quid Juramentum contestatorium. Quid execratorium. ibid. n. 37. Quando jurantis verba sunt dubia, ad quid attendere debeat Confessarius. ib. n. 38. Præsertim dum juravit per creaturas. ibid. n. 39. Ad juramentum validum quid requiratur. c. 3. n. 56. An Juramentum gravi & injusto metu extortum valeat. c. 3. num. 57. Quandonam valeat Juramentum promissorium. c. 3. n. 58. & 59. Num valeat Juramentum præstandi id, quod est lege prohibitum, vel quod est lege permissum. c. 3. n. 60. Quo sensu intelligi debeat, Juramentum sortiri conditiones actus, cui adjicitur. c. 3. n. 65. Quomodo Juramenta in foro externo, & in interno sint interpretanda. ibid. n. 67. & 68. An omnia Juramenta qua talia sint ejusdem speciei. c. 2. n. 50. Perjurium quale peccatum. c. 2. n. 54. Quando & quomodo jurandi consuetudines debeant dedoceri. c. 2. n. 55. Juramenta versantia circa materiam juris quomodo interpretanda. c. 3. nu. 69. Quæ & quot conditiones fictione juris in omni juramento promissorio tacite subintelligantur. ibid. n. 70. Quotuplex detur veritas in Juramento promissorio. ibid. n. 71. Qualiter obliget Juramentum promissorium. c. 3. n. 72. & 73. An Juramentum de servando silentio circa perpetrandam rem perniciosam Reipublicæ ad sui observationem obliget. c. 3. num. 75. Quomodo Juramentum de vitanda certa quadam domo, vel consortio stringat. c. 3. n. 77. An tali Juramento obstrictus possit adhuc ob aliam caussam accedere domum. ib. n. 78. & 79. An, & quomodo juramentum non amplius ludendi obliget jurantem, & quandonam contra hoc graviter delinquatur. ibid. n. 81. Quomodo Juramentum de expellendo aliquem ex domo obliget. c. 3. n. 80. & 82. Et quid si positive jurasset, quod illum non velit expellere. ibid. n. 83. An Juramenta circa rem indifferentem qua talem valeant. ibid. num. 86. Juramenta Parentum de castigandis aut puniendis prolibus an semper valeant. c. 3. n. 87. Num Juramentum de faciendo opere illicito, item Juramentum de solvenda mercede ob positum tale opus validum. ibid. n. 88. An & quomodo contra Juramentum suum peccat Medicus, qui non admonet decumbentem de confessione peccatorum c. 3. n. 89. Quomodo Juramenta de servandis sub rosa ea, quæ in Collegiis, aut Electionibus tractantur, obligent. c. 3. n. 90. Quomodo Juramenta servandi certas quasdam Constitutiones Universitatum vel Collegiorum obligent. ibid. n. 91. Utrum contra Juramentum fidelitatis peccent Officiales, dum sua munera non satis fideliter administrant. c. 3. n. 92.

Juramentum licitum quales debeat habere conditiones. c. 4. n. 93. Ejus veritas in quo consistat. ibid. n. 94. Num omne Juramentum contra mentem factum sit mortaliter peccaminosum. ib. n. 95. An jurans se commissurum id, quod est mortaliter, vel venialiter duntaxat peccaminosum, peccet mortaliter. c. 4. n. 97. An Juramentum carens judicio peccaminosum. c. 4. n. 99. & 100. Quandonam Juramentum suppletorium deferendum. ibid. n. 101. An & quomodo Juramentum contrahendi matrimonium contra voluntatem Parentum valeat. c. 4. n. 104. Num Juramentum eo fine factum, ut obtineatur usus corporis, valeat. c. 4. n. 105. Jurans hanc non

aliam ducere utrum ad hoc vi Juramenti teneatur. c. 4. num. 106. Quid de Juramento, quo Sponsi se obligant ad non permittendum tactum lascivum ab alia quacunque persona. ibid. n. 107. Utrum jurans rem dubiam velut certam, & vicissim, peccet mortaliter. c. 4. n. 114. An Juramentum emendandi se, vel restituendi &c. a pœnitentibus sit exigendum. c. 4. n. 115.

Juramentum fictum quid. c. 5. n. 117. Quotuplex. ibid. n. 118. An jurare absque animo jurandi aliquando liceat. ibid. n. 119. Jurare verum sine animo jurandi, vel jurare falsum in materia levi, quale peccatum. c. 5. n. 120. Jurare sine animo se obligandi ad promissum, an illicitum, & graviter peccaminosum. ibid. n. 121. & 122. Jurare cum intentione se obligandi, non autem observandi promissum, quale peccatum. c. 5. n. 123. & 124. Juramentum fictum, sed cum dolo factum, an, & qua virtute in conscientia obliget. c. 5. num. 125. Sitne fas jurare cum restrictione pure mentali sine justa causa. ibid. n. 129. 133. & 134.

Juramentum promissorium factum ex, vel cum errore circa substantiam nullum est, bene vero si error contingit solum circa accidentia. c. 3. n. 85. An jurasse censendus, qui in signum juramenti duos digitos elevavit. c. 2. n. 45. Num vere jurent, qui interponunt fidem Sacerdotalem, vel fidem Nobilium. c. 2. num. 46.

Jus ad aliquam rem defendendam an excuset ab auditione Sacri. c. 13. num. 375.

Justitia juramenti in quo consistat. c. 4. n. 96.

L

LAbor in diebus festivis a pluribus per sesquihoram juncta opera simul protractus, an sit mortaliter peccaminosus. c. 14. n. 411. Et quid si labor successive ita fiat. ibid. Sitne labor servilis aliquem in lectica alio asportare c. 14. n. 409. & 410. Labor servilis quandonam in diebus festivis sit licitus. c. 4. n. 415. Quandonam laborare serviliter causa pietatis, vel necessitatis licitum sit. c. 14. n. 419. Et quandonam labor servilis, rei familiaris conservandæ causa permitti possit. c. 14. n. 417. Quinam labores serviles ab Ecclesia permittantur diebus festivis, causa pietatis in Deum, vel divini cultus exercendi. ibid. n. 420. Qui laboribus sibi incumbentibus servato jejunio satisfacere nequeunt, an sint excusati a jejunio Ecclesiastico. c. 18. n. 508. & 509. An labor semper a jejunio excuset. c. 18. num. 510. & 518. Num labor sponte susceptus ex eo præcise fine, ut quis a jejunio liber evadat, ab obligatione jejunii excuset. c. 18. n. 519. item n. 520. & 521. Num laboribus de se minus gravibus strenue incumbentes excusari possint a jejunio. c. 18. nu. 524. Labores artificum, vel Mechanicorum quandonam a jejunio excusent. c. 18. n. 523.

Lectores mensæ an diebus jejuniorum licite, priusquam suum officium inchoent, sumant offam, vel aliud simile quid. c. 15. n. 448.

Legata pia an & quomodo solvi debeant ad hæredibus. c. 8. n. 226. 227. & 228.

M

MAgister discipulum suum seducendo, vel inducendo ad peccandum quale committat peccatum. c. 21. num. 610. Magistri quid suis debeant discipulis. c. 21. n. 592.

Magistratus præficiendo Reipublicæ, vel tolerando Judices indoctos, vel desides, vel justitiam non bene administrantes quomodo peccent. c. 21. n. 606. Magistratus Sæculares quid suis debeant subditis. c. 21. n. 586.

Maledicta in Sanctos, vel res sacras an sint Blasphemiæ. c. 1. n. 5. Maledicere bestiis an peccatum. c. 1. n. 14. Maledicere vento, pluviis, vel igni &c. an licitum. c. 1. n. 22.

Maritus an valeat irritare vota suæ uxoris. c. 9. n. 246. An possit irritare uxoris votum de perpetua in matrimonio servanda castitate, si hoc votum fuisset factum cum consensu permissivo tantum. c. 9. n. 257. Et quid si fuisset factum cum consensu approbativo mariti ibid. numer. 258. & 258. Maritus ad quæ teneatur uxori præstanda. c. 21. n. 588.

588. An maritus possit relicta uxore castra sequi c. 21. n. 598. Ad quid talis a Confessario obligandus. ibid. n. 599. & 600. Maritus uxorem tyrannice tractans quomodo peccet. c. 21. n. 608.

Materia Juramenti validi quæ & qualis esse debeat. c. 3. n. 58. & 59. vide Juramentum.

Materia Voti quæ & qualis. c. 7. n. 183. & 184. Quid si hæc sit partim possibilis, partim impossibilis. ibid. num. 185. Quid si materia Voti ab initio fuit omnino indifferens, aut inepta, postea vero evadat bona. c. 7. n. 202. Quid si ab initio fuit bona, postea vero evadat inepta, & inutilis. ibid. n. 203. Quando in materia votorum ruit principale, ruit etiam accessorium, non vice versa. c. 7. n. 204. Quid si partes materiæ sint divisibiles. c. 8. nu. 233. An materia gravis commutata in levem obliget sub mortali ad sui observationem. c. 11. n. 328.

Mater quomodo teneatur alimentare prolem. c. 20. n. 567. An Mater quæ post triennium elapsum cogebatur sola enutrire filium, possit a Patre prætendere, vel tacite compensare expensas alimentorum. c. 20. num. 575. Num hoc possit, si post mortem Patris, facta præsertim divisione bonorum, familiam sola gubernet. ibid. n. 576.

Matres quæ tempore sacrificii nequeunt suos infantulos aliorum curæ committere, num possint domi manere. c. 13. num. 389.

Matrimonium contra voluntatem Parentum contrahentes an, & quando peccent. c. 19. n. 538. & 544.

Mechanici quandonam ob laborem sint excusati a jejunio. c. 18. n. 523.

Medicus an possit in jejunio Ecclesiastico dispensare. c. 18. n. 505. Medicus, qui non admonet graviter decumbentem de confessione peccatorum, an, & quomodo contra suum juramentum delinquat. c. 3. n. 89. An, & quomodo peccet Medicus oblata pecunia dans testimonium, quod quis egeat carnium comestione. c. 18. n. 512. & 513.

Mendicantes in quibus votis valeant dispensare. c. 10. n. 274. Et quænam vota commutare. c. 11. n. 300. 301. 302. & 304. Num possint in votis dubiis dispensare. c. 10. n. 288. Quid in voto peregrinationis non ex devotione, sed alio fine facto, & quid in voto imperfectæ castitatis? c. 10. n. 290. & 291. Num possint dispensare in voto imperfecto Religionis. ibid. n. 289.

Mens jurantis quandonam a Confessario debeat examinari. c. 2. n. 38.

Mercator contra mentem commendans merces suas verbis verum juramentum sonantibus, an censendus sit perjurus. c. 2. n. 47. & 48. Et quid in hac materia Confessario observandum. ibid. n. 49.

Mercatus an diebus festivis sit illicitus. c. 14. n. 405.

Metus injuste exortus num invalidet Juramentum. c. 2. n. 57. Qualis metus irritet votum. c. 7. n. 178. An metus servilis subditorum, quo præceptum Superioris impossibile cum audione Sacri exequuntur, excuset a peccato mortali. c. 13. n. 376.

Miles desertor an possit a Confessario adstringi, ut ad castra revertatur. c. 2. num. 44.

Minister Ecclesiæ an & quando teneatur exorcizare Energumenum. c. 6. n. 158. Ministri mensæ an licite sumant offam, vel aliud quid simile, antequam suum inchoent officium. c. 15. n. 448.

Minorennes quinam in jure vocitentur. c. 9. n. 243.

Missæ auditio quid. c. 12. n. 333. & 334. ad hujus auditionem quales requirantur conditiones. c. 12. n. 335. Qualis requiratur intentio & attentio. ibid. n. 336. & 337. Quinam Missam audire teneantur. c. 12. n. 338. & sub quali obligatione. ibid. n. 339. Quo jure. ibid. n. 340. Nam auditioni Missæ non obsit actualis Confessio. c. 12. n. 341. An sub missa colloquia miscentes semper peccent mortaliter. ibid. n. 343. & 344. An duas Missas a diversis Sacerdotibus simul lectas audiens satisfaciat Confessarii præcepto de duobus sacris audiendis. c. 12. n. 345. & 346. Num satisfaciat huic præcepto, qui duas partes Missæ simul a diversis celebrantibus audit. ibid. n. 347. Item qui uni Sacro ab Elevatione usque ad finem, alteri vero usque ad consecrationem assistit. ib. n. 348. Quando, & quibus liceat Missam in Oratorio privato audire. c. 12. n. 349.

n. 349. 350. & 351. Quid si aliquis sine difficultate non possit accedere Ecclesiam publicam? c. 12. n. 352. Missam non audire die Festo a Principe sæculari præcise instituto, an sit peccatum contra virtutem Religionis. c. 12. n. 353. An præcepto audiendi Missam satisfaciat, qui domi se continet, & solum animum suum, vel preces dirigit ad Sacerdotem in Ecclesia litantem. c. 12. n. 354. An is, qui e fenestra Cameræ non procul distantis ab Ecclesia, Sacerdotem ad aram stantem videt, & devote auscultat. ibid. n. 355. Quid si Minister aliquo tempore absit. ibid. n. 356. Recensetur breviter distinctio partium Missæ seu Sacrificii a DD. communiter fieri solita. c. 12. n. 358. An auditioni Missæ obstet recitatio Breviarii. c. 12. num. 359. a Missæ auditione anne excusentur cæci, surdi: & quid de infantibus. c. 12. num. 360. In quanam Ecclesia Missa sit a fidelibus audienda. ibid. num. 361. Quænam causæ excusent. c. 13. num. 362. An Missæ obligationi deroget Titulus charitatis. c. 13. num. 369. Num & distantia loci. ibid. n. 370.

Ab auditione Missæ datur duplex genus impedimentorum excusantium. c. 13. n. 371. An Missam audire non potentes teneantur domi vacare precibus. c. 13. n. 374. An fas sit Missam die Festo negligere eo fine, ut alius idem jus prætendens præveniatur. c. 13. n. 375. An Missæ obligationi deroget consuetudo legitime introducta. c. 13. num. 384. Num ab auditione Sacri excusati sint aurigæ impediti. c. 13. num. 390. Item an & illi, quorum auctoritas, vel præsentia necessaria est ad impedienda majora mala, utputa, rapinas, incendia &c. ibid. n. 391.

Modus qualis sit in adjuratione Dæmonis observandus. c. 6. n. 156.

N

Nobilibus an ex eo præcise, quod tales sint, sit plus in collatione condescendendum, quam aliis fidelibus. c. 17. numer. 497. Nobilium fidem interponentes num vere jurent. c. 2. n. 46.

Novitiorum Vota quomodo a Prælato possint irritari. c. 9. num. 262.

Nutrices, quæ tempore sacrificii nequeunt infantulos aliorum curæ committere, an possint cum dispendio Missæ se domi continere. c. 13. numer. 389.

O

Obedire Parentibus. vide Filii.

Obligatio Voti an de se gravis sit, vel levis duntaxat. c. 8. n. 205. & 206. undenam colligendum, quod obligatio Voti fuerit annexa diei, aut tempori, vel non annexa. c. 8. num. 234. Quot modis hæc obligatio possit auferri. conf. 8. num. 237. quandonam cesset ob mutationem materiæ, circumstantiarum. &c. c. 9. num. 238. item quandonam ob cessationem finis. ibid. num. 239. quandonam exspiret ob defectum conditionis, vel ob lapsum temporis. c. 9. num. 240. an aliquis possit se obligare ad materiam gravem sub culpa levi tantum. c. 8. numer. 207. & quid circa Vota solemnia Castitatis, & Religiosæ Professionis. c. 8. num. 208.

Obligatio jejunandi num hodiedum detur in Ecclesia. c. 16. num. 452. ad quid vi hujus obligationis fideles teneantur. ibid. num. 453. Cavillationes hæreticorum Ecclesiam redarguentium refutantur breviter. ibid. num. 454. obligatio jejunandi num sit personalis, & affixa certis diebus. c. 16. n. 473.

Observantia Festorum quo præcepto demandetur. c. 12. n. 329.

Observatio specialis circa Commutationem Votorum. c. 11. num. 307. quid per observationem Filiorum erga Parentes intelligatur. c. 19. n. 532.

Occupatio quomodo, vel qualis liberet a jejunio. c. 18. n. 511.

Officiales quomodo peccent contra Juramentum fidelitatis, dum sua officia non satis fideliter administrant. c. 3. num. 92.

Omissio jejunii duplici præcepto debiti an contineat duplex specie distinctum peccatum. c. 16. n. 475.

Opera Misericordiæ an excusent a jejunio. c. 18. n. 511. num opera incompati-

bilia

bilia cum jejunio diebus efurialibus debeant intermitti. c. 18. num. 525. & 526. an opera Forensia diebus festis sint interdicta. c. 14. n. 405. an opera Moinalium, aliarumve fœminarum v. g. conficere scapularia, vestire pusiones Salisburgenses, & similia diebus Festivis licita sint. c. 14. n. 407. & quid tenendum de opere acu pingendi. ibid. num. 408. an opera, quæ a DD. velut liberalia probabiliter defenduntur, licite exerceantur diebus festivis. c. 14. n. 416.

Opera quænam dicantur liberalia, quænam servilia. c. 14. n. 392. quo jure ab operibus sevilibus teneamur diebus prohibitis abstinere. ibid n. 393. & 394. operibus servilibus quanto tempore vacari possit absque reatu peccati mortalis. c. 14. num. 395. num pingere sit opus servile. c. 14. num. 396. & 397. an sint opera servilia terere colores, tales extendere, & alia ad actum pingendi præparatoria. ibid. num. 398. & quid de scriptione, descriptione, vel transcriptione tenendum. ibid. num. 399. & 400. an opera Typographorum sint opera servilia. c. 14. n. 401.

Opifex plures famulos die Festo adigens, ut juncta opera per sesqui horam simul laborent, an peccet. c. 14. n. 411. & quid si eos adigeret ad successive laborandum. ibi. sitne permittendum uni opifici, ut quasi solus singulis diebus Festivis aliquot horis serviliter laboret. conf. 14. n. 478.

P

PArentes quid debeant filiis. c. 20. n. 559. & seqq. quomodo eos corrigere debeant. c. 20. n. 563. An illegitimis teneantur omnia illa præstare quæ legitimis. c. 20. n. 566. quid Mater ibi. num. 567. An Parentes possint filios domo paterna excludere, au exhæredare ob gravia crimina. c. 20. num. 568. 569. 570. Quomodo Parentes coram Parvulis suis minus caute utentes conjugio peccent. c. 20. num. 562. Num peccent prolibus suis cæco amore inescatis omnia dissimulantes. ibidem. num. 573. & 574. Quomodo peccent filiis suis male imprecando. c. 20. n. 577. Quomodo Rustici teneantur curare, ut eorum liberi in doctrina Christiana instruantur. c. 20. num. 578. & 579. An teneantur facere expensas pro alimentatione filiorum. ibi. n. 589. Ad quid teneantur, si hoc neglexerint. ibid. n. 581. An & quomodo Parentes peccent, qui proles suas recens natas in Ecclesiis, vel alio loco publico exponunt, & tecto quidem nomine, deinceps alendos in Orphonotrophio, hospitali, vel ab aliis. c. 20. num. 482. An Parentes possint filios suos cum dispendio Missæ domi recludere eo fine, ne forte filii in itinere ab aliis seducantur. c. 13. num. 378. Quomodo tales a Confessario adhortandi. ibid. n. 379. Quandonam fas sit, filios cum dispendio Sacri domi retinere. c. 13. n. 380. Parentum percussio etiamsi levis quale peccatum. c. 19. n. 556. Parentes convitiis, gestis vel factis ad gravem iracundiam voluntarie provocare, quale peccatum. ibid. n. 557. Quomodo peccent filii suos Parentes contemnendo, ita ut pudeat eos agnoscere tanquam genitores. ibid. n. 558. Parens num possit filii votum de ingredienda Religione irritare. c. 9. num. 245. Quinam nomine Parentis in irritatione votorum intelligantur. c. 9. n. 247.

Parochus an possit dispensare in diebus festivis permittendo laborem servilem. c. 14. num. 413. An queat dispensare in lege jejunii. c. 18. n. 504. an possit votum in favorem Ecclesiæ factum commutare. c. 11. nu. 309. & 310. Quidsi tale votum supponatur in gratiam Parochi factum. ibidem n. 311.

Pastores animarum quomodo teneantur gregem sibi commissum pascere. c. 21. num 583. Num Pastoris neglectus circa curam animarum commissus præbeat sufficientem causam defraudandi Decimas. c. 21. n. 569. An sub gravi obligatione teneantur oves errantes reducere. c. 21. n. 604. & quid si in cura animarum negligentes Sacramenta non administrant, ibid. n. 605.

Patrini in defectu Parentum quid debeant filiis spiritualibus. conf. 21. n. 584.

Percussio Parentis, etiam de se levis an sit peccatum mortale. conf. 20. n. 556.

Peregrinus an teneatur audire Sacrum in festo particulari alicujus loci. c. 13. n. 381. & quid si talis per unam, alteramve septimanam demoretur in tali loco. ibid. n. 382. Sitne talis peregrinus excusandus a Missa, si ob hujus auditionem deberet privari comitiva aliorum comperegrinantium. ibid. n. 383. An Peregrinus sit adstrictus jejunio Diœcesano. c. 16. n. 461.

Perjurium materiale quid, & an fas sit aliquem ad tale inducere. c. 4. num. 111. & 112. Perjurium ex joco factum an licitum. ibidem. num. 113. Num omnia perjuria sint ejusdem speciei. c. 2. n. 50. & 51. An sit perjurus, qui contra mentem profert verba verum juramentum sonantia. conf. 2. num. 47. & 48.

Pietas erga Parentes quid. c. 19. n. 532. quid filii virtute Pietatis teneantur Parentibus exhibere conf. 19. n. 533.

Pingere an opus servile. c. 14. num. 396. Quid Confessario circa hoc advertendum. ibid. num. 397. An ad actum pingendi præparatoria, ut terere colores, tales extendere &c. sint opera servilia. ibid. n. 398.

Piscari an diebus festivis probitum. c. 14. n. 402.

Pœnæ in Blasphemos de jure statutæ, quomodo vel quando subsțent arbitrio Judicis. c. 1. n. 13.

Pœnitens sese axccusans Er habe gescholten / gesflucht / und geschwert: quomodo a Confessario examinandus. c. 1. num. 25. Quibus motivis aut mediis a pessima cosuetudine blasphemandi removendus sit. c. 1. num. 27. Quomodo examinandus, qui fatetur se jurasse. c. 4. num. 116. An Pœnitens tempore infirmitatis vovens castitatem sub conditione reconvalescentiæ possit a Confessario dispensari recuperata valetudine. c. 10. n. 285. 286. & 287. Quomodo se accusans de non servato jejunio debeat examinari. c. 15. n. 477. & quid circa pœnitentem bestiis maledicentem observandum. c. 1. n. 15. & quid si in tali peccato sit habituatus. ibi. n. 16.

Pontifex qualem habeat potestatem irritandi vota Religiosorum, & sæcularium, etiam sacerdotum. c. 9. num. 261. in quibus votis Pontifex possit respectu fidelium dispensare. c. 10. n. 269. & 270.

Potestas Mendicantium, & Privilegiatorum quo ad vota commutanda, ad quænam se extendat. c. 11. n. 300. 301. 302. & 303. Cuinam potestas instituendi dies festos pro universali Ecclesia competat. c. 12. num. 332. & cuinam pro diœcesi. ibidem num. 337. Utrum Parenti competat potestas directa irritandi vota liberorum. c. 9. n. 244.

Potus an obsit Jejunio. c. 15. n. 440. & 441. item n. 442.

Præceptor. Vide *Magister*

Præceptum secundum decalogi quid prohibeat. c. 1. num. 1. Quid tertium. c. 12. n. 329. An Præceptum de sanctificando die Festo etiam obliget ad Vesperas, vel concionem. c. 13. n. 385. & 386. Item an contra hoc Præceptum peccent, qui audito Sacro, otio, vel vanitatibus, reliquum tempus impendunt. ibid. n. 387. & 388. Ad qnid ulterius vi 3. Præcepti decalogi ut determinati ab Ecclesia teneamur. c. 14. n. 393. & 394. Quid Præceptum quartum decalogi præcipiat. c. 19. n. 530.

Prælati nostri Ordinis an possint irritare votum eundi inter Sacracenos vel Jerosolymam. c. 9. num. 255. Quomodo Prælati valeant irritare vota Novitiorum. c. 9. num. 262. Prælati Ecclesiastici in qnibus votis possint dispensare. c. 10. num. 271. & 272. An Prælatus possit obligare suos subditos ad jejunium ob votum a se emissum. c. 8. n. 222. Qualem Prælati habeant potestatem irritandi vota suorum Religiosorum subditorum. c. 9. n. 244.

Principes quid debeant suis subditis. c. 21 n. 586. Quomodo peccent præficiendo, aut tolerando in republica Judices indoctos, vel desides, vel Justitiam non bene administrantes. c. 21. n. 606.

Privilegiati. Vide *Confessarii*, vel *Mendicantes*.

Promissio jurejurando firmata de contrahendo Matrimonio etiam contra volun-

tem Parentum, an valeat. c. 4. n. 104. & quid de promissione, hanc & non aliam ducendi. ibid. n. 106.

Propositiones aliquæ pessime sonantes, & suo modo blasphemæ innuuntur, & dissuadentur. c. 1. num. 24. referuntur tres propositiones circa restrictionem mentalem ab Innocentio XI. damnatæ c. 5. n. 127.

Puella quindecim annorum an valeat emittere votum. c. 7. n. 193.

Puerpera non nupta an possit tuta conscientia amasio suo adscribere prolem in dubio, an ab hoc conceperit. c. 5. n. 140.

Pupilli quid debeant suis Tutoribus. c. 21. n. 587.

R

R*Atificatio* vera Voti quid requirat. c. 9. n. 252.

Refectio an possit se licite extendere in die jejunii usque ad quartam partem cœnæ. c. 17. n. 487. & 488. An, & quando major refectio licite in die jejunii possit permitti. c. 17. n. 489. 490. & 491.

Religiosus an possit tuta conscientia inducere Prælatum, ut post Professionem irritet Votum in sæculo emissum. c. 9. n. 253. & 254. Utrum Religiosi non Exempti teneantur ad jejunia ab Episcopo præcepta. c. 16. n. 262. Et quid de Exemptis. ibid. num. 463. Num Religiosus sciens Parentes suos ante Professionem suam in vere gravem indigentiam, & pauperiem incidisse, teneatur ad hanc sublevandam ad sæcula regredi. c. 19. num. 552. & 553. Num sublevata Parentum necessitate teneatur denuo reverti ad suam Religionem. ibid. num. 554. An Religiosi teneantur jejunare in aliqua V. G. Vigilia ob votum a Prælato factum. c. 8. n. 222.

Restitutio pecuniæ a Cacodæmone obtentæ an, & quandonam debeat fieri. c. 6. n. 164.

Restrictio mentalis quid, & quotuplex. c. 5. num. 126. Referuntur tres propositiones circa hanc materiam ab Innocentio XI. damnatæ. ibid. num. 127. Num restrictio pure mentalis in locutione, vel juramenra aliquando licita. c. 5. num. 128. An restrictio non pure mentalis sine justa causa juramento apposita sit illicita; ibid. num. 129. Quænam censeatur causa gravis. ibid. num. 130. Restrictio mentalis quandonam sit licita. c. 5. num. 131. 146. & seq. An, & quandonam restrictione mentali uti possit Confessarius ad revelandum sigillum adactus. c. 5. n. 149. 150. vide Amphibologia.

Reus illegitime examinatus, an, & quando uti possit restrictione non pure mantali. c. 5. n. 143. 144. & 145.

Reverentiam qualem Filii teneantur exhibere Parentibus. c. 19. n. 540.

S

S*Acerdotalem* fidem interponentes an vere jurent. c. 2. n. 46.

Sacra Scriptura abutentes an, & quando blasphemasse censendi? c. 1. n. 23.

Scribere an sit opus liberale, & die festo permissum. c. 14. numer. 399. & 400.

Segetes die festo colligere irrequisito D. Parocho, an sit licitum? c. 14. n. 412.

Sexagenarii an ab obligatione jejunandi sint exempti. c. 16. n. 458.

Solemnitas Voti quid importet. c. 7. num. 181.

Sponsio an habeatur pro Juramento. c. 2. n. 52.

Sponsi num se possint obligare juramento de non admittendo tactu lascivo ab alia quacunque Persona? c. 4. num. 107.

Spurius filius quinam censendus. c. 20. n. 565.

Subditus timore servili in re ab Ecclesia prohibita obtemperans, an excusetur a peccato mortali. c. 13. numer. 376.

Successores an possint adstringi ad votum a tota Communitate factum. c. 8. n. 223.

Superiores quandonam possint subditos domi recludere cum dispendio Missæ. c. 13. n. 380.

Superiorissa Monialium an possit suas subditas obligare ad quartum votum Clausuræ

suræ perpetuæ. c. 8. n. 224. & quid si in tali Monasterio clausura semel introducta, successu temporis, vel per abusum duntaxat fuisset sublata. c. 8. n. 225.

Surdus an sit in die festivo exemptus ab obligatione sacri audiendi. c. 12. n. 360.

T

T*Erere colores*, telas extendere, &c. an sint opera servilia, & diebus festis prohibita. c. 14. n. 398.

Testis illegitime examinatus an possit negare crimen, jurando cum restrictione non pure mentali. c. 5. n. 143. Num & hoc possit legitime interrogatus. ibid. n. 144. 145.

Timor servilis quo subditi præceptum Superioris exequuntur cum dispendio Sacri, an excuset a peccato mortali. c. 13. n. 376.

Transgressiones Votorum an omnes sint ejusdem speciei. c. 8. n. 230.

Tutores quid debeant Pupillis. c. 21. n. 586.

Typographorum opera, an & quænam sint servilia, & diebus festivis prohibita. c. 14. n. 401.

V

V*Enari* an, & quomodo diebus festivis sit licitum. c. 14. n. 402.

Verba juramenti quando sunt dubia: quid Confessario examinandum. c. 2. n. 38. & 39.

Veritas juramenti in quo consistat. c. 4. n. 94.

Vesperas die festo negligere an sit contra Præceptum de sanctificando die festo. c. 13. n. 385.

Votum quid. c. 7. n. 175. Votum validum quantam exigit deliberationem. c. 7. n. 176. & 177. An, vel quando votum ex gravi metu extrinsece injuste extortum sit validum. c. 7. n. 178. An, & qualis error votum irritet. ibid. n. 279. Votum quotuplex. c. 7. n. 180. Quid Voti solemnitas importet. c. 7. n. 181. Quisnam valeat emittere Votum. ibid. n. 182. Materia Voti quotuplex. c. 7. n. 183. & 184. Quid si Voti materia sit partim possibilis, partim impossibilis. ibid. n. 185. & 186. Habens Votum pœnale conditionatum ad quid teneatur. c. 7. n. 187. & 188. An vovisse censendus sit, qui tempore gravis infirmitatis sæpe auditus est dicere, se induiturum habitum Religiosum recuperata sanitate. c. 7. n. 189. Num Votum perpetuæ Virginitatis in honorem B. V. MARIÆ factum indigeat dispensatione pro statu conjugali. c. 7. n. 190. 191. An vovens virginitatem censendus sit vovisse castitatem. c. 7. n. 192. Num valeat Votum puellæ quindecim annorum. ibid. n. 193. An valeat Votum conjugatæ de jejunio servando sub conditione, si ex congressu conjugali nunquam evaderet gravida. c. 7. n. 194. An talis mulier teneatur abstinere saltem a secunda refectione, si nequeat abstinere a carnibus. ibid. n. 195. An Votum jejunandi stringat alio die, si non possit servari in pervigilio. c. 7. n. 196. An vovens teneatur saltem confiteri, si nequeat percipere sacram synaxin, & viciffim. c. 7. n. 197. Qualis intentio requiratur ad Voti valorem. c. 7. n. 198. Num Votum vitandi omnia venialia, & nullum etiam deliberate committendi, sit validum. c. 7. n. 199. An Votum ob finem malum, vel indifferentem emissum valeat. c. 7. n. 201. Quid si materia ab initio fuit bona, postea vero evadat inepta, vel mere indifferens. c. 7. n. 203. Et quid si e contrario materia Voti fuit quidem ab initio indifferens, aut inepta, postea vero evadat bona. ibid. n. 202. in materia votorum ruente principali, ruit & accessorium, c. 7. n. 204.

Voti obligatio an sit semper gravis. c. 8. n. 205. & 206. An quis possit se ad materiam de se liberam quantumvis gravem, obligare sub culpa levi tantum. c. 8. n. 207. & 208. Utrum Votum conditionatum sub conditione de futuro obliget ante impletam conditionem. c. 8. n. 209. Quandonam Votum pœnale obliget. 8. n. 210. An Vota personalia possint adimpleri per alium. c. 8. n. 211. Et quid de Votis realibus. ibid. n. 212. Num hæres teneatur solvere vota realia defuncti. c. 8. n. 213. Et ex quali virtute. ibid. n. 214. Quandonam voto sine determinatione temporis

ris facto debeat satisfieri. c. 8. n. 215. Quid circa votum sine determinatione numeri, aut quantitatis factum. c. 8. n. 216.

Voti interpretatio quid. c. 8. n. 217. Ad quid teneatur, qui vovit pauperem alere. c. 8. n. 219. Undenam decidendum, an talis votifragus graviter, vel leviter deliquerit. ibid. n. 220. Et an deinceps absque mortali possit negare alimenta. ibid. n. 221. An Votum jejunii a Prælato factum stringat etiam subditos. c. 8. n. 222. Num Votum a tota Communitate factum obliget Successores. ibid. n. 223. Num omnes votorum transgressiones sint ejusdem speciei. c. 8. n. 230. Utrum Votum abstinendi a carnibus V. G. aut vino, graviter obliget. c. 8. n. 231. Quantum talis possit bibere sine peccato gravi. ibid. n. 232. Si partes materiæ Voto promissæ sint divisibiles, ad quid attendendum. c. 8. n. 233. Undenam colligendum sit, quod voti obligatio fuerit annexa diei, aut tempori, vel non annexa. c. 8. n. 234. An & quando vota, quorum terminus certo tempori fuit annexus solum ad sollicitandam, non item ad finiendam obligationem, debeant præstari. c. 8. n. 235. Vovens v. g. peregrinationem hoc mense, & non potens illam peragere in fine, quandonam teneatur peregrinari. c. 8. n. 236.

Votorum obligatio quot modis auferri possit. c. 9. n. 237. Quandonam Votorum obligatio cesset ob mutationem materiæ, circumstantiarum &c. c. 9. n. 238. Et quando ob cessationem finis. ibid. n. 239. Quandonam Voti obligatio exspiret ob defectum conditionis, vel ob lapsum temporis. c. 9. numer. 240.

Voti irritatio quid & quotuplex. c. 9. n. 241. & 242. An vota substantialia Religiosi, & votum ingrediendi Religionem strictiorem, Prælatus possit irritare. c. 9. n. 245. Num maritus vota uxoris, vel dominus vota servi valeat directe irritare. c. 9. n. 246. Vota sine causa irritare, quale peccatum. c. 9. n. 248. Num possit Parens irritare Votum de ingredienda Religione. ibid. n. 249. & 250. Quid si dubitetur, an Votum ante vel post pubertatem adeptam fuerit emissum. ibid. n. 251. Et quid si dubitetur, an post pubertatem non fuerit ratificatum. ibid. n. 252. An Prælatus possit votum in sæculo emissum, post Professionem irritare. c. 9. n. 253. & 254. An maritus irritare valeat votum castitatis ab uxore emissum. c. 9. n. 256. & 257. item 258. & 259. Num vota edita, & in posterum edenda irritari queant. c. 9. n. 260. Quomodo vota Religiosorum, & vota sæcularium, etiam Sacerdotum a S. Pontifice irritari queant. c. 9. n. 261. Et quomodo vota Novitiorum a Prælato. ibid. n. 262. Num vota ante pubertatem irritari possint post pubertatem c. 9. n. 263. & 264. An, & quomodo vota ante subjectionem v. g. uxoris ante matrimonium nuncupata, tempore subjectionis irritari possint. c. 9. n. 265. An vota semel directe & absolute irritata non amplius reviviscant. c. 9. numer. 266. Quid si vota sint indirecte duntaxat irritata. ibid. numer. 267.

Voti dispensatio quid. c. 10. n. 268. Recensentur quinque Vota S. Pontifici reservata. ibid. n. 273. In quibus votis Confessarii Privilegiati dispensare valeant. c. 10. n. 274. Quænam circa dispensationem votorum Confessario sint observanda. c. 10. n. 277. An voto castitatis adstrictus possit contrahere matrimonium. c. 10. n. 279. A quonam talis persona juvari, vel dispensari valeat supposito jamjam contracto matrimonio. ibid. n. 280. An, & quomodo votum post matrimonium emissum, ob periculum incontinentiæ possit dispensari. c. 10. n. 281. An, & quomodo votum procurandi certo monasterio paramenta Ecclesiastica dispensari valeat, & quomodo in hoc procedendum. c. 10. n. 282. 283. & 284. An votum castitatis tempore gravis infirmitatis factum a Confessario dispensari possit. c. 10. n. 285. Et quid si talis supponatur promisisse sub conditione reconvalescentiæ, & jamjam recuperasse sanitatem. ibid. n. 286. Et quid si votum fuisset pœnale. ibid. n. 287. Num vota dubia sint reservata S. Pontifici? & a quonam dispensabilia. c. 10. n. 288. An votum imperfectum Religionis dispensari possit a Confessariis Privilegiatis. c. 10. n. 289. item

votum peregrinationis factum non ex devotione, sed ex alio motivo. ibid. n. 290. Et quid de voto imperfectæ castitatis. c. 10. n. 291.

Voti commutatio quid. c. 11. n. 295. in quale opus fieri possit. ibid. n. 297. An vovens propria auctoritate possit votum suum in aliud opus commutare. c. 11. n. 298. Quænam vota propria auctoritate in opus melius commutari queant. c. 11. n. 299. Quænam vota Mendicantes & alii Privilegiati commutare valeant. c. 11. n. 300. 301. & 302. Vota jurata an possint commutari. c. 11. n. 303. Voti commutatio in quale opus valeat ex mero arbitrio fieri. c. 11. n. 204. & 205. Quænam ad validam Voti commutationem requiratur causa. c. 11. n. 306. An votum in favorem Ecclesiæ emissum valeat a D. Parocho commutationem requiratur causa. c. 11. n. 306. An votum in favorem Ecclesiæ emissum valeat a D. Parocho commutari vel irritari. c. 11. n. 309. & 310. Et quid si tale votum in gratiam Parochi fuisset factum. ibid. n. 311. Num & quando votum pœnale non ludendi, vel excedendi in potu a Confessario, debeat aut possit commutari. c. 11. n. 312. 313. & 314. Quomodo hæc voti commutatio facienda. ibid. n. 313. An Votum septennalis peregrinationis propria auctoritate possit commutari in quotidianam auditionem sacri. c. 11. n. 316. An Votum primum relicto opere a Confessario subrogato possit reassumi. c. 11. n. 318. Et quid si opus propria præcise auctoritate subrogatum non possit peragi. ibid. n. 319. Num Votum reale possit commutari in personale, & vice versa. c. 11. n. 322. an Votum reservatum, semel legitime in aliud non reservatum commutatum possit deinceps a quovis Privilegiato commutari. c. 11. n. 323. Vota non reservata S. Pontifici sunt facilius dispensabilia, quam reservata. c. 11. n. 325. Utrum commutatio votorum possit etiam applicari ad commutationem Juramentorum. c. 11. num. 327.



THEOLOGIÆ MORALIS DECALOGALIS

PARS QUARTA

IN QUINTUM, SEXTUM, SEPTIMUM

ET

RELIQUA PRÆCEPTA DACALOGI,

DE HOMICIDIO, LUXURIA, FURTO, ET DIFFAMATIONE.



PRÆFATIO

Ad Lectorem Benevolum.

DEclaratis prioribus quatuor præceptis in ſecunda & tertia parte Theologiæ noſtræ decalogalis, jam in hac quarta parte proſequimur reliqua ſex præcepta Decalogi, ſingulorum obligationes & doctrinam moralem Confeſſario cuivis ſcitu ſummopere neceſſariam applicando caſibus practicis, eamque pro modulo noſtro declarando, ordine qui ſequitur.

I. Ad V. præceptum: *Non occides* adornavimus ſex conferentias, in quarum prima agimus de homicidio ſui ipſius; in ſecunda de homicidio Proximi auctoritate publica; in tertia de homicidio ejuſdem auctoritate privata facto, aut perpetrando; in quarta de homicidio caſuali & voluntario; in quinta de duello, quod plerumque privata auctoritate ſolet aſſumi; in ſexta denique de Bello, in quo præter alia innumera flagitia, plurima homicidia tum publica, tum privata etiam auctoritate perpetrari ſolent.

II. Ad VI. præceptum: *Non mœchaberis* [cui ob affinitatem materiæ jungimus IX. *Non concupiſces Uxorem proximi tui*] per tres Conferentias ventilamus omnem impudicitiam cordis, oris, & operis: & quia de impudicitia cordis ad impudicitiam oris & operis, velut de imperfecto ad perfectum progreſſus com-

muniter fieri solet ; hinc in Conferentia septima de luxuria incompleta , in octava de completa secundum ordinem naturæ, in nona vero de luxuria completa contra ordinem naturæ tractamus.

III. Ad VII. præceptum Decalogi: *Non furtum facies*, [cui pariter ob affinitatem materiæ aliorum recepta jam methodo jungimus illud X.: *Non concupisces domum proximi tui - - - - non servum &c.*] duabus Conferentiis naturam furti discutimus, agendo in Conferentia decima de furto ut sic, & præcipue de gravitate materiæ, ad furtum mortale requisitæ ; in undecima vero de furtis minutis, præsertim domesticorum.

IV. Denique ad VIII. præceptum Decalogi: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium Exod.* 20. 16. rursus duas instituimus Conferentias, duodecimam scilicet, in qua de mendacio , nec non de injusta læsione famæ proximi , decimam tertiam vero, in qua de injusta læsione honoris proximi agimus. Et quia ex violatione horum præceptorum plerumque nasci solet obligatio restituendi , hinc adire poteris opusculum nostrum de Restitutione tam in genere quam etiam in specie, [quam ad calcem Theologiæ Sacramentalis apposuimus] jam aliquot ab hinc annis emanatum. Experientia te docebit benevole Lector, nullam materiam in tota Theologia Morali hac frequentius occurrere ; quam propterea propositis casibus mere practicis ad captum explicare nisus fui. Id unum te velim monitum, ut si fortassis in materia lubrica nimis practice scripsisse tibi videar , inde ne scandalizeris, sed memineris , me similia non scripsisse pro luxuriosis, sed pro castis (quales decet esse Confessarios) castis autem , juxta notam parœmiam, omnia casta : memineris insuper, hæc non esse scripta ad discenda aut docenda, sed dedocenda vitia , & ad Dei gloriam animarumque salutem promovendam. In hunc finem , quisquis hac doctrina usus fuerit , in conscientia tutus erit, sibique haud exiguum gloriæ incrementum promerebitur. Sequitur jam

ELEN-

ELENCHUS

Conferentiarum & Casuum in hoc Opusculo resolutorum.

CONFERENTIA I.

De homicidio sui ipsius. Pag. 247

CASUS

I. De quibusdam Malefactoribus, qui causa evadendi carcerem, & moritis supplicium, se ex præalta turri submiserunt, cum evidenti periculo vitæ &c. 251

II. De quadam Saga Capitis damnata, quæ tametsi potuisset effugere mortis supplicium, noluit tamen fugere &c. 253

III. De quadam Uxorata, quæ calida febre correpta, noluit acceptare medicamenta, eo fine, ut evaderet miseram vitam &c. 254

CONFERENTIA II.

De homicidio proximi auctoritate publica. 257

CASUS

I. Cujusdam Lictoris, qui malefactorem e carcere elapsum sclopeto petiit, in territorio alieno. 261

II. Cujusdam Senatoris, dubitantis an tuta conscientia possit dare suum suffragium in necem cujusdam Raptoris publici, prima vice deprehensi. 263

III. Cujusdam Venatoris, qui feripetam in sylva deprehensum sclopeto trajiciens occiderat. 264

CONFERENTIA III.

De homicidio proximi auctoritate privata. 267

CASUS

I. De quodam Capitaneo illustri stemmate nato, qui colaphum ab alio exceptum sine mora retorsit, & adversarium occidit &c. 271

II. De eo qui duobus injustis aggressoribus sponte aperuit januam cubiculi sui, & primo ingredienti sica pectus transverberavit. 272

III. De quodam cive, qui militem gregarium familiarius agentem cum sua filia ante fores domus suæ sclopeto trajiciendo, pessime egit. 273

CONFERENTIA IV.

De homicidio casuali & voluntario. 277

CASUS

I. De eo qui uxorem; fatali lapsu defunctam projecit in puteum, asserens eam esse delapsam in eundem puteum. 281

II. Cujusdam Medici multum anxii propterea, quod alicui infirmo præscripserit medicinam, ex cujus sumptione hic obiit. 282

III. De eo, qui Corrivalem tempore nocturno apud amasiam suam deprehensum graviter læsit. 283

CONFERENTIA V.

De Duello. 287

CASUS

I. De eo, qui alium provocavit ad duellum ideo duntaxat, quia noluit pati, ut alius audiret peritior se in arte digladiandi. 291

II. De quodam officiale bellico ab alio pugno percusso, quem propterea debuisset provocare ad duellum, aut cedere officio militari. 292

III. De quodam studioso Pragensi, qui a milite verbis lacessitus in hospitio, instigantibus præsertim condiscipulis, eundem provocavit & occidit. 294

CONFERENTIA VI.

De Bello. 297

CASUS

I. De quodam Belliduce, qui varias fraudes committendo graviter deliquit. 302

II. De quodam milite, qui tempore belli bavarici cum aliis nonnullis sibi similibus sine licentia quosdam cives fuit deprædatus. 304

III. De quibusdam militibus e prælio fugitivis, & in itinere pauperes Rusticos, immo & Monasterium Monialium expilantibus. 305

CONFERENTIA VII.

De Luxuria incompleta. 310

CASUS

I. De quodam Juvene, qui contemplan-

plando diversas imagines, & statuas alterius sexus, probabilius mortaliter deliquit. 316
II. Cujusdam puellæ rusticanæ, quæ admittendo suum amasium ad cameram tempore nocturno, graviter peccavit. 317
III. Cujusdam ancillæ, quæ ex auditu conversationis lascivæ graviter fuit tentata. 318

CONFERENTIA VIII.

De Luxuria completa secundum ordinem naturæ. 323

CASUS

I. De quodam concubinario, qui tandem in amoroso amplexu suæ concubinæ exspiravit. 329
II. De quodam lascivo juvene, qui sub ficta spe matrimonii a puella frequenter obtinuit usum corporis &c. 331
III. De quodam Instructore, qui neptem, seu filiam sui Germani ad statum Religiosum aspirantem, pessime seduxerat ad carnalia. 332

CONFERENTIA IX.

De Luxuria completa contra naturam. 336

CASUS

I. Cujusdam juvenis, qui ex confricatione membri sensit fluxum seminis, ignorans quid rei esset. 341
II. De quadam puella bestiaria 343
III. De quodam juvene, assueto incumbere super alterum velut fœminam. 344

CONFERENTIA X.

De natura furti. 347

CASUS

I. De quodam Culinæ Præfecto, pro libitu dispensante suis familiaribus cibaria &c. 352
II. Cujusdam Mercatoris, qui ab aliis subdole magnam pecuniæ summam credito accepit, sine animo eandem restituendi. 354
III. Cujusdam pœnitentis, qui voluit ingentem summam a Principe sibi debitam tacite compensare e gabellis, ab eodem Principe alteri locatis. 355

CONFERENTIA XI.

De furtis minutis præsertim domesticorum. 357

CASUS

I. De quodam Praxatore, qui praxando cerevisiam justo tenuiorem, graviter defraudavit certum quendam Comitem. 363
II. De quodam filio Mercatoris, qui notabilem summam a suo Parente obtentam dilapidavit. 364
III. Cujusdam Uxoris, assuetæ clam subtrahere de bonis sui Mariti. 366

CONFERENTIA XII.

De injusta læsione famæ proximi. 370

CASUS

I. Cujusdam ancillæ, quæ animo divertendi quandam honestam puellam a servitio, manifestavit eidem occulta vitia Heri. 374
II. Cujusdam Agentis, qui suo Principi assuevit transscribere diversa crimina &c. &c. 375
III. Cujusdam pœnitentis, qui sese accusavit de detractionibus subin factis. 376

CONFERENTIA XIII.

De injusta læsione honoris proximi, nec non de revelatione secreti 386

CASUS

I. Cujusdam, qui libellum famosum seu infamatorium composuerat. 387
II. De quodam Rectore Ecclesiæ, ab alio Nobili coram duobus calumnia affecto. ibi.
III. De quodam juvene, qui dubitans, an amasia sua non fuisset ab alio imprægnata, clam litteras eidem consignatas legit. 388

R. P. F.



R. P. F. BENIAMIN ELBEL THEOLOGIA MORALIS,

Per modum Conferentiarum casibus practicis applicata, & illustrata.

PARS QUARTA.

CONFERENTIA PRIMA.

De Homicidio sui ipsius.

SUMMARIUM.

1. *Vi quinti praecepti prohibetur per se, & primario omnis injusta occisio hominis.*
2. *Non item justa, seu legitime facta.*
3. *Nomine homicidii intelligitur* occisio seu exanimatio hominis ab homine facta; *quod varie dividitur, praecipue tamen.*
4. *In voluntarium, & casuale.*
5. *Voluntarium subdividitur in directe, & indirecte voluntarium.*
6. *Rursus in simplex, & qualificatum.*
7. *Homicidium sui ipsius nunquam est licitum, excepto casu, quo DEUS id praeciperet.*
8. *Quo sensu excusari possint facta Samsonis, & Apolloniae, Eleazeri &c. &c. a culpa.*
9. *Nullus malefactor tenetur ad imperium Tyranni, vel etiam Judicis, quantumvis justum se ipsum occidere, probabiliter tamen id exequi licet sine peccato.*
10. *Justis de causis multa licite fiunt, vel omittuntur, e quibus indirecte praevidetur mors etiam certo secutura.*
11. *Per se loquendo nemini fas est mutilare se ipsum.*
12. *Bene tamen in casu necessitatis, ubi mutilatio membri necessaria est ad conservationem totius.*
13. *Resolvitur Casus I. de quibusdam malefactoribus, qui causa evadendi carcerem, & mortis supplicium se e praealta turri submiserunt cum evidenti periculo vitae, idque sine peccato.*
14. *Propterea tamen iisdem non licuisset se ipsos occidere.*
15. *Milites tempore belli licite succendunt naves, vel incendunt pulverem tormentarium, esto praevideant se propterea interituros.*
16. *Incarceratus ad dies vitae duntaxat, licite infringit carcerem, & fugit cum periculo etiam vitae.*

17. *An Confessario desuper consulto liceat tali ferre auxilium, vel consilium?*
18. *Resolvitur Casus II. de quadam Saga capitis damnata, quæ, tametsi potuisset effugere mortis supplicium, noluit tamen fugere &c.*
19. *Ob gravem causam licet malefactori se ipsum offerre Judici eo fine, ut puniatur.*
20. *Innocens tamen male faceret se ipsum offerendo Tyranno eo fine, ut martyrizetur.*
21. *Resolvitur Casus III. de quadam uxorata, quæ calida febre correpta noluit acceptare medicamenta eo fine, ut evaderet miseram vitam in perpetuis quasi rixis hactenus transactam;*
22. *Propetereaque non bene fecit.*
23. *Solvitur quædam instantia contra hanc resolutionem.*
24. *Justis de causis fas est sibi mortem optare, non tamen auctoritate propria executive inferre.*
25. *Unusquisque tenetur mediis ordinariis suam vitam conservare, seu non abbreviare, non tamen etiam positive prolongare; hinc*
26. *Fas est abstinere a parte cibi, aut potus, vel certa ciborum, potusve qualitate, esto prævideatur inde mors nonnihil acceleranda.*
27. *Neutiquam tamen liceret abstinere eo fine, ut etiam per horam tantum citius quis moriatur.*
28. *Neque obligamur vitam prolongare, aut conservare mediis extraordinariis, vel nimium sumptuosis.*
29. *Probabilius nefas est, se ipsum conservandæ vocis causa castrare.*
30. *Voluntarie, & deliberate se ipsos occidentes privandi sunt Sepultura Ecclesiastica, nisi ante obitum signa contritionis dederint, aut confessi, & absoluti fuerint.*
31. *Non item illi, qui ex amentia, aut furore se se occidunt: & quid agendum in dubio, an voluntarie, vel vero ex amentia contigerit?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de homicidio sui ipsius.

QUæres I. Quidnam prohibeatur vi quinti præcepti Decalogalis?

1. R. Vi hujus quinti præcepti prohibetur per se, & primario omnis injusta occisio hominis. Ita *communis Doctorum*. Ratio liquet ex terminis prohibitionis *Exod.* 20. ubi dicitur: *non occides*. Et *Gen.* 9. ait DEUS: *quicunque fuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe DEI factus est homo*. Quocirca bene advertunt Marchantius *tom.* 1. *tr.* 6. *tit.* 1. *q.* 1 Sporer *in proœm. tr.* 5. *decal.* vi hujus præcepti non solum prohiberi homicidium injustum, sed & omnem injuriam vitæ hominis inferendam, utputa omnia consilia, dispositiva proxime, & ipso opere ad mortem, vulnerationem, mutilationem, armorum, aut veneni præparationem &c. Ratio est: quia cum media sumant suam specificationem a fine, ad quem sive ex natura sua, sive ex intentione operantis ordinantur, hinc merito concluditur, quod, dum alicui finis prohibetur, etiam censeantur prohibita media ad ejusmodi finem adhibenda &c.

2. Dixi tamen: *vi hujus quinti præcepti* (quod negativum est, utpote intendens omissionem actus) prohiberi omnem *injustam occisionem hominis*; ut per hoc innuerem, occisionem *justam*, seu etiam mutilationem &c. effusionem sanguinis humani &c. vi hujus præcepti non interdici; id quod communis persuasio proborum satis ostendit, & experientia, seu praxis justitiæ vindicativæ confirmat, conformiter ad illud *Exod.* 22. *maleficos non patieris vivere*; secus enim communi paci, & tranquillitati non foret satis provisum, nisi hujus farinæ homines timore pœnarum a patrandis criminibus absterrerentur, vel retraherentur.

Quæres secundo. Quidnam nomine homicidii proprie intelligatur?

3. R. Intelligitur *occisio vel exanimatio hominis ab homine facta*: Ita teste R. D. Au-

D. August. Michel *communis* DD. Dicitur autem *exanimatio* &c. nam ubi exanimatio non intervenit, esto interveniat mutilatio membri alicujus, aut vulneratio cum copiosa etiam effusione sanguinis &c. non committitur homicidium. Nonnulli addunt ly *violenta* exanimatio; quod mihi videtur superfluum; nam si Medicus vel Chyrurgus pretio conductus negligat infirmum &c. & hic moriatur, in sensu Theologico fit homicidia, & tamen dici non potest *violenter occidisse aut exanimasse hominem*. Dicitur 2. *hominis*, id est, humani corporis, cujuscunque demum ætatis, sexus, vel conditionis, etiam nondum editi in lucem; nam qui fœtum animatum interimit, homicida est *l. Necare* 4. *ff. de agnosc. liber.* additur: *ab homine facti*; quia si homo a fera, vel bruto occidatur, proprie non homicidium, sed *pauperies* vocatur. Illud porro notandum hic venit, ad homicidium proprie tale necessum minime esse, ut exanimatio ab homine fiat semper physice, utputa per propriam actionem & influxum physicum v. g. transfixione gladii, trajectione sclopeti &c. sed sufficere, ut fiat moraliter, utputa consulendo, seu suadendo efficaciter, vel etiam mandando, ut homo occidatur; quam ob causa David dicitur occidisse Uriam Hethæum gladio filiorum Ammon. 2. *Reg.* 12. 9. vel negative se habendo, alterum a morte non liberando, dum quis posset, & teneretur sive ex justitia, v. g. Medicus stipendio conductus, sive ex charitate v. g. aquis immersum non eripiendo, dum de facili posset eripi; licet fatendum sit, in hoc postremo Casu non committi rigorosum homicidium; quia non delinquitur contra justitiam.

Quæres tertio, quotuplex sit homicidium?

4. R. 1. Homicidium ut sic distinguitur in *voluntarium*, & *casuale*. Nomine voluntarii intelligitur, quod *culpa*, vel *dolo* fit: nomine autem casualis, quod accidit *sine culpa*, vel *dolo*; ut si feripeta, vel venator in abdito nemore emittat globum in feram, simulque trajiciat hominem, quem ibi latere vel intercurrere ignoravit &c.

5. R. 2. Homicidium voluntarium subdividitur in *directe*, & *indirecte* voluntarium. *Directe* voluntarium dicitur, quando exanimatio hominis per se, & immediate intenditur; ut si quem gladio, aut globo trajicias, aut venenum porrigas eo fine, ut hominem e medio tollas, vel si fœmina sumat venenum, aut pharmacum, ut fœtum jamjam animatum expellat, aut enecet. *Indirecte* autem voluntarium appellatur, dum ponitur causa, per se connexa, seu talis, ex qua prævidetur subsecutura exanimatio, esto hæc per se non intendatur &c. ut si quis mulierem prægnantem graviter percutiat, vel proximum graviter vulneret, aut aquis immersum non eripiat, tametsi de facili posset.

6. R. 3. Homicidium voluntarium rursus subdividi solet in *simplex*, & *qualificatum*. Qualificatum dicitur, quod specialem malitiam continet, vel ob personam occisam, vel ratione loci, vel ob modum occidendi. Etenim si occidatur persona sacra, vel in loco sacro, dicitur *Sacrilegum*; si quis occidatur per venenum clam porrectum, dicitur *veneficium*: si per insidias, *insidiosum*; si sub specie amicitiæ, *proditorium*; si per conductum pretium *assassinium*; si spolii causa, *latrocinium* appellatur. Si Pater, vel Mater, vel proles, aut alius quis ex ascendentibus, vel descendentibus, immo collateralibus usque ad quartum gradum inclusive occidatur, dicitur *parricidium* &c. denique si Papa, vel Imperator, Rex, aut Princeps interimitur, vocatur *crimen læsæ Majestatis*; ubi vero similis circumstantia non intervenit neque ex parte personæ, neque ex modo occidendi, dicitur homicidium *simplex*, ait recte P. Pichler in *Candidato J. C. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 1. *&* *alii*.

Quæres quarto, sitne aliquando licitum suicidium, id est, occisio sui ipsius?

7. R. 1. Nunquam est licitum, neque cohonestari potest suicidium, vel occisio sui ipsius, excepto unico casu, quo Deus id præciperet. Ita post S. Thom. 2. 2. *q.* 64. *art.* 5. Laymann *l.* 3. *tr.* 3. *part.* 3. *c.* 1. *n.* 8. Ratio est: quia tametsi Deus homini ob naturæ præstantiam in alias res sublunares, oves

& bo-

& boves universos, volucres cœli, & pisces maris &c. dominium contulerit, vitæ tamen ac mortis humanæ dominium sibi soli reservavit, juxta illud *Sap. 16. Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem*: & rursus *Deut. 32.* ait Deus; *Ego occidam, & ego vivere faciam*: ex quo liquet, quod homo non sit Dominus suæ vitæ, sed custos duntaxat: ergo se ipsum occidendo gravissimam Deo injuriam, ac sibimet infert, & quidem majorem, ac si occidisset proximum; quia unusquisque se ipsum non minus, immo plus amare tenetur, quam proximum, juxta vulgare verbiverbium: *amor incipit ab ego*. Deinde vel supponitur innocens, qui sibi mortem machinatur, vel nocens? si prius: ergo peccat gravissime; quia nullo casu fas est innocentem directe & ex proposito occidere, juxta illud *Exod. 23. insontem ac justum non interficies*. Si posterius? Ergo debet a Judice interfici, non autem a se ipso; nemo enim sui ipsius Judex esse potest, aut justæ sententiæ executor, ait D. August. *lib. 1. de civit. Dei c. 19.*

Dices fortassis. Samson concutiendo columnas nedum Philistæos, sed se ipsum quoque interfecit, & tamen propterea a nemine vituperatur: quinimmo S. Apollonia commendatur, & colitur a S. Ecclesia velut Martyr, eo quod se ipsam in ignem, vel rogum ardentem conjecerit: ergo fas est aliquando se ipsum interficere.

8. R. Hujusmodi facta excusari, eo quod pie credatur contigisse ex instinctu DEI: ita sane D. Augustinus *lib. 1. de civit. Dei c. 21.* scribit: *nec Samson aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppresserit, nisi quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat*. Eodem modo excusari solet factum Eleazari occidentis elephantem, cujus mole & se opprimendum præviderat. Recte etiam B. Apollonia colitur ab Ecclesia velut Martyr; quia ut notat Lessius *de J. & J. l. 2. c. 9. dubit. 6. n. 24.* propter fidem Christi fuerat ad hoc quodammodo compulsa, sic, ut moraliter censeatur ab ipsis persecutoribus occisa. Possunt etiam quarundam Virginum se pro tuenda pudicitia occidentium facta excusari propter ignorantiam inculpatam, quæ in hujusmodi simplicioribus facilius potuit intervenisse. Quocirca tamen post S. Augustinum sapienter omnino monet Herincx noster *part. 3. tr. 2. disp. 6. q. 2. nu. 7.* prudenter examinandam esse hanc rem, dum prætenditur divina inspiratio, ne forte ille, qui se transformare solet in Angelum lucis, sub spe melioris vitæ callide seducat, & trahat in abyssum miseriarum.

Sed quid, ais, si Judex, aut Tyrannus cuidam malefactori juste condemnato ad mortem præcipiat, ut se ipsum interficiat v. g. venenum bibendo, cor pugione transverberando, fune se suspendendo &c. tenebiturne, aut saltem tuta conscientia poterit id exequi?

9. R. Quod non teneatur, apud omnes in confesso est, teste Diana, & la Croix; quia nimis durum videtur, aliquem sui ipsius carnificem agere. Quinimmo communissime Doctores tenent, reum nequidem tuta conscientia posse exequi sententiam mortis in se ipsum; eo quod talis actio directe pugnet cum inclinatione naturæ communis; nulla quippe res se ipsam ullo casu perimere intendit. Nihilominus affirmativam sententiam, quod scilicet possit sine peccato, si velit, exequi in se ipsum sententiam mortis, satis probabilem, ac tutam censeo cum Haunoldo *tom. 1. tract. 2. num. 613.* Illsung *tr. 4. disp. 3. n. 66.* & aliis pluribus. Ratio est: quia tunc se non interficit auctoritate propria, sed auctoritate Judicis ut Minister publicæ justitiæ, & suæ necis; idque vel maxime dicendum existimo, casu quo reo gravissimum supplicium promerito permitteretur mors facilior v. g. ruptione venæ, haustu veneni, vel transfixione cordis &c. nam multo levius est, minusque natura horret, sibi consciscere lethum suave, quam ab alio perpeti dirissimum: & licet sine causa, & justa auctoritate nemo debeat in se ipsum esse crudelis; nihilominus ex causa tam rationabili, & cum tali auctoritate non videtur rectæ rationi adversum, esse quodammodo in se ipsum crudelem: secus dicendum, si Tyrannus

vel

vel Judex sine justa causa id præciperet; quia sicut tunc non potest alteri committi executio; ita nec reo. Videatur la Croix *l.* 3. *part.* 1. *n.* 781.

Quæres quinto. Sitne aliquando licitum aliquid facere, vel omittere, ex quo prævidetur futura mors?

10. R. Justis de causis licitum est, multa facere, vel omittere, ex quibus indirecte creditur mors etiam certo secutura. Ita in terminis noster Herincx *l. cit. n.* 10. asserens hanc esse *communem* DD. opinionem. Ratio fundamentalis hæc est; quia præceptum de conservanda, seu etiam tuenda vita est affirmativum: atqui præcepta affirmativa frequenter cessant obligare, utputa ob magnam necessitatem, vel utilitatem &c. aut alium bonum finem. Hinc fit 1. quod milites tempore belli teneantur pugnare, hostem, vel propugnaculum aggredi, aut in sua statione perseverare, non obstante certo mortis discrimine, immo vero prævisa etiam morte sibi inevitabiliter imminente. Fit 2. quod quis ad conservandam Principis vitam possit se se objicere globo, vel ictui &c. vid. Filliucius *tr.*29. *c.* 4. *q.* 5. *n.* 71. *& seqq.* Busenbaum apud la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 769.

Quæres sexto. An liceat mutilare seipsum?

11. R. Per se loquendo, & extra casum necessitatis permagnæ non licet. Ratio jam constare potest ex dictis *n.* 1. Quemadmodum enim homo non est Dominus, sed custos vitæ suæ; ita & membrorum custos duntaxat est, & fructuarius: ergo per se loquendo illicite agit, mutilando, seu abscindendo sibi, sive per se immediate, sive per alium, membrum quodcunque.

12. Dixi autem: *per se loquendo, & extra casum necessitatis* &c. nam exigente necessitate ad conservandam vitam, vel hominem totum, membrum licite amputari, apud omnes in confesso est, hac ratione: quia cum membra ordinentur ad totum, non vice versa: hinc recta ratio dictat, partem potius, quam totum esse perdendum, ideoque amputandum pedem, vel manum &c. si v. g. ex gangræna incurabili existimata aliter nequeat conservari corpus humanum &c. Hanc ob causam immortali memoria dignæ commendantur (apud Waddingum nostrum *in annalibus Minor. ad annum* 1291. *n.* 1.) Sorores Clarissæ, quæ, ne a Saracenis Ptolomaidam occupantibus, & invadentibus corrumperentur, hortatu, & exemplo Abbatissæ sibimet nasos absciderunt, seu etiam variis ictibus facies deformarunt, ut hoc modo hominibus efferatis, & libidinis impotentibus horrori essent, malentes portare jacturam corporis, quam virginalis pudoris.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, attingentes homicidia sui ipsius.

CASUS PRIMUS.

Titius cum aliis quatuor comprædonibus captus, & incarceratus, altæ, & munitissimæ turri inclusus, haud immerito sibi, suisque timebat de vita: statuit proin perfracto, & terebrato muro fune quodam (qui nequidem medietatem turris æquaverat) se se dimittere, quantum valeret, reliquum vero desiliendo evidentissimo vitæ discrimini, ut certam mortem a sententia Judicis propediem sibi imminentem evaderet, se se committere; quod & factum, sed eventu tam infelici, ut vix dum funem crateribus ferreis affixum apprehenderit, eo mox rupto per altissimam turrim decidendo cervicem fregerit, & exspiraverit. Quæritur jam, an Titius tuta conscientia id practicare potuerit, & an residui potuissent sequi exemplum ejus se se demittendo, vel potius desiliendo e turri altissima?

13. R. Potuit hoc Titius, ejusque comprædones tuta conscientia facere. Ratio est: quia Titius desiliendo non intendit se ipsum occidere, sed evadere potius carcerem, & certum mortis periculum e sententia Judicis sibi imminens: & licet talis demissio, vel saltus fieri nequeat absque evidenti mortis discrimine; nihilominus desiliens per hoc non debet censeri se ipsum voluisse occidere, sed in aliud mortis periculum se se conjicere, ut evaderet carcerem, & infa-

fame mortis supplicium. Hac de causa ad evadendam diriorem mortem v. g. ex incendio, potest quis succensa, & conflagrante jam turri, aut domo &c. per fenestram desilire, vel conflagrante navi prosilire in mare, haud quidem eo fine, ut moriatur, sed ut evadat durioris mortis evidentissimum discrimen, juxta sat receptam opinionem Lessii *lib.* 2. *c.* 9. *dubit.* 6. a *num.* 32. Dianæ *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 48. Marchantii, Sporeri, & aliorum.

Dices tamen: si cum evidenti mortis periculo fas est per fenestram desilire: ergo pariter ad evadendam duriorem mortem Titio licuisset se ipsum transfigere, aut sclopo trajicere &c. at hoc repugnat dictis paulo superius: ergo &c.

14. R. Neg. illatum, & paritatem: nam transfigens se ipsum convincitur directe velle suicidium; quia ex ipsa natura actionis intendit mortem sui ipsius tanquam finem, vel tanquam medium ad evadendam mortem duriorem: e contra in casu, ubi quis e fenestra prosilit, minime intendit mortem sui ipsius, sed fugam incendii, quæ est medium evadendi duriorem mortem, sive a causa naturali, sive civili imminentem: quod autem ex tali fuga simul prævideatur secutura mors, omnino per accidens, & præter, immo contra intentionem fugientis accidit; & licet ille, qui tam evidenti mortis discrimini sine causa gravi se committeret, haud imprudenter argueretur voluisse se ipsum interficere; si quis tamen id faciat compulsus inevitabili necessitate mortis durioris, argui nec potest, nec debet, intendisse mortem propriam, sed fugam duntaxat, quippe quæ sola erat medium salvandi vitam: ad mortem vero inde fors secutam permissive se habuisse, quod ob gravissimam causam licite omnino fit. Videatur de hoc Herincx *cit. disp.* 6. *n.* 11.

15. Ob eandem causam excusantur milites qui cum evidentissimo mortis periculo suffodiunt turrim, dejiciunt mœnia, vel in mari bellantes, & se victos animadvertentes, pulveri tormentario ignem subjiciunt, aut naves succendunt, non quidem eo fine, ut se interficiant, sed ne hostes in detrimentum Reipublicæ Christianæ iisdem navibus, aut commeatibus &c. abutantur, tametsi moraliter certo prævideant, & se una cum navibus esse dissipandos, & evidentissimo mortis periculo exponendos: quia per hoc neutiquam intendunt se ipsos occidere, sed pro bono publico vitam exponere periculo, vel mortem suam permittere, idque non tam voluntate propria, quam auctoritate Regis, vel Reipublicæ, necessitate communi id suadente, prout cum Marchantio, Lessio, & aliis pluribus bene notat P. Sporer *tr.* 5. *Decal. c.* 3. *n.* 26.

Sed quid, ais, si Titius, aliique scivissent, se non ad mortem ipsam, sed solum ad carcerem perpetuum esse condemnatos, licuissetne propterea carcerem effringere, & cum tanto periculo desilire e turri? licuissetne Confessario iisdem in hunc finem fortassis vocato, & rogato ferre opem?

16. R. Ad primam partem hujus quæsiti affirmative. Ratio est, quia etiam in his circumstantiis desiliendo &c. non intendunt se ipsos occidere, sed solum per fugam quærere libertatem, & liberationem a squallore perpetui carceris, qui multis haud immerito videtur intolerabilior ipsa morte: ergo si præter eorum intentionem ex tali fuga mors sequatur, minime reputari debent hanc intendisse, sed potius in ordine ad eam permissive se se habuisse.

Confirmatur ex eo; quia juxta probabilem sententiam Bonacinæ, Sporeri, & aliorum, nemo vitæ conservandæ causa tenetur admittere curationem, a qua non minus abhorret, quam ab ipso morbo, vel morte; ergo similiter nullus tenetur sub pœna, & squallore perpetui carceris, utpote ipsa morte duriore, conservare vitam suam, sed potest tuta conscientia fugere, esto prævideat evidens mortis periculum.

17. R. Jam ad secundam partem hujus quæsiti. Confessarius a captivis in hunc finem vocatus haud equidem peccasset, non dissuadendo, vel etiam consilium, immo adjumentum v. g. funem in ordine ad fugiendum administrando &c. etenim ordinarie loquendo fas est opem ferre proximo ad id, quod ab eo licite fieri potest, nisi quis speciali lege, vel vi officii sui prohibeatur, veluti,

luti prohibentur Judices, Custodes, Ministri justitiæ &c. nullatenus tamen suaserim, ut Confessarius se se immisceat; tum quia in hunc finem non fuit admissus auctoritate Judicis; tum quia ad ipsum non pertinet prospicere saluti corporis, sed animæ &c. tum etiam, quia propterea posset incurrere manifestam disgratiam, & offensam Principis, non sine præjudicio Religionis; propexpereaque Sporer *cit. c.* 3. *Sect.* 1. *n.*31. sapienter ait, quod in hoc valde caute se gerere debeant Confessarii. Insuper certum, & exploratum habetur, neque Confessario, neque ulli alteri licere fugitivo cooperari ad violandam ipsam custodiam principalem, seu ad effringendum ipsum carcerem; quia publicam custodiam infringere, & violare per se est gravissima res, ita, ut in foro externo censeatur crimen læsæ Majestatis, ideoque in foro conscientiæ solum ipsi reo ratione gravissimæ necessitatis suæ propriæ declinandæ concessa, non autem aliis. Famulum nihilominus, aut filium, jussu Parentis, aut Heri captivi parietem fodientem, in foro conscientiæ excusat Laymann *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 15. *n.* 10. *concl.* 3. quod & Sporer non reprobat *loco prox. cit.*

CASUS SECUNDUS.

SEmpronia de crimine magiæ, aliisque nefandis sceleribus cum suo Magistro, dæmone scilicet, commissis, nec non pluribus nocumentis aliis innocentibus illatis convicta, & confessa, fuit capitis condemnata, & ad rogum destinata: dum autem cum aliis septem (fortassis nequioribus se) fuisset deducta ad locum supplicii (erant singulæ singulis vehiculis impositæ, & stipatæ justitiæ Ministris præter Confessarium) contigit, ut Sempronia, usque dum reliquæ fuissent decapitatæ, cuidam cubiculo includeretur, Ministris justitiæ interim executioni feralis sententiæ intendentibus, & nemine præter Confessarium, ejusque socium assistente, & Semproniæ præsente. Quod, ubi Sempronia animadvertit, dixit ad Confessarium: Pater en! haberem modo optimam occasionem aufugiendi, & extremum supplicium evadendi: Quid ergo suadet: fugiamne, an perseverem hic, paulo post subitura infame supplicium? Confessarius ad hanc inopinatam quæstionem nonnihil attonitus respondit: fac quidquid præplacet: si effugeris, non te detinebo, quin potius gratulabor tibi: Sempronia econtra interposita quasi modica deliberatione prorupit in hanc sententiam: perseverabo hic, & exspectabo mortis supplicium; quia hoc mihi jam tolerabilius videtur, quam mancipatus diaboli: melius enim est, ut incidam in manus DEI, & Judicis, quam ut denuo reincidam in manus diaboli; quod & factum. Quæritur jam, an Confessarius bene responderit, & Sempronia bene fecerit?

18. R. affirmative quo ad utrumque membrum.

Ratio prioris est: quia cum Confessarius non fuerit Minister justitiæ, minime tenebatur, immo nec poterat sine nota irregularitatis incurrendæ detinere Semproniam, casu quo hæc maluisset aufugere.

Ratio autem posterioris est: quia quivis damnatus, aut damnandus ad mortis supplicium potest amore justitiæ se se conformare sententiæ Judicis: quid ni a fortiori Sempronia? quippe quæ per hanc poterat simul effugere laqueos diaboli, & periculum certæ damnationis incurrendæ, casu quo denuo relapsa fuisset, & de novo mancipata diabolo, cujus insidias certo certius nunquam amplius effugisset. Profecto ex hac resolutione tam heroica colligere licet, Semproniam de præsenti fuisse in optimo statu, & spe veniæ, beatitudinisque consequendæ, quam alia diaboli mancipia non nisi rarissime consequuntur. Quamoptime proin conclusit Sempronia, melius esse incidere in manus DEI, quam diaboli.

Ergone, inquies, hujusmodi malefactrix, vel malefactor non notorius tuta conscientia posset se ipsum offerre, & præsentare Judici eo fine, ut sua peccata in aliorum exemplum vindicentur?

19. R. Omnino potest tuta conscientia juxta *communissimam* sententiam, quam tenent Herincx ubi supra *n.* 10. Busenbaum apud la Croix *l.* 3. *part.* 1. *nu.* 769. Lessius *cit. n.* 28. Navarrus, & alii. Ratio est, quia talis se ipsum non occidit, sed solum justam ob causam vitam suam non prolongat, vel ad summum mortem justo, ac legitimo modo inferendam sibi-

sibi procurat; quod haudquaquam illicitum, vel a recta ratione alienum censetur. Nihilominus talis oblatio sui ipsius coram Judice a Confessario dissuadenda potius est, quam suadenda; quia timendum, ne dum malefactor, aut malefactrix animadvertunt rem serio agi, pœnitere incipiant, & causam mortis in Confessarium conjiciant.

Dices. Si reo propter crimina perpetrata fas est se ipsum offerre Judici: ergo a fortiori licebit innocenti ob fidei dilatationem, aut prædicationem Evangelii se se offerre Tyranno, aut infideli ad martyrium eo fine, ut Martyrum laureolam consequatur.

20. R. Negando consequentiam, & paritatem: quia reus offerendo se Judici non cedit in scandalum, cum non præbeat ansam ad injustum homicidium, vel peccatum mortale: e contra innocens, qui sine causa necessitatis Tyranno se sistit martyrizandum, præbet ei scandalum, in quantum eundem quodammodo allicit ad injustum homicidium; unde seclusa necessitate, aut permagna utilitate apud infideles, & hæreticos fidem prædicare, sacrificare, idola confringere &c. non est actus charitatis, aut fortitudinis, sed potius temeritatis, & scandali. Hac de causa Concilium Elibertinum *can. 6.* decidit: *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quia in Evangelio non est scriptum, neque invenitur ab Apostolis unquam factum, placuit in numerum Martyrum non recipi.* Secus dicendum, si talem prædicationem Evangelii, aut veræ fidei exigeret gloria, seu honor DEI, vel salus animarum periclitantium inter hæreticos, seu infideles. Ita post S. Augustinum, D. Thom. Cajetanum, & alios Gobat. *in Quin. tract.* 5. *C.* 18. *n.* 51. Lugo *de justit. disp.* 10. *n.* 39. la Croix ubi supra *n.* 782.

CASUS TERTIUS.

CAja uxorata ob vitam in perpetuis cum suo marito discordiis transactam jam pridem sibi optaverat mortem: nuper calida febre correpta existimavit, jam sibi oblatam esse occasionem bello modo se se liberandi ab hujusmodi miseriis; unde respuit omnem medicinam sub schemate, quod naturaliter abhorreat ab omni medicina, & quod per solam abstinentiam ab omni esca, aut cibis sit recuperatura pristinam sanitatem. Vocabatur propterea a marito Confessarius eo fine, ut uxori suaderet sumptionem medicinæ, proponendo una simul periculum vitæ, si secus faceret, & prolium matre destituendarum miseram sortem; id quod & Confessarius præstitit, sed in cassum; quia Caja repudiata omni medicina post paucos dies e vivis excessit. Quæritur I. An Caja potuerit hoc tuta conscientia facere: & an in hoc statu fuerit capax Sacramentorum?*

21. R. Cajam respuendo omnem prorsus medicinam peccavisse graviter. Ita Lessius *lib.* 2. *de J. & J. c.* 9. *dubit.* 13. *num.* 96. Sporer *n.* 13. Ratio est: quia cum non fuerit Domina vitæ suæ, sed custos duntaxat, tenebatur sub gravi culpa mediis saltem ordinariis, & non nimis difficilibus eandem conservare: sumptio autem medicinæ est medium ordinarium: ergo &c. Confirm. quandocunque illicitum est opus aliquod directe intendere, & facere, etiam illicitum est illud indirecte intendere, utputa voluntarie agendo, vel omittendo aliquid, ex quo alterum prævidetur consecuturum, nisi vere gravis, & justa causa agendi, vel omittendi id excuset, ac morale voluntarium ad illud opus tollat: at, Caja respuendo omnem medicinam prævidit inde secuturam mortem: ergo cum non habuerit sufficientem causam respuendi illam, convincitur indirecte voluisse se ipsam occidere (sicut revera mortem suam intendit, velut medium evadendi miserias &c.) & hoc ipso graviter peccasse. Ex quo consequenter fluit, Cajam in eo statu non fuisse capacem Sacramentorum. Nihilominus si Confessarius animadvertit eam esse in bona fide, ac persuasione, quod hoc possit facere sine offensa DEI, simulque prævidit, contrarium difficulter, aut omnino non persuasum iri, prudenter omnino fecisset eam in hac persuasione, & bona fide relinquendo, & ad beatam mortem disponendo, præsertim cum absque scandalo & periculo animæ in talibus circumstantiis negari non potuerint Sacramenta, prout

prout simili Casu diximus *Theolog. nostra Sacram. part. 2. Conf. 18. n. 471.*

Verum contra hanc resolutionem dices. Qui ex alta turri prosilit, etiam cum evidenti periculo vitæ, eo fine, ut evadat carcerem perpetuum, vel vivum comburium &c. neutiquam peccat, eo quod non nisi ex gravi causa hoc faciat, simulque censeatur permittere mortem suam, prout ipsimet diximus *num.* 13. ergo cum Caja habeat justam causam repudiandi medicinam, neutiquam argui potest gravis peccati &c.

22. R. Negando suppositum consequentis, quod habeat justam, & sufficientem causam; tum quia sumptio medicinæ non est extraordinarium, sed ordinarium medium, tum etiam quia Maritus habebat justam causam uxori sumptionem medicinæ demandandi &c. Deinde negatur paritas; quia prosiliens e turri neutiquam intendit suam mortem, sed solam fugam, quippe quæ sola erat medium evadendi carcerem, aut incendium: e contra Caja per refusionem medicinæ intendit mortem suam, velut medium evadendi discordias, & miserum statum conjugalem, quod juxta dicta *numer.* 14. haudquaquam est licitum. Videatur Kreslinger *in addit. post n.* 14. *tr.* 9. *dist.* 3. *Theolog. mor. R.P. Reiffenstuel.*

Dices rursus: secundum dicta *num.* 16. Nemo vitæ conservandæ causa tenetur admittere curationem, a qua non minus abhorret, quam ab ipso morbo, vel morte: ergo cum Caja magis abhorruerit ab hac misera vita, quam ab ipsa morte, non potuit obligari ad sumendam medicinam vitæ conservandæ gratia.

23. R. Neg. consequentiam, & paritatem: quia in priori Casu supponitur quis abhorrere duntaxat a medio; quod, cum ipsa morte (rationabiliter ut supponitur) durius accidat, nemo tenetur admittere: e contra in Casu nostro Caja non tam a medio, vel medicina, sed potius ab ipsa vita abhorret, proptereaque mortem velut finem malorum temporalium intendit, & inordinate quidem; tum quia sumptio medicinæ non est medium tam difficile, vel extraordinarium, quod admitti nec debeat, nec facile possit; tum quia etiam juxta communem Doctorum infirmus tanto efficacius, & strictius tenetur adhibere media ad recuperandam salutem, quanto ejusdem vita est amplius necessaria ad aliorum salutem, vel bonum commune: atqui vita Cajæ supponitur necessaria ad salutem, & bonam educationem prolium: ergo ex virtute charitatis, ac pietatis tenebatur adhibere medicamenta necessaria, & miserias proprias in statu conjugali hactenus perpessas postponere saluti prolium &c. Videatur Boudevvius *part.* 2. *q.* 8. vel P. Claudius la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *tr.* 4. *n.* 775.

§. III.

Corollaria ex hactenus dictis inferenda.

24. Colliges ex hactenus dictis 1. quod, tametsi justis de causis, puta ob majus bonum spirituale consequendum, scilicet æternæ beatitudinis, aut majus malum, culpæ scilicet, vel æternæ damnationis evitandum, licitum, immo laudabile sit, sibimet mortem optare, juxta illud Apostoli *Rom.* 7. 24. *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus:* & rursus *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, Philipp.* 1. 22. nihilominus propterea minime fas esse, se ipsum occidere, sive directe, sive indirecte &c. Ratio disparitatis est: quia actus optantis est inefficax, id est, sistens in desiderio, quod suam moralitatem sumit a motivo, vel fine desiderantis: cum ergo talis homo non optet mortem quatenus malam, sed potius ut sibi bonam, hinc per se loquendo (secluso scilicet impatientiæ, vel alterius vitii motu) non peccat, qui sibi ex motivis jamjam assignatis mortem optat: e contra occisio sui ipsius esset actus efficax, tendens ad ipsum effectum externum mortis, cum violatione juris Divini, quod soli DEO competit in nostram vitam, juxta superius probata. Unde etiam nemo potest se ipsum occidere ad vitandum peccatum; quia non sunt ullatenus facienda mala, ut eveniant bona. Vid. Tamburinus *lib.* 5. *Decalog. cap.* 1. §. 3. *n.*

3. *n.* 34. vel la Croix ubi supra *n.* 771.

25. Colliges secundo, unumquemque obligari quidem ad vitam conservandam, seu non abbreviandam, non tamen etiam ad vitam positive prolongandam; nam vitam prolongare importat singulare studium, eam conservandi per medicamenta extraordinaria &c. ad quod non tenemur; vitam vero conservare, seu non abbreviare, importat commune duntaxat studium, in eo situm, quod scienter nil agamus v. g. edendo, bibendo &c. sanitati nocivum, ad quod posterius tenemur, velut custodes vitæ. Ita Sanchez in *consil. moral. l.* 5. *c.* 1. *dub.* 33. Gobat. *Quin. tr.* 5. *c.* 1. *n.* 30. ex quibus.

26. Colliges ulterius tertio, licitum esse abstinere a parte cibi, aut etiam potus communis, vel etiam a certa ciborum qualitate v. g. a carnibus, idque majoris perfectionis, aut carnis mortificandæ, ac spiritui subjiciendæ causa, tametsi mors inde citius subsecutura prævideatur. Ratio est: quia hoc modo vita non tollitur positive, seu abbreviatur, sed tantum non prolongatur; quod licite fieri potest, præsertim ob finem bonum v. g. carnem subjiciendam, majus meritum adipiscendum &c. Christo se se conformandum &c. prout fecisse leguntur multi viri sancti. Et certe, si hoc licitum non esset, peccarent plurimi per studia, & artem laboriosam nativum calorem consumendo; quia hoc modo etiam minuitur vita. Ex quo Doctores communiter inferunt, non esse movendum scrupulum, etiamsi quis pœnitentiis, vigiliis & mortificationibus (discretis tamen, & non nimis exorbitantibus, aut contra voluntatem Superiorum assumptis) ad obsequium Dei vitam suam abbreviet: hoc enim spectat ad gubernationem vitæ, quæ nobis a DEO commissa est, ut ita possimus illa uti ad exercitium virtutum, & ad majorem in cœlo obtinendam gloriam. Ita in re la Croix *cit. n.* 774. referens pro eadem opinione Lugo, Gobat, Pasqualigum, Dianam, & alios plures.

27. Colliges quarto, e contrario, non esse licitum abstinere v. g. a cibo, vino, aut medicina ordinaria &c. eo fine, ut quis etiam per horam tantum citius moriatur. Ita cum Lugone *n.* 32. Gobat *ubi supra n.* 32. Ratio est: quia nemo etiam ad horam est Dominus vitæ suæ. Pessime proin fecerunt hæretici quidam, Circumcelliones dicti, dum semetipsos interficere contendebant, asserentes, quemcunque hominem se interimentem esse Martyrem: propterea damnati a Concilio Bracharensi, teste Lugo *de justit. disp.* 10. *n.* 1.

28. Colliges quinto, quod, etiamsi quilibet teneatur conservare, & prolongare vitam suam mediis ordinariis secundum hactenus dicta, & probata, nullus tamen (per se loquendo, nisi scilicet bonum publicum, charitas erga DEUM, aut proximum aliud suadeat) teneatur in hunc finem uti mediis nimis difficilibus; vel medicamentis extraordinariis, seu etiam nimis pretiosis, aut sumptuosis. Ex quo Gobat *Quin. tr.* 5. *c.* 1. *num.* 35. &c. Sporer *tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 1. *n.* 14. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 9. *dist.* 3. *n.* 13. & 14. recte inferunt, neminem teneri uxorem ducere sanitatis causa, secus non ducturus; quia hoc est medium extraordinarium. Item neminem teneri locum habitationis mutare, alio scilicet, migrando ob salubriorem auram captandam. Subdit Gobat *c. n.* 60. quod nullus Religiosus teneatur a suo Superiore petere potum, victum, aut vestitum diversum ab iis, quæ sunt in ejus Conventu, Monasterio, aut Collegio usitata; quamvis non peccet, si intuitu recuperandæ valetudinis peculiarem potum petat, humiliter rogando &c. Addunt alii, Virgini honestæ, & pudicæ licitum esse negligere curationem sui morbi, ne tangatur in partibus inhonestis, eo quod nemo teneatur admittere curationem, a qua non minus abhorret, quam ab ipso morbo: quocirca tamen la Croix *c. n.* 776. post Turrianum, & Dianam recte notat, talem puellam obligari permittere, ut medicamina ab alia honesta fæmina sibi applicentur; idque a fortiori dicendum de persona Religiosa v. g. Sanctimoniali, accedente obedientiæ sacræ mandato.

29. Colliges denique sexto, probabilius nefas esse se ipsum castrare, seu Eunu-

chum

chum facere, etiam per manum peritissimi Medici v. g. ob vocis commodum, & emolumentum inde sperandum &c. Ita *communissime DD.* Herincx *ubi supra n.* 13. Tannerus, Diana, & alii. Ratio est: quia non licet homini aliquo membro se mutilare, nisi ob vitam conservandam. Hinc Parentes graviter peccant, si curant ob vocis conservationem filium, præsertim invitum castrari; quia castratus erit inhabilis ad matrimonium, ceu remedium concupiscentiæ: & cum tales soleant gravissime incalescere, hinc erunt expositi periculo incontinentiæ, & multorum peccatorum. Et certe Parentes non habent dominium in vitam, aut membra filiorum &c. His non obstantibus Salonius, Pasqualigus *lib. 6. decalog. c. 2. num.* 4. & alii multi probabile putant, non peccaturum filium, neque Parentes, si filium volentem, & non dissentientem ob vocis suavitatem conservandam curent castrari. Ratio eorum potissima eo collimat, quod videatur interesse Reipublicæ, & Ecclesiæ, habere hujuscemodi cantores sonoros ad divinas laudes modulandas, & talis abscissio non notabiliter noceat ipsi individuo, quin compensari possit emolumento vocis, & lucro inde sperato: hanc opinionem videtur confirmare praxis saltem tolerata, præsertim in Italia, propistereaque insinuandam censui.

Quæres adhuc, quasnam pœnas incurrant, qui se ipsos interficiunt?

30. R. Præter pœnam æternæ damnationis in foro DEI incurrendam, insuper in foro Ecclesiæ jure Ecclesiastico incurrunt pœnam privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, & omnium Suffragiorum Ecclesiæ, ita, ut pro talibus nec Missam, neque vigilias dicere liceat, neque commemorationem facere in SS. Missæ Sacrificio; intellige (nisi ante obitum certa signa contritionis dederint, aut omnino confessi, & absoluti sint.) Ita statuitur *cap. placuit C.* 23. *q.* 5. sequentibus omnino verbis: *placuit, ut qui sibi ipsis voluntarie, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis in sepulturam eorum cadavera deducantur.* Similia habentur *cap. Quibus C.* 13. *q.* 2. Quocirca

31. Notandum tamen est mox relatas pœnas ab illis duntaxat incurri, qui *voluntarie, & deliberate se ipsos* occiderunt, non item ab iis, qui ex amentia, furore, excessu melancholiæ hypocontriacæ se ipsos occidunt &c. Ubi vero constat, quod quis sibimet mortem intulerit, & solum dubitatur; an deliberate, an vero ex amentia id-factum sit, in foro fori præsumitur, quod voluntarie contigerit, propterea que (nisi in contrarium adsit præsumptio, vel probatio) sepultura Ecclesiastica privari solent tales. Unde in tali dubio semper a Parocho est recurrendum ad Reverendissimum Consilium Ecclesiasticum, & ab hoc petenda decisio, ad evitanda majora incommoda, quæ propterea de facili possent incurri. Sed de hoc alibi. Interim videatur Laymann *lib. 3. tr. 3. part. 3. cap. 1. num.* 8. Sporer *ubi supra a num.* 39.

CONFERENTIA
SECUNDA
De Homicidio proximi publica auctoritate facto, aut faciendo.

SUMMARIUM

32. *Principibus, vel Magistratibus competit potestas occidendi malefactores.*
33. *Subinde fas est, hujusmodi homines Reipublicæ prenicioso proscribere: germ.* in die Acht erklären.
34. *Quo supposito cuilibet fas est talem bannitum occidere.*
35. *Neque ipsi juste bannito licebit se contra aggressorem defendere.*
36. *Princeps potest suos subditos exponere periculo vitæ, quando id exigit necessitas Reipublicæ.*
37. *Leges Civiles concedentes Marito occidere adulterum cum uxore in adulterio deprehensum, hodiedum reputantur*

tur iniquæ, si supponantur id positive indulgere, seu approbare; secus si supponantur id solum permittere.

38. *Innocentem per se, & directe occidere nunquam licet (excepto casu, quo DEUS id præciperet) nequidem auctoritate publica.*

39. *Subin tamen id licet indirecte duntaxat, & per accidens quasi.*

40. *Quando Judex privata scientia certo novit aliquem esse innocentem, tenetur omni possibili modo eum absolvere, & liberare.*

41. *Etsi hoc non possit, tenetur potius resignare officium, & opes, aut officium suum perdere, quam talem condemnare ad mortem.*

42. *Resolvitur Casus I. de quodam lictore; qui Malefactorem e carcere sibi elapsum globo petiit in territorio alieno.*

43. *Unde pessime egit, & procul dubio graviter deliquit &c.*

44. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium factæ de bannitis.*

45. *Resolvitur Casus II. cujusdam Senatoris dubitantis, an tuta conscientia possit dare suum suffragium in necem cujusdam Raptoris publici prima vice deprehensi?*

46. *Et an possit se subtrahere a proxima sessione, in qua moraliter prævidet, defectu sui suffragii partem adversam prævalituram, ideoque dictum malefactorem ad mortem condemnatum iri.*

47. *Solvitur instantia contra hanc resolutionem.*

48. *Quo sensu Scotus negaverit, malefactorem occidi posse propter furtum simplex.*

49. *Resolvitur Casus III. cujusdam Venatoris, qui feripetam in sylva deprehensum sclopeto trajiciens occiderat.*

50. *An fas sit jaculando explodere in talem feripetam fugitivum.*

51. *An saltem titulo inculpatæ tutelæ licuerit trajicere feripetam.*

52. *In casu particulari potest feripera plecti pœna corporis, vel capitis, & quando?*

53. *A Confessario Venatoribus omnino dissuadendum, ne in feripetam fugitivum explodant.*

54. *Qui jussi sunt capere malefactorem, salva conscientia nequeunt fugientem, vel se opponentem occidere, nisi suppositis certis quibusdam conditionibus.*

55. *Ne quidem publici Grassatores impune occiderentur a quolibet, nisi supponantur jam banniti.*

56. *Qui sine auctoritate publica malefactorem v. g. suspendendum occidit, homicidii reatum incurrit.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de homicidio proximi publica auctoritate facto, aut inferendo.

QUæres primo. Utrum Principi, vel Magistratui competat potestas occidendi malefactores?

32. R. affimative: quia juxta jam superius *n.* 2. dicta Deus dedit hanc potestatem Principibus *Exod.* 22. *maleficos non patieris vivere.* Unde & Apostolus *Rom.* 13. ait: *si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui male agit.* Accedit ratio: quia scelératorum hominum punitio prorsus necessaria est ad hominum vitam politicam, & quietem conservandam; secus enim scelera invalescerent in tantum, ut probi ab infestationibus iniquorum non amplius essent securi; proptereaque in quavis Republica bene regulata hujusmodi scelerati homines extremo mortis supplicio solent extreminari. Herincx *part.* 3. *disp.* 6. *n.* 30. Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 9. *dist.* 3. *n.* 15.

Quæres secundo. An etiam fas sit hujusmodi malefactores publico edicto proscribere, promisso stipendio certo illi, qui vel vivum apprehenderit, vel occisi a se caput præsentaverit?

33. R. Id fieri licite, tunc saltem, quando homo est Reipublicæ valde perniciosus, ita, ut constet sufficienter de damnis ab illo illatis, prout de quibusdam viarum Grassatoribus, & prædonibus factum sæpius fuisse constat. Ita in re Azorius *Instit. mor. tom.* 3. *lib.* 2. *c.* 2. *q.* 2. Covar-

varruvias, Filliucius *tra.* 29. *n.* 22. Laymann *lib.* 3. *tr.* 3. *part.* 3. *c.* 2. *n.* 2. ducuntur hac ratione: quia Reipublicæ interest, de malefactoribus, vel hostibus suis pœnam condignam sumere: cum ergo supponatur id præstare non posse, utpote non potens reum apprehendere, hinc poterit tuta conscientia eundem proscribere præstituta insuper certa compensatione pecuniaria, si res ita exigit. Quocirca tamen recte monet Molina *tr.* 3. *disp.* 7. non expedire ejusmodi sententiam contra bannitum proferre, nisi raro, & ob gravem causam tum ob alia incommoda, tum quod ferme semper tales Sacramentis destituti in peccatis mortalibus decedere soleant, & incurrere æternam damnationem.

Ergone, inquies supposita promulgatione cuilibet fas erit occidere bannitum?

34. R. Cum DD. mox relatis, fas est cuilibet sæculari, ob rationes iam datas; secus enim malefactores minime absterrerentur, neque satis provisum foret bono Reipublicæ, vel tranquillitati ejusdem, si scirent hujusmodi Decreta executioni mandari non posse a privatis. Quocirca tamen observandæ erunt sequentes conditiones. 1. Ut hoc fiat publicæ justitiæ Zelo, non vero ex odio, aut privatæ vindictæ causa. 2. Ne fiat pendente appellatione, aut extra territorium proscribentis, nisi fortassis consentiret Dominus territorialis. 3. Ut ne filius patrem, vel matrem, vel maritus uxorem occidat, vel econtra (quia jus civile naturale non potest tollere) nisi supponatur occidendus esse actualis Reipublicæ hostis. Ita vix non in terminis Laymann, ubi supra, citans pro eadem opinione Clarum *lib.* 5. *sentent. verb. Homicidium n.* 59. Dixi etiam; *cuilibet sæculari*: nam Clericus in majoribus constitutus graviter peccaret occidendo bannitum: quia Ecclesia *cap. sententiam*, *Ne Clerici*, *vel Monachi* graviter prohibet Clerico, vel Monacho, ne se in causas sanguinis etiam justas immisceat.

Ast, inquies, fortassis, nunquid tali proscripto, vel bannito licebit se defendere contra aggressorem suum, eundem occidendo, vel saltem mutilando?

35. R. *Cum communi Doctorum* negative. Ita Laymann *l.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *c.* 2. *n.* 4. Sa. *Verb. bannitus n.* 4. Ratio est: quia aggressor velut publicæ justitiæ Minister habet jus occidendi proscriptum, seu bannitum (ut supponitur ex dictis) ergo proscriptus contra se defendendo infert ei injuriam, & publicæ potestati resistit. Et certo ex opposita sententia sequeretur, malefactoribus pariter licere lictores, aut carnificem a quo ad supremum supplicium rapiuntur, occidere, & per consequens dari posse bellum ex utraque parte (seclusa etiam ignorantia) justum, quod nemo Theologorum, vel Juristarum facile admittet; nam *non est permissa defendendi facultas, ubi offendendi est data libertas*, ajunt DD. *in L.* 1. *C. quando liceat unicuique sine Judice se vindicare*.

Quæres tertio, utrum Principi, vel Magistratui liceat subditos exponere mortis periculo?

36 R. cum distinctione. Licet, quando id postulat recta ratio, vel potius necessitas, defendendi, seu tuendi Rempublicam: non item 2. sine necessitate, seu pro mero arbitrio &c. Ita *communis*, *&* *certa DD. sententia*.

Ratio prioris est: quia recta ratio dictat, Magistratui, & potissimum Principi incumbere defensionem subditorum, simulque pro conservatione totius corporis exponendam, vel immolandam esse partem: ergo si defensio totius Reipublicæ id exigat, auctoritate Principis, vel Magistratus poterunt subditi exponi periculo vitæ.

Ratio vero posterioris hæc est: quia nec Principi, nec Magistratui competit absolutum, & despoticum dominium in vitam, vel membra suorum subditorum, sed solum in casu, ubi id exigit publica necessitas: ergo hac præcisa minime fas est eos subjicere, aut exponere periculo vitæ.

Quæres quarto, quid censendum de legibus civilibus, quæ indulgent Marito facultatem occidendi adulterum cum uxore deprehensam, si vilis persona sit, ut habetur, *L. Marito ff. ad Legem Juliam de adulteriis*. Et Patri jus occidendi adulterum cum filia, quam Pater in

potestate habet, ut videre est *L. Patri* 20. *eodem?*

37. R. Præfatas leges esse iniquas, si talem potestatem concedant positive, & approbative: secus dicendum, si id permittant solum negative, quatenus in tali casu pœnam non decernunt homicidæ, neque actionem contra eum seu civilem, seu criminalem recipiunt. Ita cum S. Thoma 4. *dist.* 37. *q.* 2. *art.* 1. Lessio *l.* 2. *c.* 9. *dubit.* 5. Laymann *cit. c.* 2. *n.* 4. la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 790. & alii communiter.

Ratio prioris est hæc: quia jus naturæ dictat, non esse passim cuilibet concedendam facultatem occidendi, quando delinquens potest capi, audiri, & servato ordine juris condemnari, prout adulter potest. Hinc *Reg.* 176. *ff. de* R. *J.* dicitur: *Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publice potest expediri* &c. Adde: repugnat charitati Christianæ aliquem extra necessitatem occidere, qui scitur esse in mortali, neque eidem indulgere tempus, ut possit se disponere: ergo leges civiles positive id approbantes essent iniquæ, præsertim cum videantur loqui universaliter, ideoque etiam idipsum contra adulterum Clericum, in quem potestas laica non habet jurisdictionem. Ratio autem posterioris est: tum quia per has leges permissivas homines absterrentur vel maxime a crimine adulterii: tum quia difficillimum accidit marito aut Parenti temperare justum dolorem, dum adulterum deprehendit in flagranti crimine &c. prout habetur *L. si adulterium §. Imperator ff. ad l. Juli. de adult.* Quam ob causam etiam sacri Canones excommunicationis sententiam ab eo removent, qui in Clericum cum uxore, Matre, sorore, vel filia turpiter inventum manus injecerit violentas, prout habetur *C. si vero* 3. *de sentent. Excom.* Vid. Molina *tr.* 3. *disp.* 99. *in princip.*

Quæres quinto, sitne aliquando licitum, saltem aucthoritate publica occidere innocentem?

38. R. 1. Ad hoc quæsitum: nunquam fas est (præclusо mandato divino expresso) ne quidem aucthoritate publica per se & directe occidere innocentem. Ita DD. *unanimiter*. Ratio est: quia potestas in vitam humanam est soli DEO reservata secundum dicta superius *n.* 1. juxta illud *Exod.* 23. *insontem, & justum non occides*, & nequidem Magistratibus, vel Principibus concessa, nisi in quantum pax, & tranquillitas, vel etiam eliminatio sceleratorum, aversio indignationis Divinæ &c. exigit punitionem, execrationem flagitiosorum, prout rursus habetur *Exod.* 22. *Maleficos non patieris vivere*. Dixi autem: *per se, & directe* occidere innocentem nunquam fas est, tunc vero dicitur per se, & directe occidi v. g. homo &c. quando mors positive in se tanquam medium ad aliquem alium finem obtinendum immediate intenditur: Ex. gr. host.s, vel Tyrannus civitatem obsidens minitatur toti Reipublicæ excidium, nisi hæc immediate aliquam certam personam innocentem occidat, caputque præcium sibi mittat: in hoc casu mors innocentis per se, ac directe immediate intenderetur tamquam medium ad mitigandum hostem, & avertendum excidium. Quo bene notato, & observato.

39. R. secundo, ad idem quæsitum: fas est aliquando, etsi non nisi ex gravissimis causis, indirecte, & quasi per accidens occidere innocentem. Ita rursus *communissime DD.* signanter Filliucius *tr.* 29. *n.* 11. Navarrus *lib.* 1. *c.* 3. *n.* 120.

Pro genuina vero intelligentia hujus resolutionis bene notandum, tunc indirecte innocentem occidi, quando mors innocentis per se non intenditur, neque per modum finis, neque per modum medii &c. uti jam supra *n.* 14. insinuatum fuit. Sed solum ponitur aliqua actio in ordine ad alium finem, ex qua actione tamen prævidetur mors innocentis infallibiliter quidem, & inseparabiliter, sed per accidens secutura. Ex. gr. hostis impugnans civitatem, turrim sibi nocivam vult evertere, proptereaque eamdem tormentis bellicis petit, probe gnarus in eadem turri multos innocentes comprehendi, & ruente turri occisum iri. Rursus: defendit se quis juste adversus injustum aggressorem (servato moderamine inculpatæ tutelæ) explodendo in eum

sclo-

sclopetum, prævidens eodem ictu sclopeti una simul infantem vel alium innocentem, cujus objecto velut clypeo se defendere nititur aggressor occisum iri &c. &c. in his, & aliis similibus sexcentis casibus innocens non per se, sed mere per accidens occiditur, utpote cujus mors neque per modum medii intenditur ab occidente: ideoque dicimus, ex gravissimis causis, id fieri posse sine peccato. Ratio est: quia actio, v. g. solutio tormenti in turrim hostilem, aut sclopeti in injustum aggressorem de se licita est, & justa, immo vero hic & nunc necessaria: quod autem una simul occidantur innocentes, mere per accidens contingit: ergo licite fit. Conseq. probatur: quia non datur obligatio servandi vitam proximi quantumvis innocentis in casu, quo vel propria vita, vel salus totius Reipublicæ periclitatur: ergo talis actio potest licite exerceri, non obstante morte innocentis per accidens connexa, quippe quæ neutiquam intenditur, sed solum permittitur, & quidem ex gravissima causa, ut supponitur.

Quæres sexto, Utrum Judici liceat condemnare ad mortem illum, quem privata notitia scit esse prorsus innocentem, in foro publico tamen probatus fuit nocens?

40. R. ad hoc quæsitum, quod Judex in hoc casu deberet omnimodis laborare, ut innocentem absolvat, & liberet, v. g. impediendo accusationem, aperiendo carcerem, si sine majori malo potest, contestando innocentiam ejus publice, vel tandem remittendo causam ad Judicem Superiorem, eundem una simul informando, seu instruendo de innocentia omni possibili modo. Ita fatentur *unanimiter DD.* quia plus quam certum est, quod Judex teneatur justa judicare, injurias pro possibili avertere a quovis subdito &c. verum dato etiam, & supposito, quod non suppetat via liberandi innocentem, utpote convictum in foro externo, & fortassis etiam torturæ vi adactum ad falsam confessionem criminis sibi impositi, quæstio præsens agitatur acriter inter Doctores, an Judex talem licite condemnaret ad mortem? ad quam quæstionem

41. R. jam secundo. Non licet Judici condemnare ad mortem illum, quem privata notitia certo scit innocentem, esto is fuerit in foro publico probatus nocens, & fortassis etiam torturæ vi compellente confessus, ita solidissime probat Lessius de *J. & J. l. 2. c. 29. & dub.* 10. *n.* 78. *& seqq.* Herincx noster *part.* 3. *tract.* 2. *disp.* 6. *n.* 13. *& seq.* Ratio est: quia nunquam fas est innocentem scienter occidere, cum hoc sit intrinsece malum, unde *Exod.* 23. dicitur: *innocentem, & justum non occides:* atqui Judex in hoc casu scienter occideret innocentem: ergo &c. Nec sufficere videtur communis responsio Adversariorum: quod Judex id solum sciret scientia privata, non autem scientia publica, adeoque, ut persona publica teneatur etiam talem occidere, ne alias in tribunalibus subversio justitiæ, inde vero ingens Reipublicæ perturbatio sequatur. Contra enim est, quod nec DEUS unquam concesserit Reipublicæ, neque ulla Respublica Judici facultatem occidendi innocentem, secus enim auctoritate publica posset innocens directe occidi, ejusdemque caput mitti Tyranno minitanti excidium toti urbi &c. quod falsum esse diximus supra ex *communi Doctorum*.

Plures hujusmodi absurdas sequelas deducit Lessius *loc. cit.* quem legisse non pigeat. Et licet oppositam sententiam plures magni Nominis Doctores hodiedum sustineant, mihi tamen non, nisi merum speculative, & non tam ratione, quam auctoritate probabilis videtur, sed de hoc alibi fortassis plura, ubi *de Judice*.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de occisione proximi, auctoritate publica facta, aut facienda.

CASUS PRIMUS.

T*Itius carceris custos seu (ut alii vocant) lictor, officio suo privatus fuit, eo quod culpabili incuria ac desidia hujus quidam insignis malefactor, publica*

auctoritate ad mortem jamjam condemnatus pridie quam mortis debuisset perferre supplicium, e vinculis & carcere excesserit, eruperit, & evaserit: post medium circiter annum, dum Titius ad instar Caini vagabundus incedebat in alieno territorio, ab insperato incidit in eundem malefactorem, quem subito aggressus volebat capere, sperans se per hoc recuperaturum gratiam sui Principis, malefactore autem in fugam se convertente, globo eundem petiit, & ita graviter vulneravit, ut is paucis post diebus diem suum obierit. Jam ad nostrum propositum quæritur 1. *an Titius licite potuerit in malefactorem explodere cum periculo eundem interficiendi?* 2. *An saltem potuisset eundem licite capere, esto in alieno territorio illum offenderit?*

42. R. ad primum quæsitum. Titius explodendo in dictum malefactorem, & quidem cum periculo eundem interficiendi, peccavit mortaliter. Ratio est: quia juxta communem & receptam Doctorum sententiam extra casum necessariæ defensionis non licet occidere quempiam, quantumvis malefactorem, nisi auctoritate publica & servato juris ordine: atqui Titius id non fecit auctoritate publica, cujus enim? multo minus servavit ordinem juris: ergo explodendo cum tanto periculo, proximumque injuste damnificando peccavit graviter. Nec refert, quod malefactor ille jam semel fuerit auctoritate publica condemnatus ad mortis supplicium; per hoc enim non datur cuilibet facultas occidendi talem, veluti constabit ex dicendis *n.* 56. & certe Titius detentum adhuc in carcere occidendo peccasset graviter, esto jam fuerit condemnatus ad mortem: ergo a fortiori peccavit graviter eundem occidendo, postea quam is & territorium, & potestatem condemnantis evasit.

43. R. ad alterum quæsitum. Titio ne quidem licuit illum malefactorem capere in alieno territorio; quia talis apprehensio est actus jurisdictionis contentiosæ, qualem in alieno territorio absque præscitu & consensu Domini territorialis nunquam licet exercere, nequidem Ministris justitiæ: atqui Titius, utpote officio suo privatus, nullam prorsus habuit auctoritatem, nequidem satellitis, aut Ministri justitiæ: ergo injuriam gravem intulit nedum malefactori, utpote jam existenti in territorio alieno, & sub alterius potestate; sed etiam Domino territoriali, cujus jura violavit.

Dices fortassis: licitum est cuilibet homini privato occidere bannitum: licet insuper Marito propria auctoritate occidere adulterum cum uxore in adulterio deprehensum: quidni ergo & Titio veluti homini privato licuisset occidere malefactorem jam semel legitima auctoritate Judicis ad mortem condemnatum?

44. R. *Transf. antec.* quoad primum membrum hujus instantiæ, *negando conseq.* & paritatem. Disparitas hujus est, quia eo ipso, quod quis subjicitur banno, quivis publica auctoritate constituitur Minister publicus justitiæ, vel saltem cuilibet datur facultas exequendi justitiam in tali bannito velut hoste Reipublicæ: ergo quilibet impune talem occideret, saltem in territorio Principis qui illum proscripsit, licet non in alieno, nisi ex tacito, vel rationabiliter præsumpto consensu alterius Principis, in cujus territorio versatur: econtra per hoc, quod quis publica auctoritate condemnetur ad mortem, non cuilibet datur potestas impune illum occidendi, prout experientia & praxis probat, sed talis reus manet sub protectione & custodia Magistratus aut Principis, usque dum per legitimum, & publicum Ministrum justitiæ ultimo afficiatur supplicio. Illud alterum membrum de Marito adductum, omnino falsum esse, constat ex sequenti propositione *num.* 19. ab Alexandro VI. damnata: *Non peccat Maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Et licet leges civiles id olim permiserint ob justum dolorem Mariti &c. in tantum, ut occidens in foro externo non posset puniri, certum tamen esse debet, quod occidendo peccet, prout habetur *cap. inter hæc.* 33. *q.* 2. Quod autem cuivis concedatur potestas occidendi bannitum potius, quam adulterum vel adulteram, causa hæc est: quia banniti sunt Reipublicæ hostes, qui nec capi nec accusa-

cusari possunt, ideoque ob bonum commune conceditur ea facultas: e contra adulteri non sunt Reipublicæ hostes, & possunt capi, atque accusari: ergo non debent statim a quovis impune occidi, sed servato juris ordine prius audiri &c. &c. Videatur *la Croix l. 3. part. 1. n. 789. & n. 749.*

CASUS SECUNDUS.

S*Empronius socio sibi haud absimili stipatus cuidam Bajulo iter agenti pecuniam (quam ab eo portari noverant) ex industria vi eripuit, propphereaque captus, & incarceratus, delictum sponte confessus est; formato desuper processu quidam Jurisconsultus peritissimus Magistratui retulit, huic delicto jure communi statutam esse pœnam capitis. L. penult. ff. ad leg. Jul. de vi publ. & L. 28. §. grassatores 10. ff. de pænis*, nec non *constitut. Crim. Caroli V. art. 126. stare nihilominus in eorum arbitrio, velintne hunc, utpote adhuc nunquam castigatum, aut deprehensum in simili delicto, potius condemnare ad triremes. Mandatum proin fuit a Præsidente Magistratus, ut quilibet consulum præmissa deliberatione in proxima sessione suum dando suffragium, declaret, velitne potius Sempronium capite plecti, vel vero ad triremes mitti, tunc vero juxta majora rem finaliter decisum iri. Venit proin certus quidam Consul, vir justus, tenerrimæque vitæ, ac innocentiæ ad Confessarium suum, interrogans* 1. *an tuta conscientia possit suum suffragium dare in necem Sempronii, præsertim cum audiat hunc nunquam adhuc fuisse castigatum, aut in simili crimine deprehensum, & ex rapina non nisi 4. aut 5. florenos reportasse?* 2. *An tuta conscientia possit se subtrahere proximæ sessioni, in qua prævidet, defectu sui suffragii partem adversam prævalituram, ideoque Sempronium non ad triremes, sed ad gladium & mortem condemnatum iri. Quid ad hæc respondebit Confessarius?*

45. R. ad primum. Potuit Consul tuta conscientia suum votum dare in necem Sempronii. Ratio est: quia unusquisque tuta conscientia se potest accommodare legibus justis: atqui allegatæ leges, statuentes pœnam capitis in hujusmodi Raptores justæ sunt: ergo &c. Et amabo! quis alicujus culpæ arguat Augustissimum Carolum V. Romanorum Imperatorem, hujus Constitutioni Auctorem? quis reliquos Legum Conditores (qui id ipsum jam pridem statuerant) alicujus culpæ accuset? certe nemo prudentum. Si ergo tot, ac tanti viri potuere condere legem sine peccato, condemnando hujusmodi Raptorem capitis, quidni & Consul, seu Senator Civitatis Imperialis suo Suffragio huic constitutioni possit tuto accedere? Ex hoc

46. R. jam ad secundum quæsitum, dictum Consulem tuta conscientia potuisse se subtrahere proximæ sessioni, esto præviderit certo, defectu sui voti partem adversam prævalituram, proptereaque Sempronium non ad triremes, sed ad mortem condemnatum iri. Ratio hujus liquet ex mox dictis: quia talis Consul accedens Senatum potuisset tuta conscientia suum dare votum in necem, & sic quodammodo positive mortem Sempronii promovere: ergo a fortiori licuisset eandem promovere negative, subducendo scilicet se proxime sessioni, & hoc modo permittendo, ut major pars Senatus ferret Suffragia sua in mortem Sempronii.

Dices tamen contra hanc resolutionem. In dubio semper favendum est reo: & certe communi charitatis præcepto potius jubemur laborare pro absolutione, quam pro condemnatione in pœnam, præsertim gravem, uti est illa capitis; atqui Consul supponitur dubitare, an reus sit capitis condemnandus, vel potius ad triremes mittendus: ergo tenebatur hanc posteriorem partem amplecti, utpote magis favorabilem reo.

47. R. Explicando *Majorem*. In dubio facti, vel juris, ubi scilicet dubitatur, utrum delictum fuerit commissum, aut certa lege talis pœna fuerit decreta &c. vel, ut habet regula *Juris* 11. *in* 6. *cum sunt partium jura obscura*, favendum est reo &c. concedo, in dubio ex mera ignorantia legis orto, & ubi tam de certo facto, quam de lege pœnali constat neg. Major. illa enim regula debet solum intelligi de casu, quando partium jura ita sunt obscura, ut Judex merito dubitet,

bitet, cuinam parti debeat favere, prout bene explicat P. Krimer *lib.* 5. *decret. tit.* 49. *Reg.* 11. *n.* 5. minime vero de casu, ubi nedum de certa facti specie, verum insuper de certa lege pœnali pro tali facto lata constat, prout fit in nostro casu. Et licet Consul fortassis hanc certam legem ignoraverit, potuit tamen credere legem esse justis de causis latam, & se resolvere confisus in sinceritatem, & peritiam Jure consulti. Esto etiam lex charitatis suadeat, ut potius laboremus pro absolutione, quam condemnatione &c. quia tamen bonum publicum exigit, ut hujusmodi crimina non relinquantur impunita, & quivis Consul tenetur non tantum bonum particulare alicujus privati, sed potius bonum commune respicere, hinc potuit dictus Consul tuta conscientia dare votum in necem, vel subtrahendo se in proxima sessione permittere, ut reus per majora condemnaretur. Vide si placet de hac re P. Krimer *libr.* 5. *titulo* 17. *num.* 26. vel Haunoldum *de Jure, & Justit. tom.* 6. *tract.* 2. *n.* 537. aut Carpzovium *Practic. criminal. q.* 90 *n.* 12.

Dices adhuc. Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 3. ipse negat, occidi posse malefactores, nisi in vetere lege expressos, vel in casibus, in quibus DEUS dispensare legitur, idque propterea, quia hæc bona temporalia sunt longe inferioris ordinis, & æstimationis, quam bonum vitæ: ergo propter hujuscemodi furtum, aut rapinam homini non licet vitam auferre.

48. R. Cum Cavello *in loc. cit.* Marchantio *tom.* 2. *trib. tr.* 6. *tit.* 3. *q.* 1. *§.* 2. *dub.* 1. Herincx *part.* 3. *tr.* 2. *disp.* 6. *n.* 32. & 33. Scotum solum voluisse, eos propter furtum bonorum temporalium occidi non posse, nisi adsit lex generalis, qualem jam assignavimus *in constit. criminal. Caroli V.* mox allegata. Vel, ut interpretatur Marchantius *cit.* mentem Scoti, eos occidi non posse propter bona temporalia præcise, quippe quæ sunt longe inferioris ordinis bonis vitæ, quod omnino verum est: non tamen negavit Scotus, posse occidi propter rapinas & furta, si hæc considerentur, quantum vergunt in gravem perniciem Reipublicæ, cujus commune bonum merito præfertur bono privato vitæ hominis flagitiosi, seu perniciosi.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus venator fatebatur, se nuper explodendo trajecisse quendam feripetam, rogatus a Confessario cur, vel cujus auctoritate id fecerit? candide reponebat sibi hoc demandatum fuisse a suo Domino, proptereaque nec sibi timere de pœna in foro externo incurrenda: & licet Dominus (ajebat) solum permiserit, ut hujusmodi feripetas in flagranti deprehensos caperemus, vel aufugientes & ad vocem, vel clamorem nostrum gradum sistere nolentes etiam sclopeto peteremus non tamen lethaliter, sed solum lædendo &c. nihilominus experientia multiplex docuit, quod ipsi feripetæ animadvertentes periculum sibi impendens, soleant nos venatores prævenire; & globo non pedes, sed potius pectus, & vitam petere, præsertim dum animadvertunt venatorem soluto jam suo sclopeto, & quidem incasso ictu jam non amplius esse in statu, ut possit ejaculari. Unde jam dubitare licet* 1. *an aliquis Dominus possit venatoribus suis indulgere, vel omnino præcipere, ut explodant in feripetas fugitivos, ita tamen ut conentur eos non lethaliter vulnerare? secundo, an stantibus circumstantiis mox relatis in hac specie facti venator tuta conscientia possit trajicere feripetam, & occidere?*

49. R ad primum dubium. Videtur probabilius, quod nullus Dominus salva conscientia possit indulgere aut præcipere venatoribus, ut explodant in feripetam, esto etiam mandet ne lethaliter vulnerent. Hanc resolutionem in nullo quidem, quos ad manus habeo, reperire potui, colligo tamen eam sequentibus potissimum rationibus; nam juxta *communissimam Doctorum* feripeta (præsertim ob primam prævaricationem) pœna corporali affici non potest, eo quod judicio prudentum hoc delictum per se loquendo tam grave non videatur, præsertim cum de jure naturæ & gentium feræ sylvestres sint primo occupantium. Ita docent Scotus, Sylvester, Molina, Navarrus, quos citat, & sequitur Laymann *lib.* 3. *tr* 1. *c.* 5. *n.* 14.

Palao *tr.* 31. *pu.* 14. *num.* 6. la Croix *l.* 3. *p.* 2. *num.* 256. Lessius *de J. & J. l.* 2. *c.* 6. *dubit.* 9. *num.* 45. & solidissime R. P. August. Michel *tom.* 2. *part.* 1. *sect.* 3. *a num.* 19. *fol. mihi* 44. atqui talis feripeta procul dubio esset punitus pœna corporali, utpote lædendus saltem in pedibus, fortassis non sine periculo vitæ, aut perpetuæ inhabilitatis, immo & perpetuæ damnationis, prout in similibus casibus fieri assolet: ergo &c.

Dices fortassis: Mandatum Domini non eo tendit, ut feripeta vulneretur, seu corporaliter lædatur, sed potius, ut capiatur debite puniendus juxta delicti qualitate, aut certe absterreatur a delicto: ergo si feripeta fugiat, & propterea graviter lædatur, debet sibi imputare hoc damnum, & non Domino

50. R. Neg. Conseq. Esto enim Dominus aliud non intenderet, nisi capere, aut terrere hujuscemodi homines, videtur tamen hoc fieri modo inordinato; tum quia delictum tam grande non est, ut mereatur pœnam corporis per se loquendo; tum quia feripetæ possunt aliis viis deprehendi, capi, & trahi ad pœnas commeritas, utputa invigilando iisdem, quibus vendant, vel distrahant feras captas &c. Neque fas est illico in quemlibet fugitivum explodere cum periculo vitæ, vel certæ gravissimæ læsionis, nisi constet certo de gravitate delicti: at hic non potest constare, quia Dominus supponitur universaliter, & circa omnem feripetam id mandasse, aut certe permisisse universaliter de quovis feripeta in sylva deprehenso: quid enim si talis prima vice tentasset jaculari feram? quid, si fuisset Clericus? quid si non fecisset, nisi eo fine, ut suum agrum, vel prata a feris defenderet? Alia ergo, & suaviori via hujusmodi homines trahendi sunt ad judicium, & juxta qualitatem delicti puniendi.

51. R. Jam ad alterum quæsitum hujus Casus. Venator per se loquendo tuta conscientia non potuit trajicere, & occidere feripetam, prout hoc delictum juxta communissimam Doctorum etiam acatholicorum (quos citat R. D. August. Michel *loc. cit.*) non meretur pœnam corporis, multo minus pœnam mortis. Hinc Excellentiss. Dom. Joannes Antonius de Zeidlmayr, Ducalis Cancellariæ Berchtesgadensis Director dignissimus, nunc autem almæ Provinciæ Bavaricæ FF. Min. Reform. Alumnus, nomine & re venerandus in suo opusculo *de probibita venatione seu fericidio Quæst.* 14. *num.* 151. intrepide asserit, feripetam prima vice deprehensum, licet centum & plures feras occidisset, *ob solum fericidium* nullo modo posse *corporaliter*, multo minus *capitaliter* puniri: eo quod fericidium per se non sit delictum *atrox*, sed leve *tantum*. Pro eadem opinione citat Carpzovium *quæst.* 102. *num.* 60. & alios plures. Fatendum nihilominus est, quod si venator animadverterit feripetam esse talem, qui tentabit trajicere se, scilicet venatorem, hic practice loquendo, & formaliter non peccaverit illum trajiciendo. Ratio est: quia cuilibet privato fas est contra injustum vitæ invasorem sese defendere etiam occidendo adversarium: ergo si Venator animadvertit, quod feripeta moliatur explodere, potuit eundem ejaculando prævenire, neque enim tenebatur exspectare insultum, vel ictum adversarii, prout amplius patebit ex dicendis in Conferentia proxima *a num.* 60.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

52. EX dictis colliges primo, resolutionem *num.* 49. datam, esse intelligendam de generali mandato aut permissione, v. g. vi cujus indiscriminatim, & indifferenter permitteretur Venatoribus, ut jaculando explodant in feripetam fugitivum quemcunque; & talem permissionem duntaxat improbamus velut injustam, & nimis rigorosam; quo non obstante posset in casu particulari juste dari licentia, v. g. si iniquus Venator, seu feripeta Venatoribus Principis mortem minitatus, eandemque exequi paratus fuisset, vel attentasset, prout bene notat Laymann *loc. cit.* Insuper communiter tum Theologi, tum Jurisperiti concedunt, posse tandem aliquem feripetam capitis damnari,

nari, qui post iterata supplicia nulla cogente necessitate frequentando fericidia, apertus contemptor mandatorum Principis, & prorsus incorrigibilis videtur; quia tunc non ob unam, vel plures feras prostratas, sed ob scandalosum Principis contemptum facile in alios serpentem, capite punitur, ait Michel *loc. cit. num.* 21. Videatur, si placet, Haunoldus *to.* 1. *tr.* 5. *c.* 1. *num.* 80.

53. Colliges secundo, a Confessario Venatoribus omnino interdicendum, ne illico in feripetam fugitivum explodant, demonstrando iisdem, quod hoc tuta conscientia facere nequeant, & contrarium agendo se ipsos, & proximum exponant periculo animæ, ac corporis: suadendum potius ut alia via feripetam capiant v. g. per insidias &c. aut exploratione complicum, quibus carnes, cutes &c. vendidit, idque efficacissime faciendum, si Venator ante factum consilii causa ad conscientiæ arbitrum recurrat, quia Confessarii est suadere tutiora, ac saniora. Si vero post factum primum veniat, & sese accuset, tunc gravitatem delicti oportebit colligere potissimum ex circumstantiis, an scilicet Venator merito potuerit sibi timere de vita, ne scilicet præveniretur, & occideretur a feripeta &c. si hoc; facilius credendum, quod non deliquerit mortaliter, ob rationem mox datam *num.* 51. sin minus, concludendum, eum peccasse mortaliter, ideoque & pœnitentia qualitati delicti commensuranda erit.

54. Colliges tertio, Lictoribus, satellitibus, aut militibus non eo ipso, quod ipsis permissum aut mandatum sit aliquem capere, aut comprehendere, pariter permissum, ut se fortassis opponentem, vel aufugientem occidant: hinc male, immo pessime agunt, qui jussi comprehendere v. g. Cyginos in sylva, vel casa &c. commorantes illico aufugere volentes sclopo petunt, vel omnino trajiciendo occidunt.

Posset tamen subin id auctoritate publica fieri concurrentibus simul sequentibus circumstantiis: 1. si capiendus armata manu resistat. 2. si crimen ab eo commissum sit atrox, & capitale. 3. si non possit alio modo capi, aut vinculari. 4. si ab eodem sint timenda graviora mala, casu quo evaderet manus satellitum. 5. capiendus debet de crimine sufficienter esse diffamatus. Si horum unum desit, non est licitum occidere volentem se ex eorum manibus eripere. Ita Julius Clarus, Farrinacius, Diana *part.* 8. *tr.* 7. *Resol.* 44. quos sequitur la Croix *cit. num.* 797.

55. Colliges quarto, nequidem publicos grassatores, vel raptores a quolibet impune occidi posse, per se loquendo, nisi supponantur jam actu banniti. Ratio est: quia si ante proscriptionem occiderentur, id non fieret auctoritate publica, sed privata duntaxat: at, per se loquendo, nulli fas est quempiam occidere: ergo &c. Dixi tamen: *per se loquendo*: nam si grassator, aut raptor publicus quempiam privatum injuste aggrederetur animo eundem deprædandi, aut spoliandi, jure naturali licebit se contra illum, quantum opus fuerit, defendere, prout amplius patebit ex dicendis in Conferentia proxima a *num.* 64. la Croix *l. cit. num.* 796.

56. Colliges denique quinto, homicidii reatum incurrere, & quidem in utroque foro, qui sine mandato, vel auctoritate publica, vel ad jussum alterius privati, vel sponte propria occideret hominem etiam nocentem, & alias interiturum, verb. g. malefactorem publice suspendendum &c. Ratio est: quia etiam nocentes stant sub protectione publica: ergo non a qualibet privata auctoritate, sed auctoritate Principis duntaxat, vel Reipublicæ, quæ eos morte dignos invenerit, interfici debent, prout bene notat Filliucius *tr.* 29. *c.* 1. *num.* 6. & Pontas *in Dictionar. Cas. V. occidere Respons. ad Cas. VI.* referens pro eadem opinione S. Augustinum, & S. Thomam. Eapropter teste Michel *Theol. mor. part.* 3. *tr.* 6. *num.* 40. *fol. mihi* 1009. in quodam Principatu germanico omnino juste capite plexus fuit, qui non potens decoquere furtum ingens sibi illatum, eundem furem, dum ad patibulum ducebatur suspendendus, e fenestra sclopeto trajecit. Eadem ratione homicidii reatum incurrunt, qui consanguineos suos mortis damnatos vitandi de-

decoris causa clam veneno, vel alio modo necant, aut necari curant per alium.

CONFERENTIA TERTIA.

De Homicidio proximi privata auctoritate facto, aut faciendo.

SUMMARIUM.

57. *Cuivis fas est se se defendere contra injustum aggressorem vitæ, etiam occidendo illum, modo servetur moderamen inculpatæ tutelæ.*
58. *Solvitur quædam instantia contra hanc resolutionem.*
59. *Quid sit servare moderamen inculpatæ tutelæ.*
60. *Injuste aggressus non tenetur expectare ictum, vel actualem insultum aggressoris.*
61. *Ob bonum pudicitiæ fas est occidere injustum aggressorem, servato semper moderamine inculpatæ tutelæ.*
62. *Non item ob solam famam, vel honorem.*
63. *Nisi accedat aliud damnum notabile.*
64. *Fas est occidere injustum aggressorem ob defensionem bonorum temporalium magni momenti.*
65. *Quænam quantitas censeri possit, aut debeat magni momenti?*
66. *Injuste aggressus licite defenditur per alium.*
67. *Resolvitur Casus I. de quodam Capitaneo, Illustri Stemmate nato, qui colaphum ab alio exceptum sine mora retorsit.*
68. *Propterea non quidem laudandus, sed neque magnopere vituperandus.*
69. *Culpandus tamen, eo quo quod aggressorem provocatum occiderit.*
70. *Resolvitur Casus II. de eo, qui duobus injustis aggressoribus sponte aperuit januam cubiculi sui, & primo ingredienti sica pectus transverberavit.*
71. *Facilius excusandus a peccato, si janua firmiter clausa contranitentibus id fecisset.*
72. *Vel si omnino aufugisset nullum lædens.*
73. *Resolvitur Casus III. de quodam cive, qui militem gregarium familiarius agentem cum sua filia ante fores domus suæ sclopeto trajiciendo pessime egit.*
74. *Quid si idem miles civem fuisset persecutus usque ad cubiculum proprium?*
75. *Sæpe laudabiliter agitur permittendo potius mortem propriam, quam occidendo injustum aggressorem.*
76. *Qui de facili possunt fugere aggressorem, nec tamen fugiunt, sed potius occidunt ad ostendendam generositatem, non servant moderamen inculpatæ tutelæ.*
77. *Secus dicendum de illis, qui sine nota infamiæ, & aliorum magnorum incommodorum nequeunt fugere.*
78. *In actu defensionis licet intendere mortem aggressoris, ubi hæc ad justam defensionem est necessaria.*
79. *Solvitur quædam instantia ex sanctis Patribus contra hanc resolutionem desumpta.*
80. *Tametsi honestæ Matronæ, vel virgini fas sit injustum aggressorem pudicitiæ occidere, non tamen tenetur ad hoc.*
81. *Referuntur breviter nonnullæ propositiones damnatæ circa defensionem occisivam aggressoris.*
82. *Satisfit cuidam instantiæ contra damnationem factæ.*
83. *Non solum Laicis, sed etiam Clericis licet, bona temporalia magni momenti contra injustum aggressorem defendere &c.*
84. *Solvitur quædam instantia in contrarium.*
85. *Recensetur denuo duæ propositiones ab Innocentio XI. circa hanc materiam damnatæ.*

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de homicidio privata auctoritate facto.

QUæres primo, sitne cuilibet permissum defendere se auctoritate privata contra injustum aggressorem vitæ?

57. R. Licet cuilibet defendere se contra injustum aggressorem vitæ quemcunque, etiam occidendo illum, si aliter se nequeat defendere, modo id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita hodie *communissima DD.* cum S. Thoma 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. Diana, Sotus, Laymann, Herincx *part.* 3. *tr.* 2. *disp.* 6. *n.* 39. Lessius *de J. & J. lib.* 2. *c.* 9. *dubit.* 8. *n.* 41. Haunoldus *de J. & J. tr.* 2. *c.* 6. *controv.* 4. *nu.* 630. Desumitur hæc resolutio tum ex S. Scriptura *Exod.* 22. ubi dicitur non esse reum sanguinis, qui furem nocturnum occiderit; quia nimirum (ut exponit S. Augustinus *in Exod. q.* 84. relatus *c. perfodiens de homicid.*) discerni nequit, an tantum ad furandum, an vero etiam ad occidendum venerit; tum etiam ex jure civil. *L.* 3. *de Just. & Jur.* ubi dicitur: *nam jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis fecerit, jure fecisse existimetur*. Tum denique ex Jure Canon. *Nam c. si vero* 3. *de sent. excom.* Alexander III. ait, *quod vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant*. Idipsum docet Innocentius III. *cap. significasti* 8. *de homicid.*

Ratio est: quia ut mox dictum est, jus naturæ permittit, immo & ordo charitatis in jure naturali fundatus suadet, ut unusquisque vitam propriam præferat vitæ alienæ, præsertim injusti aggressoris &c. ergo licite occidit illum, si aliter nequeat vitam propriam salvare, esto etiam injustus aggressor esset proximus consanguineus, vel Superior, furiosus, ebrius &c. esto etiam supponatur esse constitutus in statu peccati mortalis, proptereaque perpetuo damnandus, modo defendens se maneat intra limites inculpatæ tutelæ.

Neque dicas: ordinata charitas suadet, vitam corporalem esse postponendam vitæ spirituali proximi, ac saluti æternæ: ergo ob defensionem vitæ corporalis non licet interficere talem, qui noscitur esse damnandus.

58. R. enim disting. & explicando anteced. ordinata charitas suadet, vitam corporalem esse postponendam &c. nisi proximus propria malitia, & culpa se se conjiciat in periculum æternæ damnationis, concedo. Ubi ex propria malitia tantum ita se conjicit, prout facit injustus aggressor vitæ alienæ neg. antecedens cum consequ.

Sed quid est hoc, inquies, servare moderamen inculpatæ tutelæ?

59. R. Moderamen inculpatæ tutelæ servari dicitur tunc, quando defendens non agit plus, quam opus sit ad defensionem suæ vitæ: hinc si vitam tuam possis satis tueri solis verbis, minis, clamore &c. cum spe auxilii &c. non debes ne quidem verberare: si verberando duntaxat, retundendo, vel excutiendo arma &c. non debes vulnerare: si vulnerando solum, aut mutilando &c. non debes occidere: at vero si injustus aggressor vulneratus, aut mutilatus adhuc quærat efficaciter vitam tibi eripere, eundemque propterea occidas, diceris illum cum moderamine inculpatæ tutelæ occidisse. Ita sapienter P. Sporer *tr.* 5. *in Decalog. c.* 2. *sect.* 3. *n.* 147.

At, inquies, teneorne exspectare, donec inimicus, vel injustus aggressor actu me armis petierit?

60. R. Nequaquam teneris exspectare, immo imprudenter ageres exspectando, sed potes juste prævenire illum, qui jam actu & proxime parat te occidere, ut puta stringendo gladium, arripiendo, & tendendo sclopetum &c. Ratio est: quia in similibus circumstantiis adversarius haud immerito censetur moraliter injuste te aggredi. Loquimur autem hic de eo, qui *actu, & proxime* parat te occidere; secus enim discurrendum de illo, de quo constat, quod non nisi remote paret insidias vitæ v. g. minitando mortem, accusationem (quantumvis injustam) coram Judice &c. Quia in similibus casibus, ubi aggres-

aggressio, vel periculum tam est remotum, facile poterit inveniri alius modus se se defendendi contra injustum aggressorem. Et certe si hoc semel permitteretur, panderetur facilis via ad innumeras cædes, & homicidia, & cuilibet daretur ansa palliandi homicidium perpetratum sub schemate, quod adversarius sibi fuerit mortem minitatus &c. vel voluerit injusto modo se deferre ad Judicem &c. Videatur Tamburinus *lib. 6. Decalog. c. 1. num. 16. & 17.* Lessius *ubi supra n. 46.* Henricx ubi supra *nu. 47.* Sporer *tr. 5. c. 2. num. 153.*

Quæres secundo, an liceat occidere injustum aggressorem ob bonum pudicitiæ servandæ?

61. R. Licet, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ; ita scilicet, ut persona periclitans nec precibus, nec clamore, neque pugnis possit repellere lascivum aggressorem. Ita hodie *communissime DD.* Ratio est: quia integritas virginalis, vidualis, vel conjugalis est bonum summe æstimabile, præponderans omnibus bonis fortunæ ex genere suo: ergo si ob conservationem bonorum fortunæ magni momenti liceat interficere injustum aggressorem, prout paulo inferius dicemus, id ipsum licebit propter bonum pudicitiæ, præsertim cum in tali casu semper subsit periculum animæ, & æternæ damnationis, propter consensum in turpem delectationem timendum. Videatur Sporer *tr. 5. c. 2. n. 265.*

Quæres tertio, an fas sit occidere injustum aggressorem ob famam, vel honorem proprium defendendum?

62. R. Nunquam fas est, ne laico quidem, ob solam famam, vel honorem defendendum quempiam occidere. Ita la Croix *lib. 3. p. 1. num. 800.* Cardenas *2. crif. dissert. 21. c. 2.* Michel ubi supra *num. 27.* Lugo Bonæspei, & alii. Ratio est: quia auctoritate privata non licet quempiam occidere, nisi cum moderamine inculpatæ tutelæ: ergo ob defensionem famæ, vel honoris solius non licet interficere, nisi in iis circumstantiis, in quibus fama, vel honor non potuit aliter defendi: atqui fama potest aliter defendi: quia calumnia, vel injuria verbalis verbis, aut scriptis potest refutari, & retundi: ergo &c. Unde occisio injusti diffamatoris non est proportionatum medium conservandi honorem, aut famam, quin potius inficeret: vel enim constat, aut saltem probari potest, aggressorem injuste diffamasse, aut attentasse saltem diffamationem, vel non? si constat, aut probari potest injustitia diffamationis: ergo alia via potuit recuperari fama, vel honor: si non potuit probari: ergo occidens punietur tanquam injustus homicida, & hoc ipso perdet honorem. Nec facile sibi quispiam blandiatur, homicidium prorsus mansurum occultum; nam experientia quotidiana docet, homicidia præsertim, etsi occultissime perpetrata, ex variis conjecturis mirum in modum sæpesæpius trahi in lucem, prout bene notat D. August. Michel *cit. num. 29.*

63. Dixi tamen, nunquam fas esse occidere *ob solam famam, vel honorem defendendum* &c. Secus quippe dicendum foret, casu quo honor impetitur non solum verbis, prout fit per calumniam, sed etiam factis, ita, ut propterea injuste aggressus simul periclitaretur in vita, vel officio &c. &c. ut si Titius maritus sciat adulterum actu velle ingredi ad uxorem suam, potest ei gladium opponere, ut emaneat: si autem adulter vicissim stringat gladium, viam sibi vi paraturus, potest Titius eundem occidere; quia jam non de solo honore, verum insuper de jure tori tuendo agitur. Similiter si Titius Cajo viro honorato intentet alapam, vel ignominiosam percussionem fuste, quam sine gravi nota aliter declinare nequit, potest Cajus Titio opponere gladium: quod si Titius vicissim gladium arripuerit, jam non amplius aggressor solius honoris, sed etiam vitæ merito reputabitur, contra quem fas est se defendere etiam occidendo, servato moderamine inculpatæ tutelæ. Ita Lugo *de Justit. disp. 10. sect. 10.* Cardenas &c. apud la Croix *cit. num. 802.*

Quæres quarto, an fas sit occidere injustum aggressorem v. g. furem, ob conservationem bonorum temporalium?

64. R. Fas est occidere hujusmodi injustum aggressorem, furem, aut raptorem pro defensione bonorum temporalium

ralium magni (si hæc aliter manutene-ri, aut recuperari nequeant) non item exigui momenti. Ita *communissime* Theologi, & Jurisperiti. Sotus *de Justit. l.* 5. *q.* 1. *art.* 8. August. Michel *part.* 3. *tr.* 6. *punct.* 1. *n.* 12. *folio mihi* 1001. Molina *tom.* 4. *disp.* 16. *num.* 1. Lessius *l.* 2. *c.* 9. *nu.* 66. Reiffenstuel *tr.* 9. *dist.* 3. *num.* 22. Ratio est: quia ex certa omnium sententia licitum est Reipublicæ sua bona temporalia defendere per bellum necessarium, esto in hoc communiter fiant multa homicidia: deinde bona temporalia sunt vitæ honeste ducendæ subsidiaria, aut necessaria: ergo non est æquum, ut quis horum jacturam patiatur propter conservandam vitam, aut fovendam malitiam violenti, & iniqui latronis, furis, aut raptoris. Hinc natura debuit hujusmodi defensionem concedere, ne pravis hominibus animus cresceret, alios bonis suis spoliandi, inquit Michel *cit. num.* 12.

Diximus tamen: *pro defensione bonorum magni momenti*: Nam si exigui momenti duntaxat sint, non licebit alteri vitam propterea auferre; quia hoc nedum ordinatæ charitati, sed æquitati, ac sanæ rationi videtur vel maxime contrarium; hinc justissime ab Innocentio XI. damnata fuit sequens (*n.* 31.) propositio: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*. Jam vero non inaniter dubitabis, quænam ergo bona, vel quæ quantitas bonorum temporalium censenda sit magni momenti, ut propterea liceat occidere aggressorem injustum?

65. R. ad hoc dubium breviter, non posse statui vel determinari unam regulam universalem, prout vel inde haud obscure colligere licet; quia circa hoc dubium vix non tot reperiuntur sententiæ, quot capita, prout videre licet apud la Croix *l.* 3. *p.* 1. *nu.* 808. Molina *tom.* 4. *tr.* 3. *disp.* 16. Hinc noster V. P. Apollonius Holzmann *Theolog. mor. part.* 2. *tr.* 2. *num.* 583. *fin.* ait: *Ego, ut in re maximi momenti, ubi de vita proximi agitur, securiori via incedam, adstipulor (relictis aliorum taxationibus quippe, vel mere divinatoriis vel deceptoriis) Sylvestro, Lugoni, Laymanno &c. &c. qui ad licentiam homicidii privati, pro defensione bonorum temporalium inferendi, requirunt furtum magni valoris & momenti, determinationem in casu particulari prudentis arbitrio relinquentes*. Placet omnino hæc resolutio, utpote securissima: difficultas tamen in eo vel maxima adhuc relinquitur, quodnam in tanta judicii virorum etiam prudentissimorum diversitate censendum sit, arbitrium prudens? Cardenas 2. *crif. dissert.* 21. *nu.* 88. putat, ad formandum prudens judicium distinguendum esse inter rem *absolute magni* valoris ac momenti, & *respective magni*: absolute, & respectu omnium magni valoris existimat, quando valor ascendit ad quadringentos argenteos (vulgo quaranta patacones) seu (ut interpretatur la Croix *l. cit.* ad nostram monetam) 40. imperiales: respective magni valoris existimat, quando ex ablatione illius talis persona, cui aufertur, deberet pati vere grave detrimentum, v. g. jacturam sustentationis sibi, suisque necessariæ. Ejusdem mentis sunt Sporer *tr.* 5. *decal. c.* 2. *num.* 157. Viva *ad eandem proposit. num.* X. & alii plures. Itaque in praxi Confessarius prudens ante factum semper suadeat pœnitenti saniora ac mitiora, ut scilicet potius jacturam temporalium bonorum portet, quam ut humano sanguine manus suas polluat: post factum vero attendat. 1. Quantum damnum pœnitens ex ablatione rei suæ pati debuisset. 2. Item qua deliberatione animi; & quo dictamine conscientiæ ad homicidium processerit: nec dubium quin ex horum ponderatione de facile sit collecturus, an, vel quantum pœnitens deliquerit.

Quæres quinto, utrum injuste aggressus non solum per se ipsum immediate, sed & per alium tertium v. g. famulum possit se juste defendere contra injustum aggressorem?

66. R. affirmative. Ita cum Navarro, Laymanno, Lugone, & aliis Sporer *cit. num.* 169. Ratio est: quia quod quis per alium facit, per se ipsum fecisse censetur: ergo qui per suum famulum sua bona defendit, per se ipsum censetur fecisse, prout hodiedum Magnates facere assolent. Rursus: lege charitatis licet pro alio facere, quod quis pro se ipso potest: at unusquisque pro se ipso potest

test se tueri contra injustum aggressorem in bonis vitæ, pudicitiæ, aut fortunæ &c. ergo idipsum licite facit pro alio, non solum præsente, sed etiam absente &c. ut si iniquus aggressor velit diripere, seu spoliare domum proximi tui &c. poteris loco tui proximi eum repellere etiam occidendo, modo semper observes moderamen inculpatæ tutelæ, ita scilicet ut non plus facias, quam necessum sit, aut oporteat facere pro avertenda injuria a proximo innocente.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de occisione proximi auctoritate privata.

CASUS PRIMUS.

T*Itius genere Illustris, Officio Capitaneus, cœpit nuper (nescio qua de causa) cum alio quodam (quem Cajum appellamus) commilitone, vel potius officiale bellico pari stemmate nato verbis contendere. Verum post pauca verba ventum est ad verbera: nam Cajus, utpote iracundiæ motibus deditus supra modum, Titio in præsentia plurium Nobilium insignem infixit alapam, quam Titius haud minori dexteritate replicavit, seu retorsit, proptereaque ad impedienda majora mala ab aliis mediatoribus illico ab invicem separati, & sequestrati fuere: At vero Titius injuriam sibi illatam decoquere non valens, per alium (ut ajebat) bonum, & fidelem amicum exploravit, qua via Cajus domum reverteretur, cui ex industria gladio stricto occurrens provocavit eum, & vix congredientem transfigendo prostravit, exanimavit, seque asyli causa in locum sacrum recepit, paulo post a supremis officialibus Regiminis absolutus, vel certe non nisi leviter punitus in ære. Hunc casum, dum quidam Theologus de ore Titii homicidæ excepit, sequentia desuper concepit dubia, 1. An Titius bene egerit repercutiendo Cajum, seu retorquendo alapam sibi inflictam? 2. An salva conscientia potuerit Cajum provocare, & occidere? Quid ad hæc respondebit Confessarius?*

67. R. Ad primum quæsitum. In foro DEI, seu Theologico, ubi Christus nos monet sequi perfectiora, diligere inimicos &c. Titius equidem minime laudandus est: Verum si spectemus forum justitiæ, & æquitatis naturalis præcise, multos reperiemus, qui ob repercussionem Titium minime vituperabunt; multi enim insignes viri probabile censent, quod vir nobilis, vel equestris alapa ignominiose percussus possit repercutere in compensationem ignominiæ. Ita tenet Petrus Navarrus *l.* 2. *c.* 3. *n.* 380. Victoria *relect. de Jure belli num.* 5. ubi ait, *eum, qui colaphum accepit, posse statim repercutere, etiam gladio, non ad sumendam vindictam, sed ad vitandam infamiam, & ignominiam, etiamsi invasor non esset ulterius progressurus*. Ducuntur ad hoc afferendum sequentibus potissimum rationus. 1. Quia si Cajus Titio abstulisset v. g. unum vel plures aureos, posset illos illico evincere, etiam percutiendo injustum aggressorem, usque dum redderet. 2. Rursus si Caius Titium appellasset Hunds &c. &c. (quod nostris temporibus censetur epitheton summe probrosum militi) potuisset procul dubio idem retorquere dicendo: tu es Hunds &c. &c. ergo similiter spectata æquitate naturali propter alapam ignominiose sibi inflictam, potuit tuta conscientia illum repercutere, & retorquere idem argumentum in *Darii*, vel potius *dabitis* factum.

Nec dicant Patroni adversæ sententiæ, disparitatem in eo sitam esse, quod auferens Titio v. g. aureum hunc injuste possideat, proptereaque ab eo possit juste repeti: e contra infligens alapam non possideat honorem Titii, ideoque hunc per repercussionem non posse recuperari, sed talem repercussionem fieri potius in vindictam injuriæ, non vero in defensionem honoris jamjam ablati &c. &c.

68. Contra enim est, quod etiam ille, qui ignominiose viro equestri, præsertim nobili stemmate nato infligit alapam, huic auferat honorem, & in morali hominum existimatione tamdiu possideat, ut Titius tamdiu debeat ab aliis audire imbellis, effeminatus miles &c. &c. quamdiu non audet par pari referre: & certe quamdiu hoc non fecerit, erit in

peri-

periculo contemptus, & confusibilis amissionis sui officii, prout experientia docet : e contra si repercusserit honorem in continenti,suum recuperaverit honorem in communi existimatione vulgi. Ut verum fatear, mihi non minus quam sapientissimo Lessio, & aliis viris videtur hæc opinio ex ratione intrinseca probabilis saltem speculative, proptereaque tanto libentius huic subscriberem, quanto certius mihi videtur oppositum nulli militum unquam persuasum iri, nec unquam facile reperiundum, qui de repercussione se accuset : Nihilominus cum in praxi semper sit periculum evidens, ne tales excedant, & potius injuriam vindicare, quam honorem sibi ablatum recuperare quærant, prout etiam in nostro casu contigit, & fortassis in aliis sexcentis similibus contingeret, hinc non ausim eam amplius dicere practice probabilem, præsertim cum plurimi Doctores, nominatim Viva *ad proposit.* 30. ab Innocent. XI. proscriptam, D. Augustin. Michel *loc. cit. num.* 31. putent eam esse damnatam tenore ejusdem propositionis trigesimæ, quam paulo inferius *num.* 81. in terminis referemus. Unde

69. R. Jam ad secundum. Titium graviter peccasse provocando Cajum, & eundem occidendo &c. Ratio est : quia juxta comunissimam DD. non licet aliter vitam, honorem, vel bona temporalia defendere, nisi servato moderamine inculpatæ tutelæ, id est, quantum præcise est necessarium ad defensionem vitæ, & honoris &c. atqui ad hujus defensionem fuisset satis repercussisse, seu reinflixisse alapam Cajo &c. vel certe dixisse eidem, hunc modum non militibus, sed rusticis esse usitatum, ideoque satisfactionem non pugno, sed gladio fuisse petendam &c. &c. quo casu, si Cajus tentasset stringere gladium, potuisset & Titius stricto gladio contra illum velut aggressorem honoris, & vitæ se se defendere etiam occidendo &c. &c. prout colligi potest ex dictis præsertim *n.* 63.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius vir honestus, non valens amplius ferre quorundam juvenum conventicula nocturna cum puellis, non semel eos dehortatus fuit, etiam minitando, quod si denuo redirent, vellet eos clamando confundere, & manifestare : proci e contra contemptis minis comminabantur, verberibus egregie depluere tergum Sempronii, casu quo ab eodem manifestarentur. Post paucos dies iisdem intempesta nocte redeuntibus, Sempronius alta voce clamando, jussit eos abire, qui id indigne ferentes, & quasi in furorem acti, cito gradu cucurrerunt ad cubiculum Sempronii, qui sponte aperta janua monuit, ne præsumerent intrare, nisi velint trucidari ; illis e contra ingressum tentantibus primo ingredienti sica tam valide pectus trajecit, ut illico mortuus corruerit ; quod ubi alter animadvertit, in fugam se contulit, Sempronius vero in locum tutum se recepit. Quærit jam Sempronius, an propterea peccaverit?

70. R. Sempronium procul dubio peccasse mortaliter, saltem per se loquendo, haud equidem ex eo, quod clamando, & quodammodo prostituendo procos, voluerit malum, conventicula scilicet nocturna, impedire, sed quod defendendo se non servaverit moderamen inculpatæ tutelæ; potuisset enim se defendere firmiter claudendo, seu obfirmando januas domus, vel certe cubiculi sui, & interim clamando aliorum auxilium contra injustos aggressores, invocare ; quod cum non fecerit, quin potius ipsusmet sponte aperuerit januam, & se, & procos quodammodo conjecerit in majus, & evidentius periculum vitæ, & rixarum, hinc nequaquam observavit moderamen inculpatæ tutelæ, neque excusabilis videtur coram DEO a peccato mortali, prout facile erui potest ex hactenus dictis.

Sed quid, ais, si proci vi januam etiam bene obfirmatam aperuissent, aut dirupissent?

71. R. Ex hac suppositionefacile excusandum putarem a peccato mortali. Ratio est : quia licuisset supponere, eos armis, vel fustibus esse provisos, ideoque Sempronius merito potuisset timere periculum vitæ : & licet antecedenter non nisi verbera fuerint minati, quia tamen tempore nocturno etam fuste verberans facile quempiam posset lethaliter per-

percutere; hinc nemo prudentum potuisset obligare Sempronium, ut prius assultum, vel verbera, aut modum verberandi exspectaret, vel studeret aliquem illorum lædere solum v. g. in manu, brachio &c. non lethaliter, præsertim cum uno non lethaliter vulnerato, adhuc ab altero potuisset interfici. Proin unusquisque prudentum facile capiet, in re, vel casu tam practico, ubi non vacat locus deliberandi, a Sempronio desiderari non potuisse, ut quasi speculative agendo studeret solum in pede, brachio, vel manu, ideoque non lethaliter vulnerare adversarium, & per consequens non peccasse graviter occidendo &c. &c. Hanc ob causam Sempronius a Judice forensi fuit illico absolutus ab omni pœna, nec immerito; nam Jura etiam illum, qui injustum aggressorem non servato omnimodo moderamine inculpatæ tutelæ occidit, absolvunt saltem a pœna ordinaria in homicidas decreta, licet non ab omni etiam extraordinaria; quia scilicet talis injusta insultatio censetur perturbare rectum Judicium, justusque dolor factum relevat. *L. Grauchus C. ad legem Cornel. de sicar.* vide si placet Carpzov. *in pra. crim. q.* 8. vel R. D. August. Michel. *loc. cit. n.* 4.

Sed nunquid Sempronius in tali casu saltem debuisset potius aufugere, quam humano sanguine polluere manus, præsertim in tali casu, ubi debuit timere æternam perditionem inimici, seu aggressoris occidendi?

72. R. Si absque periculo, & gravissimo incommodo potuit, tenebatur fugere, non quidem ex justitia, sed potius ex charitate, vi cujus jubemur salutem animæ proximi periclitantis præferre saluti propriæ corporis, saltem tunc, cum sine permagna difficultate id possumus. At vero, si Sempronius sine periculo, vel permagno incommodo (quod quidem tempore nocturno merito potuisset timere, præsertim si in alienam domum, aut locum dissitum se se conferre debuisset) fugere non potuit, minime tenebatur; quia neque charitas obligat, ut cum permagno incommodo, aut periculo injusti aggressoris saluti caveamus, præsertim in casu, ubi injustus aggressor se ipsum propria malitia subjicit tali periculo: multo minus ex justitia; nam aggressor injustus nequit quempiam ex justitia obligare ad fugam præsertim e propria domo, vel cubiculo, & quidem tempore nocturno. Hinc dicitur *auctor facti esse. Leg.*4. *Cod.de serv.fug.* & *L.*20.*ff.de furt.*

CASUS TERTIUS.

Cajus vir honestus animadverterat filiam (quam habebat unicam) adamari ab aliquo gregario milite, timens proin tum honori proprio, tum etiam pudicitiæ filiæ suæ, aliquoties eidem serio præcepit evitare omnem familiaritatem, consortium, immo & colloquium cum eodem. His non obstantibus dum aliquando Cajus nonnihil potatus domum concessit, invenit ante fores domus suæ filiam cum eodem milite familiariter colloquentem; hinc indignatione motus filiam acriter reprehendit, militem vero abire jussit interdicendo eidem ulteriorem familiaritatem &c. miles e contra se injuriatum existimans, Cajum aggressus postravit in terram, inflictis eidem aliquot pugnis. Cajus cum primum e terra sublatus manus evasit, in domum suam se recipiens, eundem militem ante fores nescio quas minas, vel convitia evomentem e superiore fenestra sclopeto petiit & trajecit. *Quæritur jam, an Cajus in hoc facto graviter deliquerit?*

73. R. Procul dubio mortaliter deliquit; evidens quippe est, quod defendendo se limites inculpatæ tutelæ transcenderit notabiliter, quia honorem proprium alio modo potuisset defendere, simulque pudicitiæ filiæ suæ prospicere, recipiendo se interim in domum suam, & petendo satisfactionem a Capitaneo militis, vel alio ejusdem Superiore &c. Nec fuisset opus, ut ad se intra parietes indemnem servandum illico petiisset cor, & occidisset, sed potuisset id præstare trajicendo brachium, aut pedem, præsertim cum fuerit in arte jaculandi apprime peritus, prout effectu monstravit trajiciendo cor militis. Nec dubium, quin aliæ plures viæ suppetissent abigendi importunum hospitem a foribus domus, quia casus contigit in civitate præsentibus pluribus e vicinia.

nia. Non video proin, quam ob causam Cajus posset excusari a mortali peccato homicidii, licet pariter sciam, etiam hunc ab ordinaria homicidarum pœna fuisse a Judice politico absolutum, fortassis ob causas mox in priori resolutione *num.* 72. relatas.

Sed quid, si miles Cajum stricto gladio in domum, vel cameram usque fuisset persecutus?

74. R. Hoc supposito Cajus non peccasset. Ratio est: quia secundum dicta superius *num.* 60. nemo tenetur exspectare impetum aggressoris, vel eousque, dum adversarius omnimodis approximet corpori, & cæsim, aut punctim feriat; posset enim de facili contingere, ut defensio esset sera nimis. Hinc inimicum, aut latronem stricto gladio contra se venientem sclopeto petens, & occidens, nullius noxæ reus erit, inquit Michel *cit. num.* 3. referens pro eadem opinione Navarrum *consil.* 31. Zoesium *ff. ad L. Cornel. de sicar. a num.* 31. secus dicendum, si insultus hostilis primum post aliquot temporis intervallum fuisset timendus; ut proin Cajus alia via potuisset evadere periculum, vel implorato aliorum auxilio, aut subsidio potuisset repellere aggressorem.

75. Diximus tamen semper, *fas esse*, Cajum *posse se defendere* &c. nunquam tamen, *quod teneatur se defendere* occidendo iniquum aggressorem &c. &c. Nam sæpe consultius esset permittere, ut ab injusto invasore innocens occidatur, quam ut nocentem occidat. Ita expresse tenent D. Antoninus 3. *part. tit.* 4. *c.* 3. §. 1. Sylvester *Verbo bellum* 2. §. 7. & alii plures. Ratio est: tum quia ex parte defensoris semper est periculum, ne limites inculpatæ tutelæ transgrediatur, proptereaque dum vitam corporis tueri nititur, perdat vitam animæ gratia Dei excidendo; tum quia injusto aggressori imminet certum periculum damnationis, quod unusquisque exemplo Christi, & aliorum Sanctorum laudabiliter nititur avertere, permittendo potius mortem propriam corporis, nisi supponatur ipsusmet esse in statu disgratiæ, aut saltem de statu gratiæ, ac per consequens de salute æterna consequenda rationabiliter dubitare; quia ex hac suppositione teneretur potius propriæ, quam alienæ prospicere saluti, occidendo injustum aggressorem. Prout bene notat Lessius *lib.* 2. *de J. & J. c.* 9. *dubit.* 8. *n.* 56.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

76. Colliges ex hactenus dictis primo, eos non servare moderamen inculpatæ tutelæ, qui tametsi facile fuga sibi consulere possent, nihilominus ad ostendendam generositatem, magnanimitatem &c. malunt subsistere, & occidere aggressorem, & hoc non solum de Clericis (quos specialiter oportet imitari mansuetudinem Christi) intelligas velim, sed etiam de laicis, nedum ignobilibus, sed etiam nobilibus, *per se loquendo*. Ratio est: quia cum talis fuga non sit medium extraordinarium, aut difficile, simulque per eam tam vita propria, quam proximi possit salvari, omnino christiana pietas obligat, ut potius fugiamus, quam ut humano sanguine manus polluamus, cum periculo certo proximum præcipitandi in infernum: idque præcipue dicendum est, si persona invadens supponatur esse Rex, Princeps, aut proxime conjuncta invaso, utpote Parens, frater &c. vel si esset amens &c. quia talium fuga nemini, ne quidem nobilissimo stemmate nato in prudenti existimatione hominum reputatur probrosa, sed potius laude digna: ergo qui secus facit, moderamen inculpatæ tutelæ transcendit, & peccat graviter sin minus contra justitiam, saltem contra charitatem, prout bene docent Julius Clarus, Lessius, Sporer *tr.* 4. *in Decalog. c.* 2. *nu.* 148. Filliucius, August. Michel ubi supra *n.* 7. referens pro eadem sententia Brunemann &c. &c.

77. Dixi autem, quod nedum Clerici, sed & Laici, etiam nobiles in tali casu teneantur fugere *per se loquendo* &c. Nam secus dicendum foret, casu quo homini nobili talis fuga evaderet valde ignominiosa, seu probrosa, ita ut propterea eidem immineret exinde periculum alterius nocumenti v. g. perpetuarum

rum rixarum ab aliis commilitonibus fugam exprobraturis &c. vel periculum exauctorationis ab officio militari honorifico &c. prout haud infrequenter contingere natum est, præsertim inter milites &c. quo casu non aufugiens, & sed defendens cum occisione invasoris utique nec contra justitiam, neque contra charitatem peccaret: quia talis non sola arrogantia, aut fastu &c. ducitur, sed vera, & morali premitur necessitate, nedum ad honorem præcise defendendum, sed & ad vitam, & ad alia gravissima incommoda declinanda. Ita ex *communissima* DD. Sporer *loc. cit. n.*149. & la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 803.

78. Colliges secundo. Licitum esse in actu defensionis intendere omne id, quod judicatur ad vitæ, membrorumque defensionem necessarium, ac proin interdum etiam læsionem mortiferam, & consequenter, & ipsam mortem, ubi hæc est ad defensionem vitæ propriæ necessaria. Ita Sotus, Navarrus, Victoria, Lessius *cit. dubit.* 8. *num.* 53. Herincx ubi supra *num.* 44. contra Caietanum, & multos alios. Ratio est: quia, cui concessus est finis, illi pariter concessa censetur intentio mediorum ad eundem finem necessariorum: ergo ubi mors alterius aggressoris est moraliter necessaria ad defensionem vitæ tuæ, potes etiam eandem intendere.

Dices fortassis. SS. Patres passim insinuant, non licere homini privato intendere mortem alterius, quia recta ratio dictat, salutem animæ proximi esse præferendam saluti proprii corporis &c. & ita satis clare docent S. Cyrillus Alexandrin. Ambros. Augustinus, D. Thomas &c. ergo &c.

79. R. Sanctos Patres solum voluisse, non esse licitum desiderare mortem proximi *absolute*, non tamen negasse, quin possit intendi *quasi per accidens*, si, & in quantum est necessaria ad defensionem justam vitæ propriæ. Et certe si ratio adducta aliquid probaret, sequeretur, quod homo perniciosus toti Reipublicæ, qui prævidetur moriturus impœnitens, & propterea damnandus, ne quidem auctoritate publica posset occidi; quod tamen & ab omni receptissima praxi, & a veritate alienum est. Bene proin Lessius, & Herincx *ll. citt.* dicunt, in periculoso conflictu nemini scrupulizandum esse, ne hostem lethaliter vulneret, sed posse eum ferire eo modo, quo commodius visum fuerit ad vim reprimendam, etiamsi caput, vel pectus trajiciendum foret, secus enim de facili posset causa cadere.

80. Colliges tertio, quod tametsi pro defensione pudicitiæ honestæ Matronæ, aut virgini fas sit occidere injustum, ac libidinosum aggressorem, secundum dicta *num. 61.* ad hoc tamen minime teneatur, quin immo rectius, & charitati Christianæ conformius acturam, si fortiter, ac constanter excluso consensu ceteris omnibus frustra tentatis vim patiens non occidat. Ratio est: quia ordine charitatis vita proximi pudicitiæ virginali potest præferri; præsertim cum invasa excludendo consensum non peccet, sed potius mereatur: e contra vero aggressor in tali statu occisus certo certius sit damnandus, tametsi fatendum, rem hanc plenam esse periculo. Atque hinc juvenes, puellæ, vel honestæ Matronæ laudabilissime faciunt, si hujusmodi sollicitatores ad turpia, impudicos tactus, aut libidinosa oscula &c attentantes, nedum verbis acriter reprehendant, sed & alapis, pugnis, fuste repellant, exemplo Angelici Doctoris, qui mulierem impudicam titione fugaverat: quod, si plures ad initium tentationis illico observassent, ad hanc petram scandali pudicitiæ suæ naufragium nunquam incurrissent.

81. Colliges quarto, jure meritissimo a S. Pontifice Alexandro VII. damnatas fuisse sequentes duas propositiones, e quibus (numer. 17.) ita sonat: *est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minitantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Posterior (numer. 18.) *licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo immineret sententia, si alia*

via non potest innocens damnum evitare. Præterea ab Innocentio XI. juste damnatam fuisse sequentem (numer. 30.) propositionem : *fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre ; si aliter hæc ignominia vitari nequit : idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel fustis ictum fugiat*. Ratio horum desumi potest ex dictis *num. 62.* quia in his casibus non servaretur moderamen inculpatæ tutelæ ; nam ad hoc, ut liceat interficere injustum aggressorem, duo sunt necessaria : 1. Ut periculum gravis damni sit evidens, & 2. ut illud aliter averti nequeat : atqui in his casibus periculum gravis damni non est certum ; nam calumnia apud honestos viros sæpe habetur solum ut calumnia, atque adeo solum calumniatorem dehonestat : deinde hoc damnum potest aliter averti, scilicet vel verbo, vel scripto, vel testibus &c. refutando calumniam : ergo &c.

Neque dicas, in his propositionibus supponi utrumque, scilicet, & periculum esse certum, & moraliter loquendo aliter non posse averti &c.

82. R. enim, hoc suppositum omnino falsum esse, ob rationes mox datas : & esto etiam aliquando utrumque alicui evidens appareret ; quia tamen humanum judicium in propria causa facile fallitur, præsertim ubi passio pondus adjicit ; hinc facile aperiretur via innumeris cædibus : debuit ergo a natura absolute tale medium prohiberi, eo quod ex frequentibus cædibus Reipublicæ majus damnum immineret, quam bonum, quod ex tali defensione sequeretur : Et certe ad hoc, ut auctoritate publica liceat aliquem condemnare ad mortem, requiruntur probæ de delicto luce meridiana clariores, plenæ, & perfectæ *L. sciant cuncti C. de probat.* id quod fusius probat Julius Clarus *lib. 5. recept. sent. §. fin. q. 66. vers. 4.* cur ergo alicui privato permittatur occidere aggressorem, a quo tantum probabile imminet periculum honoris, aut damni inde secuturi ? Videatur Viva *ad propos. 18. ab Alexan. VII. damnatam num. 4.*

83. Colliges quinto, nedum Laicis, sed etiam Clericis esse permissum bona sua temporalia magni momenti, si ea aliter non possint, occisione injusti aggressoris defendere. Ratio est : quia si natura hoc non permitteret, pravis hominibus cresceret animus spoliandi Clericos suis bonis. Hinc *cap. interfecisti 2. de homicid.* illi, qui furem occiderat, imponitur pœnitentia quadraginta dierum, ideo duntaxat, *quia alitdr poterat res suas salvas habere* : ergo a contrario, si aliter non potuisset habere salvas, impune occidisset. Ita tenent Lugo *disp. 10. de Just. n. 178.* Tannerus, Diana *part. 5. tr. 4. Resol. 17.* & alii.

Dices rursus ; *cap. suscepimus 10. h. t.* Pontifex irregularem pronunciat, qui latrones noctu ingressos occidit, addita hac causali : *expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jactu,am, quam pro conservandis vilibus rebus, & transitoriis in alios acriter inardescere* : ergo Clerico non licet sua defendere occisione invasoris iniqui.

84. R. Negando cousequ. vel disting. non licet cum excessu moderaminis inculpatæ tutelæ con. sine excessu, nego. Capitulum illud loquitur de fratre Religioso, qui latrones, vel prædones jam jam habebat constrictos, sed quia timuit, ne vinculis se exsolverent, ac demum in ipsum interimerent, eos interfecit, propteraque excessit moderamen inculpatæ tutelæ, poterat enim fugiendo prius quam se vinculis exsolverent, mortem vitare, prout bene animadvertit R. D. Augustinus Michel *cit. num. 14. fol. mihi 1001.*

85. Colliges denique sexto, haud immerito ab Innocentio XI. proscriptas fuisse sequentes duas propositiones ; e quibus prior (*n. 32.*) ita sonat : *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*. Posterior (*n. 33.*) ita habet : *licitum est tam hæredi, quam legatario, contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere ; sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem*. Ratio horum est : quia homo (esto supponatur injustus aggressor) actu possidet jus in suam vitam, & membra : at lumen natu-

naturale dictat, possessorem juris actualis non esse deturbandum ab hac possessione propter jus mere inchoatum, aut speratum, & quidem ad aliquam rem, quæ est longe inferioris ordinis, prout est v. g. legatum, hæreditas, aut beneficium &c. respectu vitæ corporalis &c. Accedit, quod in similibus casibus dentur aliæ viæ recuperandi ea, quæ quis prætendit, puta hæreditatem, beneficium &c. & removendi infestationem, vel impedimentum, scilicet intentatio legitimæ actionis in foro competenti: ergo qui his prætermissis præsumit adversarium occidere, transcendit limites inculpatæ tutelæ. Vid. Michel *cit. n.* 24.

CONFERENTIA
QUARTA
De homicidio casuali, & voluntario.

SUMMARIUM.

86. *Homicidium casuale dicitur, quod ex alicujus actione vel omissione sequitur mere per accidens.*
87. *Voluntarium vero, quod sequitur per se.*
88. *Aliud appellatur directe;*
89. *Aliud vero indirecte duntaxat voluntarium.*
90. *Describitur malitia Parricidii, homicidii proditorii, & assassinii.*
91. *An, vel quomodo peccet, qui in ebrietate patrat homicidium.*
92. *Nunquam fas est, per se ac directe procurare abortum.*
93. *Subinde tamen ex gravissimis causis licite permittitur abortus, ob sumptionem medicinæ &c.*
94. *Graviter peccant, qui in fœmina sterilitatem procurant.*
95. *Item illi, qui homicidium mandant, consulunt &c.*
96. *Resolvitur Casus I. de eo, qui uxorem fatali lapsu defunctam projecit in puteum, asserens eam esse delapsam in eundem puteum.*
97. *An, vel qualiter peccaverit, postea coram Judice negando, quod eam projecerit.*
98. *Et quid consilii tali pœnitenti in his circumstantiis a Confessario suggerendum fuerit.*
99. *Resolvitur Casus II. cujusdam Medici, multum anxii propterea, quod alicui infirmo præscripserit medicinam, ex cujus sumptione hic obiit.*
100. *Quid, si dicat, se hoc ex temulentia duntaxat fecisse &c.*
101. *Et quid de illo, qui negando operam suam permisit infirmum mori, eo quod ab eodem semel curato non obtinuerit mercedem.*
102. *Resolvitur Casus III. de eo, qui corrivalem tempore nocturno apud amasiam suam deprehensum graviter læsit.*
103. *An possit dici reus abortus ab amasia ob talem terrorem passi.*
104. *Et quid, si Corrivalis ille aggressorem occidisset.*
105. *Tam a Judice sæculari, quam Ecclesiastico, immo & Confessario semper ante omnia attendendum est, an homicidium fuerit merum casualiter, aut dolo malo commissum.*
106. *Quantitas culpæ in homicidio casuali mixto colligenda est ex quantitate negligentiæ in præcavendo periculo homicidii, vel ponendo opere debito, ne sequeretur.*
107. *&* 108. *Adducuntur duo exempla.*
109. *Qui non impediunt mortem alterius, quam ex sola charitate poterant, vel debuissent impedire, non sunt rei homicidii proprie talis.*
110. *Quænam circumstantiæ ab homicida explicandæ, vel a Confessario examinandæ sint.*
111. *Quænam pœnitentia a Confessario sit injungenda homicidæ.*
112. *Referuntur duæ propositiones ab Innocentio XI. circa procurationem abortus damnatæ.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de homicidio casuali & voluntario Theologice considerato.

QUæres primo, quidnam intelligatur nomine homicidi casualis?

86. Homicidium casuale recte describitur, esse illud, quod ex alicujus actione vel omissione sequitur mere per accidens, scilicet præter omnem ejus directam vel indirectam intentionem, seu voluntatem. Ita Sporer *tr. 5. c. 3. n.* 163. necessum proin est, ut agens hujusmodi homicidium nec præviderit, neque prævidere potuerit, eo scilicet, quod ex tali actione vel nunquam, vel non nisi rarissime sequatur; vel si quod periculum fuit prævisum, fuerit præmissa debita cautela, ut si jubeas famulum tecum equitare, & is equo lapsus præter tuam intentionem frangat cervicem: si conducas operarios, & aliquis eorum e summitate tecti lapsus intereat: si æditiuus (etiam tempore interdicto) pulset campanas, & inter pulsandum decidente malleo campanæ aliquis occidatur &c. esto enim taliter pulsans peccaverit contra obedientiam Episcopo, vel summo Pontifici debitam, non tamen peccato homicidii, quippe quod neque prævidit, neque prævidere potuit; sicuti habetur *cap. ex Litteris* 2. *de homicid.*

Quæres secundo, quid intelligatur nomine homicidii voluntarii, & quotupliciter hoc contingere soleat?

87. R. Nomine homicidii voluntarii hic intelligitur illud, quod committitur vel ex intentione formali & expressa occidendi, ut si cuipiam cor transverberes, caput abscindas &c. vel saltem ex positione causæ, ex qua prævidetur mors secutura, ut si quempiam graviter lædas in capite &c. Ita in re P. Babenstuber *tr. 5. dispu. 6. art. 3. n. 1.* hinc homicidium voluntarium ut sic communiter dividi solet in *directe* & *indirecte* voluntarium.

Quæres jam tertio, quodnam homicidium dicatur directe voluntarium, & 2. quodnam indirecte?

88. R. primo homicidium directe voluntarium recte appellatur, quando exanimatio hominis per se & quasi per modum finis intenditur, ut si secundum mox dicta cuipiam sclopeto aut pugione cor transverberes, eo fine ut trucides. vel si causam inseparabiliter cum morte secutura connexam, ex eodem fine ponas v. g. venenum lethale propinando &c. &c.

89. R. jam secundo ad alteram partem quæsiti. Homicidium indirecte voluntarium illud vocatur, quando vel ponitur, vel certe omittitur aliqua actio, ex qua aliquo modo (saltem probabiliter seu conjecturaliter) prospicitur secutura mors, esto hæc minime intendatur. E. g. Nauta prævidet periculum naufragii, nisi strenue laboret pro illo amovendo, & tamen exiguam vel nullam adhibet diligentiam amovendi periculum: Medicus etiam ex justitia obligatus & salario fixo conductus prævidet, infirmum moriturum, nisi diligentem vel diligentiorem ejusdem curam gerat, præscribendo pharmaca &c. & tamen hoc non facit saltem ex desidia, licet non intendat positive mortem infirmi &c. Mulier prægnans sumit pharmacum purgativum, vel aliam medicinam, ex qua probabiliter prævidetur secutura mors fœtus, esto hoc minime faciat in ordine ad necandum fœtum, vel procurandum abortum, sed potius ad recuperandam sanitatem propriam: in his & similibus casibus homicidium secutum dicitur indirecte voluntarium, id est, voluntarium non in se, sed in causa posita, vel non ablata.

Propereaque a multis Doctoribus appellari solet homicidium *casuale mixtum*, eo scilicet, quod habeat aliquid de voluntario, & de casu; de hoc quidem, quia non sequitur ex causa per se connexa, neque juxta, sed potius contra inclinationem voluntatis; de illo vero, scilicet voluntario; quia tametsi mortem minime intenderit, tamen vel posuit, vel saltem non amovit causam, ex qua prævidebatur secutura mors. Quocirca plurimi refert attendere, an quis ponendo talem causam dederit operam

rei

rei licitæ vel illicitæ, in ordine ad dignoscendas pœnas homicidii pedissequas prout bene animadvertit P. Sporer *trac.* 5. *cap.* 3. *num.* 139. sed de hoc alibi. Interim

Quæres quarto, quomodo peccent, qui parricidium, vel homicidium proditorium. vel assassinium committunt?

90. R. I. Parricidia (occidens scilicet aliquem ex ascendentibus aut descendentibus usque ad quartum gradum inculsive) committit peccatum qualificatum, & duplex quidem. Ratio est: quia non solum contra justitiam, sed etiam contra virtutem pietatis, tanta propinquitate sibi junctis debitam, graviter delinquit. Hinc parricidio annumeratur. 1. occisio Uxoris vel Mariti, item 2. occisio fratris vel sororis, aut aliorum consanguineorum usque ad quartum gradum, proptereaque etiam jure civili parricidæ graviter solent puniri pro diversitate delicti, ex majore vel minore conjunctione æstimati, sicut docet Molina *tr.* 3. *disp.* 26. eumque secutus Laymann *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 4. *n.* 1. II. Homicidium proditorium, quod videlicet sub specie amicitiæ, vel ex insidiis committitur, est peccatum qualificatum, quod ex modo occidendi specialiter aggravatur, eo quod hoc modo homini occidendo adimatur Jus naturale sese defendendi. Huc pertinet, si quis alterum veneno occidat, juxta *Leg.* 1. *Codice de maleficio & Mathem.* ubi dicitur: *plus est hominem extinguere veneno, quam occidere gladio.*

III. Assassinium similiter est peccatum qualificatum ex modo occidendi aggravatum: nam qui præmio vel pretio conductus quempiam interficit magis peccat, & minus est venia dignus, quam qui ira vel inimicitia instigante invadit, *argum. L. Cicero ff. de pœnis*. Accedit, quod taliter invasus plerumque ad sui defensionem imparatus sit contra eum, quem nulla antecedente inimicitia minime suspectum habet; proptereaque tales jure civili gravissime solent puniri, teste Gomez, & Molina *tract.* 3. *disp.* 25.

Quæres quinto, an, vel quomodo peccet, qui in ebrietate committit homicidium?

91. R. Breviter cum distinctione, vel enim supponitur voluntarie se inebriasse vel non? si non, tunc in ebrietate utpote destitutus rationis usu non potuit peccare: si autem voluntarie, tunc vel prævidit se in ebrietate occisurum v. g. quia jam antecedenter noverat se assuetum in ebrietate rixari, digladiari &c. aut quia jam pridem gessit inimicitias cum adversario offendendo &c. vel non prævidit? si non, tunc peccavit quidem graviter peccato intemperantiæ, non tamen homicidii, quippe quod non fuit voluntarium, cum nihil possit esse volitum, quin præcognitum: si autem prævidit, tunc dicendum, quod nedum contra virtutem temperantiæ, sed etiam justitiæ graviter deliquerit: esto enim tale homicidium in ebrietate commissum non possit dici voluntarium in se, nihilominus dici potest voluntarium in causa, quia homicida supponitur voluntarie sese inebriasse, simulque prævidisse hanc ebrietatem fore causam homicidii perpetrandi; unde etiam tales per Judicem Civilem puniri solent, sin minus pœna ordinaria, saltem arbitraria, & quidem tanto majore, quanto homicidium in causa fuit magis voluntarium. Ita in re Laymann *cit. n.* 2. Babenstuber *l. cit. n.* 6. Lessius & alii *communiter*.

Quæres sexto, an fas sit procurare abortum, vel saltem sterilitatem, impediendo scilicet, ne fœmina ex copula carnali fiat gravida?

92. R. ad primam partem hujus quæsiti: nunquam prorsus fas est, per se & directe procurare abortum, sive dein fœtus jam supponatur animatus, sive non. Ratio prioris partis communiter receptæ inter DD. constat ex dictis supra *n.* 1. quia in nullo casu fas est per se ac directe occidere innocentem: at occideretur innocens, casu quo procuraretur abortus (id est ejectio) fœtus immaturi animati: ergo. Ratio autem posterioris (cujus oppositum nonnulli probabile censuere) est: quia procuratio abortus per se & directa, seu directe intenta v. g. per sumptionem pharmaci &c. est intrinsece mala non minus, quam procuratio pollutionis, cum magis opponatur generationi prolis,

utpote vi cujus frustratur duplex semen, & quidem a natura jamjam assumptum & præparatum ad procreationem individui humani: ergo quemadmodum nunquam fas est, per se & directe procurare pollutionem; ita etiam nunquam fas est per se ac directe procurare abortum, esto etiam supponatur fœtus nondum animatus.

93. Dixi autem semper *per se* & *directe* procurare &c. per hoc enim minime intendimus negare, fas esse fœminæ prægnanti aliquando sumere medicinam v. g. pharmacum purgativum, uti Balneo aut sectione venæ, non quidem eo fine, ut fœtum expellat; hoc quippe idem esset, ac procurare abortum, sed ad sanitatem recuperandam duntaxat, tametsi prævideatur periculum abortus; quia in tali casu non fit procuratio abortus, nequidem indirecte (nam procurare est, *studiose quærere* & *intendere* abortum) sed solum permittitur abortus: non est autem illicitum, ex gravi & justa causa aliquid de se honestum vel indifferens (uti est usus Medicinæ) agere, tametsi inde prævideatur aliquid mali secuturum; nam taliter agens censetur solum permissive se habere in ordine ad illud malum Nihilominus quanto majus est periculum mali gravis, puta abortus inde secuturi, tanto gravior requiritur causa ad licite apprehendendum hujusmodi medium, præsertim si fœtus jam supponatur animatus: quin immo, si certa affulgeret spes, fore, ut si Mater prægnans abstineat a tali medicamento, infans fit perventurus ad Baptismi gratiam, tenetur Mater saltem ex charitate abstinere a tali medicamine, & salutem æternam prolis præferre saluti corporis; quod tamen cum raro contingere natum fit; hinc & raro tenebitur Mater abstinere &c. verum quia de hac materia ex professo egimus in *Theolog. Sacrament. part.* 3. *Confer.* 19. *a n.* 461. hinc Lectorem illuc remittimus. Possunt etiam de hoc videri Lessius *lib.* 2. *de J. & J. c.* 9. *dubit.* 10. la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *a n.* 823. vel Sporer *Theol. Sacrament. part.* 4. *n.* 698. *& seqq.*

94. R. jam ad secundam partem ejusdem quæsiti. Procurantes sterilitatem, ne scilicet fœmina ex copula carnali fiat prægnans, peccant mortaliter, ideoque hoc nunquam fas est, tametsi fœminæ vel adultero inde immineat gravissima infamia, vel aliud periculum. Communis Doctorum, fundata in *c. si aliquis* 5. *de homicid.* quam tenent Bonacina, Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 6. *art.* 1. *n.* 8. Viva *ad proposit.* 34. *ab Innocent. XI. proscript. n.* 16.

Ratio est: tum quia non oportet facere mala, ut eveniant bona; tum etiam quia procuratio sterilitatis graviter repugnat fini humanæ generationis. Hinc Sixtus V. Bulla *Effrænatam* excommunicationis fulmine ferit hujusmodi procuratores, inter alia dicens, *quis denique non damnet gravissimis suppliciis illorum scelera, qui venenis, potionibus, ac maleficiis mulieribus sterilitatem inducunt, aut ne concipiant, nec pariant, maleficis medicamentis &c. impediunt.*

Quæres septimo, quomodo peccet mandans, consulens, opem, vel auxilium ferens in ordine ad homicidium injustum &c.?

95. R. Hi omnes peccant mortaliter absque omni dubio contra justitiam; quia in materia gravissima DEO & proximo injuriam inferunt, juxta dicta superius *n.* 7. idque verum est, tametsi mandatarius jam aliunde fuisset resolutus ad occidendum, immo tametsi per accidens homicidium non sequatur; quia mandando, consulendo &c. jam occiderunt, saltem affective, sin minus effective, quemadmodum juxta effatum Christi Domini *Matth.* 5. *v.* 28. *ille, qui videt mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Dixi, hos omnes peccare *ad minus contra justitiam*; enim vero accedentibus aliis diversis circumstantiis insuper possunt graviter impingere in alias virtutes; nam qui consulit homicidium personæ sacræ, vel personæ laicalis in loco sacro, committit respective sacrilegium personale vel locale: si personæ sacræ in loco sacro, duplex sacrilegium committitur &c. veluti constare debet aut potest ex dictis *tr.* 1. *Theolog. Decalog. Confer.* 19. *num.* 540. *& seqq.* Porro si homicidium effective sequatur, hujusmodi consulentes vel mandantes insuper diversas incurrunt

runt pœnas tum civiles, tum etiam canonicas, prout ex professo dicemus suo loco, ubi *de pœnis Ecclesiasticis* &c.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de homicidio casuali, & voluntario.

CASUS PRIMUS.

T*Itius ab Uxore sua ob crapulam (quam sæpesæpius bibere consueverat) increpatus, & ad indignationem motus apprehendit baculum, animo eam percutiendi; quod ubi Titia Uxor animadvertit, voluit sibi fuga consulere: verum, ob nimiam accelerationem in præceps acta, per scalam delapsa fuit, & quidem tam graviter, ut ad pedem scalæ caput allidens, cervicem fregerit, & subito exspiraverit. Titius ob id totus perplexus, & qui sibi consuleret nescius, præsertim cum nemo præter duas proles rei ignaras in eadem domo præsens fuerit, aut de hoc casu quidquid sciverit, in arena consilium capiens, Uxorem jamjam defunctam projecit in puteum januæ domus suæ vicinum: moxque non sine dolore simulato in vulgus rumorem spargit, eam esse in puteum delapsam: extrabitur proin Titia, ac sepelitur. Verum quia civis quidam vicinus casu e fenestra domus suæ prospiciens perspexerat, Titiam non fuisse delapsam, sed a Titio projectam in puteum; hinc rem aperuit Judici, qui Titium comprehendi & incarcerari jussit velut homicidam. Et quia in examine constanter negaverat, se uxorem projecisse in puteum, hinc indubitanter torturæ subjectus fuisset, nisi fortuito casu e carcere fugiendo evasisset. Venit proin ad Confessarium, & rei totius, prout gesta fuerat, serie enarrata, sciscitatur. 1. an ergo graviter peccaverit, ratione hujus homicidii? 2. an peccaverit negando coram Judice, se uxorem in puteum projecisse? 3. tandem quærit e Confessario, quid sibi agendum putet, ut denuo impetret facultatem in patriam, & possessionem pristinam libere redeundi? quid ad hæc Confessarius?*

96. R. ad primum quæsitum hujus casus practici minime ficti, sed facti, Titium ratione hujus homicidii nullatenus peccasse, ne quidem venialiter; Ratio est: quia homicidium mere casuale nequit imputari ad culpam secundum *omnes*: atqui hoc homicidium fuit mere casuale, utpote neque intentum, neque ullo modo prævisum, & hoc ipso neque in se, neque in sua causa ullatenus voluntarium, veluti patebit perpendenti omnes circumstantias juxta regulam de homicidio merum casuali traditam mox supra *n.* 86. ergo Titius ratione homicidii nullatenus peccavit, esto fortassis saltem venialiter peccaverit contra virtutem temperantiæ ratione crapulæ, vel contra charitatem ac pietatem, vel mansuetudinem Christianam, dum uxorem verberare voluit.

97. R. ad secundum quæsitum: Titius negando factum (projectionem scilicet uxoris in puteum) probabilius peccavit, saltem venialiter, contra virtutem veracitatis. Ratio est: quia probabilissimum videtur, Titium negando factum fuisse locutum contra mentem; quandoquidem homines rudiores, seu communi de plebe nihil prorsus sciunt de restrictione mentali, sed incunctanter contra mentem loquendo mentiri solent: quia tamen hoc mendacium nemini præjudiciosum aut perniciosum fuit, simulque ex timore pœnæ incurrendæ, vel potius amore ejusdem declinandæ quodammodo expressum; hinc probabilius non transcendit culpam venialem, nisi fortassis Titius ex conscientia erronea gravem culpam apprehendisset, eademque non obstante contra mentem locutus fuisset, de quo pro in specialiter examinandus erit.

98. R. ad tertium quæsitum, Titium procul dubio rebus suis optime consulturum fuisse, si illico post fatalem casum advocasset unum vel alterum civem (relicta interim uxore super pavimento scalæ) qui postmodum coram Judice (casu quo opus fuisset) testari potuisset, se vidisse uxorem e scala delapsam, ruptaque cervice jacentem &c.

Verum, cum jam sparserit, Uxorem fuisse delapsam in puteum, simulque Judex de opposito fuerit informatus, hinc difficilimum erit dare in hoc desperato casu prudens consilium, aut sugge-

gerere medium, vi cujus Titius permittatur libere & impune redire in Patriam, & pristinam possessionem, eo præsertim, quod contra Titium ut homicidam exstent sequentia sat fortia, & minime obscura indicia 1. quod cum uxore quasi in continuis rixis vixerit, eamque non raro verberibus exceperit. 2. quod visus fuerit uxorem e domo extraxisse, & projecisse in puteum. 3. quod re melius examinata per Medicos & Chyrurgos repertum fuerit, Titiam ne guttulam quidem aquæ deglutisse, prout tamen procul dubio contigisset, si ipsamet vivens in puteum delapsa fuisset &c. quibus omnibus haud modice Titius gravatur: liquet proin, tam facili penu prudens consilium dari non posse, propterea que in similibus casibus perplexis prudentis Confessarii erit, petere moram deliberandi, & alios etiam prudentes sub Rosa consulendi, implorata prius diligenter ac fervide Spiritus Sancti assistentia.

Ego (salvo meliore Judicio) suaderem Titio ut 1. se collocet in loco tuto, seu tali asylo, unde extrahi non possit: dein 2. provideat sibi de bono Advocato, eidemque rem totam exponat candide 3. per eundem Advocatum Judici, *a quo* rem gestam exponat, offeratque se (obtento prius salvo conductu) ad deponendum Juramentum, quod res ita, & non aliter se habeat, vel si de obtinendo salvo conductu, aut fide dictis suis adhibenda desperet, dissimulata rei veritate offerat se ad jurandum, quod uxorem non projecerit (intelligendo culpabiliter, vel animo eam occidendi) cum enim Judex de graviter culpabili & occisiva projectione Titiæ in puteum interroget, & Titius taliter eam non projecerit, potest is cum debita restrictione non pure mentali tuta conscientia jurare, quod non projecerit uxorem (intelligendo projectione culpabili & occisiva) quia subsistente tam gravi causa licitus est usus juramenti amphibologici non pure mentalis, secundum dicta *part.* 3. *Confer.* 5. *num.* 145. *Vid.* Cardenas *in* 2. *Crisi dissert.* 19. *num.* 81. vel la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 288.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Medicus ad Clericum infirmum vocatus præscripsit huic certum medicamentum, quod ubi Clericus, utpote homo intelligens & doctus animadvertit, rogavit Medicum per omnia sacra, quatenus dignaretur sibi aliam medicinam præscribere, asseverans, se magis perspectam habere naturam propriam, sibique certo certius ex sumptione hujus medicamenti moriendum fore. Medicus e contrario asseverabat, nil prorsus subesse periculi, sibique velut peritiori in hac arte, & Medico hanc corporis curam relinquendam, infirmi vero esse accommodare se consiliis Medici. Acquievit Clericus, sed eadem adhuc die obiit; quod ubi Medicus inaudiit, dolenter ingemiscens post aliquot dies Confessarium accessit, asserens, se conscientiæ stimulis indesinenter exagitari, eo præsertim, quod a præfato Clerico tam instanter fuerit rogatus pro alia medicina, nec tamen eidem acquieverit, propterea que existimet hanc mortem sibi imputandam. Qui Judicii feret Confessarius de Sempronio?

99. R. ad ferendum æquum judicium necessum erit, ut Confessarius interroget, an Medicus bona vel mala fide processerit præscribendo; nam si bona fide processit (prout regulariter præsumendum, aut pie credendum est) concludendum, quod non peccaverit, ideoque eidem eximendus est scrupulus, & admonendus, ut bono sit animo, hunc vero fatalem & inopinatum casum altiori dispositioni Divinæ adscribat: si vero mala fide, vel certe ex culpabili ignorantia hanc medicinam præscripsit, cum prævisio periculo erroris, non immerito conscientiæ sibi duceret hoc factum, & gravis noxæ nedum contra charitatem, sed & contra justitiam (si a Clerico supponatur pretio fuisse conductus) condemnandus foret, velut consideranti patebit.

Sed quid, si Medicus dicat, se fuisse crapulatum & temulentum, & in tali statu præscripsisse medicinam, quam sobrius, & sibi præsens nunquam præscripsisset?

100. R. Talis Medicus videtur certo con-

condemnandus peccati mortalis; quia fatetur se ex temulentia præscripsisse medicinam, quam sobrius & sibi præsens nunquam præscripsisset, & quidem effectu sat infausto, morte scilicet patientis subsecuta: esto proin in tali statu errorem fortassis non cognoverit, debuit tamen agnoscere saltem periculum errandi, præsertim cum ab ipso Clerico velut homine intelligente desuper fuerit admonitus, & rogatus pro alia medicina. Profecto si stante etiam tali admonitione ne quidem periculum errandi animadvertit, videtur ebrius potius, quam crapulatus fuisse, & hoc ipso graviter deliquisse contra juramentum de observanda temperantia seu sobrietate, quod suscipientes gradum Doctoratus Medici debent deponere: unde non video, qua ratione excusari posset a gravi peccato, cum eidem jure merito homicidium imputari possit, velut voluntarium in causa: idque a fortiori dicendum foret, casu quo prævidisset, se ad infirmum periculose decumbentem vocatum iri, & nihilominus sponte jam notabiliter regulas temperantiæ excessisset. Si tamen fateatur, se nullatenus prævidisse periculum, sed optima fide processisse, ratione hujus ignorantiæ per accidens quasi poterit excusari a peccato. Videantur de hoc Lessius *Lib.2. c. 9. dubit.* 15. *n.*109. Laymann *ubi supra n.* 8. Tambur. *lib. 6. decalog. c.* 3. §. 1. *n.* 8.

Dices adhuc. Sed quid de illo Medico censendum, qui accersitus ad quendam divitem periculose decumbentem, noluit illum accedere, sed potius mori permisit, eo quod ab eodem jam semel curato nullam prorsus mercedem obtinuerit; immo hanc postulando graviter illum offenderit.

101. R. Si in tali loco nullus alius Medicus fuit, qui potuisset curare divitem, tenebatur Sempronius saltem ex charitate infirmum accedere & opem ferre. Ratio est: quia quivis tenetur nedum amicum, sed etiam inimicum diligere, & huic in gravi necessitate constituto succurrere, ac pro possibili opem ferre, veluti ex *communi DD.* tradidimus *part.* 2. *Theol. Decalog. Confer.* 8. *num.* 238. atqui Dives supponitur fuisse constitutus in gravi, immo extrema necessitate: ergo si nemo alius fuit, qui potuisset illum curare præter Sempronium, tenebatur is ægrotanti, quantumvis ingrato succurrere; nam justam laborum mercedem poterat expetere ab hæredibus defuncti, quippe cujus negotium utiliter gessit, & hæc debebat infallibiliter solvi per *L. Non tantum ff. de appellat & L. Et si quis ff. de Relig. & sumptib. funer. §. labeo*. Videatur de hoc Pontas *in Diction. Cas. Verb. Medicus, casu II.*

CASUS TERTIUS.

Cajus alium quendam corrivalem tempore nocturno solum cum sola sua (Caji scilicet) amasia turpiter agentem reperit, quem propterea aggressus (gladio, an fuste nescio) graviter vulneravit, ita ut is domum rediturus in platea defecerit, & altero mane exanimis fuerit repertus, ignorantibus prorsus omnibus Auctorem homicidii. Amasia vero id inaudiens nimio terrore perculsa eadem die abortivit: Cajus factum detestatus, rem totam aperuit Confessario: hic vero noluit Cajum absolvere, asserens, se non habere potestatem absolvendi a reserva is. Quæritur jam 1. an Cajus tam ratione homicidii, qu m 2. etiam ratione abortus graviter deliquerit, proptereaque incurrerit duplicem casum reservatum?

102. R. 1. Si Cajus intendit occidere corrivalem, vel certe voluntarie tam graviter læsit v. g. in capite, vel corpore circa pectus &c. minime dubitandum, quin mortaliter peccaverit ratione homicidii, utpote quod vel directe ac per se, vel certe indirecte & in causa voluntarie posita voluntarium fuit, proptereaque casum reservatum homicidii indubitanter incurrit, veluti constare debet ex dictis *num.* 87. at vero si Cajus dicat, se nullatenus intendisse, & præter omnem intentionem tam graviter læsisse; quia ex nimio furore, vel ob tenebras noctis non poterat satis animadvertere quo feriret, tunc in foro conscientiæ forsan a peccato mortali, & per consequens a fortiori a pœna reservationis excusari posset: quia secundum dicta *part.* 2. *Theolog. Sacrament.*

Confer.

Confer. 13*s* *a n.* 342. neque homicidium, neque alia peccata censeri debent reservata, nisi plene voluntarie fuerint commissa: quo supposito a Confessario vere contritus seu pœnitens potuisset ac debuisset absolvi.

103. R. jam secundo. Cajus ratione abortus videtur non peccasse. Ratio est: quia abortus neque in se, neque in sua causa fuit Cajo voluntarius: non in se, prout de se liquet: neque etiam in sua causa; quia timor ille ab amasia altero die concipiendus neutiquam prævisus, non potuit esse volitus: ergo neque abortus inde fluens. Et fortassis Cajus nequidem scivit, amasiam suam esse imprægnatam, vel si hoc scivit, practice loquendo in simili casu, ubi furor prædominabatur, se minime reflexerit ad periculum abortus: ergo propterea nec peccavit graviter, neque etiam pœnam reservationis incurrit, ut de se patet.

Sed quid, si corrivalis ille vicissim se defendendo Cajum aggressorem occidisset, peccassetne graviter, & incidisset casum reservatum?

104. R. quod non, modo supponatur non excessisse limites inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia secundum *communissimam Doctorum sententiam* videndam apud Tambur. *lib.* 6. *Decalog. c.* 1. *n.* 7. Lessium *cit. n.* 106. Dianam, Filliuc. & alios passim, ne quidem adulter cum Uxore in flagranti a Marito deprehensus in foro conscientiæ amittit jus naturale sese defendendi contra aggressorem vitæ Maritum, propterea que eundem præveniendo & occidendo (servato moderamine inculpatæ tutelæ) non peccat: ergo nec peccasset corrivalis occidendo Cajum. Et quia in similibus rixis, intempesta nocte non sine prædominante furore ortis, regulariter loquendo semper intervenit periculum vitæ (prout etiam liquet ex hac specie facti) hinc plerumque in talibus circumstantiis sese defendens, etiam occidendo aggressorem injustum, a peccato mortali immunis evadit, & hoc ipso neque incurrit casum reservatum, dummodo supponatur non excessisse limites inculpatæ tutelæ. Ceterum an, vel quando hujusmodi homicidæ incurrant pœnam irregularitatis, commodius dicemus suo loco *part.* 5. *Confer.* 6. ubi ex professo *de pœnis Ecclesiasticis*.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

105. Colliges ex hactenus dictis primo, nedum a Judice civili, verum etiam Ecclesiastico, immo & a Confessario, tam in foro interno, quam respective externo ante omnia attendendum esse, casune, an vero culpa aut dolo commissum fuerit homicidium? secus enim non poterit æquam ferre sententiam, neque debitam discernere pœnam; cum tamen secundum diversitatem culpæ taxanda sit quantitas pœnæ. Tametsi vero pro foro conscientiæ gravitatem culpæ ac pœnæ declarare aut discernere haudquaquam difficile sit, ubi homicidium cum dolo malo (id est, ait Laymann. *cum proposito occidendi*) commissum fuit, nihilominus ubi homicidium non est merum casuale, sed mixtum, jam majoris momenti & difficultatis est, decidere gravitatem delicti & pœnæ promeritæ. Quocirca facile

106. Colliges secundo ex dictis *n.* 100. homicidium casuale mixtum, sive dein sequatur ex positione operis liciti aut illiciti, sive ex omissione operis debiti) tantum esse peccatum, quanta fuit negligentia in præcavendo periculo, aut ponendo opere debito. Ratio hujus est: quia homicidium casuale mixtum non est voluntarium nisi in causa, id est, in præfata negligentia, & hujus ratione duntaxat imputari potest ad culpam: ergo si negligentia fuit gravis, erit & culpa gravis seu mortalis: si levis, erit venialis: si nulla, culpa quoque erit nulla. Ita Lessius *l.* 2. *c.* 9. *n.* 109. Filliucius *tr.* 29. *c.* 7. *n.* 124. & *seqq.* Porro si opus fuit debitum nedum ex charitate, sed etiam ex justitia, peccatum quoque duplex contrahetur cum onere restitutionis, veluti dictum fuit de Medico pretio conducto, & negligente infirmum.

107. Colliges tertio, fabrum murarium seu reparatorem tecti ponendo signum, quo commeantes admoneri solent, ne

illuc transeant, suæ satisfecisse obligationi, proindeque si transeuntium quis non sibi caveat, sed per tegulam vel lapidem subito decidentem feriatur ac pereat, hoc homicidium mere casuale censendum sit, nec murario (nisi is fortassis transeuntem advertisset, & nihilominus lapidem projecisset) imputari posset ad culpam. Idipsum tenendum est de aliis mechanicis v. g. reparantibus pontem &c. nam si signum ponant, ne quis transeat, & hoc non obstante transitum præsumens v. g. in flumen delabatur &c. transeuntis temeritati, non culpæ reparatorum adscribendum erit: secus dicendum, si nullum a reparatoribus signum monitorium seu dehortatorium positum fuisset, tametsi periculum transeuntium animadvertissent: tunc enim homicidium velut in causa vel negligentia voluntarium ipsis imputaretur, nec amplius reputaretur merum casuale, prout bene notat Sayrus, eumque citans Babenstuber *tr.* 5. *Disp.* 6. *art.* 3. *n.* 4.

Sed quid (ais) si quempiam non adeo graviter aut lethaliter vulnerari contingat, ipse vero vulneratus ob negligentiam Medici, aut Chyrurgi, vel propriam temeritatem & incuriam moriatur?

108. R. etiam in tali casu homicidium respectu tui non voluntarium, sed potius casuale dici debet; quia tametsi vulneratio fuerit occasio, re ipsa tamen non fuit causa mortis, sed hæc est vel negligentia Chirurgi, vel temeritas aut incuria vulnerati. Ita Sotus *lib.* 3. *q.* 1. *art.* 9. Gonet. *tom.* 3. *Cas.* 3. *num.* 25. *ex communi DD.* vide *cap. Significasti* 18. *de homicid.* ubi Innocent. III. ad hujusmodi casum respondit in hæc verba: *si percussio Medicorum judicio lethalis non fuit, percussor post pœnitentiam ad cautelam injunctam, poterit in officio sacerdotali ministrare;* quo datur aperte intelligi, non intervenisse culpam gravem percussoris, secus enim fuisset declaratus irregularis. Excipit tamen Lessius *cit. n.* 103. casum, quando percussio seu vulneratio fit in tali loco, ubi non sunt, qui possent vulnus curare, & læsus non obstante debita diligentia nihilominus mortem obtiit; tali enim tempore & loco vulnus censeretur lethale, inquit ipse; cui & ego lubens adstipulor, saltem si percutiens prævidit vel advertit defectum Chirurgi cum periculo mortis, defectu curationis inde secuturæ.

109. Colliges quinto, homicidii proprie dicti reos non esse illos, qui non impediunt mortem alterius, quam ex sola charitate poterant, & debuerant impedire. Ratio est: quia omne homicidium proprie dictum est contra justitiam: ergo ubi non delinquitur contra virtutem justitiæ, ibi non committitur homicidium: idipsum tenendum de eo, qui alteri ex sola charitate obligato sine dolo vel fraude dissuadet defendere proximum, aut impedire homicidium; quia etiam hic non peccat contra justitiam. Secus dicendum arbitror de illo, qui dolo maligno aut fraude dissuadet, aut qui alium ex justitia obligatum impedit, ne defendat vel impediat homicidium injustum; quia talis graviter delinquit contra justitiam. Hinc, si Princeps, Belliduces, Magistratus, Judex, Chirurgus, Medicus ex justitia obligati non impediant homicidia, cum tamen moraliter possent, fiunt participes talium homicidiorum. Laymann ubi supra *num.* 7. & 8. Tamburinus *l.* 6. *in Decalog. cap.* 3. §. 1. *num.* 8. Babenstuber *cit. n.* 7.

110. Colliges sexto. Ab homicida in confessione explicandas, vel si id propria sponte aut ruditate non faciat, a Confessario (cujus est supplere defectum) examinandas esse sequentes 5. circumstantias. 1. circumstantiam *personæ pœnitentis* seu occidentis, an scilicet sit Clericus vel Sacerdos &c. quia talis incurrisset irregularitatem, & si in hac celebrasset divina, novum incurrisset peccatum. 2. circumstantiam *personæ, quæ fuit occisa*; nam si fuisset Clericus, commissum fuisset sacrilegium; si consanguineus proximus, Parricidium &c. 3. circumstantiam *loci;* quia si in loco sacro fuisset factum, homicida commisisset sacrilegium, secundum dicta superius *n.* 6. 4. circumstantiam, *quibus auxiliis*, & *quomodo* &c. id est, an solus, vel cum sociis, fortassis inductis ad hoc, & animatis &c. quia tunc ratione scandali com-

commisisset plura numero peccata, tot scilicet, quot induxisset &c. item an fortassis ex insidiis, sub specie amicitiæ, veneno &c.; quia ex his & similibus potest variari species peccati &c. veluti constare debet ex dictis *n. 6. & 90.* 5. Denique circumstantiam *temporis*, seu etiam *durationis*, an non a longo tempore quæsierit occasionem occidendi. c. an hoc propositum moraliter nunquam interruperit; quia tunc multiplicasset peccata numerice. Ratio horum est: quia Confessarius debet nosse non solum peccata quoad speciem & numerum, sed etiam quoad circumstantias speciem mutantes &c. at, hoc scire non potest, nisi pœnitens vel se ipso explicet, vel Confessarius supplendo defectum pœnitentis in hæc & similia indaget: ergo tenetur. Videantur de hoc Filliucius *cit. a nu.* 129. Babenstuber *l. cit. n.* 8.

111. Colliges septimo, non posse tradi universale paradigma pœnitentiæ, homicidæ a Confessario imponendæ; quia hæc debet taxari juxta proportionem culpæ: atqui culpa non semper est æqualis, veluti ex hactenus dictis liquet: ergo nec pœnitentia universaliter taxari potest. Tamburinus, Sporer, Babenstuber *l. prox. cit.* & alii plures existimant, homicidæ pœnitentiæ causa injungendum esse. 1. ut per unum annum singulis hebdomadibus curet celebrari missam pro anima defuncti, & certam eleemosynam pro facultate virium eroget in pauperes. 2. ut pro eadem anima singulis septimanis recitet Litanias, aut Rosarium B. Virginis. 3. ut per eundem annum semel in hebdomada confiteatur, & semel in mense communicet, offerendo hanc sacram Communionem pro eadem anima defuncti &c. vel 4. per totam vitam suam aliquoties pro eadem anima oret, Communionem offerat. &c. &c.

Verum quantum ad hæc & similia magna discretione, circumspectione & prudentia opus est; quia hæc pœnitentia debet commensurari circumstantiis & qualitati tum pœnitentis, tum etiam delicti.

112. Colliges denique octavo, jure meritissimo ab Innocentio XI. damnatas fuisse sequentes duas propositiones, e quibus prior (*n.* 34.) ita sonat: *licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*. Posterior (*num.* 35.) *videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eam habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi*. Utramque hanc propositionem jure meritissimo fuisse damnatam quisque prudentum facile capiet; nam prior scandalosa est; quia cum nulla puella ex fornicatione prægnans non soleat propterea diffamari, sequeretur, cuilibet fas esse procurare abortum: cur ergo non pariter liceret impedire generationem seu conceptionem, v. g. dispergendo semen, aut jam receptum rursus effundendo? ast, si hoc semel detur permissum, amabo! quæ tunc erit facies Universi? Posterior pariter nedum scandalosa, sed & erronea est: scandalosa quidem; quia præbet ansam liberius procurandi abortum, ut de se patet: erronea autem, quia S. Scripturæ est contraria; enim vero Joannes Baptista, ut audivit Elisabeth salutationem B. V. Mariæ, in utero Matris exultasse dicitur *Luc.* 1. Jeremias in utero Matris sanctificatus. *Jerem.* 1. atqui exultatio & sanctineatio infantis in utero Matris, supponit animam viventis, quia gratia sanctificans non recipitur, nisi in anima sanctificati: ergo falsum & erroneum est, asserere omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali. Videantur de hoc R. D. August. Machel *Theolog. can. mor. volum.* 2. *part.* 3. *tr.* 6. *fol. mibi.* 990. Viva, *ad eandem propositionem a n. III.* la Croix *lib.* 3, *part.* 1. *n.* 823. & *seqq.*

CON-

CONFERENTIA QUINTA

De Duello.

SUMMARIUM.

113. *Duellum est periculosum certamen duorum ex condicto, designato tempore & loco.*
114. *Aliud dicitur solenne, aliud simplex seu privatum.*
115. *Nunquam fas est illud suscipere ad manifestandam veritatem, aut terminandam litem, vel ostentationem virium.*
116. *Neque fas est (per se loquendo) illud ficte suscipere, ita tamen ut alii putent rem serio agi.*
117. *Neque ob defensionem solius honoris, ne quis videatur homo imbellis.*
118. *Secus, si simul agatur de honore, sustentatione congrua, & statu amittendo &c.*
119. *Insuper fas est illud suscipere auctoritate publica v. g. ad dirimendum bellum &c.*
120. *Duellantes incurrunt diversas pœnas, signanter excommunicationem, nec non privationem sepulturæ Ecclesiasticæ &c.*
121. *Pœnæ tamen civiles in hisce partibus nostris plerumque non incurruntur, nisi duellum fuerit solenne.*
122. *Nec a quibusvis spectatoribus, sed ab illis duntaxat, qui sua præsentia duellantes quodammodo animant.*
123. *Resolvitur Casus I. de eo, qui alium provocavit ad duellum, ideo duntaxat, quia noluit pati, ut alius audiret peritior se in arte digladiandi.*
124. *Hinc neuter est excusandus a peccato mortali.*
125. *Solvitur instantia contra hanc resolutionem, desumpta ex praxi contraria.*
126. *Et quid practice fuerit agendum provocato &c.*
127. *Resolvitur Casus II. de quodam Officiali bellico, ab alio pugno percusso, quem propterea debuisset provocare ad duellum, aut cedere officio militari.*
128. *Probabiliter licuisset huic, stantibus circumstantiis mox recensitis, provocare ad duellum.*
129. & 130. *Solvuntur duæ instantiæ contra hanc resolutionem factæ.*
131. *Resolvitur Casus III. de quodam studioso Pragensi, qui a milite verbis lacessitus in hospitio, instigantibus præsertim condiscipulis eundem provocavit, & occidit.*
132. *Propterea tamen pœnas in duellantes latas non incurrit;*
133. *Bene vero præter Irregularitatem, Casum communiter reservari solitum.*
134. *Confessario circa hujusmodi pœnitentes gnaviter advertendum est, an intercesserit duellum proprie dictum, seu stricte sumptum.*
135. *Inevitabili necessitate compulsus ad duellandum, licite illud suscipit cum conditione, vel simulate tantum congrediendi, vel post aliquot ictus statim cessandi.*
136. *Unde etiam non incurrit pœnas in duellantes latas.*
137. *Quando duo inermes sese provocant, arma petunt, & statim pugnant, non committunt duellum proprie dictum.*
138. *Nedum Principes Ecclesiastici, sed & sæculares, sub gravi obligatione tenentur impedire hujusmodi duella.*
139. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*
140. *De quo certo constat, quod in duello proprie dicto, & loco duelli obierit, neutiquam sepeliendus est in loco sacro.*
141. *Secus si de hoc nec constet, neque probari possit.*
142. *Vel si non objerit in actuali conflictu, aut in loco conflictus.*

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de duello.

QUæres primo, quid sit duellum?

113. R. Duellum est periculosum certamen duorum ex condicto initum, designato tempore & loco. Ita Henno *tr. in Decalog. dispu.* 5. *q.* 5. *conclu.* 1. & in re *communis DD.* Explico brevissime. Dicitur 1. *periculosum certamen*, id est, armis vel instrumentis ad occidendum idoneis; nam qui pugnis duntaxat vel crinium dilaceratione, levi baculo se percutiunt, non committunt duellum. Dicitur 2. *duorum*; nam secundum ethimologiam nominis duellum idem sonat ac *duorum bellum*, unde græce dici solet *Monomachia*, id est alterius contra alterum bellum. Dicitur 3. ex *condicto initum*, id est, ex conventione seu convocatione duorum &c. si enim duo aut plures subito sibi occurrentes v. g. in platea publica arma exerant, se invicem vulnerent ex subita ira &c. non duellum, sed rixa potius dici debet. Hinc additur 4. *designato tempore & loco*; hoc quippe ad duellum rigorose & proprie sumptum exigunt Bullæ Pontificiæ Gregorii XIII, & Clementis VIII. quod bene notandum; nam ubi certamen vel pugna subito oritur sine tali condicto ad tempus & locum, non incurruntur pœnæ illæ gravissimæ, in mox allegatis Bullis contra duellantes latæ.

Quæres secundo, quotuplex sit duellum?

114. R. cum *communi DD.* duplex est, aliud solenne, aliud simplex. Solenne dicitur, quod fit cum certis ceremoniis, utputa misso internuntio aut litteris provocatoriis (vulgo Chartell) vel chyrotheca, aut dato annulo &c. item adhibitis certis patrinis, seu, ut vocant, *secundantibus* &c. Ubi vero hujusmodi ceremoniæ non interveniunt, duellum simplex, seu etiam privatum appellari solet, esto fiat cum determinatione loci aut temporis, uti observat Gobat *Theolog. Exper. tr.* 7. *n.* 572. Porro hujusmodi duella olim variis de causis suscipi consueverant, teste Filiucio *tr.* 29. *n.* 136. potissimum vero ex sequentibus. 1. Ad manifestandam veritatem, vel innocentiam alicujus; qualis habebatur ille qui vicerat. 2. Ad terminandam litem. 3. Ad ostentationem virium. 4. Ad evitationem ignominiæ, aut defensionem honoris proprii. 5. Ad defensionem vitæ vel fortunæ &c. &c. de quibus etiamnum controversia moveri solet. Unde

Quæres tertio, an liceat provocare, vel saltem acceptare duellum in ordine ad manifestandam veritatem, vel innocentiam alicujus, vel ob ostentationem virium, aut terminandam litem?

115. R. Nunquam prorsus fas est acceptare duellum, multo minus provocare ad illud 1. in ordine ad manifestandam innocentiam, vel 2. ad terminandam litem dubiam, eo fine, ut is, qui occubuerit in duello, credatur habuisse causam injustam, vel 3. ad ostentationem virium. Ita hodie *communiter* Doctores. Thomas, Filliuc. *cit. a. n.* 137. Pichler *in Candidat. Jur. Can. lib.* 5. *tit.* 14. *n.* 1. Ratio primi & secundi est: quia duellum non est medium a natura ordinatum ad manifestandam innocentiam vel ad detegendum crimen; nam in tali conflictu innocens æque ac nocens potest succumbere; ergo manifestatio veritatis aut innocentiæ debet expectari ab alia causa rationali: atqui non a DEO vel Angelo bono; quia nullibi legitur, DEUM promisisse, se vi duelli manifestaturum innocentiam aut veritatem &c. ergo a Diabolo, & hoc ipso committitur peccatum gravissimum superstitionis. Ratio tertii est: quia cum homo non habeat dominium in vitam & membra corporis, secundum dicta superius, eo ipso nequit sine gravissima læsione Juris Divini & naturalis ob solam ostentationem virium, audaciæ, aut armorum peritiæ, injuriæ vindicandæ &c. propriam & proximi vitam evidenti exponere periculo, prout duellantes communiter faciunt, se ipsos per hoc stolidissime exponentes periculo æternæ damnationis, atque hinc jure meretissimo Concilium Tridentinum

SS. 25. c. 19. *de Reform.* Duella vocat *detestabilem usum, fabricante diabolo introductum.*

Sed quid (ais) tenendum de illis, qui ficte duntaxat, sine animo vulnerandi duellum suscipiunt, post certum ictuum numerum finiendum, vel certe ea conditione ac lege, ut uno vel levissime etiam vulnerato, illico desistant?

116. R. Neque hoc sine peccato fieri potest, & hoc ipso minime tolerandum est. Ratio est: quia hoc modo aliis ignorantibus conditiones initas præbetur scandalum grave & pessimum exemplum. Hac fortassis de causa Clemens VIII. *constitut. Illius vires* 1592. prohibuit duella etiam non fatalia. Accedit, quod in posteriore casu nunquam non subsit periculum lethalis vulneris; quandoquidem admodum difficile est ita moderari ictum per arma ad occidendum apta, & cum intentione vulnerandi adhibita, ut vulnus lethale non infligatur, prout sapienter notat P. Pichler *cit. n.* 2.

Quæres quarto, an liceat provocare, vel saltem altero provocante acceptare duellum ob defensionem honoris proprii, ne scilicet ab aliis audias homo imbellis, effœminatus &c. &c.

117. R. Nefas est, etiam acceptare duntaxat duellum præcise ob punctum honoris, scilicet ad declinandam ignominiam vel dedecus. Ita *communis* & certa DD. sententia, præsertim post damnatam ab Alexandro VII. sequentem (ordine secundam) propositionem velut scandalosam & perniciosam: *Vir equestris ad duellandum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Ratio est: quia duellum non est medium idoneum tuendi honorem, sed potius actus summæ dementiæ; cum per hoc utriusque duellantis salus corporalis ac spiritualis periculo exponatur, non sine gravissima injuria in DEUM (cui soli competit dominium in vitam humanam) & in Rempublicam, cui inique civis eripitur: quid ergo honoris ex tali stoliditate & malitiosa dementia aquiratur? Deinde vel duellans erit victor aut victus? si victus, hoc ipsi gloriosum non erit, præsertim si in ipsa pugna decesserit; tunc enim velut notorie in peccato mortali decedens tanquam præda diaboli, ne mortuus quidem inter fideles tolerabitur, sepultura sacra perpetuo privandus instar bestiæ. Si victor, tanquam infamis, & gravissimi sceleris tantopere prohibiti reus incidet in manus carnificis, aut certe officio (si quod habuit) privatus in alienas terras aufugere, misereque vivere cogetur, tanquam homo infamis; nam teste P. Pichler *cit. num.* 1. Leopoldus I. Rom. Imper. cum consensu statuum in Comitiis Ratisbonensibus speciali sanctione statuit pœnam capitis in eum, qui in duello alterum occiderit. Etiam in Regno Franciæ (teste Filliucio *cit. n.* 150.) decreto Henrici IV. duellum offerens vel acceptans habendus est infamis, solentque duellantes affici pœna mortis, cujuscumque demum dignitatis, gradus, conditionis, nobilitatis existant &c. quod ita feliciter successit in Gallia (ait Henno) ut monstrum illud tanto magis quærat latere, quanto gloriabatur olim se prodere. Utinam & in nostris partibus idipsum contingeret!

118. Dixi autem, nefas esse etiam acceptare duellum *præcise ob punctum honoris*, &c. nam ubi non solum agitur de puncto honoris, sed res eo devenit, ut non acceptans duellum deberet cadere suo officio honorifico, vi cujus & se & suam familiam hactenus sustentavit, prout apud milites, & præcipue officiales belli fieri amat, probabiliter licet saltem acceptare, immo & offerre duellum, suppositis duabus conditionibus. Scilicet 1. quod non suppetat alia via conservandi officium &c. nequidem per recursum ad supremum Principem. Et 2. quod appareat probabilis spes vincendi adversarium. Ita Laymann, Wiestner, & alii plures mox infra citandi *n.* 128. Ratio est: quia secundum dicta superius *n.* 64. fas est occidere injustum aggressorem ob defensionem bonorum temporalium magni momenti: consequenter etiam fas esse debet, propterea & propriam & proximi vitam exponere periculo mortis, prout fieri solet in duello: atqui duellum supponitur necessarium contra injustum ag-

aggressorem nedum ad defensionem honoris, sed & ad conservationem officii, & per consequens ad conservationem bonorum fortunæ ad se, suosque alendos necessariorum, & sic æquivalenter etiam vitæ: ergo duellum licite acceptatur. Adde, quod tales minus malum majori, & periculum dubium amittendæ vitæ præferat certæ officii, ac inde dependentium bonorum jacturæ, cum utrumque malum nequeat aliter evitare: ergo prudenter, & hoc ipso licite agit.

Quæres quinto, an ergo præterea in nullo alio casu licitum sit offerre, vel acceptare duellum?

119. R. Est licitum præterea, quando hoc fit auctoritate publica, vel boni publici causa, utputa ad finiendum bellum, vel ad parcendum sanguini humano, qui effunderetur, si totus exercitus deberet dimicare. Hac de causa olim David cum Goliath duellavit. 1. *Reg.* 17. & S. Wenceslaus Dux Bohemiæ, ut suorum saluti prospiceret, ad singulare certamen adversus Ladislaum Ducem Curimensem se stitit. Item Carolus V. Imper. ob eandem causam duellum obtulit Francisco I. Regi Galliarum, nemine improbante. Ratio hujus est: quia ad finiendum bellum secundum omnes fas est, integros exercitus committere, seu certare, quidni ergo a fortiori ex mutuo belligerantium consensu ad parcendum humano sanguini liceat duorum duntaxat duello causam totam dirimere?

II. Insuper si Judex duobus ad mortem condemnatis deferret duellum ea conditione ac lege, ut victor obtineat gratiam ulterioris vitæ, licite ab utroque acceptaretur: quia hoc modo quivis constitueretur velut minister Justitiæ in alterum. Verum hoc a nullo Judice attentandum esse, merito monent Doctores; quia semper suberit periculum, ne unus alterum invadat animo vindictæ, propterea que uterque exponeretur evidenti periculo æternæ damnationis, prout bene notat Henno *cit. conclus. quarta*.

Quæres sexto, quasnam pœnas incurrant injuste duellantes?

120. R. Breviter cum P. Pichler *in Candidat. seu compend. Juris Canon. l.* 5. *tit.* 14. *n.* 6. illicite duellantes duello solemni vi Concilii Trident. *SS.* 25. *c.* 19. *de Reform.* sequentes pœnas incurrunt. 1. Excommunicationem latæ sententiæ: & hæc nedum in ipsos duellantes, verum insuper in eorum Patrinos seu secundantes, item in subsidium vel favorem iisdem præbentes, nec non in dominos temporales duelli locum seu campum francum concedentes, immo & in spectatores eorum lata est ab eodem Concilio. 2. Proscriptionem omnium bonorum cum perpetua infamia (quæ pariter in Patrinos lata est) 3. amissionem jurisdictionis ac Dominii, quod habuerunt Domini temporales in loco, ubi duellum concesserunt, si illum locum ab Ecclesia vel in feudum obtinuerunt. 4. Privationem sepulturæ Ecclesiasticæ, si duellantes in conflictu seu ipsa arena decesserint, licet dederint signa pœnitentiæ, prout declarat Rituale Romanum, si tamen ante obitum confessi & absoluti fuissent, probabilius gauderent sepultura Ecclesiastica.

121. Dixi tamen: duellantes *duello solemni* &c. Esto enim nonnulli Pontifices Concilio Trident. posteriores prædictas pœnas extenderint etiam ad duellantes duello privato, & excommunicationem Sedi Apostolicæ reservaverint; eorum tamen constitutiones non videntur in nostra Germania in usum deductæ, vel ob defectum debitæ promulgationis, vel certe ob defectum sufficientis acceptationis, prout observant Laymann, Pirhing. Mendo, Pichler, &c. sicut & ipsum Tridentinum quo ad pœnas temporales, puta proscriptionis bonorum, infamiæ, privationis jurisdictionis &c. in his partibus nostris septentrionalibus receptum non esse multi existimant. Unde & Gobat *supra cit. n.* 537. ait, saltem in nostra Superiore Germania ab excommunicatione ex duello privato incursa, absolvunt Mendicantes sine scrupulo. Congrediuntur Ingolstadii persæpe studiosi Academici duello proprie dicto privato, nec tamen recurrunt ad Sedem seu Pontificiam, seu Episcopalem. Ita ille. Quod tamen etiam in hisce partibus nostris reipsa excommunicationem, & privationem sepulturæ Ecclesiasticæ, etiam vi

vi duelli privati incurrant, nemo est, qui dubitet: ait P. Reiffenstuel *h. t. n.* 42. & si duellans esset Clericus, præter pœnas omnibus communes incurreret depositionem seu suspensionem ferendæ sententiæ per *c.* 1. *h. t.* item privationem, & inhabilitatem ad illa, vi Constitut. *Pii V. Ea, quæ anno* 1560. *edita*.

122. Notandum insuper est, ab illis duntaxat spectatoribus præfatas pœnas incurri, qui ex composito, seu de industria spectant, & sic approbant, & sua præsentia suo modo animant duellantes, prout Gregorius XIII. & Clemens VIII. explicant Tridentinum, non item qui ex occulto, vel obiter transeundo respiciunt, propterea que nihil ad acuendam pugnam conferunt. Idipsum tenendum de eo, qui duellum consuluit, sed prorsus inefficaciter, ita scilicet, ut non persuaserit: secus, si efficaciter persuasisset semel, licet postea revocasset, sed inefficaciter & sine effectu. Neque incurrunt præfatas pœnas, qui duellum suo nomine factum solum approbant, aut ratum habent; quia id nullibi exprimitur. Henno ubi supra *Concl.* 5. *n.* 3. *&* 4. Filliuc. *tr.* 29. *num.* 177. Diana *part.* 5. *tr.* 14. *Resol.* 100. Sporer *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 212. & alii passim. Potest tamen ignorantia invincibilis sæpius excusare a præfatis pœnis, saltem pro foro interno, prout bene monet Reiffenstuel. *loc. prox. cit.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de duello.

CASUS PRIMUS.

Titius Prænobilis confitetur, se nuper duellando occidisse Cajum pari stemmate natum, rogatus quam ob causam hoc fecerit? respondit, se fuisse a Cajo provocatum, & quidem nullam ob aliam causam, nisi quod is ab aliis audierit, se, Titium scilicet, esse in arte digladiandi omnium versatissimum, idque nullatenus ferre voluerit. Addit insuper Titius, se ab initio provocationis studuisse bello modo avertere Cajum, respondendo nil sibi inimicitiæ aut negotii unquam fuisse, aut esse cum illo, ac proin in pace abiret quocumque tandem luberet. Verum cum nullatenus voluisset aquiescere, tandem eidem infixisse alapam dicendo: modo habes causam me provocandi: cras hora septima matutina conveniemus ante portam civitatis (locum designando) altera vero die convenisse, & in primo congressu Cajum feliciter superasse transverberando pectus vel latera.*

En benevole Lector! habes hic denuo casum non fictum, sed factum, ex quo non sine multa admiratione perspicies mortalium cæcitatem, vel potius stoliditatem, malentium incurrere periculum salutis, & æternæ damnationis, quam gloriæ temporalis, aut vani honoris.

Jam ad nostrum propositum quæri potest. 1. Quidnam Confessarius id audiens debuerit observare? 2. An Titius acceptando duellum æque ac Cajus offerendo vel provocando peccaverit, & quomodo?

123. R. ad primum quæsitum. Confessarius inaudiens similem casum duelli, ante omnia debet advertere. 1. An fuerit duellum privatum vel solenne, idque in ordine ad discernendas pœnas; quia ex privato non incurruntur eædem, quæ ex solemni, saltem in his partibus nostris, prout constat ex proxime dictis *n.* 121. & 122. Secundo attendere debet, an nondum fuerit deductum ad forum externum seu contentiosum (quod fieri solet per accusationem, seu delationem juridicam, vel etiam citationem, quæ est principium & fundamentum judicii §. *fin. Institut. de pœnis temere litig.*) quia tunc neque privilegiatus (extra articulum mortis) neque etiam Episcopus debet impertiri absolutionem, juxta Dianam. *part.* 5. *tr.* 14. *Resol.* 103. Gobat *cit. tr.* 7. *Theolog. Experim. n.* 573. & alios. Videatur de hoc Tamburinus *l.* 5. *de Casib. reservatis c.* 10. §. *un. n.* 4.

124. R. jam ad secundum quæsitum, absque dubio utrumque, tam Cajum scilicet provocando, quam Titium acceptando peccasse mortaliter. Ratio liquet ex dictis supra, præsertim *n.* 7. quia cum homo non sit Dominus, sed potius custos vitæ ac membrorum suorum, nequit hæc sine gravissima injuria erga DEUM, & hoc ipso sine gravissimo

peccato mortali, & reatu pœnæ æternæ incurrendæ, exponere periculo nisi, in casu, ubi id vel necessitas publica, vel defensio vitæ propriæ &c. expostulat, minime vero, ob aucupandam vanæ gloriæ, vel magni nominis auram, vel ob defensionem apprehensi honoris: atqui uterque tam provocans, quam provocatus hoc fecit, & quidem effectu sat lugubri, immo damnabili: ergo uterque gravissime peccavit, licet procul dubio Cajus primo provocans, & quidem sine causa, utpote ductus motivo futilissimo, gravius peccaverit ratione scandali dati Titio, quem propterea gravissimo periculo vitæ, immo & æternæ damnationis exposuit. Hæc omnia satis certa, & in omni sana Theologia explorata arbitror.

Dicet tamen fortassis Titius: hæc resolutio repugnat praxi Nobilium: Profecto inter decem aut viginti vix unus Nobilium reperiretur, qui tam proterve ac præsumptuose (& quidem sine omni causa vel offensa data) provocatus ad duellum, non acceptaret, defendendi honoris causa: & certe nisi acceptassem, ab omnibus Nobilibus audiissem perpetuo imbellis, ignavus, vilis & abjecti animi homo perpetuo e Societate Nobilium excludendus, non sine probro totius aniciæ familiæ meæ: ergo necessitate compulsus tenebar acceptare duellum; neque enim hisce perversis temporibus sufficeisset ad declinandam hanc ignominiam protestatio, me non recusare duellum ex timiditate, sed solum ex reverentia ad leges tam humanas, quam Divinas & naturales; tum quia de me constat, quod legum quarumcunque demum, non sim magnus æstimator, multo minus observator, propterea que omnium contemptui me exposuissem recusando duellum.

125. R. Esto hoc videatur hisce temporibus contra praxin Nobilium perversorum, non tamen repugnat praxi timoratorum: & licet fortassis audisses timidus, imbellis &c. apud perversos, male sanos & depravatos homines, non tamen audisses talis apud homines cordatos, prudentes & probos, qui bene norunt, majorem esse habendam rationem legis divinæ, quam humanæ politiæ. Et quemadmodum tibi non liceret adulterari, fornicari &c. eo fine, ut apud perversos declines nomen hominis imbellis, ignavi &c. ita nec licuit tibi duellare ob declinandam hanc notam apud perversos; nam æque intrinsece malum est vitam suam exponere periculo, nisi DEUS, qui est Dominus vitæ ac necis, hanc facultatem concesserit: non concessit autem ob defensionem solius honoris; cum secundum dicta *num.* 117. duellum non sit idoneum medium defendendi honorem: neque ex recusatione facti insani probrum vel dedecus potest redundare in honestam & aniciam familiam, sed potius magnus honor: ergo &c.

Quid ergo (ais) agendum vel reponendum fuisset Cajo, injuste & pertinaciter provocanti?

126. R. Debuisset eidem reponi, non esse conveniens, ut ad experiendam majorem dexteritatem utriusque vita & salus æterna periculo exponatur, præsertim cum aliunde constet, duella humanis ac Divinis legibus gravissime esse prohibita, indeque duellantibus gravissima imminere incommoda, ad quæ declinanda nolis inire duellum, nisi dum aliquando absolute necessarium fuerit, tunc vero te primum monstraturum tuam dexteritatem digladiandi. Quod si his non obstantibus Cajus noluisset acceptare repulsam, potuisses severiori modo eum repellere, vel omnino domo excludere; casu quo vero ad hanc injuriam vindicandam Cajus apprehendisset arma vel gladium, licuisset utique tibi contra eum velut injustum aggressorem vitæ tuæ te defendere (servato moderamine inculpatæ tutelæ) etiam occidendo illum, si opus fuisset. Videantur de hoc Henno *tr. in Decalog. disp.* 5. *art.* 8. *q.* 5. *concl.* 3. *Resp. ad dices* 1. Claudius la Croix *l.* 3. *part.* 1. *num.* 841. vel Kresslinger *addit.* 1. *post n.* 45. *tr.* 9. *dist.* 3. *Theolog. mor.* R. P. *Reiffenstuel.*

CASUS SECUNDUS.

S*Empronius nobili genere natus, officio Capitaneus seu Centurio, ab alio quodam ejusdem cohortis Bellliduce pugno percussus,*

cussus, ægre quidem rem tulit, nihilominus vindictam vel satisfactionem sumendam dissimulavit, vel quia illum alterum majori charactere insignitum offendere noluit, vel quia in arte seu dexteritate digladiandi, præsertim ob defectum virium, se alteri haud quaquam parem bene agnovit. Verum, quod Sempronius dissimulare voluit, alii commilitones factum rescientes haud quam dissimulatum volebant, quin potius coram protestati fuere, nedum in charactere militari æquales, sed & inferiores milites, se non amplius toleraturos, neque obedituros Sempronio, nisi provocando alterum (modo jam solito, licet pessimo) facto monstraret, se esse generosum militem, dignum munere, quod gerebat. Sempronius malleum inter & incudem se constitutum sentiens, consilii causa rem candide aperit suo Confessario. Quid hic consilii dabit Sempronio?

127. R. Sempronio respondendum, quod debeat prius omni possibili modo conari ad declinandum duellum v. g. rem deferendo ad supremum belli ducem, aut ad Generalem, sive per se, sive per aliam personam fidelem, quatenus hujus auctoritate duellum impediatur, saltem in tantum, ut potius ficto modo, utputa sclopetis plumbo seu globulo non oneratis, aut cum animo nequaquam graviter seu lethaliter vulnerandi ex utraque parte suscipiatur. Quodsi hæc omnia prævideantur nil profutura, christiana pietate suadendum potius esset, ut Sempronius suum resignaret officium, præsertim si moraliter prævideat, se in duello victum iri, & aliunde habeat, de quo vivat.

Sed quid (inquies) si Sempronius dicat, sibi aliunde non suppetere media, ideoque necessario vel officium, de quo hactenus vivebat, non sine nota infamiæ (coram plebe saltem) resignandum, aut duellandum esse?

128. R. Suppositis hisce circumstantiis Confessarius candide dicat, Sempronium quidem melius & christianis legibus conformius acturum, resignando quod hactenus gessit militare officium, ad hoc tamen minime obligari, sed posse tuta conscientia petere ab alio satisfactionem, pro injuria pugno sibi illata: & altero duellum offerente, acceptare suppositis circumstantiis mox enumeratis, scilicet quod aliter duellum nullatenus declinare possit, & quod secus nedum honori, sed & officio ac sustentationi congruæ cedere deberet. Ita etiamnum post damnatam propositionem mox supra *n.* 117. relatam tenent, Navarrus, Laymann, Sporer *cit. n.* 204. Wiestner *lib.* 5. *tit.* 14. *nu.* 5. Reiffenstuel *eodem tit. n.* 31. Lessius *de J. & J. l.* 2. *c.* 9. *n.* 49. Seybold. in Dicæomachia *part.* 2. *sect.* 4. §. 1. *n.* 14. ubi simillimum casum resolvit, approbantibus Pichler *l.* 5. *tit.* 14. *n.* 8. Kreſslinger proxim. *cit. addit.* 2. & nostro V. P. Holzmann *tom.* 1. *Theolog. moral. part.* 2. *tract.* 2. *disp.* 5. *c.* 3. *n.* 608. Rationem hujus jam insinuavimus supra *num.* 118. quia suppositis hisce circumstantiis jam non agitur de solo puncto honoris, sed simul etiam de statu & officio, immo de rebus fortunæ ad conservandam vitam & statum necessariis, quorum injuriosus percussor tamdiu moraliter censeri debet aggressor injustus, quamdiu non satisfecerit: ergo si non velit aliter satisfacere, nisi duellando, licebit Sempronio acceptare. Neqne refert, quod hic supponatur viribus impar; quia in hac tam lubrica fortunæ arena jam sæpius minor superavit majorem, prout constat de Davide contra Goliat, & pluribus aliis.

Dices tamen contra hanc resolutionem. Bona fortunæ sunt longe inferioris ordinis bono vitæ secundum omnes: ergo propter conservanda hæc bona fortunæ neutiquam fas est alteri, quantumvis injusto aggressori, vitam eripere, aut propriam vitam periculo exponere.

129. R. distinguendo consequens: ergo propter bona fortunæ secundum se præcise considerata, non licet alteri auferre vitam, velut bonum altioris ordinis, *concedo*. Propter bona fortunæ, in quantum hæc sunt necessaria ad conservationem vitæ propriæ, ac status, *Neg. cons.* secus enim nulli Reipublicæ liceret bello & armis sua bona temporalia defendere, aut fures occidere &c. quod tamen sicut ab omnium prudentum persuasione ac praxi receptissima, ita & a veritate alienum esse noscitur. Neque dicas, hæc tantum permitti propter bonum

num commune Reipublicæ, cui bonum vitæ privatæ debet postponi; nam contra: bona temporalia totius Reipublicæ manent adhuc bona inferioris ordinis, bono vitæ hominis privati: & tamen hoc non obstante licet homini privato tollere vitam, ne bonum vel pax & tranquillitas perturbetur, aut hominibus perversis ex opposito præbeatur ansa injuste alios supprimendi: ergo & in nostro casu licebit.

Dices iterum. Bonum famæ seu honoris, & bonum vitæ præsertim inter honestos, aut nobiles, pari passu dicuntur ambulare: & certe permulti mallent perdere vitam, quam famam & honorem, & tamen secundum nos non licet injusto aggressori duellando auferre vitam propter bonum famæ vel honoris conservandi: ergo multo minus id licebit propter conservanda bona fortunæ, esto hæc sopponantur necessaria ad conservationem vitæ vel status.

130. R. cum P. Pichler & aliis, explicando & distinguendo *anteced.* pari passu ambulant, quoad æstimabilitatem. *Transf.* quoad conservationem; *Neg. ant.* cum conseq. honor enim & fama secundum superius dicta aliis modis conservari possunt, & in hunc finem duellum est medium omnino improportionatum: econtra vero in nostro casu supponitur officium militare & bona fortunæ ad vitæ sustentationem necessaria inde fluentia aliter conservari non posse, nisi per acceptionem duelli, ideoque duellum prudenter acceptatur, dum per hoc malum majus minori præfertur, & evitandum speratur.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus studiosus Pragensis, dum in quodam hospitio cum aliis quibusdam condiscipulis mensæ compotantium assidebat, nil prorsus mali cogitans ex inopinato a quodam superveniente milite variis dicteriis lacessitus fuit. Diu rem dissimulaverat Cajus, admonens etiam militem, sibi ac vitæ suæ parceret, verum cum hic inde nil pacatior, sed pejor potius factus, pergeret verbis lacessere, tandem Cajus (instigantibus præsertim & animantibus aliis condiscipulis, in quos eadem dicteria injuriosa redundare videbantur) militem appellat* Hunds ꝛc. *simulque ad pugnam provocat: pergit uterque eodem impetu extra portam civitatis, concomitantibus aliis tum studiosis tum militibus, & en! vix dum portam egressi convenientem locum inveniunt, evaginatis gladiis gradum sistunt, & in primo congressu Cajus nonnihil læsus fuit, in altero mox militi pectus transverberavit: unde quantocyus cum suis condiscipulis in quendam asyli locum se recepit, usque dum res auctoritate majorum decideretur. Jam ad hanc facti speciem dubitare licet. 1. an Cajus peccaverit graviter provocando militem? 2. an excommunicationem & reliquas pœnas tam ipse, quam etiam reliqui instigatores ac comites, & quasi secundantes, uti vocant, inciderint?*

131. R. Ad primum quæsitum hujus casus, nedum Cajum provocando ad pugnam, sed etiam reliquos condiscipulos ad eandem pugnam instigando & animando peccasse mortaliter. Ratio hujus peti debet ex dictis supra *n.* 117. ex quibus constare debet, ob læsionem solius honoris neutiquam fas esse vel acceptare vel provocare, seu offerre duellum offendenti cum tanto salutis corporalis & spiritualis etiam discrimine, at Cajus a milite non fuit aliter læsus aut lacessitus, nisi in honore: ergo graviter peccavit eum propterea provocando ad duellum, vel potius rixam. Ex quo liquet, etiam reliquos instigatores ad hoc factum excusandos non esse a peccato mortali. Unde jam

132. R. ad secundum quæsitum hujus Casus, neque Cajum, neque reliquos comites vel *secundantes* propterea incurrisse excommuuicationem vi Tridentini in duellantes latam; quia Tridentinum (utpote in materia odiosa pœnarum) solum intelligendum est de duellantibus duello solemni, & proprie tali, juxta *communissimam DD.* quam etiam tenet P. Wex *in Ariadne part.* 4. *decad.* 4. *cas.* 10. §. 3. *n.* 24. atqui in nostro casu non fuit commissum duellum solene; tum quia non præcesserunt ceremoniæ internunciorum, vel Chartellarum &c. tum etiam quia non intervenit condictio ad certum locum, sed solum ex impetu iracundiæ vel vindictæ perrexerunt ad quem-

quemcunque demum locum, primo idoneum visum: ergo non inciderunt poenas a Tridentino in duellantes latas. Unde Diana & P. Bonæspei *de charit. disp.* 8. *n.* 145. dicunt, quod, *si conventio ad pugnam fiat in rixa ex eodem calore* (uti in nostro casu facta supponitur) *etiamsi exeant ad alium locum, non est duellum sub pœnis prohibitum, quia non est pugna ex condicto, sed rixa*. Idque vel maxime dicendum est in hac nostra Germania, ubi in tanto rigore præfatæ pœnæ non sunt usu receptæ, ob rationes supra insinuatas. Videatur de hoc P. Claudius la Croix *Lib.* 3. *part.* 1. *n.* 844. & sequentibus, vel Wex *l. cit. a n.* 25.

133. Dixi tamen nec Cajum, neque reliquos comites incurrisse excommunicationem vi Tridentini in duellantes latam &c. per quæ minime negaverim, Cajum occidendo militem incurrisse Irregularitatem, fortassis & Casum reservatum; nam homicidium voluntarie perpetratum communiter reservari solet; quem tamen reliqui instigatores, quippe qui physice non occiderint militem, neutiquam incurrerunt. Aliter discurrendum est de irregularitate, prout *part.* 5. pluribus videbitur, ubi de irregularitate & reliquis pœnis Ecclesiasticis ex professo agetur.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

134. COlliges ex hactenus dictis primo, a Confessario gnaviter distinguendum esse inter rixam & duellum; esto enim in eo conveniant, quod tam rixa, quam duellum fieri soleant inter duos vel plures, differunt tamen per omnem modum, quod rixa subito ex calore iracundiæ, aliave passione oriri soleat, citra omne pactum vel conventionem ad locum & tempus, vel de certo armorum genere &c. prout in duello fieri consuevit: immo & inter duellum solenne ac privatum in nostris saltem partibus, præcipue in ordine ad discernendas pœnas inde incursas, caute admodum distinguendum esse, jam monuimus; quia ex duello privato non solent incurri eædem, quæ ex solenni, saltem apud nos, prout videre licet apud P. Wex *cit.* §. 3. *n.* 26. Insuper duellum subinde saltem suscipi potest auctoritate publica secundum dicta *n.* 119. rixa autem nunquam: quo proin fit, ut rixantes non incurrant easdem pœnas, quas duellantes. Videantur de hoc Herincx noster *part.* 3. *tr.* 1. *disp.* 13. *n.* 92. Mathæucci *l.* 1. *c.* 2. *n.* 8.

135. Colliges secundo, eum, qui inevitabili necessitate compellitur ad duellandum, posse illud suscipere ea lege, ut v. g. tantum ficte (id est sclopetis non oneratis plumbo) erga se explodant, vel ut statim desinant, quamprimum alteruter fuerit vel leviter vulneratus. Ratio est: quia in tali casu ob defensionem inevitabilem vitæ propriæ posset suscipere duellum, serio agendo & pugnando, immo occidendo Adversarium (servato tamen semper moderamine inculpatæ tutelæ) quidni ergo etiam ficte id posset. Quin immo multi DD. prout videre licet apud Sporer *n.* 204. *in fine* probabile putant, ob evitandam infamiam præcise licite suscipi duellum, supposito, quod certo constaret illud ab aliis mediatoribus, aut altiori potestate impeditum iri; vel ea conditione utrinque inita, ut statim post aliquot ictus, aut post leve vulnus alterutri inflictum desistatur &c. Verum la Croix *Lib.* 3. *part.* 1. *n.* 840. merito dicit, hoc in praxi non esse admittendum; tum quia semper aderit periculum scandali apud alios, talium conditionum ignaros; tum etiam, quia semper aderit quidam contemptus legis Ecclesiasticæ, quæ etiam talia ficta duella prohibet, tanquam scandalosa, & inductiva quodammodo ad alia duella seria &c. Videatur etiam Mendo *disp.* 1. *q.* 21. *n.* 270.

136. Colliges tertio, eum, qui inevitabili necessitate compulsus fuit ad duellandum vel pugnandum, utpote quia præter omnem intentionem ab inimico fuit in itinere adactus armis vel gladio &c. non incurrere pœnas in duellantes latas. Ratio est: quia quod inevitabili necessitate fit, sine culpa contingit: ubi autem non committitur culpa, ibi nec contrahitur pœna, præsertim tam gravis, juxta omnes: ergo &c. Videatur

de hoc Sanchez *Decalog. lib.* 2. *c.* 39. *n.* 18. *&* *seqq.*

Sed quid, inquies, si duo inermes incipiant verbis aut pugnis certare, dein uterque domum currens arma arripiat, redeatque ad eundem locum &c. & pugnet, incurruntne pœnas in duellantes latas?

137. R. Quod non. Ratio est: quia tales non committunt duellum, ne quidem privatum, sed rixam duntaxat. Idipsum tenendum foret, si unus alteri dixisset: *tecum pugnabo prima vice, qua mihi in urbe aut platea obviaveris &c.* quia neque in tali casu fit certa designatio temporis & loci, prout bene advertunt Diana *part.* 5. *tr.* 13. *Resolut.* 59. Tambur. *l.* 6. *Decalog. c.* 1. §.3.*n.*11. Dixi tamen, quod tales non incurrant pœnas in duellantes latas &c. quo stante etiam certum esse debet, eos peccare mortaliter; quia hujusmodi pugnæ, rixæ, aut duella sive proprie sive improprie dicta, præsertim cum tanto animæ & corporis periculo facta, & charitati repugnant, & justitiæ &c. videatur la Croix, *ubi supra n.* 846.

138. Colliges quarto, nedum Principes Ecclesiasticos, sed etiam sæculares sub gravi obligatione teneri ad interdicenda & impedienda hujusmodi duella, diabolo fabricante (ut loquitur Tridentinum citatum) introducta. Ratio est: quia Principum est impedire scandala publica, & damna Reipublicæ imminentia: atqui ex duellis gravissima scandala, pessima exempla, & Reipublicæ damna cum deplorando animarum detrimento oriri sunt nata, prout nemo prudentum non videt: ergo &c. His de causis secundum relata superius *num.* 117. ab Augustissimo Imperatore Leopoldo I. item a Christianissimis Galliarum Regibus gravissimis sub pœnis interdicta fuere hujusmodi duella, vel potius insaniæ. Idipsum efficaciter præstitere Principes Belgii, Albertus & Isabella, edicto sæpius repetito caventes, ne quis alterum provocet ad duellum, sive intra ditiones sive foras, verbotenus, aut missis libellis: nemo nuntia, aut hujusmodi libellos recipiat, sub pœna degradationis insignium & nobilitatis, famæ, privationis officiorum, pensionum, ac medietatis bonorum. Quodsi qui defacto pugnaverint, seu ad condictum locum devenerint, mortis & confiscationis omnium bonorum. Et quoniam pleraque duella ortum habent ex falsa opinione, quasi degenere timore impediantur, qui manu sua injurias aut vitia non vindicant; declarant Principes, falsam esse opinionem; honorem injurias passorum sub suam protectionem recipiunt, & ne quis eis exprobret, sub suæ indignationis, & arbitraria pœna vetant. Insuper ne quis nuntia aut libellos provocationum deferat, ne in duellum euntibus auxilietur quomodocunque, aut comitetur, sub capitis pœna & bonorum, prout videre est apud Zypæum *in notitia Jur. Belgici l.* 9. §. *de pugnantibus in duello*, & apud nostrum Herincx *cit. disp.* 13. *n.* 101. Utinam & alii Principes Imperii horum exemplum sequerentur, infligendo hujusmodi pœnas: certe efficacius medium impediendi hujusmodi duella vix invenient, quam si inter conditiones promovendorum ad aliquod, qualecunque etiam sæculare officium, ponant velut indispensabile impedimentum, *duellasse, provocasse*, vel *acceptasse duellum*, prout post Mendo notat P. Claudius la Croix *num.* 866.

Dices. Si auctoritate Principum duella tantopere sint interdicenda, eccur ergo admittendus ad Ordinem equestrem S. Jacobi Candidatus interrogari solet, an aliquando provocatus ad duellum id non acceptaverit? videtur enim, per hoc approbari duella, quasi nempe ex non acceptatione tali Candidato fit injusta nota, vi cujus sit indignus tali ordine. Accedit, quod teste Mendo hæc statuta Ordinis etiam post Tridentinum a Catholicis Hispaniarum Regibus sint approbata.

139. R. cum eodem P. Mendo apud P. Jacob. Wex supra *cit. n.* 17. per hoc non requiri, ut duellum oblatum re ipsa acceptaverit (hoc enim iniquum foret) sed solum investigari, an illud non recusarit ob meram ignaviam. Hinc si de tali nesciatur, quod more Christiano ob motivum honestatis ac virtutis, scilicet ad observandam legem naturalem ac Divinam recusaverit (uti fieri opor-

oportet) nihil omnino impedit, quo minus ad eundem Ordinem admittatur.

140. Colliges quinto ex dictis *n.* 121. Eum, de quo constat, quod in actuali duello proprie tali, facto scilicet vi provocationis præviæ, ad certum locum & tempus obierit, neutiquam sepeliendum esse in loco sacro, esto etiam duellum non fuisset solenne, sed privatum duntaxat. Ratio est: quia pœna privationis sepulturæ Ecclesiasticæ in duellantes lata a Summis Pontificibus supra *n.* 113. recensitis hodiedum est usu recepta, teste Reiffenstuel *n.* 121. citato: ergo talem non licet sepelire in loco sacro.

141. Dixi tamen primo: *de quo constat*, quando enim duellum non est evidenter notum, Parochus non potest taliter defunctum privare sepultura Ecclesiastica; quia publicæ pœnæ solum sunt infligendæ publicis delictis secundum S. Thomam *Opusc.* 73. *c.* 21. Casu quo vero Parocho constaret, defunctum obiisse in duello, & res hæc probari posset per testes, tunc deberet rem deferre ad Episcopum, vel eius Vicarium; quia tunc causa spectat ad Judicem (qualis est Episcopus) si tamen Ordinarius longe abesset, defunctus deberet interim a Parocho sepeliri, auctoritate ejusdem Ordinarii, postea publicato fortassis crimine in pœnam delicti exhumandus. Vid. Henno *tr. in Decalog. disp.* 5. *q.* 5. *concl.* 5. *n.* 1. *fin.* vel Diana *p.* 8. *tr.* 11. *Resol.* 34.

142. Dixi secundo: *si in actuali conflictu*, seu in loco conflictus obierit; nam si in alio loco obeat, esto eadem etiam die, ex vulnere in conflictu accepto, non est privandus sepultura Ecclesiastica; verba enim constitutionis pœnalis dicunt: *si in conflictu moriatur*: ergo cum versemur in materia odiosa, nullatenus extra locum conflictus sunt extendenda. Quin immo, si post conflictum in eodem loco confiteatur, ibique moriatur, non videtur privandus sepultura; quia cum intercedat tempus a vulnere ad confessionem, non dicetur mori in conflictu, sed post illum, prout notat Tambur. *in Decal. lib.* 6. *c.* 1. *§.* 3. *nu.* 13. Diana *p.* 2. *tr.* 16. *Resol.* 52. Portell *Respons. moral. t.* 1. *p.* 3. *num.* 10.

CONFERENTIA SEXTA.

De Bello.

SUMMARIUM.

143. *Bellum est conflictus multorum contra multos extraneos.*

144. *Aliud dicitur defensivum, aliud offensivum.*

145. *Utrumque licite suscipi potest, etiam contra Christianum Principem, subsistentibus scilicet certis conditionibus, nempe ut fiat*

146. *Auctoritate publica.* 147. *Recta intentione,* & 148. *Justa de causa.*

149. *Principi volenti bellum suscipere, debet moraliter certo constare de justitia belli.*

150. *Reliquis militibus sufficit prudens persuasio de bello, a suo Principe justis de causis suscepto.*

151. *Quænam belligerantibus liceant.*

152. 153. & 154. *Quidnam Supremus Princeps, Duces subordinati, & gregarii milites habeant observare, ne peccent contra justitiam.*

155. *Per se loquendo Catholico Principi fas quidem est, opitulari Hæreticis bellum gerentibus, vel eos in auxilium vocare: per accidens tamen sæpe fieri nequit sine peccato.*

156. *Clericis in Majoribus constitutis non licet propriis manibus bellare, bene vero oonstitutis in Minoribus Ordinibus.*

157. *Resolvitur Casus I. de quodam Belliduce, qui varias fraudes committendo graviter deliquit.*

158. & 159. *Solvuntur duæ instantiæ contra hanc resolutionem factæ.*

160. *Resolvitur Casus II. de quodam milite, qui tempore belli Bavarici cum aliis nonnullis sibi similibus sine licentia quosdam cives fuit deprædatus.*

161. *Male proin fecere alii, emendo ab iisdem res furtivas.*

162.

162. *Solvitur rursus instantia quædam in contrarium facta.*
163. *Resolvitur Casus III. de quibusdam militibus e prœlio fugitivis, & in itinere pauperes rusticos, immo & Monasterium Monialium expilantibus.*
164. *An Cives juste egerint succurrendo dictis Monialibus, & prædones occidendo.*
165. *Et quid tenendum de illo Rustico, qui tempore belli domo expulsus in sylva sese abdidit, militesque singillatim illuc transeuntes occidit &c.*
166. *Peccant Principes, qui solius Regni sui dilatandi desiderio, vel alterum humiliandi animo bellum eidem inferunt.*
167. *Nefas est, ob levem duntaxat injuriam perpessam alterum bello impetere.*
168. *Possibile est bellum ex utraque parte formaliter, non tamen etiam materialiter justum.*
169. *Et quid agendum in casu, quo uterque prætendit jus succedendi in Regno?*
170. *Nemini prorsus fas est, scienter ac voluntarie militare in bello patenter injusto.*
171. *In bello autem justo fas est, invadere, exspoliare &c. omnes hostiliter repugnantes, nec non cives etiam innocentes Reipublicæ nocentis.*
172. *Modo id fiat auctoritate publica, & non privata duntaxat;*
173. *Et illi cives innocentes sint vere pars Principis, aut Reipublicæ nocentis.*
174. *Bona mobilia in bello justo capta fiunt capientium; immobilia autem Principis, vel Reipublicæ belligerantis.*
175. *Insuper licitum est uti Repressalibus, modo observentur certæ quædam conditiones.*
176. *Capti in bello, quantumvis justo, non peccant aufugiendo, & ad propria castra, aut vexilla redeundo.*
177. *Nisi obstet periculum scandali, vel obligatio specialis promissionis, seu etiam juramenti.*
178. *Quomodo peccare soleant supremi Principes belligerantes.*
179. *Quomodo alii subordinati Duces; & tandem*
180. *Quomodo delinquere assueverint ælii gregarii milites.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casu practicos de bello.

Quæres primo, quid sit bellum?
143. R. Est conflictus multorum contra multos extraneos. Ita Henno *tr. in Decalog. disp. 5. q. 6. art. 1. concl. 1.* Dicitur 1. *conflictus*; quia hic sermo est de bello actuali, non de habituali duntaxat, quod ab auctore mox allegato describitur *professio nocendi vi & armis contrariæ parti*. Dicitur 2. *multorum contra multos*; per quod distinguitur a *duello*, quod consistit in pugna unius contra unum; & a rixa, quæ pariter consistit in pugna unius contra unum, vel paucorum contra paucos. Dicitur 3. *Extraneos*, ut per hanc particulam distinguatur bellum a *seditione*; quæ fieri solet inter homines ejusdem Regni aut communitatis.

Quæres secundo, quotuplex sit bellum?

144. R. Bellum est duplex, aliud *offensivum* aliud *defensivum*. Ita DD. *communiter*. Defensivum appellatur, quod suscipitur duntaxat in ordine ad vim, seu injuriam ab aggressore illatam propulsandam. Offensivum vero dicitur, quod hosti infertur eum aggrediendo & invadendo gratia compensationis obtinendæ, aut injuriæ vindicandæ; unde in hoc non est necessum servari moderamen inculpatæ tutelæ, prout oportet in defensione privata secundum dicta Conferentia priore; sed pro quantitate injuriæ ab aggressore illatæ fas est ulterius procedere ad sumendam vindictam & satisfactionem competentem obtinendam. Alii porro solent distinguere bellum ut sic in justum, quod æquis de causis seu motivis, & injustum quod inique. Rursus in sacrum, quod scilicet propter defensionem honoris Divini vel veræ Religionis, & in non sacrum, seu profanum, quod scilicet ob regnum temporale, aut alio fine naturali seu profano suscipitur: de quibus per decursum breviter agemus. Unde

Quæres tertio, sitne Christianis etiam licitum belligerare?

145. R. Affirmative; idque non solum contra infideles Christiani nominis hostes, sed etiam contra alios Christianos; & quidem tam defensive, quam etiam offensive, modo justis de causis suscipiatur. Ita rursus *communiter Doctores*, contra Manichæos, & alios plures hæreticos, quibus etiam Propheta Eislebicus subscripsit, impudenter asserendo, licite quidem bellum suscipi contra Christianos, præsertim contra Papam & Papistas, non tamen contra Turcas, quia hi sunt flagella peccatorum nostrorum. Ita ille, licet hanc suam insaniam postea retractaverit *libro de visitatione Saxonica*, veluti testantur Henno *cit. conclus.* 2. & Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 6. *art.* 4. *n.* 3. Valentia, & alii. Constat hæc Resolutio variis Sacræ Scripturæ testimoniis, ubi Abraham, Josue, Judas Machabæus, & alii belligerantes a DEO fuerunt laudati, & specialiter adjuti. Etiam in nova lege Christus Dominus Centurionis illius, qui *Matthæi* 8. dicebat, se habere sub se milites, fidem laudavit, non militiæ desertionem præcepit, prout bene advertit D. Augustinus *Epist.* 205. Accedit ratio pro bello defensivo; quia cuilibet etiam privato jure naturæ permittitur, vim vi repellere, & a se injuriam defensione necessaria propulsare: quidni ergo & Reipublicæ id sit permissum? Pro bello autem offensivo militat sequens ratio: quia quandoque expedit, aut læsionis compensationem prætendere, aut injuriæ vindictam sumere: atqui inter magnos Principes, vel Respublicas independentes id aliter fieri, aut executioni mandari non potest, nisi bellando, ubi aggressor aut lædens non vult satisfacere: ergo debet esse licitum bellum etiam offensivum; modo (uti jam monui) justis de causis suscipiatur. Hinc

Quæres jam quarto, quænam igitur causæ vel conditiones necessariæ sint ad justitiam belli offensivi?

146. R. Ad hoc, ut bellum offensivum licite suscipiatur, necessario tria debent intervenire, scilicet 1. auctoritas publica, 2. bona intentio seu finis. 3. justa causa. Ita rursus *communiter Doctores*. Explico breviter, I. Auctoritas publica; qualem in ordine ad inchoandum bellum habet omnis & solus Princeps supremus, vel etiam Respublica independens ac perfecta, non agnoscens alium superiorem in temporalibus. Ratio est: quia solus Princeps supremus aut Respublica independens supponitur non amplius agnoscere alium superiorem in temporalibus, ad quem recurrere, vel a quo damni perpessi injuriæve illatæ reparationem possit prætendere: e contra vero alii Principes dependentes, vel communitates, civitates, oppida &c. eo ipso, quod agnoscant superiorem Principem, debent illum implorare pro sui defensione, aut vindicanda injuria sibi illata; secus dicendum foret, si Princeps ex supina incuria aut neglectu nollet defendere subditos, aut eorum jura manutenere, vel injurias illatas vindicare.

Dixi autem *in ordine ad inchoandum vel indicendum bellum*; nam ad resistendum dnntaxat injusto aggressori, vel ad vim vi repellendam non requiritur auctoritas, aut facultas supremi Principis; cum hoc jus naturale cuilibet etiam privato permittat, uti jam dictum fuit.

147. II. Ad hoc, ut bellum licite suscipiatur, necessum est, ut interveniat intentio bona, ita scilicet, ut non suscipiatur ex odio, sed justitiæ zelo; non nocendi aut prædominandi cupiditate, sed bono communi favendi voluntate. Uno verbo: non debet suscipi, nisi ob conservandam aut restaurandam pacem. Hinc S. Augustinus *Epist.* 205. ad Bonifacium Comitem scribit: *pacem habere debet voluntas, bellum necessitas*. Et rursus *lib.* 21. *contra Faustum c.* 74. *nocendi cupiditas (inquit) ulciscendi crudelitas, implacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur*. Nihilominus supposita justa causa belli, Princeps non peccaret contra justitiam, nec obligationem restituendi ob illata damna contraheret, esto etiam ex odio, ira, vel crudelitatis impulsu bellum susciperet.

148. III. Denique justa causa est necessaria ad omne bellum justum ac licitum, uti liquet

liquet ex ipsis terminis: hæc autem est gravis injuria Reipublicæ illata, cujus satisfactio, seu reparatio debita aliter obtineri non potest, nisi vi & armis, prout rursus D. Augustinus *quæst.* 10. *in Josue* docet, dum ait: *justa bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum*. Ex quo liquet, bellum juste suscipi posse ad resarciendum damnum, ad recuperandas terras, Regna vel oppida injuste ablata, ad compescendos rebelles, seditiosos, hostes, eorumve fautores puniendos &c. saltem tunc, si non suppetat alia via providendi; id, quod bene notandum est, nam prius quam bellum alteri parti indicitur, petenda est satisfactio: nec debet inferri, nisi negata justitia, seu satisfactione de jure debita, prout Deus ipse monuit Israelitas *Deuteron.* 20. his omnino verbis: *si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem*.

Quæres quinto, an, vel quomodo debeat constare de justitia belli tum Principibus, tum etiam militibus pugnaturis?

149. R. 1. Principi, vel Reipublicæ volenti alterum bello offensivo aggredi, debet moraliter certo constare de jure, seu justa causa aggrediendi alterum. Ita *communis* & certa sententia, quam etiam tradit Palao *tom.* 1. *tr.* 6. *disp.* 5. *pu.* 3. *n.* 8. Ratio est: quia non licet alterum de sua possessione deturbare, vel eidem inferre damnum, aut vindictam sumere &c. nisi liquido constet de delicto ab eo commisso, aut injuria ab eo illata, aut injusta possessione ab eo capta: atqui per bellum alter deturbari solet possessione sua: solent inferri plurima, immo innumerabilia damna: ergo ubi moraliter certo non constat de justa causa belli, nefas est alterum invadere.

Debent igitur Principes, prius quam alteri bellum inferant, serio indagare, & tam per se, quam per suos consiliarios vel alios rem intelligentes deliberare, an subsit justa causa belli? immo hac etiam supposita: an expidiat in his circumstantiis indici bellum? ait sapienter Herincx noster *n.* 66.

150. R. jam secundo, ad secundam partem hujus quæsiti. Reliquis militibus etiam officialibus, subditis, vel aliunde jam Principi aut Reipublicæ obligatis, sufficit prudens persuasio, seu credulitas de justitia belli a suo Principe suscepti. Ita rursus *communiter DD.* Ratio est: tum quia eorum non est justitiam belli disquirere, sed potius supponere, a Principe & consiliariis ejusdem, utpote hominibus prudentibus & probis, rem jam fuisse sufficienter discussam; tum etiam, quia causæ particulares belligerandi non solent propalari omnibus, immo nec expedit; tum denique quia subditus tenetur suo Superiori obtemperare, quamdiu non constat, iniquum esse id, quod præcipitur, prout aperte docet S. Augustinus *lib.* 22. *contra Faustum c.* 75. ergo quamdiu his de opposito non constat, possunt licite, immo tenentur militare de mandato sui Principis. Videatur de hoc Castropalao *tom.* 1. *tr.* 1. *disp.* 3. *punct.* 14. *per totum*, Azorius *tom.* 1. *institut. moral. l.* 2. *c.* 19. *q.* 9. Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 16. *pu.* 2. *§. si autem miles*.

Quæres sexto, quænam belligerantibus liceat facere contra hostes?

151. R. Belligerantibus bello justo, uti supponimus, tum in præparatione ad conflictum, tum in ipso etiam conflictu, & postea obtenta jam victoria licet facere omnia illa adversus hostes, quæ sunt necessaria sive apta, vel ad obtinendam justam compensationem rei ablatæ, vel ad vindicandam juste injuriam, vel ad stabiliendam pacem. Ita ex *communi* DD. Valentia, Azorius, Filliucius *tr.* 29. *c.* 9. *n.* 189. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 6. *art.* 4. *n.* 13. Ratio est: quia omnium persuasione adhibere licet media ad aliquem finem juste intentum apta vel necessaria, modo illa media de se non sint mala, præsertim intrinsece: atqui in bello justo juste intenditur vel compensatio rei injuste ablatæ, vel vindicta injuriæ perpessæ, vel certe pax reparanda: ergo omnia illa, quæ ad præfatos fines, vel aliquem eorum sunt necessaria, modo ex se non sint mala, licite adhibentur. Alia vero, quæ ad mox dictos fines non sunt necessaria vel apta injuste adhiberentur,

cum onere restituendi vel resarciendi damnum illatum.

Quæres septimo, quidnam Belliducibus, seu officialibus belli observandum sit, ne peccent vel injuste agant?

152. R. Primo. Principi supremo incumbit præterea, ut aliis subordinatis ducibus firmiter inculcet disciplinam servandam, ne subditi nimium graventur: & secundo ut militibus debita stipendia solvi curent. Ratio est: quia vi obligationis suæ tenentur pro possibili salvos & indemnes servare subditos suos: at, hoc non fiet, nisi serio inculcent disciplinam, & militibus stipendia promerita debito tempore solvi curent; secus enim si fecerint, milites cogentur moraliter agere rapinas, furari, extorquere pecunias a subditis &c. ideoque hujusmodi damna imputabuntur Principi coram Deo, & quidem cum onere restitutionis &c. ergo &c. Videatur Herincx *part.* 3. *tract.* 1. *disput.* 13. *num.* 79.

153. R. secundo ad eandem quæstionem. Duces subordinati ob rationem mox datam tenentur verbo & exemplo urgere observantiam disciplinæ militaris, ideoque & bonum Principis seu Principalis sui, nec non bonum Reipublicæ pro viribus promovere, aut saltem conservare.

Ratio est clara; quia Duces militiæ in hunc finem potissimum solent constitui, & ad hoc dando nomen militiæ, ac deponendo juramentum fidelitatis sese obligare debent: ergo notabiliter ab eo deficientes graviter peccant nedum peccato scandali, sed & contra justitiam, cum onere restitutionis in defectum militum. Herincx *l. cit. n.* 80.

Quæres octavo, ad quid præterea gregarii milites obligentur, ne peccent contra justitiam?

154. R. Milites communes seu gregarii similiter sub gravi culpa tenentur sua obsequia fideliter præstare, tum procurando pro viribus bonum Principis ac Reipublicæ; tum etiam mala ab eis avertendo. Ratio hujus communis ac certæ opinionis est eadem, quæ proxime præcedentis; quia scilicet milites non in alium finem conscribi aut salariari solent, nisi in mox dictum: & hoc ab iisdem serio postulatur, dum jubentur deponere juramentum fidelitatis: ergo notabiliter in hoc defectuosi, graviter peccant; & si quempiam subditorum culpabiliter damnificari permittant ab hostibus, vel (quod adhuc pejus) ipsimet damnificent, incurrunt onus restitutionis.

Quæres nono, num liceat opitulari hæreticis vel infidelibus belligerantibus, vel illos a Catholico Principe in auxilium vocari?

155. R. Per se loquendo utrumque videtur licitum; quia Bella non debent suscipi nisi in ordine ad manutenenda jura, vel ad vindicandas injurias, uno verbo: ad pacem conservandam aut reparandam: parum autem refert, an pax restauretur ope militum fidelium, vel vero infidelium: ergo.

Dixi tamen: *per se loquendo*; nam 1. si prævideatur, infidelium auxiliares copias nimium grassaturas contra Ecclesias, loca sacra, personas DEO dicatas, innocentes &c. nullatenus fas erit infidelium copias in auxilium vocare. Similiter 2. si Princeps Catholicus prævideat, bellum ab infidelibus vel hæreticis susceptum in eversionem fidei catholicæ, in detrimentum Sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ &c. (prout teste Herincx contigit in bello Statuum Belgii confœderatorum, contra Regem suum legitimum) neutiquam fas erit opitulari hæreticis, aut infidelibus; quia nil fœdius, nil a Christiana pietate magis alienum esse potest, quam armorum Christianorum subsidiis opprimi Christianos seu Catholicos, in exercitiis fidei & Religionis, templa vastari &c. inquit sapienter Herincx *cit. n.* 72. Denique 3. si miles Catholicus prævideat, se in castris infidelium vel hæreticorum sine periculo æternæ salutis, vel abnegandæ fidei Catholicæ &c. militare non posse, tenetur militiam deserere: sed in his casibus per accidens tantum; quia non ex virtute justitiæ, sed solius Religionis tenentur abstinere a ferendo auxilio infidelibus. Videatur Herincx *loc. cit.* vel Marchantius *in trib.* 2. *tract.* 6. *tit.* 3. *quæst.* 1. *dub.* 4. *&* *tom.* 2. *tit.* 2. *f.* 6. *quæst.* 3. *disp.* 1. Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 5. *pu.* 6. *n.* 10.

Quæ-

Quæres tandem decimo, an liceat etiam Clericis pugnare?

156. R. 1. Clericis in minoribus tantum constitutis licet propriis manibus bellare in bello justo, non item 2. constitutis in Ordinibus majoribus, nisi in casu necessitatis. Ita Castropalao *cit. pu.* 6. *n.* 4. Filliuc. *tr.* 29. *c.* 9. *n.* 197. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 6. *art.* 4. *n.* 26. Ratio prioris est: quia Clerici in minoribus constituti, saltem illi, qui non gaudent privilegio fori, æquiparantur laicis: ergo quemadmodum his fas est propriis manibus pugnare in bello justo, ita & illis. Canones vero, qui in contrarium afferri consueverunt, jam sunt abrogati, inquit Babenstuber *cit. l.* Ratio posterioris est: quia indecens est, ut qui spirituali militiæ se tradiderunt, arma vel negotia sæcularia tractent, juxta illud Apost. 2. *ad Timoth.* 2. *Nemo militans DEO implicat se negotiis sæcularibus*: propterea que jure Ecclesiastico idipsum legitur prohibitum *cap. quicunque Clericus*, *c. Clerici*, *c. Quicunque ex Clero* 6. 23. *q.* 8. ob eandem rationem idipsum interdicitur Monachis, etiam Laicis, *C. eos qui C.* 20. *q.* 3. Dixi etiam: *nisi in casu necessitatis* &c. Nam ubi necessitas pro tuenda vera fide aut Religione id exigit, possunt etiam Clerici & Monachi pugnare, etiam non obtenta prius dispensatione. Ita Filliuc. *l. c.* Laymann. *cit.* & Sporer *tr.* 5. *c.* 2. *nu.* 49. Insuper licet Clericis, aliis sæcularibus suadere bellum, subsistente justa causa, eidemque interesse ad ferenda milibus spiritualia subsidia, eosque hortari ad fortiter pugnandum, dummodo non dicant: *hunc occide*, *hunc macta* &c. &c. Ita *DD. citt.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de bello.

CASUS PRIMUS.

Titius Bellidux nobili quidem genere natus, sed veneri, lusui, & potui admodum deditus, salario sibi non sufficiente ad mox dictos fines, nititur diversis (ut ipse ait) bellicis praxibus obtinere media; nam 1. in lysta sui Regiminis numerat nongentos quinquaginta milites, & plures adhuc equos; pro quibus in singulos menses stipendium & annonam, seu **Mund-und Pferdt**- Portiones, uti vocant, a suo Principali prætendit; cum tamen ne quidem 900. equos numeret, multo minus totidem equites: proindeque reliquum sibi ad luxum & luxuriam reservat. Dum nuper copias suas per Provinciam non hostilem deduxit, a nonnullis oppidis vel oppidanis pecuniam recepit, ne apud eosdem, sed alibi diverterent: in aliis vero oppidis quinque vel sex in unam eandemque domum locari fecit sub prætextu, quod velit homines suos semper coadunatos pro majori securitate, ne unus vel alter abeundo deficeret. 3. Denique in cœnam pro sua persona postulavit quindecim exquisitas dapes seu fercula, quæ, cum bene præviderit, non posse obtineri a Ruricolis, postulavit ab iisdem triginta florenos, tandemque post longam altercationem recepit ab iisdem 20. cum onere, ut sibi saltem quinque fercula de melioribus apponerent. En! benevole lector insignem victoriam, quam Hercules iste in Provincia non hostili (nam hostium neminem viderat) obtinuit: & utinam Patria nostra non plures numeraret hujusmodi victores! *sed quid de hac & similibus Confessarius inaudiens judicabit?*

157. R. Confessarius judicabit Titium in omnibus his tribus factis peccasse mortaliter cum onere restitutionis. Ratio primi est: quia excessus stipendii pro tot militibus & equis fictitiis injuste surripitur, & Principi, immo & Reipublicæ gravissime imponitur; nam Princeps existimans tot adesse milites, non curabit alios submitti ad defendendam Patriam, vel profligandos hostes, quo fortassis fiet, ut hostes prævaleant, triumphent, subditos supprimant, in captivitatem miseram abducant, prout actu hisce calamitosis temporibus jam pluries factitatum comperimus, damno nunquam satis deplorando. Ratio secundi & tertii est: quia hac via & modo Provincia & subditi injuste gravantur, & depauperantur, prout de se cuilibet prudentum rem consideranti patet. Sane summopere deplorandum est, quod perversis hisce tamporibus res jam eo pervene-

venerit, ut ab iis, quorum intereſt Patriam defendere, non quæratur, niſi ruina Patriæ, ſaltem indirecte, dum eorum ſtudia & conatus eo duntaxat tendunt, ut vel diteſcant, vel certe Ruſticos emungant, parum ſane ſolliciti, quomodo eos defendant, prout coram Deo deberent. Ex quibus liquet, Titium teneri ad reſtitutionem, ſaltem per ſe loquendo; quia injuſte proximum graviter damnificavit. Videantur de hoc Molina *de Juſt. diſp.* 116. *verſ. ſolent, & verſ. moleſtum*. Coninch *diſp.* 31. *dub.* 7. *n.* 100. Caſtropalao *tom.* 1. *tr.* 6. *diſp.* 5. *pu.* 5. *nu.* 3. Mſr. de Sainte Beuve *tom.* 3. *Caſ.* 207.

Dices tamen contra hanc reſolutionem: Officiales belli etiam majores non ſolent debito & ordinario tempore a ſuo Principe ſalariari: inſuper debent (exigente id ſtatu ac conſuetudine) inferiores officiales ſæpius excipere lautiore convivio: ergo cum hæc præſtare nequeant ex proprio marſupio, coguntur moraliter, ut aliis viis ac modis expracticent hujuſmodi expenſas; præſertim cum nemo propriis ſtipendiis, vel omnino gratis militare teneatur; at, quod fit ex neceſſitate morali, imputari nequit ad culpam, neque poteſt Princeps rationabiliter eſſe invitus: ergo Titius ratione primi nullatenus peccavit, neque tenetur ad ullam reſtitutionem.

158. R. Neque hoc approbandum, quod officialibus bellicis ſtipendium debitum non ſolvatur, aut certe non debito tempore; quia propterea plurimæ fraudes, damna, injuriæ, furta, rapinæ &c. committi ſolent, prout patet ex hac ſpecie facti.

Væ illis, quorum culpa hæc accidunt! His tamen non obſtantibus inhæreo reſolutioni datæ; licet enim Titius ratione ſalarii ſibi non perſoluti poſſit uti tacita compenſatione, redundante in ærarium ſolius Principis, cujus defectu & culpa non accepit ſtipendium ſibi debitum; minime tamen fas eſt uti compenſatione cum damno, vel evidenti periculo damnificandi totum Imperium, Regnum, vel Provinciam, prout factum fuit in noſtro caſu. Accedit, quod in hoc caſu Titius dicatur id feciſſe non ad ſumptus neceſſarios, ſed potius ad luxum, luſum & luxuriam porro continuanda: ergo vel ex hoc ſolo capite mortaliter deliquiſſe cenſendus eſt. Et certe liquido ſatis conſtat, Titium non tam intendiſſe æquam debiti compenſationem, quam Principis iniquam defraudationem, dum pro tot militibus & equis fictitiis poſtulavit annonam & ſalarium, procul dubio longe exceſſivum ſtipendii ſibi debiti. Videantur de hoc Bonacina *de Reſtitut. diſp.* 2. *quæſt. fin. ſect.* 1. *numer.* 27. vel R. D. Auguſtin. Michel *Theolog. Canon. moral. volum.* 2. *part.* 1. *tract.* 1. §. 3. *ſection.* 1. *numer.* 34. *fol. mihi*, 23.

Dices iterum contra reſolutionem ſecundi & tertii puncti hujus Caſus. Milites quantumvis generoſi, dum ſemel in caſtris ſunt collocati, a nullo mortalium vel bolum panis gratis accipiunt: ergo Titius prudenter fecit, dum in itinere quæſivit Ruſticorum ſudore ſuum ſaginare marſupium, acceptando hinc inde pecunias ab iis, quos pertranſiit, vel ab aliis, apud quos divertit, iiſdem remittendo lautiorem menſam.

Confirmatur. Ducibus, præſertim majoribus, conceſſa debet eſſe electio unius populi aut pagi præ alio, quando onus non poteſt in omnes æqualiter dividi: ergo Titius iis, quos cum ſuis pertranſiit, contulit favorem pretio æſtimabilem: ergo etiam pro hoc potuit juſtum acceptare pretium &c. &c.

159. R. Ad inſtantiam negando conſequentiam; quia a ſubditis exiguntur contributiones, & magnum æs ad ærarium Principis fundendum, eo fine, ut miles etiam in caſtris poſſit ſuſtentari: ergo iniquiſſime Ruſtici vel ſubditi ab itinerantibus militibus vexantur. Eſto etiam hoc æs collectum non ſolvatur a Principe militibus, prout oporteret, nihilominus hunc defectum nullo juris ordine ſupplere tenentur Ruſtici aut hoſpites, inquit ſapienter P. Herincx ſupra *cit. num.* 83. præſertim quia hujuſmodi indiſciplinati milites ſæpe triplicatum, immo octuplicatum ſtipendium extorquent, veluti patet ex noſtro caſu, ubi Titius videtur ex profeſſo ſolum intendiſſe marſupii

(verius

(verius diceres vitiorum) fomentum & incrementum, pauperum vero, & misellorum detrimentum.

Ad confirmationem R. jam *transmisso antec. nego conseq.* tametsi enim Ducibus majoribus supponeretur concessa electio unius populi, pagi vel hospitii præ alio; non tamen est illis concessum, neque concedi potuit, ait Castropalao, ut hanc electionem venalem faciant, & sibi pretium retineant; expedit enim bono publico, ut si unus pagus, vel oppidum aut locus viæ, seu itineri propinquior in hospitandis militibus nimis gravatur, prout in nostro casu contigit, reliqui remotiores ad ejus levamen concurrant, media aliqua contributione, prout alicubi prudentissime factum scio. Videantur DD. proxime relati, præsertim Palao *tom. 1. t. 6. disp. 5. pu. 5. n. 3.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius miles nomine potius, quam re Christianus fatetur, se tempore belli Bavarici (uti vocabatur illud anno 1702. inchoatum a Serenissimo Electore Bavariæ Emmanuale) cum aliis nonnullis sibi similibus deprædatum fuisse unum vel alterum civem cujusdam civitatis Bavaricæ, quam armata vi invaserant, & velut minus munitam facili negotio occupaverant: bona vero rapta vendidisse vili pretio Judæis passim confluentibus in eum finem: rogatus vero a Confessario, utrum id fecerint de licentia sui Ducis supremi? Respondit, equidem nullam fuisse datam licentiam a Ducibus majoribus, quippe qui ab eadem civitate ingens æs extorsere, condonandi seu intermittendi incendii causa (an statt einer Brandschätzung) *nihilominus ab aliis officialibus minoribus rem hanc fuisse prorsus dissimulatam. Quæri jam potest 1. an Sempronius salva conscientia & absque onere restitutionis facere hoc potuerit? 2. an Judæi tuta conscientia potuerint hujusmodi res furtivas emere?*

160. R. ad primum, Sempronium peccasse mortaliter deprædando cives. Ratio est: quia non cuilibet privato militi fas est hostes, vel potius cives innocentes rebus spoliare suis: cives autem erant innocentes: ergo &c. Et licet fortassis aliqui eorum fuerint culpabiles ex eo quod aggredientibus clauserint portas, immo etiam sclopetis ejaculando occiderint, hanc tamen culpam sat magno pretio diluere coacti sunt, fusione scilicet 24. millium florenorum ratione incendii condonati, id est, an statt der Brandschätzung: ergo afflictis, & satis rigorose auctoritate supremi Belliducis punitis, a privatis non amplius fuit addenda afflictio: consequenter dicendum primo est, Sempronium per se loquendo teneri ad restitutionem injuste raptorum, nisi per accidens ratione paupertatis, vel impossibilitatis &c. excusari possit. Et certe inter mille viros (milites scilicet) vix unum reperies, qui de furtive, vel quomodocunque injuriose olim ablatis aliquid restituat, quin potius audies eos dolere quod non habuerint occasionem plura rapiendi: hac de causa existimo, a Confessario in simili casu prudenter dissimulari posse onus restitutionis, per se loquendo injungendum, præsertim si advertat, ex parte pœnitentis ignorantiam inculpabilem hujus oneris, & simul impossibilitatem moralem, juxta illud tritum D. Augustini effatum: *si scirem, quod tibi non prodessem, non monerem te &c.* Ex his jam facile

161. R. ad alterum quæsitum hujus Casus, Judæos non potuisse tuta conscientia emere illas res furtivas: sed quid de Judæis dicam, qui Confessario propterea parum facessent negotii? utinam non fuissent Christiani, qui eosdem milites animassent saltem indirecte ad hujusmoni rapinas injustas, offerendo iisdem pecunias, & rapta solvendo, atque celeriter distrahendo. Ratio vero hujus resolutionis de se liquet: quia hoc modo moraliter fuere cooperati ad rapinas, & injustas læsiones proximi innocentis velut *participantes* & *participes* criminis: ergo etiam isti graviter peccaverunt. Secus dicendum foret, si similia solum emissent levi pretio, eo fine, ut suo tempore compariturìs fortasse dominis possent ea denuo eodem vel paulo majori prætio restituere; quia ex hac suppositione rem eorum bene gessissent, digni laude potius & recompensatione, quam vituperio, prout jam diximus

diximus *de Restitut. Confer.* 2. *d. n.* 41. quæ vide, si placet.

Dices tamen contra mox datas resolutiones. Juxta communem DD. opinionem Valentiæ, Laymanni, Sporer & aliorum licitum est, in bello expoliare innocentes, qui sunt partes Reipublicæ adversariæ, vastando eorum agros, abigendo jumenta, auferendo pecunias, arma &c. &c. ergo in nostro casu milites non peccarunt spoliando seu deprædando cives, præsertim cum hi non fuerint omnino innocentes, sed pertinaciter restiterint contra rationem: consequenter nec alii vendendo res furtivas ullo modo peccarunt, neque ad restitutionem ullam obligari possunt.

162. R. disting. & explicando anteced. licitum est in bello expoliare innocentes &c. idque auctoritate publica, vel illius, qui belli fasces gerit, *concedo*. Auctoritate privata cujuslibet *nego ant. cum conseq.* Equidem verum est, similia fieri posse absque peccato, tum ad vindicandam injuriam a Republica, vel ejusdem Principe illatam: tum etiam ad debilitandas ejusdem vires, vel pacem citius recuperandam: ast, fieri duntaxat debent auctoritate publica, illius scilicet, cujus est pacem reducere, injurias vindicare: jam vero penes privatos (absque speciali mandato Belliducis) non stat auctoritas ulcidendi injurias, vel puniendi perturbatores pacis communis, prout bene advertunt præter Doctores jam allegatos, Bonacina, Filliuc. *tr.* 29. *cap.* 9 *num.* 190. eosque secutus Babenstuber *tr.* 5. *dispu.* 6. *art.* 4. *n.* 15.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus miles emeritus olim vexilla Bavarica secutus, post perditam Hochstadii victoriam, cum aliis in fugam se recepit Argentoratum versus: in itinere vero per totam Sueviam ubicunque demum casas vel villas exiguas ab hominum consortio remotiores invenerunt, exspoliaverunt illas: contigit proin in eadem fuga, ut semel cum aliis decem quoddam Monasterium Monialium haud procul ab urbecula dissitum invaderent, & quiquid demum potuerant, raperent, caperent; verum Monialibus concrepando campanulas suas opem implorantibus, ecce! subito occurrit armata civium turma, & aliquot fugitivis interfectis, alios vix non ad internecionem usque verberarunt, Cajus autem ceteris felicior, licet immeritus (ut ipse fatetur) hostiles manus quodam astu delusit, suum prosecutus iter, & cautior factus. Jam ad hanc speciem facti pro nostro foro Theologico dubitare licet* 1. *an Cajus & alii commilitones perdita etiam victoria fugitivi tuta conscientia potuerint invadere casas, villas &c. vel etiam Monasteria &c. Sueviæ, velut in territorio hostili situata?* 2. *an Cives illi justæ defensionis causa, tuta conscientia potuerint occidere, capere, vel certe usque ad internecionem ferme verberare comilitones Caji?*

163. R. ad primum quæsitum negative. Ratio peti potest ex jam dictis *n.* 160. quia non licet privatis militibus sine licentia supremi Ducis cives innocentes rebus spoliare suis: atqui Cajus & commilitones supponuntur milites privati: neque prudenter præsumi potest, hanc fuisse voluntatem supremi Belliducis; tum quia pro instrumento publicæ vindictæ, aut satisfactionis quærendæ seligi aut destinari non debent milites victi, dispersi, fugitivi sine Duce & sine ordine; tum quia talis licentia procul dubio fugientibus cessisset in extremam perniciem; nam Rustici tali violentia exacerbati securum iisdem transitum per suas villas non permisissent; quin potius unitis viribus obstitissent vim vi repellendo, veluti patet ex hac ipsa specie facti. Hinc P. Laymann. *L.* 2. *tr.* 3. *c.* 12. *n.* 9. sapienter ait, omnem potestatem, quam milites sive exercitus in hostes exercet, a supremi Ducis voluntate pendere, atque inde conveniente ordine per subordinatos belli Ductores in singulos gregarios milites derivari, ut proinde peccent, si præter Ducis voluntatem aliquid moliantur. Non abnuo tamen, quin taliter fugientes hinc inde potuissent rapere, quæ, & quantum iisdem ad sustentationem vitæ atque itineris erant necessaria, nisi aliunde pecuniis, vel alia via potuerint hæc obtinere; quia extrema necessitas, in qua hujusmodi fugitivi plerumque versantur, tribuit jus ad con-

quirenda media vitæ conservandæ necessaria.

164. R. jam ad alterum quæsitum. Licuit præfatis civibus succurrere Monialibus, has pro viribus defendendo, etiam cum internecione prædonum, nisi hos alia faciliori via vel modo potuerint abigere. Ratio hujus debet peti ex dictis supra *Confer. tertia n. 64.* quia cuilibet jure naturæ permissum est se, suaque defendere, idque etiam, ubi damnum vere ingens imminet, cum interfectione injusti aggressoris: atqui Cajus, & reliqui fugitivi milites erant injusti aggressores, sin minus formaliter, saltem juxta prudentum existimationem materialiter: ergo cum tales plerumque valeant inferre ingentia damna, utpote rapiendo, ac capiendo quæcunque demum possunt, & Moniales fuerint hactenus in possessione bonæ fidei suorum bonorum, nec ullam amplius poterint concipere spem, ullo unquam tempore aliquid recuperandi, hinc potuerunt juste concrepando campanulas suas civium implorare opem in sui defensionem; nam juxta dicta *l. cit. n. 66.* quod quis de jure defendere potest per se ipsum, potest etiam defendere per alium. Quia tamen secundum dicta *n. 57.* etiam in defensione justa semper oportet servare moderamen inculpatæ tutelæ, hinc si eos præcise terrendo v. g. explosione in aerem facta potuissent abigere, Monialiumque bona servare, non debuissent illico occidere, nisi fortassis rationabiliter timuissent ab aliis præveniri & occidi. Videantur Molina *tr. 3. disp.* 18. Lessius *l. 2. c.9.n.* 87. Laymann *l.3. tr. 3. part.3.c. 3.n. 5.*

Sed quid (ais) tenendum de illo Rustico Bavarico, qui tempore præfati belli Bavarici omnibus bonis ad indusium usque expilatus, & ob quotidianos hostiles incursus domo aufugere coactus, in sylva sese abscondit, & dum animadvertit quempiam equitem hostilium e Phalangibus Cæsareis solum transeuntem, subito e sua caverna seu latebra ejaculando eundem globo trajecit, expoliavit, & equum aliis vendidit, an talem ab omni culpa immunem censeat Confessarius?

165. R. Quod non. Ratio est: quia hoc non fecit auctoritate publica ut Minister justitiæ, neque ex fine defendendi Patriam, quippe quam solus efficaciter defendere non potuit, multo minus incursibus hostium ponere frœnum vel metam: nec denique ob defensionem bonorum suorum, utpote jam perditorum: & licet hæc vel in individuo, vel saltem in æquivalenti potuisset vendicare aut compensare ab iis, qui abstulerunt, non tamen potuit privata auctoritate hujusmodi compensationem sumere ab aliis innocentibus: ergo privato duntaxat affectu vindictæ, & auctoritate occidisse censendus est: at, quicunque data opera etiam in bello privata duntaxat auctoritate quempiam occidit, peccat graviter, secundum communissimam Theologorum: ergo &c. Hinc Navarrus in Manuali *c. 15. n. 2.* recte ait, *qui in bello justo occidit --- potest quidem habere propositum & animum occidendi propter bonum pacis & tranquillitatis Reipublicæ: at, qui in aliis casibus occidit, non potest jure habere animum occidendi.* Quare cum certum sit, unius duntaxat vel alterius Rustici resistentiam, vel unius aut alterius militis necem nihil conferre ad tranquillitatem publicam; cum propterea nec absterreatur, neque etiam debilitetur exercitus hostilis, quin potius magis animetur ad ultionem talium criminum, profecto aliud non concludendum videtur, nisi, talem Rusticum propterea graviter peccasse, & homicidii reatum incurrisse. Videatur Pontas *in Dictionar. Casuum V. Bellum. Respons. ad Casum VI.* vel Azorius *tom. 3. l. 2. c.7. q. 8.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

166. COlliges ex hactenus dictis primo, eos graviter peccare, qui 1. solius Regni sui dilatandi desiderio, vel 2. ne alter fiat nimis potens, seu (ut alio nomine appellant) causa servandi solius æquilibrii inter potentias, alium Principem invadunt, bellum inferunt &c. &c. Ita *ex communi DD.* Herincx ubi supra *disp. 13. n.63. & 64.* Henno *art. 3. Resp. ad petes 5.*

Ra-

Ratio prioris est: quia quemadmodum ob solumdi tescendi desiderium sine injuria alteri non licet eripere sua bona, ita nec Regnum. Hac de causa D. Augustinus *l. 4. de civit. c. 6.* sapientissime scripsit: *inferre bellum finitimis, & inde in cetera procedere, ac populos sibi non molestos sola Regni cupiditate conterere, & subdere, quid aliud, quam grande latrocinium nominandum est?* Ratio autem posterioris est hæc: quia non sunt ullatenus facienda mala, ut eveniant bona *Rom.* 3. atqui grande malum est, innoxie possidentem aut bona aquirentem vexare per bella adeo plena incommodis quasi irreparabilibus, cum tanto populorum detrimento: ergo hoc merito reputatur illicitum, & graviter quidem.

167. Colliges secundo, non ob quamcunque, etiam levem injuriam, illico indicendum esse, aut inferendum bellum. Ita ex *communi* DD. Sporer, Laymann, Herincx *cit. n.* 61. Babenstuber *cit. n.* 19. & alii. Ratio est: quia vel maxime repugnat rectæ rationi, velle exigui damni, aut injuriæ reparationem intendere tali medio, per quod alteri Reipublicæ, innumera & quasi extrema mala inferuntur. Quin immo non solum extraneis, sed & propriis subditis ex hujusmodi bellis gravissima solent mala imminere: ergo Princeps contra justitiam etiam respectu propriorum subditorum delinquit, si ob reparationem levis injuriæ, aut longe inferioris damni, hos conjiciat in certam longe majorum malorum tolerantiam.

Fatendum nihilominus est, subin injurias, quæ prima fronte videbantur non adeo graves v. g. incursiones aliquæ, vel acceptiones parvorum locorum, justam posse præbere causam belli indicendi, quando nimirum inde prævidentur majores insolentiæ, & pejores consequentiæ enascituræ, & Princeps vel Magistratus extraneus desuper admonitus contemnit facere reparationem.

168. Colliges tertio, quod, tametsi ex utraque parte dari non possit bellum a parte rei & materialiter justum (nam civitas vel Regnum, quod uterque recuperare intendit armata manu, nequit a parte rei utrique esse debitum) nihilominus dari possit bellum ex utraque parte formaliter justum, ita scilicet, ut utraque habeat rationes probabiles pro se, seu pro justitia causæ suæ: unde fieri potest, ut una pars pugnet pro recuperanda re, quæ vere sua est, & altera pro eadem retinenda, quam invincibiliter ignorat esse alienam, sed potius bona fide existimat esse suam: fere, quemadmodum Advocatus defendit causam Clientis ex probabili opinione justam, & Judex fert eodem modo justam sententiam, ex probabili opinione Doctorum. Ita ex *communi DD.* Azorius *tom.* 3. *l.* 2. *c.* 7. *q.* 29. Filliuc. *cit. tr.* 29. *n.* 185. Henno *ubi supra art.* 4. *Resp. ad petes* 1.

Sed quid, ais, si inter duos Principes oriatur dubium, cuinam eorum legitime competat jus succedendi in aliquo Regno?

169. R. ad hoc breviter cum Filliuc. *cit. n.* 184. Herincx *n.* 67. Azorio *q.* 5. & 6. & aliis DD. distinguendo. Vel enim unus eorum jam supponitur in possessione ejusdem Regni, & quidem bona fide cœpta, vel neuter? si primum, tunc alter illicite bellum ingereret; quia quemadmodum in aliis privatis causis, stante dubio juris, melior debet esse conditio possidentis *per Reg.* 65. *J. in* sexto; ait & in Regno debet præferri is, qui possidet stante pari dubio causæ. At vero si neuter adhuc est in possessione, & jus succedendi est æqualiter dubium, tunc neutri licet occupare Regnum, vel armis invadere, sed oportet indagare in rei veritatem; quæ si deprehendi non valeat, transactio vel divisio fieri debebit pro rata probabilitatis; vel, si hæc via litigantibus non placeat, tunc standum erit judicio arbitrorum indifferentium, utrinque nominandorum, vel potius ipsius Regni, penes quod originaliter residet judicium de controversiis Regnum spectantibus, quod in institutione Monarchiæ Regno reservatum haud immerito censetur. Videatur P. Sporer *cit. num.* 102.

170. Colliges quarto, nullum prorsus militem, sive subditus sit sui Principis, sive extraneus, scienter & voluntarie mi-

militare posse in bello patenter injusto; cum non liceat cooperari ad malum cognitum & manifestum: hac de causa communissime asserunt DD. illos milites esse in malo ac pessimo statu, absolutionis sacramentalis prorsus incapaces, qui indifferenter se offerunt paratos ad bellum sive juste, sive etiam injuste suscipiatur. Interim tamen, si qui nomen militiæ jamjam dederunt, & sine periculo gravi deserere non possint sed potius coguntur a suo Principe bellare in bello injusto, excusabuntur quidem a culpa propter involuntarium, & defectum libertatis, & præstare tenentur ea, quæ ab ipsis juste præstari possunt v. g. agere vigilias, stationem tenere &c. abstinere nihilominus debent, quantum sine æquali periculo possunt, ab omni injusto damno, utputa ab occisione, incendio, spoliis &c. &c. nimirum, ut solam partem defensivam sui Principis teneant, nullatenus vero offensivam. Quocirca oportet Confessarios in dandis consiliis esse valde cautos, prout sapienter monet Sporer *cit. num.* 107.

171. Colliges quinto, in bello justo auctoritate publica, seu de licentia Principis Belligerantis licitum esse 1. occidere, spoliare, capere, aliisque incommodis tum in ipso conflictu, tum etiam post partam victoriam afficere omnes, qui inique & hostiliter repugnant. Item 2. damna inferre Reipublicæ hostili, utputa jumenta abigendo, agros vastando, exspoliando etiam innocentes, qui sunt pars Reipublicæ nocentis &c. Ratio est: quia hæc omnia possunt servire ad finem belli justi, scilicet vel ad vindicandam injuriam, vel ad recuperandum damnum perpessum, vel denique ad pacem stabiliendam, seu etiam reintegrandam, dum hoc modo pars adversa belli incommodis debilitatur & frangitur; non liceret tamen directe & per se occidere innocentes; tum quia hoc est intrinsece malum; tum etiam, quia vita innocentium non substat dominio Reipublicæ injuriosæ, neque alterius cujuscunque hominis: ergo sine gravi injuria erga DEUM tolli nequit, prout jam superius *Confer.* 2. *n.* 38. insinuatum fuit.

172. Dixi autem, licitum esse occidere, spoliare &c. *auctoritate publica*; quemadmodum enim bellum nonnisi auctoritate publica geri potest; ita nec inferri hostilis insultus, vel alia incommoda bellum consequentia: quidquid proin fit auctoritate privata tantum, sine consensu scilicet Principis vel Ducis supremi a privatis personis, sive militibus sive aliis non militibus &c. id prorsus iniquum reputandum est: & tamen proh dolor! ab hujusmodi nefandis hominibus malitia & perversitate privata grassantibus plura ac graviora mala innocentibus illata fuisse novimus, quam legitima auctoritate Principis &c. &c.

Ex quo liquet, tales versari in pessimo statu, & continuo periculo æternæ damnationis, neque absolutionis esse capaces, nisi seriam emendationem, & pro viribus satisfactionem, seu restitutionem adpromittant.

173. Dixi insuper: *innocentes, qui sunt pars Reipublicæ nocentis* &c. alii enim innocentes, qui non sunt pars Reipublicæ culpabilis, prout communiter habentur peregrini, Clerici, ac Religiosi, occidi aut spoliari bonis licite non possunt, nisi per accidens, in casu, quo aliter finis belli, aut victoria obtineri non posset. Unde talibus bello transacto bona ablata per se loquendo restitui deberent, licet hoc vix unquam fiat, aut sperari possit. Videatur Laymann *n.* 12. Sporer *n.* 122.

Sed cujus (inquies) fiunt bona in bello capta?

174. R. Breviter cum D. Thoma *l.* 3. *de Regimine Princip. c.* 11. Laymanno & aliis communiter. 1. Bona mobilia jure gentium fieri primo occupantium per *l. si quid in bello ff. de captivis*, & *c. dicat.* 23. *q.* 5. 2. Res vero immobiles in bello occupatæ jure gentium cedunt Principi vel Reipublicæ bellum gerenti, prout etiam habetur *l. si captivus* §. 1. *ff. de captivis*. Excipiunt tamen Doctores 1. res immobiles ab hoste, cui ereptæ sunt, prius injuste possessas; quia tales debent Domino legitimo restitui, prout ex *communi* DD. tradit Valentia. Excipiunt 2. res mobiles, gaudentes jure postliminii, uti sunt currus, & naves

ves onerariæ, quibus commeatus, aliaque pro usu belli advehi solent, quæ pariter pristinis Dominis restitui debent, non item aliæ res mobiles, hosti injuste etiam possidenti ereptæ. Filliuc. *cit. n.* 188. Babenstuber *n.* 21.

175. Colliges, sexto, licitum esse in bello justo uti Repressaliis, id est, potestate seu facultate a Principe seu Republica concessa militibus vel subditis suis, damnum injustum passis, invadendi terram, seu Provinciam nocentium, & vastandi vel occupandi bona eorum etiam innocentium, donec damnum fuerit compensatum. Ratio est: quia hæc Repressalia sunt quædam species belli: ergo non minus licita, quam ipsum bellum, modo serventur certæ conditiones, scilicet. 1. Ut fiant auctoritate publica Principis, cujus subditi fuere damnificati. 2. Ut certo constet, damnum injustum ab illis, in quos Repressalia exercentur, fuisse illatum. 3. Ut illi subditi vel Princeps eorum desuper admoniti noluerint reparare damnum. 4. Ut Repressaliis utentes non inferant plus damni, quam fuerint perpessi ab iisdem. 5. Ut parcatur Clericis, Religiosis, Peregrinis, & aliis, qui non sunt pars Reipublicæ nocentis, veluti proxime *n.* 173. diximus. Videatur de hoc Sporer *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 123. Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *colum.* 975. Filliuc. *n.* 190.

176. Colliges septimo, captos etiam in bello justo haudquaquam peccare (per se loquendo, secluso scilicet scandalo, aut speciali promissione permanendi) si denuo aufugiant, & ad suos revertantur.

Ratio est: quia jure gentium habetur, praxi quotidiana idipsum confirmante, quod scilicet reversi libertatem pristinam consequantur §. *item ea, quæ ab hostibus Instit. de Rerum divis.*

Quin immo capti in bello ex parte capientium injusto v. g. Christiani a Turcis nedum licite aufugiunt, sed insuper de rebus eorum, a quibus injuste detenti fuere, tantum aufferre possunt, etiam auctoritate propria, quantum in compensationem damni illati, aut mercedis sibi debitæ æquitas admittit. Ratio est: quia ubi nemo jus dicit, a quo impetrari possit, quod æquum est, ibi quilibet secluso scandalo per se ipsum tantundem aufferre potest tuta conscientia, quantum sibi deberi liquido constat.

177. Dixi tamen: *secluso scandalo, aut speciali promissione permanendi* &c. quia tunc speciali titulo fidelitatis permanere tenerentur, velut hodie Nobili genere nati communiter sub fide Nobilium sese obligare consueverunt. Idipsum a fortiori dicendum foret, si quis sub juramento ad hoc sese obstrinxisset; quia tunc titulo speciali Religionis teneretur perseverare in captivitate; cum omne juramentum non vergens in detrimentum salutis &c. ob reverentiam Divini Numinis observari debeat, prout ex professo tradidimus *part.* 3. *Confer.* 3. *in Decalog. n.* 62. Videantur de hoc Lessius *l.* 2. *de J. & J. c.* 5. *dub.* 5. *n.* 24. Valent. *l. c. p.* 3. *circa finem*, Castropalao *tom.* 1. *t.* 6. *disp.* 5. *p.* 4. *n.* 15.

178. Colliges octavo, Principes graviter peccare, & fieri plurium peccatorum reos 1. qui sine legitima auctoritate, vel sine sufficienti causa bellum inchoant; idipsum tenendum de consiliariis, tale bellum suadentibus, vel approbantibus. 2. Qui stante etiam justitia belli modum excedunt notabiliter, vel in punitione nocentium, vel in damnificatione innocentium. 3. Qui desidiose, & culpabiliter militibus non provident de justo stipendio seu nervo belli, ut propterea necessitate misera compulsi teneantur quodammodo injuste vexare subditos, extorquendo pecunias, furando, rapiendo &c. quidquid demum possunt. 4. Qui non curant, ut milites sub disciplina militari contineantur, sed passim permittunt, nescio quæ flagitia, vel ethnicis invisa. Profecto hæc & similia flagitia ipsis aliquando coram DEO imputabuntur, ceu causis moralibus &c. prout habet communis & certissima sententia Doctorum.

179. Colliges nono, Duces mlitiæ subordinatos insuper peccare. 1. si milites temere, nulla prorsus necessitate cogente certæ internecioni exponant. 2. Si absque necessitate castrametentur in locis insalubribus, palustribus, ubi scilicet exer-

citui imminet periculum morborum. 3. Si avaritia, vel divitiarum cupiditate ducti, annonam juſtam non præbeant. 4. Si ſtipendia ſolvant cum injuſtis uſurariorum cambiis, aut monetæ permutationibus, aut ſtipendia, vel ſaltem partem ſtipendii omnino ſubtrahant. 5. Si veteribus & expertis jam militibus intuitu majoris æris dimiſſis novos inexpertes &c. minori ſtipendio conducant, & exceſſum ſibi attribuant. Ita rurſus *DD. communiter* mox citandi.

180. Colliges tandem decimo, milites gregarios peccare 1. ſi ſuis Ducibus juſtis in cauſis non obediant. 2. Si in ſua ſtatione vel etiam acie non ſubſiſtant, ſed turpi fuga dilabantur ante victoriam deſperatam. 3. Si citra conſenſum ſui Ducis e caſtris vel exercitu diſcedant, niſi fortaſſis gravi neceſſitate, ob negatum ſcilicet juſtum ſtipendium militare, vel annonam ad hoc adigantur. 4. Si tranſeundo terras etiam non hoſtiles, incolas, vel Ruſticos vexent, extorquendo pecunias, vel victualia ultra debitum. Quod in his & ſimilibus graviter pro gravitate materiæ contra juſtitiam peccent, lumine naturali notum eſt, nec ipſos latere poteſt. Videantur de hoc Laymann *l. 2. tr. 3. c. 12. n. 18.* Sporer *a n. 124.* Babenſtuber *l. cit. n. 23.* Palao *tom. 1. tr. 6. diſp. 5. pu. 5.* Henno *in decalog. diſp. 5. q. 6. art. 3.*

Sed neque eos excuſat diſſimulatio Ducum vel officialium; nam ſi hi abſque neceſſitate conniveant, fiunt participes peccatorum, ut de ſe clarum eſt: ſi vero hæc & ſimilia ſolum diſſimulent neceſſitate compulſi, ne ſcilicet majora mala eveniant, aut a militibus deſerantur, ipſi quidem a peccato immunes erunt, non item milites. Unde & certum ac indubitatum eſt omnibus prudentibus, in his ac ſimilibus caſibus ſexcentis ab iis, quorum culpa hæc accidunt, contrahi graviſſimam obligationem reſtituendi. Verum quam certa & indubitabilis eſt hæc obligatio, tam incerta hodie, vel potius certo nulla reperitur hujus executio. Quis enim amabo! quis militum inquam, cogitat de modo reſtituendi injuſte ablata? Utinam non nimis frequenter cogitarent, de modo auferendi a miſellis & innocentibus juſte poſſeſſa. Sed de hoc viderint ipſi, qui coram Deo aliquando ſint ſubſiſturi. Nos vero greſſum faciamus ad inquirenda, & diſcutienda ea, quæ ſexto decalogi præcepto prohibita cuivis Confeſſario ſcitu maximopere ſunt neceſſaria. Unde ſit

CONFERENTIA SEPTIMA

De Luxuria incompleta, ſcilicet impudicitia, oſculis, aſpectibus, tactibus & colloquiis impudicis.

SUMMARIUM

181. *Vi ſexti præcepti prohibetur non ſola mœchia, id eſt, adulterium, ſed & omnis impudicitia cordis, oris, & operis.*
182. *Luxuriæ incompletæ recenſentur quatuor ſpecies.*
183. *Oſcula triplici ex fine ſeu intentione fieri ſolent.*
184. *Facta amicitiæ cauſa more patriæ per ſe culpa vacant.*
185. *Facta vero animo laſcivo ſunt graviter peccaminoſa.*
186. *Facta denique ob meram delectationem ſenſualem ſine omni ſiniſtra intentione aut periculo conſenſus, de ſe non ſunt graviter peccaminoſa.*
187. *Quo ſenſu intelligenda ſit propoſitio ab Alexandro VII. circa hanc materiam damnata.*
188. *Aſpectus partium honeſtarum humani corporis, etiam alterius ſexus, de ſe non videtur graviter peccaminoſus.*
189. *Bene vero partium inhoneſtarum.*
190. *Si fiat ſine juſta cauſa.*
191. *Et ſerio ac moroſe &c.*
192. *Similiter tactus partis honeſtæ abſque ſiniſtra intentione obiter factus, de ſe non eſt graviter peccaminoſus.*
193. *Secus ſi fiat in partibus ſecretioribus ſine ſufficiente cauſa.*

194. Tur-

194. *Turpia in genere luxuriæ loquentes, pingentes &c. per se loquendo graviter delinquunt.*
195. *Resolvitur Casus I. de quodam Juvene, qui contemplando diversas imagines & statuas alterius sexus, probabilius mortaliter deliquit.*
196. *Esto etiam dicat, se nil mali intendisse.*
197. *Quidnam tali Juveni propterea graviter tentato consulendum a Confessario?*
198. *Resolvitur Casus II. cujusdam puellæ rusticanæ, quæ admittendo suum amasium ad suam cameram tempore nocturno graviter peccavit.*
199. *Occuritur cuidam instantiæ in contrarium.*
200. *Et quid tenendum de illa puella, quæ lusus, seu joci causa cogebatur admittere, & dare oscula.*
201. *Resolvitur Casus III. cujusdam ancillæ, quæ ex auditu conversationis lascivæ graviter fuit tentata.*
202. *Quid consilii tali a Confessario fuerit dandum?*
203. *An litteras amatorias proci potuerit protinus suæ coancillæ tuta conscientia extradere?*
204. *Notatur differentia inter delectationem morosam simplicem, & consensum seu desiderium efficax.*
205. *Quomodo hæc sint examinanda, nisi pænitens se ipsum explicet.*
206. *Osculantes, amplexantes libidinose &c. tenentur exprimere circumstantias personarum vel objectorum.*
207. *Pictores vel sculptores personas alterius sexus libidinose repræsentando peccant graviter.*
208. *Idipsum tenendum de mulieribus seu puellis ubera sua ostentantibus, ut placeant, vel alliciant &c.*
209. *Mater dissimulans tactus impudicos amasii erga filiam pessime agit.*
210. *Quidsi persona honesta animadvertat, se tangi in honesta quidem parte, sed ex affectu libidinoso?*
211. *Contrectantes genitalia brutorum usque ad pollutionem, graviter peccant a potiori.*
212. *Accusantes se, quod ad auditionem vel narrationem turpium subriserint, non illico condemnand sunt peccati gravis.*
213. *Choreæ inter personas etiam diversi sexus, per se loquendo non sunt peccaminosæ.*
214. *Modo fiant sine animo, gestibus, vel tactibus lascivis.*
215. *Laudandi nihilominus sunt parentes, qui liberis suis talem accessum non nisi raro, & cum certis limitibus permittunt.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de luxuria incompleta.

QUæres primo quidnam prohibeatur sexto decalogi præcepto: *non mœchaberis?*

181. R. Hoc præcepto explicite quidem sola Mœchia, seu adulterium, videtur prohibitum, nihilominus vi hujus DEUS interdictam voluit omnem impudicitiam cordis, oris & operis, prout evidentius patet, si huic præcepto jungatur illud nonum decalogi: *non concupisces uxorem proximi tui*, (quod ob materiæ affinitatem hoc loco pariter enucleandum suscipimus) Liquet hoc amplius ex verbis Christi Domini *Matth.* 5. ubi, *audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Ubi patenter innuit, distinctionem inter peccata cordis & operis in materia luxuriæ. Tametsi vero de luxuria ceu peccato capitali jamjam egerimus *in part.* 1. *Theolog. moral. Confer* 22. ejusdemque species obiter quasi attigerimus: quia tamen hæc materia noscitur esse frequentissima, & hoc ipso cuilibet Confessario pro praxi scitu summe necessaria; hinc impræsentiarum per proxime subsequentes Conferentias specialiter agendum duxi, & primo quidem de luxuriæ speciebus incompletis, secundo de completis juxta naturam, tertio denique de incompletis contra naturam. Unde

Quæres jam secundo, quot dentur species luxuriæ incompletæ?

182. R. Dantur quatuor, scilicet 1. impudicitia, quo nomine intelligitur consensus in motus carnales seu venereos virtuti continentiæ contrarios, seu etiam delectatio ac complacentia de talibus. 2. Oscula seu amplexus. 3. aspectus, & 4. tactus impudici: his adnumerari merentur turpia seu lasciva colloquia, ad venerem provocantia. Jam quod attinet ad consensum in motus carnales seu venereos, certum est, quod hic ex suo genere fit mortalis, tametsi ob imperfectionem actus seu deliberationis & plenæ advertentiæ possit fieri venialis duntaxat, & juxta plurimorum (etsi non omnium Doctorum) opinionem etiam ob levitatem materiæ seu motuum, a quibus omnino oportet voluntatem esse remotissimam, ob periculum ex parte naturæ corruptæ in materia adeo allectiva, inquit Herincx noster *part.* 3. *tr.* 2. *disp.* 2. *num.* 30. Quia vero de delectationibus morosis jam egimus *in p.* 1. *Confer.* 22. *n.* 627. hinc ad alias species luxuriæ incompletæ examinandas progredimur.

Quæres proin tertio, an, vel quænam oscula sint peccaminosa? & quomodo?

183. Ante responsionem supponi debet, nos hic non agere de osculis, tactibus, aut amplexibus conjugatis familiaribus: de his enim alibi, ubi de Matrimonii usu licito vel illicito ex professo egimus, *Theolog. Sacram. part.* 3. *Confer.* 16. *n.*392. sed sermo erit de talibus impudicitiis inter personas solutas, vel maritatas quidem, ast erga alienas &c. exercendis.

Quocirca notandum I. osculum triplici potissimum ex fine fieri posse. Primo in signum amicitiæ, prout hodiedum in multis locis recepta consuetudine Patriæ fieri solent. Secundo, intuitu delectationis venereæ seu concubitus, ad quem disponere sunt nata. Tertio, causa delectationis ipsius osculi præcise secundum se considerati, in quantum scilicet ex contactu carnis teneræ seu mollis v. g. in infante, reperitur quædam proportio cum organo tactus, ex qua consequitur quædam complacentia seu delectatio sensibilis. II. Similiter aspectus fieri potest primo, vel necessitatis causa, vel ob alium finem honestum v. g. conversationis civilis, urbanitati &c. vel notitiæ adipiscendæ circa talem personam aut objectum &c. secundo causa voluptatis concubitus, tertio causa delectationis, quæ oritur ex intuitu objecti aut pulchræ personæ, absque omni ulteriori inhonesto motu aut desiderio.

III. Denique contactus partis verecundæ fieri potest 1. vel ob aliquam necessitatem, vel 2. ob voluptatem concubitus, vel 3. ob voluptatem, quæ ex ipso tactu per se spectato nascitur: & hæ distinctiones (quas vix non in terminis tradit Herincx *l. cit. n.* 31.) bene notandæ sunt, tum ad penetrandas resolutiones dandas in hac Conferentia, & materia impudicitiæ seu luxuriæ incompletæ; tum etiam ad vitandas confusiones & obscuritates, quas circa hanc materiam multi DD. introducunt, & quidem tanto majores ac copiosiores, quanto plures faciunt distinctiones inter delectationes &c. &c. His notatis

184. R. ad quæstionem cum distinctione. 1. Oscula, quæ fiunt secundum morem Patriæ causa urbanitatis, amicitiæ, benevolentiæ, pacis &c.; per se loquendo sunt licita. 2. Libidinosa vero, quæ fiunt ob delectationem sensualem veneream, scilicet cum commotione spirituum genitalium &c. sunt mortaliter peccaminosa. 3. Denique oscula, quæ fiunt obiter tantum, propter delectationem mere organicam, absque ullo libidinis, aut delectationis venereæ periculo, non sunt nisi ad summum venialiter mala. Ita Herincx *cit. n.* 35. & 36. Henno *tract. in decalog. disp.* 6. *q.* 9. *artic.* 1. Sporer *Theolog. Sacram. p.* 4. *n.* 692. Viva *ad propos.* 40. ab Alexandro VII. damnatam *num.* 4. Ratio primi est: quia oscula solius urbanitatis causa facta non sunt, nisi externa signa amicitiæ ac benevolentiæ christianæ, propterea que etiam in primitiva Ecclesia fideles, etiam diversi sexus, sese osculabantur in osculo sancto pacis: ergo de se nil mali continent; consequenter per se loquendo licite fiunt, ubi hodie mos Patriæ ita habet, tametsi fatendum sit, dedecere Ecclesiasticos, & ma-

& maxime Religiosos, hujusmodi osculis amicitiam contestari, præsertim erga personas alterius sexus, etiam consanguineas. Certe in hac Patria nostra sine scandalo neutiquam fierent. Dixi insuper *per se loquendo* esse licita &c. per accidens enim etiam a talibus abstinere tenebitur, quisquis inde animadvertit periculum commotionis carnalis, & consensus in illam; quia tali periculo nunquam fas est sponte sese exponere, nisi fiat ex multum rationabili causa, & sine periculo consensus.

185. Ratio secundi est: quia actio importans deliberatam complacentiam de objecto mortaliter malo, est mortaliter mala, sicut ipsa complacentia, utpote sumens suam specificationem ab objecto, est mortaliter mala, veluti patet in deliberata complacentia de homicidio injusto, de furto, & similibus: atqui oscula de quibus loquimur, sunt talis actio, importans voluntariam complacentiam de objecto venereo, scilicet de fornicatione, pollutione &c. aut concubitu; quia hujusmodi oscula præsertim cum magno affectu libidinosæ teneritudinis, & mora facta &c. per se tendunt ad venerem, scilicet pollutionem aut concubitum: ergo sunt mortaliter peccaminosa. Hac ratione Apost. *ad Ephes.* 5. scribens, ait: *Fornicator, aut immundus, aut avarus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei*. Videantur Sanchez *l.* 5. *decal. c.* 6. *n.* 12. ubi refert, jussu Clementis VIII. & Pauli V. inquisitoribus fidei esse denuntiandos eos, qui contrarium asseruerint. La Croix *l.* 3. *p.* 1. *num.* 892. vel Tambur. *l.* 7. *decalog. c.* 8. §. 2. & §. 1. *num.* 1. & 6.

186. Ratio tertii est: quia oscula ex se supponuntur non esse libidinosa, alias nunquam licerent: ergo solum fierent mala ob intentionem malam seu sinistram osculantium: atqui supponimus in hoc tertio membro Resolutionis, nullam prorsus intervenire intentionem malam seu libidinosam, immo abesse omne periculum: ergo &c. Et amabo! quis Patrem vel Matrem prudenter condemnet peccati, etiam venialis tantum, ex eo, quod molles prolis suæ carnes affectuose osculetur absque ulla sinistra vel turpi intentione, aut periculo motus libidinosi? ergo in tali osculo vel nullum omnino, vel non, nisi veniale peccatum intervenit. Neque verum puto, quod nonnulli asserunt, scilicet: nunquam fieri posse hujusmodi oscula sine periculo commotionis libidinosæ; nam contrarium constat in exemplo de Parentibus allato. Fateor tamen, personis solutis hujusmodi oscula, si fiant cum aliquo affectu & mora, semper esse periculosa, facileque contingere posse, ut propterea nedum venialiter, sed & mortaliter peccent, & hoc ipso semper ab iisdem esse cavendum seu abstinendum a similibus.

Dices tamen contra hanc resolutionem. Ab Alexandro VII. damnata fuit sequens *n.* 40. propositio: *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem ac sensibilem, quæ ex osculo nascitur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis*: atqui id ipsum asserit nostra resolutio mox data: ergo & hæc subjacet damnationi.

187. R. Explicando majorem & dicendo, dictam propositionem fuisse proscriptam, & merito quidem, quia per delectationem carnalem satis communiter intelligitur *delectatio venerea*, id est, illa, quæ annexam habere solet commotionem spirituum generationi inservientium: in hanc autem consentire, propter eam operari, aut sponte eam acceptare, semper est peccatum mortale, propter evidentissimum periculum pollutionis, inde consequi natum, cui non licet sese exponere, esto etiam quis supponatur nolle ulterius consentire in pollutionem, seu opus venereum. Hac igitur explicatione Majoris supposita *nego min.* vel *dist.* id ipsum asserit nostra resolutio per tertium hoc membrum, *neg.* per secundum membrum *con. min.* & *neg. conseq.* Nam sponte fatemur, oscula venerea, facta scilicet cum commotione spirituum &c. &c. ob evidentissimum periculum ulterioris turpitudinis, esse mortaliter peccaminosa: & hoc est, quod asseruimus in secundo membro Resolutionis *num.* 185. Videatur Henno *cit. in Respons. ad object.* 1. *post concl.* 2.

Quæ-

Quæres quarto, an, vel quando aspectus sint peccaminosi, & quomodo?

188. R. Aspectus partium honestarum humani corporis per se loquendo non est peccaminosus. 2. econtra aspectus partium obscœnarum eisve vicinarum in corpore diversi sexus, si fiat sine justa causa serio ac deliberate, & præsertim ex affectu libidinoso, est mortaliter peccaminosus.

Ita *communiter* Theologi quoad utramque partem. Ratio prioris est: quia visus seu aspectus, cum sit sensus magis elevatus, & minus materialis, per se non movet sua sensatione ad voluptatem carnalem: ergo multo minus movebit, si fiat circa partes honestas, v. g. brachia, manus, faciem, vel genas &c. adeoque *per se loquendo* non est peccaminosus saltem graviter. Dixi tamen *per se loquendo*; nam per accidens quasi potest fieri peccaminosus etiam mortaliter, si fiat ex fine inhonesto, v.g. ad concupiscendam carnaliter mulierem, vel si quis animadvertat, se propterea exponi periculo lapsus, vel gravium tentationum; fieri namque potest, ut v. g. facies pulchræ mulieris juveni repræsentatione phantasiæ reddatur delectabilis nedum quo ad visum, sed etiam quo ad tactum &c. &c. ex qua repræsentatione (diabolo præsertim cooperante) naturaliter consequi nata est commotio spirituum generationi inservientium, & rebellio membrorum genitalium, prout notat Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 5. *n.* 109. & alii plures.

189. Ratio posterioris est: quia talis aspectus valde repugnat honestati naturali, proptereaque primi Parentes post lapsum erubuere nimium aspici nudi, sibique fecerunt perizomata ad tegenda genitalia, prout habetur *Gen.* 3. tum etiam, quia talis aspectus validissime stimulat ad venerem & luxuriam, & hujus gravissimo periculo exponit aspicientem, experientia teste, prout Confessarii sæpesæpius audire coguntur: ergo sine gravi peccato fieri nequit tam deliberate, & ex proposito, multo minus, immo absolute nunquam ex animo vel affectu lascivo. Videantur de hoc Sanchez *l.* 9. *de matr. disp.* 46. *n.* 22. Tambur. *l.* 7. *in decal. c.* 8. §. 3. *n.* 2. Illsung *tr.* 4. *disp.* 2. *n.* 65. Sporer *Theolog. Sacram. part.* 4. *n.* 693. la Croix *l.* 3. *part.* 1. *n.* 899.

190. Dictum tamen fuit primo, si fiat talis aspectus sine justa causa: nam secus dicendum foret, si contingat in casu necessitatis, ubi v. g. Medicus aut Chirurgus tenetur aspicere verenda fœminæ (prout sæpe fieri assolet circa puerperas) eo fine, ut possit promovere partum, eximere infantem, aut mederi aliis affectibus, quibus sexus uterque subjectus est]. Talis enim aspectus culpa omni vacat, esto exinde in aspiciente sequantur motus carnales, immo & ipsa pollutio, prout de facili contingere potest, modo constanter excludatur consensus in illum motum, vel delectationem libidinosam. Ita *communis*, & *certa sententia DD.*

191. Dictum insuper fuit secundo, si fiat *serio & deliberate*; nam si talis aspectus contingat ex improviso, non plane deliberate; vel ex levitate quidem, sed valde obiter per morulam brevissimam, sine affectu libidinoso; vel denique, ut nonnulli volunt, ex loco valde remoto, nonnisi venialiter peccaminosus erit. Ratio est: quia in his casibus non apparet per se aliquod notabile periculum consensus, vel complacentiæ libidinosæ, nisi forte in iis, qui sunt valde proclives ad luxuriam, & studiose quærunt sese delectari in aspectu similium, de quibus minime dubitandum, quin ob hujusmodi affectum mortaliter peccent. Additum porro fuit: *in corpore diversi sexus*; nam si vir virum, aut fœmina fœminam, vel ejus turpitudinem aspiciat nudam ex curiositate, sine maligno, aut libidinoso affectu, non erit, nisi peccatum veniale; eo quod talis aspectus inter personas ejusdem sexus non contineat tantam inhonestatem, neque etiam tam grave periculum lapsus *per se loquendo*: per accidens tamen in homine valde proclivi ad sodomiam, posset esse mortaliter peccaminosus, ob grave periculum consentiendi in delectationem libidinosam. Tandem aspicientem propria verenda ex quadam curiositate tantum, absque alia prava intentione, vel mali periculo, Doctores excusant a peccato mortali.

De

De his videri possunt Sanchez *l. cit. n.* 27. Sporer *Theolog. sacram. part.* 4. *nu.* 670. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 7. *art.* 2. *num.* 112.

Quæres quinto, an, vel quinam tactus impudici sint peccaminosi?

192. R. Qui tangit alterum cujuscunque sexus in parte honesta corporis ex mera levitate, joco &c. non peccat, nisi ad summum venialiter. 2. qui vero alterum tangit in partibus secretioribus, ordinarie loquendo peccat mortaliter. Ita ex *communi* DD. Henno *cit. disp.* 6. *q.* 9. *art.* 2. *conclus.* 1. Lessius *de J. & J. l.* 4. *c.* 3. *dubit.* 8. *num.* 60. *&* 61. Ratio prioris est: quia cum tactus supponatur fieri in parte honesta, v. g. manu, digito, brachio &c. de se non sunt mali, sed potius indifferentes: ergo si quam malitiam contrahant, illam debent contrahere ex fine aut affectu tangentis: atqui tangens ex mera levitate, vel joco partem honestam, supponitur nullam habere intentionem sinistram (si enim supponatur fieri tactus ex itentione libidinosa aut venerea &c. erit mortaliter malus secundum omnes) ergo non peccat, nisi ad summum venialiter, ob levitatem aut jocum intentum &c. &c. Cavendum tamen vel maxime etiam est a talibus, ne sub prætextu amicitiæ, vel joci, aut amoris honesti, irrepat affectus sensualis libidinosus; tela enim inimici ignita sunt, & hostis ille invisibilis etiam in die pleno honestatis sagittis venenatis corda pungere novit, inquit sapienter Henno *l. cit. concl.* 1.

193. Jam Ratio posterioris hæc redditur: quia tactus facti in partibus secretioribus, seu libidinosis, naturaliter & vehementissime quidem, excitare solent ad venerem, & ad pollutionem proxime disponunt: at, quod ita disponit, absque justa causa necessitatis fieri nequit, esto supponatur abesse animus libidinosus: ergo ordinarie saltem sunt mortaliter peccaminosi. Dixi: *ordinarie*; nam si tales tactus fierent inter impuberes, veneris adhuc expertes, ex mero joco vel levitate, poterunt a peccato mortali excusari. Insuper si fierent ex necessitate v. g. medendi, aut juvandi v. g. puerperam ad lucrandum infantem &c. culpa carebunt, modo absit libidinosus affectus tangentis. Ita *communissime* DD. nominatim Tambur. *l. cit. c.* 7. §. 2. Sporer *l. cit. numer.* 674. *& seqq.*

Quæres tandem sexto, quomodo peccent illi, qui turpia loquuntur, cantant, pingunt, exhibent, sive in comœdiis seu theatris, sive etiam in luxu, aut ornatu vestium?

194. R. Qui turpia, id est, luxuriosa loquuntur coram aliis, canunt, scribunt, vel legunt, audiunt, & repræsentant &c. delectationis venereæ causa, vel cum probabili periculo consensus in illam; vel quod adhuc pejus, animo proximum, permovendi ad venerea &c. peccant mortaliter. *Ita communissima & certissima sententia.* Ratio est: quia tametsi enumeratæ actiones supponerentur ex se indifferentes &c. ex fine tamen mortaliter malo factæ, sunt mortaliter peccaminosæ, secundum omnes: at finis est mortaliter peccaminosus: ergo &c. Dictum tamen fuit: *delectationis veneræ causa*; nam si similia fiant solum ex joco, animi levitate, vel curiositate, absque pravo animo captandi delectationem veneream, vel alium quempiam eo permovendi, simulque absit periculum libidinosi consensus &c. non erunt, nisi peccata venialia per se loquendo. Verum quia talia coram juvenibus aut puellis raro fiunt sine periculo gravis scandali; dæmon namque postea solet hujusmodi species in animis audientium aut videntium, legentium &c. excitare, & homines pertrahere quodammodo ad nescio quas turpitudines; hinc plerumque ratione scandali juventuti dati talia fiunt mortaliter peccaminosa: proptereaque hujusmodi pœnitentes caute sunt examinandi, & interrogandi a Confessario, an per similia verba impudica aliis scandalum non præbuerint? & si hoc? quot putent, inde scandalizatos fuisse?

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, circa impudicitiam, seu luxuriam incompletam.

CASUS PRIMUS.

Titius juvenis 25. circiter annorum, peragrando diversas Regiones, diversas lustravit urbes, in urbibus palatia magnorum Principum, in palatiis cameras (uti vocant) artium: in his fatetur, se singulari cum gustu & curiositate contemplatum fuisse picturas artificiosissimas diversorum memorabilium, fictionum poeticarum &c. præsertim vero personas utriusque sexus totaliter nudas, statuas itidem Dearum, diverso opere sculptarum aut fusarum, e quibus una videbatur velle quasi tegere verenda manu, sed ita elevata, & remota a reliquo corpore, ut potuerint perfecte videri: altera stabat, pudendam habens obductam tela aranea &c. hæc & similia Titius ait se aspexisse & consideraße, cum gustu; cetera nil mali cogitans aut intendens. Verum ab eo tempore jam millies & ultra se graviter tentatum fuisse asserit, & sæpissime lapsum tum in pollutionem, tum etiam in delectationes morosas, speciebus præfatarum statuarum, vel imaginum ad vivum sibi impressis, & quasi quotidie recurrentibus in memoriam. Hæc est verissima species facti; ad quam dubitare licet 1. an vel quomodo Titius aspiciendo, contemplando præfatas imagines vel statuas deliquerit? & secundo, quid consilii eidem suggerendum?

195. R. Ad primum, Titium probabiliter peccasse mortaliter, saltem per se loquendo, aspiciendo & contemplando dictas imagines & statuas. Ratio hujus desumi debet ex dictis *n.* 189. quia aspectus talium partium lascivarum valde repugnat honestati naturali, & vehementissime allicit ad motus venereos, prout ipsusmet fatetur Titius. Et licet non aspexerit personam viventem alterius sexus, sed potius statuas mortuas, certum nihilominus esse debet, experientia docente, etiam aspectum talium circa partes inverecundas movere & provocare vehementissimé ad venerem, seu commotiones libidinosas. Accedit, quod Titius fateatur, se præfatas statuas (quoad partes impudicas etiam) cum gustu consideraße & *contemplatum* fuisse: contemplatio autem importat aliquam moram, & vehementem applicationem potentiæ intellectivæ ad objectum: quod certe in hac lubrica materia fieri nequit sine evidentissimo periculo incidendi in delectationem morosam veneream, prout hodiedum experitur Titius, non fine magno animæ suæ detrimento. Videatur Henno *in decalog. disp.* 6. *quæst.* 9. *art.* 3. *concl.* 3.

Ast, inquies, Titius fatetur, se ceteroquin nil mali cogitaße, aut intendisse.

196. R. Esto etiam hoc dicat, probabilius tamen nil aliud vult insinuare, nisi, quod non intenderit pollutionem, aut copulam carnalem: cum quo stat, quod contemplando hujusmodi imagines, turpissimas species impresserit suæ phantasiæ, & hoc ipso sese exposuerit periculo innumerabilium tentationum, prout defacto experitur: nemo vero potest se tuta conscientia exponere periculo tanto, & tam evidenti. Hinc P. Sporer cit. *n.* 673. Illsung ubi supra *n.* 65. recte ajunt, in homine proclivi ad venerem (e quorum classe videtur esse Titius) aspiciente hujusmodi turpissimas & lascivas imagines, raro a fixiore aspectu periculum consensus vel complacentiæ secludi posse. Idipsum videtur innuere S. Augustinus *epist.* 109. *ad Monachos*: relatus *can.* *Nec solo C.* 32. *q.* 5. ubi ait: *nec dicatis vos animos habere pudicos, si habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius*. Pro meliori tamen, & certiore notitia de gravitate peccati captanda, juvabit interrogare e Titio, an ergo tunc temporis non senserit motus lascivos? an non animadverterit gravitatem periculi, cui sese exponeret contemplando hujusmodi imagines? & ex responsis ejusdem concipienda resolutio de qualitate, seu etiam gravitate commissi ab eo delicti.

197. R. Jam ad alteram partem quæsiti, Titio præter alia communia contra

tra luxuriam remedia (uti sunt fuga omnis non necessariæ familiaritatis cum altero sexu, occupatio in rebus seriis, parsimonia seu temperantia in cibo ac potu, oratio assidua, seu imploratio gratiæ cœlestis &c. invocatio B. Virginis &c. &c.) singulariter inculcandum esse, ut deinceps nunquam voluntarie inhæreat contemplandis ejusmodi imaginibus seu speciebus lascivis, quin potius, ubi hujusmodi turpissima species vel naturaliter vel ope dæmonis fuerit excitata, absque mora sese reflectat super mysteriis dominicæ passionis: quem in finem frequenter recolendo eadem mysteria, satagat memoriam hujusmodi speciebus, v. g. de flagellatione, crucifixione &c. imbuere. Nec deerit Benignissimus DEUS facienti quod in se est, sed faciet cum hac tentatione proventum.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia puella rusticana fatebatur, se aliquoties amasium suum tempore nocturno admisisse ad suam cameram, sed absque omni mala vel sinistra intentione: interrogata vero, quid ergo fecerint? respondit, se fuisse collocutos de diversis, & 1. quidem de quadam concione nuper audita, 2. de instituendo futuro statu conjugali, 3. de educandis aliquando prolibus, 4. insuper fatebatur se permisisse suo sponso aliquot tactus, tum in superiore, tum in inferiore etiam parte corporis; verum hos ab eo non in alium finem postulatos, nec a se admissos fuisse, nisi ut agnosceretur aliquando habilis, & idonea ad usum matrimonii, & procreandas proles. Confessarius hæc inaudiens mandaverat Semproniæ deinceps amasium excludere, & non amplius admittere ad cubile suum, præsertim tempore nocturno: illa econtra asseruit, hoc sibi fore impossibile; tum quia sponsus propterea resiliret a sponsalibus, tum etiam, quia alii id inaudientes suspicarentur, hactenus se inter & sponsum intervenisse inhonestum consortium, idque a Confessario fuisse interdictum. Quæritur jam, an Semproniæ hæc conventicula nocturna a Confessario potuerint juste interdici, & an Sempronia nolens obtemperare mandatis fuerit capax absolutionis sacramentalis?

198. R. Hujusmodi conventicula a Confessario fuisse juste interdicta, Semproniam vero obligatam ad obtemperandum mandatis, secus faciendo, non fuisse capacem absolutionis. Ratio est: quia omnis pœnitens sub reatu pœnæ æternæ tenetur deserere, fugere, vel etiam excludere occasionem proximam peccandi, veluti *ex communi* DD. diximus *part.* 2. *Theologiæ Sacrament. Confer.* 4. *n.* 107. atqui Sempronia admittendo sponsum aut procum suum tempore nocturno ad cameram suam, ubi cum solo sola conversabatur, se ipsam exposuit evidentissimo periculo, & proximæ occasioni peccandi, prout quivis prudentum facile capiet: & licet dicat, se nil mali intendisse, sufficit tamen ad incurrendum reatum peccati mortalis, occasionem proximam mali committendi suo proco præbuisse. Certe discursus de educandis aliquando prolibus &c. sine evidentissimo periculo consentiendi in delectationem morosam, ex futura conceptione &c. captandam, tali tempore, nocturno scilicet, inter solum & solam fieri nequit, multo minus tactus tum in superiori, tum inferiori etiam parte corporis, animo explorandi potentiam generandi facti. Unde discursum illum de concione quadam ab initio factum credo sub schemate pietatis aut honestatis, quamquam nec diabolus, neque etiam sponsus honestatis motivo fuerit inductus, sed callide palliare intenderit periculum gravioris lapsus. Videantur si placet, ea, quæ in simili casu diximus *part.* 1. *Theolog. mor. Confer.* 20. *num.* 584.

Dices. Sponsis de futuro probabiliter licita sunt oscula vel tactus, mutui amoris contestandi causa facti: ergo cum sponsa dicat, se nil mali intendisse, neque sine periculo cadendi sponsalibus, aut matrimonio favorabili, immo sine periculo prostitutionis aut sinistræ suspicionis coram aliis incurrendæ recusare nequeat, vel domo excludere sponsum, Confessarius tenebatur condescendere &c.

199. R. Negando pessimam hanc consequentiam. Esto enim secundum nonnullos sponsis de futuro liceant oscula honesta obiter facta, vel etiam tactus hone-

honesti, partium scilicet honestarum NB. *sine affectu libidinoso facti* &c. de quo videri possunt Castropalao *tr.* 38. *disp.* 3. *pu.* 4. §. 2. *num.* 7. vel ea quæ diximus *Theolog. mor. Confer.* 3. *n.* 77. nullus tamen prudentum facile asseret, licere iisdem tactus inhonestos, utputa partium etiam verendarum, præsertim tali tempore, nocturno scilicet, factos cum evidentissimo periculo peccandi mortaliter. Illa autem excusatio de incurrenda fortassis infamia &c. &c. prorsus frivola est, & inventum diaboli: vel enim constat aliis, quod tempore nocturno hactenus consueverint convenire, vel non constat? si non, tunc nemo arguet, a Confessario hæc conventicula fuisse interdicta. Si autem constat, tunc sine periculo scandali continuari non poterunt: & nemo prudentum arguet eos, quod caveant ab offensa DEI & scandalo populi, cum aliunde jure naturali ac Divino ad hoc teneantur. Quin potius prudentes & sponsos & Confessarium laudabunt de impedito hoc scandaloso consortio: liquet proin ad oculum, hanc excusationem prorsus fuisse frivolam, nec Semproniam fuisse capacem absolutionis Sacramentalis, nisi serio & efficaciter adpromiserit emendationem, & exclusionem sponsi e cubiculo, tempore nocturno præsertim. Videatur de hoc Lessius *l.* 4. *c.* 3. *n.* 59. Viva *ad propos.* 40. *ab Alexandro VII. damnatam*. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 7. *art.* 2. *n.* 121.

Sed quid tenendum (ais) de quadam honesta puella, quæ dicebat se subdole fuisse inductam ad certum quoddam genus ludendi, vel potius jocandi, in quo, quisquis perdiderat, subire debuit pœnitentiam a præsidente ejusdem lusus dictandam: sibi vero dictatum fuisse, ut permitteret se a quodam juvene osculari in faciem aliis præsentibus, una insuper & alia vice sibi pœnitentiæ loco impositum, ut eundem juvenem oscularetur, idque etiam præstitisse, sed absque omni sinistro affectu?

200. R. Si talis puella finem hujus joci non prævidit, neque etiam ex osculis passivis vel activis animadvertit periculum pudicitiæ suæ, vel ex parte juvenis lascivum affectum, aut intentionem sinistram, probabilius potuit sine reatu gravis culpæ admittere, vel dare osculum faciei obiter. Ratio patet ex dictis supra *num.* 186. quia hujusmodi oscula ex se non supponuntur libidinosa vel scandalosa, neque etiam facta ex sinistro affectu, sed potius joci, & recreationis gratia. Nihilominus cum tales joci de se sint periculosi, utpote nati excitare naturam per peccatum corruptam, & ad libidinem proclivem; hinc honestæ puellæ merito fugiendi sunt, & omnimodis dissuadendi a Confessario, eo præsertim, quod prudenter suspicari liceat, an non fortassis ex parte juvenis, vel alterius lusui præsidentis, lateat lascivus affectus; id quod vel maxime arguendum, si hujusmodi oscula sæpius fuissent repetita, cum affectu erga alterum sexum. Videantur de hoc Sporer *cit. num.* 682. Herincx *ubi supra num.* 34. vel Laymann *l.* 3. *sect.* 4. *numer.* 10. Castropalao *tom.* 7. *tract.* 30. *disp.* 3. *punct.* 7. *num.* 12.

CASUS TERTIUS.

Caja ancilla sæpius animadvertit, ab alia coancilla ad suam cameram (in qua etiam Caja decubuit) intempesta nocte admissum fuisse procum: cupiens proin explorare quid rei, simulavit se altum dormire, profundos subin trahens ronchos, reipsa autem avidissime auscultans, quidnam ageretur: & quia inaudiit discursus amorosos ac vere lascivos, immo ex aliis quibusdam signis talia percepit, quæ non licet palam loqui, sine offensa castæ mentis; hinc & ipsa Caja vehementissimos sensit stimulos carnis, & gravissime inflammata fuit ad venerea: tametsi autem non sciat, se ex similibus captasse delectationem veneream, dubitat tamen, & quærit e Confessario 1. an in posterum similia dissimulare valeat, tuta conscientia, vel quid sibi agendum? 2. An certas quasdam epistolas vel schedulas ab eodem amasio scriptas, velut internuncia, coancillæ suæ porro possit extradere, prout hactenus aliquoties ad pacem conservandam fecisse se ait?

201. R. ad primum quæsitum, a Caja hæc & similia tuta conscientia dissimulari non posse; tum quia 1. præcepto

cepto fraternæ correctionis tenetur impedire hujusmodi peccata, & scandalosa conventicula; tum etiam, quia simulando altum somnum potius daret ansam liberius peccandi; tum præsertim, quia auscultando similes discursus, gestus, &c. &c. se ipsam protinus sine justa causa exponeret periculo tentationum, & lapsuum carnalium; quæ tamen jure naturali ac divino quilibet tenetur evitare pro viribus: quemadmodum enim quilibet est custos vitæ corporalis, & ob hanc causam sine sufficiente ac vere gravi, seu urgente causa, nequaquam fas est, vitam corporalem exponere periculo, ita a fortiori sine urgentissima causa non licet animam exponere periculo æternæ damnationis: atqui Caja non habet sufficientem causam similia dissimulandi: nec dubium, quin curiositas illa explorandi, audiendi discursus, gestus lascivos &c. fuerit per se loquendo mortaliter peccaminosa; cum per hanc sese exposuerit periculo delectationis venereæ, & motuum, atque tentationum carnalium: nec dubium, quin, si animadvertisset ex ingressu proci in cameram tantum periculum perdendi vitam spiritualem animæ, ocyus intempesta etiam nocte, aufugisset. Hinc

202. Suadendum, ac serio inculcandum est Cajæ 1. ut similia nullatenus in posterum dissimulet, sed 2. si qua spes emendationis aut fructus affulgeat, prius secreto & charitative coancillam suam dehortetur ab illo lascivo & scandaloso commercio carnali. 3. Quod si hoc non possit fructuose, minetur propalationem seu revelationem rei apud Patremfamilias. 4. Occludat fenestras ac fores &c. si hæc & similia non proficiant, rem tandem deferat ad suum herum, saltem monendo hunc, quatenus velit amplius invigilare, ne tempore nocturno alieni ingrediantur domum &c. &c. prout in alio haud multum absimili casu diximus [*part.* 2. *Theolog. Decalog. Confer.* 10. *n.* 306. & *seqq.*

203. R. jam ad secundum quæsitum ejusdem casus, Cajam tuta conscientia ejusmodi litteras coancillæ extradere non posse. Ratio est: quia cum evidenter constet de inordinato amore, & lascivo commercio coancillam inter & procum seu amasium ejusdem, prudenter omnino suspicari debet, ejusmodi litteras non in alium finem scribi, nisi ad fovendnm amorem carnalem, ad frequentanda conventicula &c. hæc autem, quemadmodum sine peccato mortali foveri, aut continuari nequeunt; ita nec Caja, neque ullus alius ad eadem cooperari potest sine dispendio salutis, & reatu peccati mortalis: ergo. Neque excusari potest ex eo, quod, nisi hujusmodi internuncia acceptet, extradat &c. timeat offensam, discordiam &c. quia præstat cavere offensam DEI, quam hominis, longeque melius est, incidere in manus hominum, quam in manus DEI, juxta illud effatum Christi Domini *Matth.* 10. *vers.* 28. *Noliie timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Videantur Sporer *Theolog. Sacram. part.* 4. *num.* 696. S. Antoninus 2. *p. tit.* 5. *cap.* 1. §. 8. Filliuc. *tract.* 30. *num.* 222. Et licet hi Auctores *ll. citt.* solum videantur loqui de scribentibus similes litteras amatorias, debent tamen simul intelligi de bajulis vel internunciis similium; quia hi revera cooperantur suo modo, ideoque fiunt participes eorundem peccatorum.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

204. Colliges ex hactenus dictis primo, eum, qui morose delectatur de aliqua fœmina, prout fœmina, vel prout pulchra fœmina est, probabiliter non teneri exprimere in confessionali, an fuerit soluta, ligata, sacra, consanguinea &c. e contra vero illum, qui non solum delectatur de objecto venereo, sed insuper consentit in opus, seu desiderat habere rem cum tali persona &c. teneri exprimere circumstantias personæ concupitæ, modo illas cognoverit, esto non intenderit cum tali peccare in quantum consanguinea, vel in quantum ligata &c. Ita Azorius, Sporer *cit. n.* 165. & 166. & alii plures. Ratio disparitatis est: quia delectatio morosa est

est actus mere internus & inefficax, ferturque in objectum præcise prout objective proponitur per intellectum, ideoque facile abstrahit a circumstantiis (puta, quod fœmina sit consanguinea, quod sit sacra, vel conjugata &c.) quantumvis cognitis, proindeque talis delectatio reduci debet ad actum simplicis fornicationis; tametsi fateri cogamur, oppositam sententiam, quæ dicit esse exprimendas circumstantias objecti, in praxi esse probabiliorem & tutiorem; tum quia ejusmodi homines lascivi & morosi delectatores in praxi non solent multum præscindere; tum etiam, quia talis delectatio venerea & morosa per se & suapte natura inclinat & incitat ad motus libidinosos, & ad opus externum, & delectantem exponit periculo proximo labendi in ipsum opus externum, propterea que velut causa talis periculi videtur reducenda ad eandem speciem peccati, cujus esset opus externum. Econtra vero actus internus efficax, uti sunt actus propositi, seu desiderii, tendit in ipsum actum externum prout faciendum seu exercendum a parte rei, & hoc ipso non potest abstrahere a circumstantiis connexis, sed volens efficaciter actum externum v. g. peccare cum ligata, consanguinea, necessario etiam censetur velle circumstantias annexas, modo supponatur eas cognovisse. Aque hac ratione

205. Colliges secundo pro praxi, casu quo pœnitens se accusat, quod inhæserit cogitationibus impuris, vel in iisdem sese detinuerit, nec ulterius quidpiam addit (prout frequentissime fieri amat) am Confessario indagandum esse 1. an in iisdem etiam sibi complacuerit? Si Respondeat quod non: res salva erit; si vero dicat quod sic, ulterius interrogandum esse, an etiam desideraverit habere rem cum aliqua vel aliquo &c? si Respondeat quod non, probabiliter quidem opus non erit, ut ulterius examinet circumstantias personæ, licet tutius agat Confessarius etiam in circumstantias objecti indagando &c. si autem Respondeat, quod sic, tunc necessum erit, ut examinetur de circumstantiis personæ, an scilicet desideraverit habere rem cum soluta vel ligata, aut cum consanguinea &c. rarius tamen oportet interrogare, an non desideraverit aliquam sacram &c. tum quia hoc rarissime contingit, & non, nisi malitiosissimis & habituatis peccatoribus familiare est; tum quia multi pœnitentes ex hac quæstione possent sumere ansam scandali: & hæc pro praxi bene sunt notanda.

206. Colliges tertio, circa oscula, amplexus, tactus libidinosos &c. necessario exprimendas esse in actu Confessionis circumstantias personarum. Ita Sanchez *de Matr. lib. 9. disp. 46. n. 17.* Laymann *lib. 3. sect. 4. n. 13.* Ratio est: quia hujusmodi oscula, tactus &c. velut actus externi & efficaces, sunt ejusdem naturæ cum actibus perfectis seu consumatis concubitus, & tendunt in objectum prout est a parte rei, ita scilicet, ut contactus personæ solutæ ad simplicem fornicationem, ligatæ ad adulterium, consanguineæ ad incestum pertineat, quæ utique sunt peccata specie distincta; adeoque similia quam cautissime a Confessario sunt exploranda, nisi pœnitens se ipsum exprimat.

207. Colliges quarto, gravissime delinquere pictores illos vel sculptores &c. qui personas alterius sexus totaliter nudas efformant, vel quoad partes verendas ita obtegunt, vestiunt &c. ut arte sua merito videantur potius voluisse aspicientes allicere ad contemplandum, quam occultare ea, quæ natura vel lumen naturale suadet occultanda. Dolendum sane vel maxime est, etiam inter catholicos multos reperiri artifices, qui putant se artem suam monstrare non posse satis, nisi ad amussim exprimant partes corporis humani, quæ sine rubore a casto oculo aspici nequeunt. Merito proin P. Henno *tr. in decalog. disp. 6. q. 9. ar. 3. post conc. 3.* resolvit, præfata efformantes, vendentes, retinentes &c. reos effici non unius tantum peccati, sed tot peccatorum, quot lapsibus exponunt aspicientes, immo omnium Sacramentorum esse incapaces, quamdiu illa non destruunt, vel ad honestatem redigi non curant, propterea que ad præcavenda juventutis scandala, & innumerabilia peccata Episcopos,

pos, Pastores, Magistratus &c. in conscientia obligari ad hujusmodi lascivas imagines e medio tollendas vel eliminandas.

208. Colliges quinto, Peccati mortalis condemnandas esse illas puellas nupturientes vel mulieres, quæ ut hominibus, masculis scilicet, placeant (verius diceres eos alliciant) ubera sua contra inclinationem & pondus naturæ suppositis quibusdam panni aut lini peciis ita elevant, ut superius emineant, & videantur hominibus naturæ dotibus (ad luxuriandum scilicet) bene provisæ: tales profecto dici merentur viva instrumenta diaboli, utpote efficacius ac sensibilius, quam dæmon ipse provocantia ad luxuriam, & innumerabilium peccatorum causa. Testari id poterunt Confessarii, qui in diversis Provinciis vel Nationibus Confessiones exceperunt. Hi sane, si sese reflectere voluerint, fateri cogentur, in illis locis aut Provinciis, ubi mulieres tam effronter incedunt, quo ad ubera male vestitæ &c. duplo plura peccata carnalia committi solere, quam in aliis locis, ubi mulieres universim honeste vestitæ, seu quo ad pectus & ubera bene tectæ incedunt. Væ ergo talibus in die judicii! Confessarii prudentis & zelosi erit, similia interdicere, & pro viribus impedire, suadendo & inculcando saniora. Videatur Henno *proxime cit. art. 6.*

209. Colliges sexto, male, immo pessime egisse Matrem illam viduam, quæ dum animadvertit quendam amasium lascivum clanculario intrasse cameram, ubi eadem cum sua filia decubuit, simulavit se dormire, permittendo eidem tactus & alia in filiam, rem pariter dissimulantem &c. usque dum tandem tentaverat etiam Matrem viduam contrectare turpiter. Pessime, inquam, fecit; tum quia velut Mater tenebatur pro possibili impedire peccata filiæ, vel proci illius, ne tacendo & dissimulando rem, ubi merito contradicere debuisset ac potuisset, consentire videretur; tum etiam, quia nulla mulier potest tuta conscientia admittere in proprio corpore, præsertim circa partes minus honestas, tactus, quos animadvertit e lascivo proficisci animo. Hinc S. Antoninus *part. 2. tit. 5. cap. 1. §. 9.* recte ait: *Qui permittit, hæc sibi fieri ab eo, quem æstimat ad hoc moveri animo libidinoso, mortaliter peccat; quia facientem & consentientem par pœna constringit*, ut dicitur *can. Notum C. 23. quæst. 3.*

Sed quid (ais) si persona etiam honesta animadvertat sibi osculum infigi, vel in parte honesta tangi ab alio, sed animo impuro & lascivo?

210. R. Si contactus sit de se honestus, & fiat publice coram aliis, existimantibus id fieri honesto fine v. g. juxta morem Patriæ, non tenetur illum refugere, quantum est ex lege castitatis, sed posset illum permittere, ne prostituat publice; nihilominus ex lege charitatis tenetur pro possibili refugere, si commode possit, ne videlicet alter peccet, & DEUM offendat. Quodsi talis contactus fieret non publice sed secreto, teneretur illico repugnare; tum quia secus faciendo exponeret se & illum periculo gravioris lapsus; tum quia per hoc non prostitueretur tangens: & hoc a fortiori dicendum esset, si contactus de se esset inhonestus; quia talem sponte permittendo peccaret mortaliter. Esto etiam mulier ex sua parte non haberet sinistram, vel lascivam intentionem. Ratio est: quia non minus ad pollutionem incitat libidiose tangi, quam tangere: ergo sicut mulier sub mortali tenetur non tangere libidinose, ita etiam tenetur pro possibili cavere ac impedire, ne ab alio libidinose tangatur. Videatur Lessius *l. 4. cap. 3. n. 64.* Filliuc. *tr. 34. n. 197.* vel Babenstuber *tr. 5. dispu. 5. art. 2. §. 8. n. 107.*

211. Colliges septimo, eos qui genitalia brutorum contrectant, fricant &c. usque ad pollutionem eorundem, practice loquendo probabilius peccare mortaliter.

Ratio est: quia talis actio non solum ex suo objecto valde obscæna est, & rectæ rationi contraria, sed insuper vehementissime incitat ad venerem, atque commotiones libidinosas, & hoc ipso fieri practice non potest sine periculo

culo evidentissimo carnalis delectationis, præsertim a juvenibus aliunde ob nativum calorem proclivibus ad Venerem. Et ita tenent Diana, Bonacina, Cassianus a S. Elia, eosque secutus Babenstuber *l. cit. n.* 108. Si tamen talis contactus genitalium fieret obiter duntaxat, ex quadam curiositate aut levitate, sine periculo ant sinistra intentione, culpam venialem non excederet, juxta probabilem opinionem DD. videndam apud la Croix *n.* 903. quia talis contactus superficialis ex se non est vehementer provocativus ad venerem. Idipsum a fortiori dicendum de illis, qui obiter tantum aspiciunt animalia coeuntia, præsertim minora v. g. aves, columbas, canes, vel eorum pudenda &c. vel qui animalia etiam majora equos, tauros, & vaccas conducunt, & quodammodo conjungunt ad propagandam eorum sobolem; cum hoc possit fieri ex rationabili causa, modo absit animus libidinosus ex parte conjungentium, prout cum Tamburino *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 8. *§.* 2. *n.* 5. bene animadvertit noster V. P. Apollonius Holzmann *Theolog. mor. tom.* 1. *part.* 2. *tr.* 2. *num.* 711.

Et quia minus periculi videtur ex hoc imminere conjugatis aut seniculis, quam solutis aut juvenibus; hinc potius a prioribus illis, quam ab his posterioribus talis animalium conjunctio procuranda est.

212. Colliges octavo, eos, qui sese accusant, quod subin audierint ab aliis narrari turpia, & ad similia riserint, aut unum alterumve verbum adjecerint &c. non illico condemnandos esse peccati mortalis; tum quia tales pœnitentes nomine turpium non semper intelligunt turpia in genere luxuriæ, sed sæpe in genere Physico duntaxat; tum etiam, quia sæpesæpius contingit, ut audientes similia solum rideant ob artificiosum, seu etiam lepidum modum loquentis aut narrantis, minime vero ob delectationem veneream, vel sinistrum affectum inde conceptum; tum denique, quia subinde solum ideo rident, ne si illico contradicant, inurbanitatis aut hypocryseos arguantur, vel narrans propterea irritatus aut excitatus, incipiat adhuc turpiora narrare. Mulieribus tamen aut virginibus, & vel maxime personis Religiosis, solicite cavendum, ne ad similia ridendo videantur sibi cumplacere in hujusmodi spurcitiis, proptereaque fiant aliis id ipsum animadvertentibus scandalo. Prudentissime proin facient, si in similibus occasionibus ita gerendo, ac si omnino non audissent, aut intellexissent similia, vel discursus incæpti filum abrumpendo bello modo v. g. narratione alterius historiæ, aut materiæ indifferentis. Videatur Illsung *tr.* 4. *disp.* 1. *n.* 66. Babenstuber *cit. n.* 117. Henno, *ubi supra art.* 4. *concl.* 1.

Sed quid tenendum (inquies adhuc) de choreis juvenum cum puellis?

213. R. Choreæ per se loquendo etiam inter personas diversi sexus non sunt illicitæ, modo non fiant tempore interdicto seu prohibito, & sine animo, gestibus, aut tactibus libidinosis. Ita *ex communi DD.* Azorius, Sylvester, Filliuc. *tr.* 33. *n.* 229. Sporer *Theolog. sacram. part.* 4. *c.* 4. *n.* 694. Ratio est: quia choreæ de se sunt quid indifferens, nec per se provocant ad libidinem, sed potius serviunt ad exhilarandum animum: ergo melius videtur, tales permittere, quam ut iis abrogatis juvenes ac puellæ in locis privatis, vel otio torpeant (quod est pulvinar diaboli) vel libidini aliisve inhonestis conventiculis vacent.

214. Dixi tamen: *modo fiant sine animo, gestibus aut tactibus libidinosis* &c. Etenim quod non raro similia mala soleant committi, præsertim ubi juventus potu nonnihil incaluit, vel utraque pars aliunde amore lascivo implexa jam fuit, multiplici experientia constat: neque mirum, quod hujusmodi personæ choreas ducendo ad libidinem provocari soleant. Hac de causa D. Carolus Borromæus, apud Henno *cit. art.* 5. hujusmodi choreas condemnavit, dicens: *chorea mundana est circulus, cujus centrum est diabolus* &c. &c. quod; tametsi de choreis universaliter dici non valeat, certum tamen est, de permultis id verificari, licet potius ex abusu choreizantium, quam ex natura chorearum. Unde

215. Colliges tandem nono, laudandos

dos esse illos Parentes, aut Patres familias, qui filiis aut filiabus sibi subjectis rarius indulgent accessum ad hujusmodi choreas, præsertim privatas aut nocturnas, & hoc ipso nunquam non periculosas vel suspectas; vel si iisdem permittant, ut accedant choreas publicas, ponunt iisdem certos limites temporis, quo sat mature domi se præsentare cogantur: item qui solicite cavent, ne puella post finitas choreas publicas, & sumptum largiorem haustum &c. sola cum solo domum revertatur, præsertim si iter nonnihil longius per nemora aut campos, agros vel prata conficere debeat.

Ratio est: quia hujuscemodi occasionibus frequentissime abuti solent ad explendam libidinem, fornicationes &c. &c. veluti compertum habetur multiplici, & improba experientia. Hac de causa si puella aut juvenis recordetur, se occasione talium chorearum sæpius fuisse prolapsum carnaliter in delectationes, tactus, aut gestus impudicos &c. vel in fornicationem ipsam &c. tenetur sub mortali peccato abstinere ab accessu chorearum, quantumvis de se indifferentium.

Ratio est: quia tales choreæ similibus evaderent in laqueum, & accedentes sese exponerent periculo proximo peccandi: atqui occasionem & periculum proximum peccandi quivis tenetur fugere pro possibili, idque sub dispendio salutis: ergo tales tenentur abstinere a choreis: & si Confessarius animadvertit, causam lapsuum extitisse choreas, tenetur pœnitentibus eas interdicere, qui si nolint aquiescere, minime erunt capaces absolutionis. Videatur de hoc A. R. P. Kresslinger *addit.* 4. & 5. *post num.* 84. *ad tract.* 9. *dist.* 4. *Theolog. mor.* R. P. Reiffenstuel, vel Gobat. *Quin. tr.* 5. *c.* 23. *nu.* 202. & *seqq.*

CONFERENTIA OCTAVA

De Luxuria completa secundum ordinem naturæ.

SUMMARIUM.

216. *Enumerantur breviter septem species luxuriæ completæ secundum ordinem naturæ; e quibus*
217. *Fornicatio est concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu;*
218. *Quæ est intrinsece mala.*
219. & 220. *Solvuntur duæ objectiones in contrarium.*
221. *Concubinatus nomine intelligitur continuatio fornicationum cum eadem fœmina soluta.*
222. *Adulterium est violatio tori alieni.*
223. *Stuprum proprie dictum violenta oppressio Virginis.*
224. *Non involvit specialem malitiam ex violatione claustri virginalis præcise tali.*
225. *Occurritur cuidam objectioni in contrarium.*
226. *Incestus est peccatum luxuriæ cum consanguinea vel affine, intra gradus jure prohibitos commissum.*
227. *Unde semper est duplex peccatum mortale.*
228. *Probabiliter nedum incestus intra lineam consanguinitatis, sed & inter hanc, & lineam affinitatis sunt ejusdem speciei.*
229. *Raptus est peccatum luxuriæ, quo persona aliqua violenter abducitur explendæ libidinis causa.*
230. *Recensentur variæ pœnæ in Raptores utroque jure decretæ.*
231. *Nomine sacrilegii hic intelligitur peccatum luxuriæ, quo aliquid sacrum violatur, seu indigne tractatur.*
232. *Resolvitur Casus I. de quodam concubinario, qui tandem in amoroso*

amplexu suæ concubinæ exspiravit.

233. *An Confessarius animadvertens periculum, non debuerit hanc concubinam domo excludere, vel quid huic fuerit agendum?*

234. *Utens ancilla sua velut concubina, non est capax absolutionis, nisi eam velit dimittere.*

235. *Neque propterea excusari potest, quod egeat ancilla, & fortassis aliam de novo seducturus esset.*

236. *Resolvitur Casus II. de quodam lascivo juvene, qui sub ficta spe matrimonii a puella frequenter obtinuit usum corporis &c.*

237. *Unde hanc tenetur ducere in conjugem;*

238. *Tametsi propria malitia ac dolo fecerit, ut eadem puella cuidam alteri concesserit usum sui corporis.*

239. *Resolvitur Casus III. de quodam Instructore, qui neptem seu filiam sui Germani ad statum Religiosum aspirantem pessime seduxerat ad carnalia.*

240. *Peccans carnaliter cum puella, quam ex sacro fonte Baptismatis, vel confirmatione susceperat, committit Sacrilegium.*

241. *Tale non committit Confessarius ex eo præcise capite, quod peccet cum filia confessionis.*

242. *Non satisfaceret præcepto confessionis, qui habita copula carnali præcise diceret in confessione, se contra castitatem peccasse cum soluta.*

243. *Concubitus cum vidua non est adulterium, sed simplex fornicatio.*

244. *Concubitus vero frigidi, vel potius Eunuchi, involvit insuper malitiam contra naturam.*

245. *Peccatum incestus tanto evadit gravius, quanto propinquior & arctior est conjunctio inter incestuosos.*

246. *Ad formalem raptum necessum minime est, ut cum rapta intervenerit concubitus, vel aliud commercium carnale.*

247. *Tentans copulam cum fœmina dormiente, aut amente, propterea non committit raptum.*

248. *Religiosus, aut Sacerdos peccando carnaliter cum persona solenni voto castitatis adstricta, committit duplex sacrilegium.*

249. *Qui in hunc finem abuteretur SS. Missæ Sacrificio &c. abominabilissimi sacrilegii reum se ageret.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de luxuria completa secundum ordinem naturæ.

QUæres primo, quot sint species luxuriæ?

216. R. Sunt septem sequentes: 1. Fornicatio simplex. 2. Adulterium. 3. Stuprum. 4. Incestus. 5. Raptus. 6. Sacrilegium, & 7. peccatum contra naturam. Ita Mastrius *Theolog. mor. disp.* 15. *num.* 141. & alii DD. satis *communiter*. Has vero omnes virtute sexti præcepti esse prohibitas, innuimus *nu.* 181. Quod & D. Augustinus disertis verbis innuit, *l.* 2. *q. super Exod. num.* 71. dicens: *si furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed utique a parte rei totum intelligi voluit, quidquid illicite rerum proximi auferretur) profecto & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.* Notat tamen sapienter Herincx *part.* 3. *tract.* 2. *n.* 19. solam fornicationem & vitium contra naturam specie distingui in genere luxuriæ; nam cetera vitia, puta adulterium, stuprum, incestus &c.cum fornicatione in malitia luxuriæ conveniunt, & solum superaddunt specialem malitiam extra genus luxuriæ, videlicet adulterium malitiam injustitiæ, incestus malitiam contra pietatem &c. stuprum malitiam violentiæ &c. vitium vero contra naturam in eo singulariter differt a fornicatione, quod ob frustrationem seminis generatio impediatur, ideoque contra finem a natura, vel auctore naturæ intentum agatur: & hac de causa vitium contra naturam appellatur; quod, cum singulares sub se contineat species, scilicet pollutionem, bestialitatem, & so-

& sodomiam &c. in Conferentia proxima ventilabimus, in hac de luxuria completa secundum naturam, ejusdemque speciebus acturi.

Quæres igitur secundo, quid sit Fornicatio?

217. R. Fornicatio est peccatum luxuriæ, seu concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu. Ita *in re omnes*. Quocirca illud solummodo advertendum est, quod hic nomine solutorum intelligantur illi, qui non sunt ligati ullo vinculo, conjugii, consanguinitatis, affinitatis, Ordinis, Religionis, aut voti, propterea que fornicatio *simplex* appellari solet, ut distinguatur ab aliis peccatis qualificatis, adulterio &c.

Ceterum, quod etiam hæc fornicatio simplex sit mortaliter mala, seu peccaminosa, de fide est, prout evidenter colligitur ex clarissimis S. Scripturæ textibus, dicente Apostolo *Ephes.* 5. *omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei*. Et rursus *ad Galat.* 5. *manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia &c. &c. quæ prædico vobis, sicut prædixi quoniam qui talia agunt, regnum DEI non consequentur*. Idipsum tenent SS. Patres.

Quæres autem tertio, sitne fornicatio intrinsece mala, ita, ut in nullo casu sit cohonestabilis &c.

218. R. Est intrinsece mala. Ita hodie *communis DD.* Ratio est: quia fornicatio est accessus carnalis ad mulierem *non suam*: accessus autem ad non suam repugnat rectæ rationi non minus, quam acceptio rei alienæ rationabiliter invito Domino: repugnat insuper bonæ prolis educationi, quæ nunquam fiet, nisi per marem & fœminam fœdere conjugali junctos. Hinc Innocentius XI. jure meritissimo damnavit sequentem propositionem *n.* 48. *tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta est, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

Dices contra hanc resolutionem. Si fornicatio ideo mala est, quia repugnat bonæ educationi prolis, ergo saltem illis permittenda videtur, qui etiam extra matrimonium possunt providere bonæ educationi; cum in his videatur cessare ratio, vel periculum malæ educationis.

Confir. Usurpatio rei non suæ, non est mala, si fiat consentiente Domino: ergo etiam accessus ad non suam hac consentiente non est malus.

Accedit, quod DEUS olim fornicationem præceperit Oseæ Prophetæ, ut habetur *Oseæ* 1. *c.* sequenti tenore: *sume tibi uxorem fornicariam, & fac tibi filios fornicationum*: at, si fornicatio esset intrinsece mala, nunquam DEUS potuisset eam præcipere: ergo &c.

219. R. Ad objectionem *negando illatum*; quemadmodum enim leges humanæ fundatæ in præsumptione periculi communis neutiquam cessant obligare ex eo, quod in casu aliquo particulari cesset periculum: ita multo minus lex naturalis de non accedendo seu carnaliter cognoscendo *non suam* cessat ex eo, quod in casu particulari respectu hujus vel illius Principis, aut bonis fortunæ præditi, cesset periculum malæ educationis; nam hoc per accidens venit: per se autem ex concubitu vago, vel accessu ad non suam, semper manet periculum malæ educationis prolis, ideoque agitur contra finem generationis humanæ, quæ non ad procreandam prolem quomodocunque, sed potius ad eam bene educandam instituta fuit ab Auctore naturæ.

220. Ad confirmationem R. *disting. ant.* usurpatio rei non suæ non est mala, si fiat consentiente *Domino* &c. si usus rei de se sit indifferens, & aliunde non prohibitus, *concedo* si sit aliunde prohibitus, prout ab Auctore naturæ prohibitus est accessus ad non suam, ob commune periculum malæ educationis prolium *neg. ant. cum seq.*

Ex hoc enim plus inferre non licet, quam, per talem accessum non fieri injuriam mulieri consentienti, non item, quod ne Deo quidem Auctori naturæ hujusmodi usum interdicenti ulla fiat injuria: fere quemadmodum si quis carnaliter cognoscat conjugatam de consensu mariti, huic quidem nulla fit injuria, bene vero Deo Auctori naturæ, & statui matrimoniali, cujus fini similiter repugnat concubitus vagus, prout colli-

gere licet ex sequenti propositione 50. ab Innocentio XI. damnata : *copula cum conjugata consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum*. Ceterum quod DEUS Oseæ præceperit, ut sumeret mulierem fornicariam &c. non dispensavit in hoc præcepto, sed jussit eum in uxorem accipere mulierem, quæ prius fornicaria fuerat : hinc *negatur* suppositum *min. cum conseq.* Videatur de hoc Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 9. *dist.* 4. *q.* 2. *num.* 12. vel la Croix *l.* 3. *punct.* 1. *num.* 916.

221. Illud porro animadvertendum hic venit, ad fornicationem simplicem a Doctoribus communiter reduci *concubinatum*; quo nomine intelligitur fornicatio continuata, seu continuatio fornicationum cum eadem fœmina soluta, sive dein fornicarius eam ut uxorem domi retineat, sive alibi habeat paratam ad concubitum toties, quoties sibi libuerit. Ex quo de se liquet, concubinatum nedum esse grave, sed & periculosum peccatum; eo quod concubinarius perseveret in continuo statu peccati mortalis, seu proposito peccandi, saltem virtualiter : hanc ob causam concubinarius utpote constitutus in occasione proxima, nunquam est absolvendus ob defectum propositi efficacis, ne quidem in mortis articulo, nisi prius ejiciat concubinam domo, modo hoc præstare possit moraliter, scilicet sine sui diffamatione. Nec mirandum, a Concilio Tridentino varias pœnas constitutas fuisse in concubinarios, prout videre licet *SS.* 24. *de reform. matr. c.* 8. itemque *SS.* 25. *de reform. c.* 14. Videatur Bonacina *de Matr. quæstion.* 4. *punct.* 14. *a num.* 8.

Quæres quarto, quid sit Adulterium, & quale peccatum?

222. Adulterium est violatio tori alieni, seu, ut alii loquuntur, est peccatum luxuriæ, quo violatur fides conjugalis, & fit accessus ad alienum torum. Ita in re *communiter DD.* Ex quo liquet, adulterium esse grave, & qualificatum peccatum, utpote præter malitiam luxuriæ contra sextum Decalogi præceptum insuper importans malitiam injustitiæ, seu injustæ violationis juris alteri conjugi competentis. Verum quia de gravitate & varietate hujus peccati, nec non de onere restitutionis inde consequentis, aliisque pœnis in hoc scelus statutis jam ex professo egimus *part.* 5. *Theolog. Sacram. Confer.* 18. *a num.* 435. hinc ne cogamur idipsum repetere, benevolum lectorem illuc remissum volumus.

Quæres quinto, quid intelligatur nomine stupri?

223. R. Nomine stupri proprie dicti (nam improprie sumitur pro omni concubitu illicito, vel illicita defloratione Virginis) intelligitur violenta oppressio virginis. Ita *communissime DD.* Dicitur autem 1. *violenta*; nam si virgo sponte consentiat in copulam, non amplius erit stuprum, sed vel simplex fornicatio, vel adulterium &c. &c. Quocirca tamen animadvertendum, stuprum proprie dictum reputari non solum 1. quando virgo per vim physice adhibitam fuit deflorata, sed etiam 2. si per metum reverentialem, vel 3. per metum cadentem in constantem virum, vel 4. per fraudulentiam magnæ dotis, vel matrimonii promissionem, aut denique 5. per magnas aut extraordinarias sæpe repetitas importunitates fuit inducta ad copulam; quia tales, saltem apud homines, & in foro fori, æquiparantur coactioni, licet non apud DEUM, in cujus foro talis virgo minime reputabitur inculpabilis, nisi sit passa veram violentiam, & consensum in turpem illam delectationem constanter excluserit, prout bene notat Henno *tr. in Decalog. disp.* 6. *q.* 5. *concl.* 1.

Dicitur 2. *Virginis*; nam si opprimatur mulier, quæ non amplius est virgo, id est, talis cujus claustrum per copulam carnalem jam semel fuit violatum seu fractum, non committitur stuprum proprie dictum; quia in hoc casu non fit corruptio seu violatio integritatis virginalis.

Quæres sexto, an stuprum involvat specialem malitiam supra malitiam fornicationis propter violationem claustri virginalis?

224. R. Stuprum superaddit quidem ex parte stupratoris specialem malitiam contra

tra virtutem justitiæ; quia hic supponitur violenter auferre prærogativam claustri virginalis : non tamen superaddit specialem malitiam contra virtutem castitatis, ac proin si puella consentiat in copulam, nec ipsa neque stuprator tenetur specialiter se accusare, quod claustrum virginale læserint, sed sufficit, accusare se de copula carnali habita &c. Ratio hujus est : quia si superadderet specialem malitiam, hæc deberet desumi ex injuria virgini illata, prout voluere Cajetanus, & alii nonnulli, videndi apud Lessium *l.* 2. *c.* 10. *dubit.* 1. *n.* 2. at si puella supponatur consentire, huic non fit injuria : quia *scienti & consentienti nequit fieri injuria*, per *Reg.* 27. *J. in sexto* : ergo si puella supponatur sponte consensisse in copulam, ratione virginitatis deperditæ non tenentur se specialiter accusare. Sanchez *de matrim. l.* 7. *disp.* 14. *nu.* 6. Tambur. *l.* 7. *in Decalog. c.* 5. §. 1. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 7. *a.* 2. *nu.* 19. & 20.

Dices tamen. Virgo non est domina, sed custos duntaxat corporis sui : ergo nequit consentire in violationem corporis, sicut maritus nequit valide consentire, vel concedere alteri usum uxoris suæ, sine peccato adulterii.

Accedit, quod per talem violationem virginis Parentes soleant communiter gravissime offendi ac prostitui : ergo puella quantùmvis consentiens in violationem claustri virginalis, infert gravem injuriam suis Parentibus aut Tutoribus.

225. R. Virginem esse dominam corporis *non quidem simpliciter*, ita scilicet, ut hoc pro libitu possit destruere, sed *quo ad usum*, ita ut hunc possit alteri concedere. Nec est paritas de marito; quia hic nunquam habuit potestatem in corpus uxoris, nisi in ordine ad usum proprium, ac proin minime mirandum, quod hunc usum alteri nec valide nec licite possit cedere : & licet consentienti marito non fieret injuria, fieret tamen DEO, & statui matrimoniali, prout proxime dictum fuit *nu.* 220. Ad illud additum de Parentibus offendendis, respondendum, hanc offensam non sequi per se ex violatione claustri virginalis; quia talis fit occulte, & potest occulta manere, sine omni prostitutione vel Parentum, vel corruptæ. Unde si fortassis talis puella sub patria potestate constituta impregnaretur, aut sine imprægnatione diffamaretur, injuria in Parentes mere per accidens redundaret. Ex quo plus inferre non licet, nisi quod puella similia prævidens, & nihilominus usum corporis concedens, contra pietatem Parentibus debitam delinqueret, non vero contra justitiam. Videatur Lessius *l. cit.* Bonacina *de matr. q.* 4. *pu.* 17. *nu.* 2. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 7. *art.* 2. *n.* 14. & 18. Henno *ubi supra conclus.* 2.

Quæres septimo, quid sit Incestus?

226. R. Incestus est peccatum luxuriæ cum consanguinea, vel affine intra gradus jure prohibitos commissum. Ita *ex communi DD.* Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 9. *disp.* 4. *n.* 35. Dicitur autem 1. *peccatum luxuriæ* ad innuendum, quod non solus concubitus, sed etiam tactus, oscula, amplexus &c. &c. utpote per se ordinati & tendentes ad copulam &c. inter consanguineos & affines participent rationem incestus, proptereaque si copula ipsa non sequatur, manent peccata distincta, ut talia in confessione necessario exprimenda, ita ut non satis esset dicere : *osculatus sum &c. impudice tetigi toties aut toties puellam &c.* sed insuper deberet addi, quod hæc fuerit consanguinea vel affinis &c. ut per hoc exprimatur circumstantia incestus, velut speciem mutans.

Dicitur 2. *inter gradus prohibitos*, scilicet inter personas consanguineas usque ad quartum gradum inclusive : inter affines vero ex copula matrimoniali pariter usque ad quartum : ex copula vero fornicaria seu illicita usque ad secundum gradum etiam inclusive.

227. Ex his vero liquido constare potest, incestum esse ex sua natura peccatum mortale, & quidem duplex, utpote oppositum virtuti castitatis simul & pietatis, seu reverentiæ propinquis debitæ. Hinc *Levit.* 2. pœna mortis a Deo fuit statuta in eos, qui tantam turpitudinem, tantum nefas, tantum scelus commisissent, & in nova lege 1. *Cor.* 5. Apostolus ait, se incestuosum quendam Corinthium, qui uxorem Patris sui habere

præsumpsit, tradidisse Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret in die judicii. Et sane hanc reverentiam propinquis debitam naturæ Auctor videtur voluisse insinuare exemplo nonnullorum animalium, v. g. columbarum &c. quæ ex congenito reverentiæ instinctu nolunt commisceri carnaliter suis progenitoribus, prout notavit Aristoteles *lib. 9. histor. animalium c. 74.*

Quæres tamen octavo, utrum incestus in linea consanguinitatis inter se specie differant, vel saltem incestus in linea consanguinitatis ab incestibus in linea affinitatis, vel cognationis spiritualis commissis, ut proin tales circumstantiæ in actu confessionis necessario explicandæ sint?

228. R. Videtur probabilius, omnes incestus tam 1. in linea consanguinitatis, quam 2. in linea affinitatis commissos esse ejusdem speciei. Ita tenent Babenstuber *cit. disp. 7. art. 2. n. 38.* Henno *cit. q. 3. concl. 3.* & alii contra Valentiam, Navarrum & multos alios. Ratio est: quia omnes incestus opponuntur eidem honestati ac virtuti, scilicet castitatis, ac reverentiæ propinquis debitæ: & licet verum sit, quod tanto major culpa & irreverentia committatur, quanto propinquior est persona, cui quis commiscetur carnaliter, quia tamen majus & minus non variant speciem, velut patet in furto majori ac minori; hinc inferre non licet, quod differant inter se specie, sed solum, quod major conjunctio, seu propinquitas importet circumstantiam notabiliter aggravantem.

Esto etiam prior propinquitas consanguinitatis proficiscatur ex rei natura, posterior vero, affinitatis scilicet, potius ex lege Ecclesiastica; quia tamen legislator Ecclesiasticus conjunctionem carnalem inter affines prohibuit ex eodem motivo (pietatis scilicet ac reverentiæ propinquis debitæ) ex quo natura prohibuit eandem conjunctionem inter consanguineos: hinc neutiquam inferre licet distinctionem specificam inter incestum in gradu consanguinitatis, & inter incestum in gradu affinitatis commissum, prout post S. Thom. 2. 2. *q. 15. a. 9.* Cajetanum & alios, bene advertit Tamburinus *l. 7. in Decalog. c. 4. §. 1. n. 2.* Porro incestum spiritualem, id est, ortum ex peccato commisso cum persona cognatione spirituali conjuncta, probabilius specie differre ab incestu commisso cum persona carnaliter conjuncta, dicemus paulo inferius *n. 240.*

Quæres nono, quid sit Raptus?

229. R. Raptus est peccatum luxuriæ, quo persona aliqua violenter abducitur libidinis explendæ causa. Ita in re *communis DD.* Filliuc. *tr. 30. n. 108.* Tamburinus *cit. c. 6. §. 1. n. 2.* Henno *q. 6. concl. 1.* Dicitur 1. *peccatum luxuriæ*; quia supponitur fieri ex pessimo fine, scilicet libidinis explendæ: & quia simul infertur *violentia*, scilicet personæ raptæ, vel saltem ejusdem Parentibus, aut Tutoribus &c. sub quorum cura constituta est, hinc insuper involvit gravem malitiam injustitiæ: ex quo liquet, Raptum hunc esse duplex peccatum mortale. Dicitur 2. *quo persona aliqua &c.* scilicet, sive mas, sive fœmina &c. immo vero, si mas marem, aut fœmina fœminam abducat explendæ libidinis causa, gravius est peccatum, quam si mas fœminam, aut fœmina marem abducat; quia illud reduci deberet ad speciem sodomiæ, & tanto majus erit peccatum hoc in genere luxuriæ, quanto major est qualitas personæ abductæ, ita scilicet, ut si quis ex præfato fine abduceret Monialem, ad sacrilegium: si consanguineam, ad incestum; si uxoratam, ad adulterium reduci debeat. Dicitur 3. *violenter*; quia ad hoc peccatum intervenire debet violentia, vel ipsi personæ abductæ, vel illis, sub quorum potestate seu cura consistit &c. illata; hinc si puella insciis Parentibus aut Curatoribus sponte cum suo amasio clam discedat, non erit raptus, sed fuga: at vero, si discedat scientibus, sed repugnantibus Parentibus, verus raptus est, ait Henno. Dicitur 4. *abducitur*, id est, transfertur de loco in locum alium moraliter distantem, hinc fit, ut si quis libidinis secretius explendæ causa puellam de loco publico aut aperto per vim abstrahat ad aliquot passus vel Cameram secretiorem &c. non erit dicendus Raptor, sed stuprator. Additur tandem *libidinis*

explen-

explenda causa; nam si fiat redigendi talem personam in servitutem vel ancillatum, non committitur Raptus, prout hoc loco sumimus, sed furtum hominis, seu *plagium*. Si vero persona abducatur violenter causa matrimonii contrahendi, committitur quidem Raptus, sed alius, de quo egimus *part. 3. Theolog. Sacrament. Conf. 12. n. 290.*

Quæres jam decimo. Quæ pœnæ in Raptores sint constitutæ?

230. R. Breviter cum P. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr. 9. dist. 4. n. 42.* sunt constitutæ graves pœnæ sequentes, & quidem jure civili pœna capitis *l. un. C. de Raptu Virginum*. Jure autem Canonico *c. Raptor*, & *c. Statutum 27. q. 2.* jubetur Raptor publicam pœnitentiam agere, & sine spe matrimonii manere. Denique jure novissimo Concilii Trid. *SS. 24. de Reform. Matrim. cap. 6.* in Raptorem, & omnes, consilium, auxilium aut favorem ei in hunc finem præbentes lata fuit pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, itemque pœna perpetuæ infamiæ, nec non impedimenti dirimentis matrimonium, in tantum, ut quamdiu mulier rapta sub potestate Raptoris manserit, nec parti reddita tutæ, nullum possit consistere matrimonium inter ipsum & mulierem raptam.

Hæc tamen pœna a Concilio Trid. lata afficit illum duntaxat, qui mulierem rapit matrimonii contrahendi, non item illum, qui rapit libidinis explendæ causa, prout ex declaratione Cardinalium anno 1586. 23. Januarii facta habetur *l. cit.*

Quæres undecimo. Quid hic intelligatur nomine Secrilegii?

231. R. Intelligitur peccatum luxuriæ, quo aliquid sacrum violatur, seu indigne tractatur. Ita Bonacina *de Matr. q. 4. pu. ult. n. 1.* Dicitur autem primo *peccatum luxuriæ*, ut per hoc innuatur, nedum concubitu, sed etiam tactibus vel desideriis peccandi cum persona DEO sacrata per votum solenne castitatis aut sacri Ordinis, committi posse sacrilegium saltem mentale, quemadmodum solo desiderio efficaci peccandi cum conjugata committitur mentale adulterium. Dicitur secundo *aliquid sacrum*, ut per hoc insinuetur, sacrilegium carnale multipliciter posse committi, & quidem 1. *personale*, quo persona sacra, 2. *locale*, quo locus, & 3. *reale*, quo scilicet res sacra peccato luxuriæ fœdatur. Hanc triplicem differentiam, nec non gravitatem hujus peccati, & alia multa tradidimus *Theolog. Decalog. part. 2. Confer. 18. n. 651. & seqq.* ubi ex professo egimus de Sacrilegio carnali, in quantum scilicet res sacra per peccatum carnis seu luxuriæ violatur & indigne tractatur, propterea que semper peccatum duplex committitur, scilicet unum contra virtutem Religionis, quæ præcipit sancta sancte, non vero indigne tractari.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de luxuria completa secundum ordinem naturæ.

CASUS PRIMUS.

Titius veneri admodum deditus domi suæ concubinam multis annis sustentaverat, hac vero sola non contentus singulis septimanis aliquoties convenerat aliam haud procul distantem: non potuit rem hanc (forte nec voluit) Titius ita occulte tractare, quo minus fama perdita hujus ac luxuriosæ vitæ diffunderetur in populum, non sine murmure & scandalo, sed qui Titium dehortaretur, nemo prorsus inventus erat. Tandem divina Nemesi visitatus gravissime decubuit: vocatur, aliorum potius quam Titii voluntate, Confessarius, cui is statum suæ conscientiæ aperit dicendo in genere, se a tot annis in domo propria concubina velut uxore usum fuisse, singulis vero septimanis aliquoties aliam convenisse. Suasit Confessarius (ut debuit) serium dolorem ac propositum emendandi, & quia concubina domestica non potuisset illico domo ejici, consuluit, ut eandem non vocaret ad cameram, ubi infirmus decubuit, ad removendum pro possibili omne periculum. Interim dum hæc aguntur, advolat altera concubina e propinquo, accedit lectum moribundi, monstratque multam compassionem; unde Titius vicissim in amplexum ruens, eamque exosculatus exspiravit, abiit, adiit

adiit æternitatem : an felicem ? merito dubitare licet . Jam ad nostrum propositum quæritur 1. *an Confessarius recte egerit non postulando clariorem seu distinctiorem peccatorum enumerationem , nec urgendo ejectionem concubinæ domesticæ , sed solam exclusionem a camera moribundi ?* 2. *An alteram supervenientem non debuisset domo exclusisse , vel non admisisse , ad removendum periculum peccandi ?*

232. R. Ad primum quæsitum, Confessarium bene egisse non postulando clariorem seu distinctiorem peccatorum enumerationem . Ratio est : quia Titius supponitur gravissime decubuisse , immo fuisse proximus morti : ast , a similibus major integritas , nisi formalis peccatorum , prudenter desiderari non potest ; tum propter physicam & moralem impossibilitatem ; tum maxime quia timendum , ne reflectendo , & quasi recapitulando vitam luxuriosam , incidat in nova peccata , vel saltem tentationes &c. ergo in his circumstantiis prudenter dissimulasse videtur enucleatiorem peccatorum enarrationem , licet ceteroquin , &c. per se loquendo , Titius semper maneat obligatus ad enucleatius & distinctius sua peccata enarrandum , prout bene notat Gobat. *Theolog. exper. tr. 7. n. 589.* Lugo , Sporer & alii . Neque propterea culpandus videtur Confessarius , quod non jusserit ejectionem concubinæ domesticæ sine mora faciendam ; tum quia talis ejectio instantanea sine nova prostitutione, scandalo, & admiratione in populo fieri communiter nequit ; tum etiam quia periculo animæ videtur sufficienter præcavisse , urgendo , ut excluderetur e cubiculo infirmi .

233. R. jam ad alterum quæsitum , Confessarium neutiquam fuisse obligatum ad excludendam domo alteram concubinam . Ratio est : quia Confessarii non est agere in foro externo Mediastinum , vel custodem domus , sed animæ duntaxat . Et certe , si Confessarius non habuit notitiam Concubinatus, nisi ex sola Confessione Sacramentali , sine fractione sigilli , & periculo majoris scandali , nihil prorsus potuit agere in foro externo, quantum ad exclusionem concubinæ extraneæ : si vero habuit talem notitiam extra confessionem , eo quod res fuerit notoria in populo , melius , & , ni fallor prudentiæ regulis conformius egisset , vel rogando secrete dictam concubinam , quatenus vellet moribundo permittere tempus hoc breve , agendi cum DEO solo de animæ suæ salute ; vel certe alios amicos aut familiares subornando , ut idipsum huic persuaderent ; vel infirmum ipsum ardentius obtestando , quatenus ad præcavenda pericula animæ, & viam æternitatis securius ineundam , hanc æque ac alteram juberet exesse cubiculo : quæ si præstiterit , Confessarius muneri suo satisfecit . Si infirmus renuat , absolutionis capax certe non erit , sed relinquendus Divino tribunali , in quo communi regula fixum stat ac firmum , ut is, qui non bene vivit , non bene moriatur ; id , quod ex tragico hoc casu nostro confirmatur .

Sed quid , ais , Confessario agendum cum illo pœnitente , qui multis annis ancilla sua utitur velut concubina , rarius quidem carnaliter eam cognoscendo , utpote renuentem ex timore imprægnationis , & infamiæ inde incurrendæ , bene vero sat frequenter eam impudice tangendo , amore pollutionis tum in se , tum in illa etiam procurandæ ?

234. R. Etiam huic pœnitenti negandam esse absolutionem , nisi prius dimiserit concubinam hanc , vel saltem serio adpromittat , se eandem cum primum moraliter potuerit , dimissurum .

Ratio est : quia ad valorem & substantiam absolutionis requiritur dolor , & propositum efficax se emendandi ; sed qui voluntarie perseverat in occasione proxima peccandi , nequit efficaciter dolere ; quandoquidem ipsa perseverantia seu voluntas perseverandi in tali occasione est mortaliter peccaminosa , & hoc ipso , quod nolit amovere lapidem offensionis , aut petram hanc scandali , convincitur non habere propositum efficax sese emendandi : ergo capax non est absolutionis , juxta *communissimam* Doctorum , prout diximus *part. 2. Theolog. Sacram. Confer. 4. num. 107. & seqq.*

Dices fortassis contra hanc resolutionem. Huic pœnitenti potius propria fragilitas videtur esse occasio proxima, quam ancilla, quippe quæ supponitur non nisi admodum raro & ægre admittere copulam, esto etiam facilius admittat tactus &c. ergo cum sine ancilla nequeat ducere propriam œconomiam, consultius hæc relinquetur, quam alia nova, fortassis liberalior in usu corporis, aut certe brevi seducenda infallibiliter.

235. R. Negando hanc ineptam, immo pessimam consequentiam; nam fragilitas propria non constituit complete occasionem proximam peccandi, sed hæc completur per cohabitationem, accessum, consuetudinem peccandi &c. cum aliqua persona &c. prout cum Cardena diximus *cit. part.* 2. *Theolog. Sacram. Confer.* 4. *num.* 103. At hoc præstat ancilla in nostro casu: ergo &c. Et certe, si pœnitens postulet sibi hanc ancillam relinqui, ne fortassis ex fragilitate intrinseca cogatur conducere, vel potius seducere aliam, concludendum eo ipso est, quod non habeat fixum ac firmum propositum: quemadmodum ergo indulgeri nequit, ut huic injuste auferat rem, vel ablatam possideat, ne ex fragilitate cogatur alteri auferre &c. &c. ita sane a Confessario minime indulgendum est, ut pœnitens retineat hanc potius ancillam, ne ex fragilitate intrinseca aliam seducat, sed potius adigendus est efficaciter, ut cum adjutorio Divinæ gratiæ conetur superare fragilitatem propriam, adhibendo remedia efficacia v. g. 1. Temperantiam in cibo & potu. 2. Sibimet jejunium in pane & aqua dictando, casu quo lapsus fuerit. 3. Meditando amorose passionem Domini. 4. Quotidie de mane obfirmando animum, & efficaciter proponendo vitare lapsum carnalem, atque in hunc finem invocando patrocinium B. Virginis. 5. Ancillam serio monendo, ne consentiat &c. adpromisso eidem præmio certo, quoties restiterit efficaciter ac generose. Hæc & similia certo proficient, & habebunt effectum, modo pœnitens ipse efficaciter ea adhibeat. Casu quo vero ancilla non resisteret efficaciter, sed potius ansam præberet, quærenda necessario erit alia, prout more suo sapienter advertit P. Gobat *Theolog. experim. tr.* 7. *num.* 34. *Respons. ad cas. impud.* quia periculum relabendi cum hac est moraliter certum, cum alia vero incertum, seu dubium. Videatur Viva *ad proposit.* 41. *ad Alexandro VII. damnatam n.* 14.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius perditæ vitæ juvenis, puellam sub spe & promissione matrimonii frequenter induxerat ad concedendum sibi corporis usum, licet nil minus unquam intenderit, quam ducere eam; hinc hujus inhonestissimi, scelestique commercii carnalis pertæsus, ut tandem ab eadem sese liberaret, subornavit alium quendam juvenem, sibi haud absimilem, qui tempore nocturno eandem puellam conveniret, persuasurus, ut & sibi corporis sui potestatem faceret; id quod & factum: Sempronius vero de industria superveniens, & eandem cum altero deprehendens, objurgavit, repudiavit, minitando una simul, se, si vel minimum quidpiam prætenderet, accessurum judicem eamque veluti infamem scortam accusaturum. Quæritur jam 1. *quomodo Sempronius peccaverit?* 2. *An tuta conscientia possit repudiare puellam hanc velut infidelem & fœdifragam, an vero a Confessario obligandus sit, ad eam ducendam in conjugem?*

236. R. Sempronium absque dubio deliquisse mortaliter, nedum contra castitatem, toties quoties puellam induxit ad concedendum sibi corporis usum, sed vel maxime etiam contra charitatem, scandalose inducendo alterum juvenem ad idem vitium: immo & contra fidelitatem, puellam decipiendo ficta matrimonii spe ad usum corporis sibi concedendum. Ratio horum de se liquet, & patebit cuilibet, rem, & circumstantias hujus casus perpendenti. Unde.

237. R. jam ad alterum quæsitum. Sempronius nequit tuta conscientia puellam repudiare, sed tenetur eam ducere in conjugem, non quidem vi promissionis fictitiæ, quippe quæ eo ipso, quod vero consensu destituta fuerit, fuit nulla, sed vi contractus inominati: *do ut des*; cum enim puella usum corporis

poris sui non aliter concesserit Sempronio, nisi ea conditione & lege, ut postea matrimonium secum iniret, non potuit Sempronius hunc usum aliter acceptare, nisi simul ex naturali æquitate & justitia contrahendo obligationem implendi etiam idipsum, cujus causa puella partes suas expleverat, prout cum Laymanno diximus ex professo *Theologia Sacrament. parte 3. Conferentia 1. n. 13.*

238. Neque obstat, quod puella videatur fregisse fidem sponsalitiam, concedendo alteri usum corporis sui; fractio autem fidei præbeat justam causam resiliendi a sponsalibus, prout *communissime* tradunt DD. cum S. Thom. 1. 2. *q.* 43. *a.*3. Sanchez, Tanner. Tambur. Gobat. *Theolog. exper. tr.* 10. *n.*328. &c. Non, inquam, obstat; quia quod fidem fregerit, suo modo imputandum venit Sempronio, cujus subornatione ab alio fuit solicitata; volenti autem & consentienti non fit injuria: fere quemadmodum si Maritus Uxori suæ causam præbeat adulterandi, nequit ex hoc capite petere aut prætendere divortium, prout habetur *cap. si tu* 37. *q.* 2. ubi dicitur: *si tu abstines sine uxoris voluntate* (scilicet a reddendo debito) *tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.* Atque hinc ulterius Sempronius peccati mortalis condemnandus est, eo quod injusta ac perniciosa hac fraude quæsierit a sponsalibus sese liberare; quia fraudulenter egit contra jus magni momenti a puella acquisitum. Et licet hæc metu incurrendæ prostitutionis fortassis non si motura litem, Sempronius tamen propterea non erit securus in conscientia; quia talis remissio sponsalium est quædam species donationis, quæ debet esse liberalis ac libera: huic autem libertati obstat metus, & fraus injusta a Sempronio commissa, in ordine ad cogendam quodammodo puellam ad hanc remissionem, prout bene notarunt Aversa, Sporer, Gobat *c. t.* 10. *n.* 258. la Croix *l.* 6. *p.* 3. *n.* 160. Ex quo liquet, a Confessario hanc obligationem esse bene inculcandam Sempronio, nec facile hunc absolvendum, ni velit suæ satisfacere obligationi.

CASUS TERTIUS.

Cajus Germani sui filiam aspirantem ad statum religiosum susceperat erudiendam in musica, litteris, & aliis ad hunc statum necessariis: post aliquod tempus ex familiari conversatione ejusdem amore captus, ea docuit quæ melius ignorasset: ventum quippe fuit post blanda verba ad amplexus & oscula, tandem ad ipsum opus frequenter: ne vero criminis hujus suspicionem apud quempiam mortalium incurreret, jussit, ut puella coram Sacerdote in sacro tribunali aliud nil diceret, nisi quod habuerit rem toties &c. cum aliquo soluto, ipse vicissim confitendo aliud nil dicebat, nisi, quod habuerit rem cum persona soluta. Tandem, cum vidisset, eandem puellam plus profecisse in hac malitia, quam musica, propterea que animum abjecisse de ingredienda Religione, conscientiæ stimulis agitatus Confessario aperuit mentem suam, enarravit delicta cum omnibus circumstantiis, petiitque doceri, an vel ipse, vel puella hactenus præfato modo præcise sese accusando satisfecerint præcepto confessionis, & an non propterea teneantur repetere omnes Confessiones factas &c.? Quid Confessarius Cajo respondebit?

239. R. Confessarius resolvet, Cajum pessimum hunc instructorem neutiquam satisfecisse suæ obligationi, saltem per se loquendo. Ratio est: tum quia non se accusavit de seductione, & scandalo dato puellæ innocenti, a sua vocatione avocatæ; tum præsertim, quia non explicavit circumstantiam incestus, quam tamen nedum ipse, sed & puella debuisset expressisse, velut speciem mutantem, cum novo peccato mortali, prout relinquitur ex dictis *n.* 226. & 227. Neque infamia apud solum Confessarium propterea incurrenda excusat ab integritate materiali Confessionis, veluti ex professo diximus *part.* 2. *Theolog. Sacrament. Confer.* 6. *n.* 150. secus enim nemo teneretur sua aperire peccata, quippe quod nunquam fieri potest sine aliquali infamia apud Confessarium incurrenda. Aliud dicendum foret, si propterea rationabiliter timuisset infamiam apud alios v. g. Judicem sæcularem

rem incurrendam, vel si hoc peccatum incestus sine diffamatione complicis non potuisset confiteri, tunc enim juxta probabilem opinionem Armillæ, Dianæ, Navarri, & aliorum multorum licuisset reticere hanc circumstantiam; verum, cum tale periculum facile declinare potuerit, vel dicendo præcise, quod commiserit incestum cum persona soluta, in secundo gradu sibi conjuncta, vel quærendo seu adeundo Confessarium, cui erat omnino incognitus: hinc convincitur male fecisse, reticendo in actu Confessionis circumstantiam incestus, & adhuc pejus, suadendo puellæ, ut & ipsa reticeret.

Sed quid, ais, si quis carnaliter delinquat cum puella, quam e fonte baptismatis suscepit, vel in confirmatione &c. vel si peccet cum filia Confessionis, cujus scilicet Confessiones consuevit excipere &c. tenebiturne has circumstantias explicare.

240. R. Primo. Qui carnaliter delinquit cum puella, quam e fonte baptismatis suscepit, vel ex confirmatione &c. tenetur hanc circumstantiam in confessione exprimere. Ratio est: quia tali personæ, utpote spiritualiter sibi conjunctæ debebat specialem reverentiam, immo etiam in defectum Parentum carnalium specialem instructionem, & educationem in vita Christiana: ergo eandem seducendo agit in materia gravi contra suam obligationem, & contra reverentiam eidem debitam, ideoque committit incestum, secundum *communissimam DD.* Utrum vero talis incestus specie differat ab aliis commissis cum persona conjuncta in linea consanguinitatis carnalis, &c. vel affinitatis &c. rursus disputant DD. in utramque partem probabiliter: Mihi videtur ceteris probabilior opinio Sanchezii *l. 7. de Matr. disp. 5. n. 9.* & Tamburini *l. 7. decalog. c. 4. n. 4.* asserentium, talem incestum specie differre ab incestu in linea consanguinitatis & affinitatis. Ratio est: quia incestus spiritualis addit circumstantiam quandam sacrilegii, ob violatam reverentiam vi Sacramenti tali personæ debitam: propterea que talis circumstantia in actu confessionis probabilius explicari debet, licet explicari non debeat, an talis incestus fuerit commissus cum persona vi baptismatis aut confirmationis conjuncta, vel an fuerit commissus cum baptizata, vel cum Commatre ejusdem baptizatæ &c. quia in his semper committitur peccatum cum eadem specie difformitate (esto graviore aut leviore ob majorem vel minorem conjunctionem) scilicet contra eandem reverentiam debitam personis, ex intuitu Sacramenti connexis.

241. R. jam secundo ad alteram partem ejusdem quæsiti, Confessarius peccando carnaliter cum filia confessionis per se loquendo non comittit incestum. Ita Azorius, Filliucius *tr. 30. n. 105.* & alii. Ratio est; quia inter Confessarium, & filium aut filiam confessionis non intercedit cognatio spritualis, quippe quæ solum oritur ex baptismo & confirmatione, prout habetur *cap. fin. de cognat. Spirit. in 6.* Si tamen Confessarius supponatur simul esse Parochus respectu hujus pœnitentis, Henno haud immerito putat, hanc circumstantiam in confessione necessario fore exprimendam: quia cum talis Pastor vi sui offici sit obligatus ad pascendum gregem verbo & exemplo, hinc quemaddum Pastor graviter contra justitiam delinqueret, si oves sibi concreditas verbo non pasceret; ita a fortiori gravissime peccabit contra justitiam, si, quod verbis fortassis ædificavit, exemplo destruxit. Nec dubitandum, quin sanguinem talis animæ Chistus sit aliquando requisiturus de manibus talis Pastoris: profecto si hodiedum væ! intonat per os Ezechielis *c. 34. v. 4.* illis Pastoribus, qui, *quod abjectum non reduxerunt, quod perierat, non quæsierunt* &c. quanto severius animadvertet in illos, qui, quod bonum destruxerunt, ac seduxerunt. Unde & per Jeremiam 23. *v. 1.* dicitur: *væ pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ dicit Dominus.* Nec immerito in Diœcesi Trevirensi, & aliis nonnullis commixtio Sacerdotis cum filia spirituali est Casus reservatus; quia etiam in Jure Canonico gravissimæ pœnæ statutæ leguntur in hujusmodi delinquentes, prout videre licet *cap. Omnes, c. Si quis, & c. Non debet. X. q. 1.* Videatur

deatur de hoc de Sainte Beuve *Resol. cas. consc. tom.* 3. *cas.* 84.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

242. Colliges ex hactenus dictis 1. non satisfacturum præcepto confessionis, qui consummata copula fornicatus accusando se præcise diceret, se contra castitatem peccasse cum soluta, sed debere addere, se habuisse copulam. Ita Card. Lugo *disp.* 16. *de pœnit. sect.* 5. *n.* 238. Tamburinus *lib.* 7. *in Decalog. c.* 1. §. 1. *n.* 2. *& alii*.

Ratio est: quia omissa mentione de copula, non explicaret malitiam fornicationis, ejusdemque specificam differentiam ab aliis peccatis contra castitatem. Ob eandem rationem puto, non satisfacturum, qui copulam abrupit, posteaquam advertit proximam effusionem seminis, quod dein extra vas sparsit, eo fine præcise, ne fœmina evaderet prægnans; quia etiam talis non satis exprimeret malitiam fornicationis: immo vero tenebitur ulterius exprimere circumstantiam personæ, si fortassis fuit consanguinea aut affinis, uti bene notat R. P. Kresslinger *addit. I. post n.* 44. *ad tract.* 9. *dist.* 4. R. P. Reiffenstuel *Theolog. mor.*

243. Colliges secundo, concubitum soluti cum vidua non esse adulterium, sed fornicationem simplicem. Ratio est: quia non est, nisi concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu, uti supponitur. Similiter concubitus fidelis cum infideli, si utraque pars supponatur esse soluta, per se loquendo (secluso scilicet periculo subversionis, aut contemptu Religionis) non est, nisi fornicatio, prout bene notat Filliucius *tr.* 30. *n.* 52. Lugo, Tambur. Sporer, & alii. Copula tamen cum sponsa alterius, tametsi dici non possit adulterium, eo quod sponsus nondum habuerit jus in rem, seu corpus sponsæ &c. nihilominus probabilius præter fornicationem simplicem involvit malitiam contra justitiam; quia sponsus jam habuit jus ad rem, & sponsi censentur vi sponsalium voluisse se obligare ad tradendum & conservandum corpus suum in eo statu, in quo est, dum sponsalia contrahunt, veluti diximus *part.* 3. *Theolog. Sacrament. Confer.* 2. *num.* 59. Idipsum tenet Covarruvias, Sanchez, Filliuc. *l. cit. num.* 54.

Sed quid, ais, de copula frigidi, seu Eunuchi?

244. R. Hanc non esse meram, seu simplicem fornicationem, sed insuper involvere malitiam contra naturam. Ratio est: quia per talem concubitum frustratur finis humanæ generationis, & inutiliter sperma utriusque concumbentis provocatur, propptereaque in confessione hæc circumstantia debet exprimi. Ita Sanchez *l.* 9. *de Matr. disp.* 19. *n.* 8. Tambur. ubi supra §. 1. *n.* 9.

245. Colliges tertio, peccatum incestus tanto esse gravius, quanto persona, cum qua perpetratur, est magis conjuncta. Ratio est: quia secundum dicta superius *n.* 227. malitia incestus petitur ex irreverentia illata personæ conjunctæ; cum ergo irreverentia tanto fit major, quanto major est conjunctio, sequitur, & malitiam tanto esse majorem. Unde gravius procul dubio peccat, qui carnaliter cognoscit propriam Matrem aut sororem, quam ille, qui cognoscit solum nutum, vel materteram, vel amitam. Uno verbo: gravius peccat, qui impudice agit cum consanguinea in primo, quam secundo gradu, gravius itidem delinquit, qui cum consanguinea, quam qui cum affine duntaxat. Et quia juxta probabilem multorum opinionem hæc diversitas graduum non solum malitiam aggravat, sed & speciem mutat; hinc si pœnitens se ipsum non exprimat, oportebit, ut Confessarius propinquitatem seu conjunctionem graduum magis examinet, quatenus possit congruam injungere pœnitentiam. Videatur Bonacina *de Matr. q.* 4. *pun.* 16. *num.* 4. vel Filliuc. *tr.* 30. *n.* 98.

246. Colliges quarto, ad raptum formaliter talem minime opus esse, ut concubitus vel alia turpitudo libidinosa opere ipso fuerit exercita, sed sufficere, personam fuisse violenter abductam explendæ libidinis causa, velut constare potest ex dictis *n.* 229. Quantum ad malitiam

tiam tamen in foro conſcientiæ incurrendam perinde eſt, ſive mas violenter abducat fæminam, ſive fœmina marem; non item quantum ad pœnas in foro fori incurrendas; quia tales pœnæ probabilius afficiunt ſolos Raptores, non item Raptrices fœminas, quandoquidem hoc rariſſime contingit: de iis vero, quæ raro contingunt, non ſoleant intelligi, aut ferri leges, prout diximus *part.* 3. *Theolog. Sacram. Confer.* 12. *nu.* 292. Videantur de hoc Sanchez *lib.* 7. *de Matr. diſp.* 12. *num.* 25. Leſſius *de J. & J. l.* 4. *n.* 66. Tambur. *l.* 7. *Decal. c.* 6. *§.* 2. *num* 8.

247. Colliges quinto, nec eſſe raptum dicendum, ſi quis tenet copulam carnalem cum fœmina dormiente, vel aliter uſu rationis deſtituta. Ratio eſt: quia in tali caſu non fit abductio fœminæ.

Certum nihilominus eſt, tale peccatum in confeſſione ſingulariter exprimendum, eo quod præter malitiam luxuriæ inſuper involvat malitiam injuſtitiæ: & ſi perſona oppreſſa fuit virgo, quæ ante ſomnum vel amentiam non conſenſit in hujuſmodi actum, talis concubitus participabit malitiam ſtupri. Ita Tamburinus *cit. num.* 17. Babenſtuber *l. cit. art.* 2. *num.* 48.

248. Colliges ſexto, Religioſum, Sacerdotem, vel Clericum in ſacris conſtitutum, turpia exercendo, ſeu carnaliter peccando cum perſona per votum ſolenne caſtitatis Deo conſecrata, committere duplex ſacrilegium; quia non ſolum propriam, ſed & alienam perſonam ſacram indigne tractat: quemadmodum Maritus cognoſcens carnaliter aliam maritatam, duplex adulterium committit, eo quod duplex jus violet, ſcilicet uxoris propriæ, & alterius mariti.

Econtra tamen Religioſus, qui ſimul eſt Sacerdos, vel ſacris Ordinibus initiatus, ſecum ipſo peccando probabiliter unum duntaxat ſacrilegium committit; quia unicum duntaxat corpus indigne per hoc tractat: & licet hoc ſuum corpus ex duplici titulo, ſcilicet voti ſolennis caſtitatis in ſacra profeſſione emiſſi, & voti ſolennis ſacris Ordinibus annexi debuiſſet digne tractari; quia tamen utrumque votum eſt ejuſdem ſpeciei, hinc & violatio utriuſque eſt eadem ſpecie, immo & eadem numero in eodem actu. Ita Sanchez *l.* 5. *mor. c.* 6. *n.* 14. Diana *part.* 1. *tr.* 7. *reſol.* 4. Sporer *Theolog. Sacram. part.* 4. *c.* 3. *n.* 617. *&* 618. ubi is ait, Sacerdotem ſatisfacturum, ſi in confeſſione dicat, ſe peccaſſe contra votum caſtitatis, aut ſi fœmina dicat, ſe habuiſſe rem cum aliquo voto caſtitatis obſtricto, tametſi nihil dicat, quod is fuerit Sacerdos aut Religioſus. Nihilominus mihi cum Leſſio *lib.* 4. *de J. & J. c.* 3. *n.* 87. Mathæuccio *l.* 7. *c.* 17. *n.* 122. & aliis probabiliſſimum videtur, talem Sacerdotem, vel Religioſum in Sacris conſtitutum peccando carnaliter, committere duplex ſacrilegium, haud equidem ex eo, quod peccet contra duplex votum, ſed ex eo, quod agat contra duplicem ſanctitatem ſui corporis, unam, quæ ex voto, alteram, quæ ex Ordinibus ſacris proficiſcitur; hæc enim procul dubio in morali hominum exiſtimatione ſpecie morali differt ab illa: quis enim neget, longe aliter corpus Sacerdotis vel Clerici in ſacris conſtituti ad cultum divinum conſecratum eſſe, quam corpus v. g. alicujus Monjalis, vel alterius mulieris habentis votum ſolenne caſtitatis?

Quare (ſalvo melio judicio) ego puto, in confeſſione exprimendum neceſſario eſſe, tale peccatum carnale commiſſum fuiſſe a, vel cum Clerico in ſacris conſtituto.

249. Colliges ſeptimo, committi ſacrilegium reale, & quidem abominabiliſſimum, quando res ſacra, præſertim SS. Miſſæ Sacrificium promittitur, vel datur in pretium operis carnalis. Ratio eſt: quia hoc modo res ſacra, immo omnium ſanctiſſima indigniſſime tractatur, dum id, quod ex Divina miſericordia inſtitutum fuit, tum ad Deum honorandum, tum ad hominem ſanctificandum, adhibetur velut inſtrumentum aut medium ad DEUM T. O. M. offendendum, & animam perdendam. Idipſum dicendum foret, ſi Sacerdos ob eundem turpiſſimum finem SS. Euchariſtiam portaret ad quampiam, vel realiter, vel ſimulate duntaxat infirmam. Ita Sporer *cit. nu.* 620. Holzmann *tom.* 1. *part.* 2. *tr.* 2. *n.* 668. *&* 669. Ba-

669. Babenstuber *cit. n.* 89. Bonacina de Matr. *q.* 4. *pu. ult. nu.* 4. & 5. Qui vero hujusmodi turpitudinem, copulam cilicet carnalem, vel tactus impudicos &c. exercet, dum S. Scapulare, vel alias sacras Reliquias portat secum, vel e collo pendentes &c. propterea non committit sacrilegium, eo quod hujusmodi res sacræ mere concomitanter, & per accidens se habeant ad opus turpe, prout jam diximus *Theolog. moral. Decalog. part.* 1. *Confer.* 4. *num.* 104.

Ceterum, an, vel quando speciale peccatum sacrilegii committatur effusione seminis aut sanguinis humani in Ecclesia, vel aliis locis piis, item, an committatur aspectibus, aut colloquiis lascivis in sacro loco factis &c. diximus jam *part.* 2. *Theolog. Decalog. Confer.* 18. *n.* 561. & *seqq.* quo etiam lectorem remittimus.

CONFERENTIA NONA

De Luxuria completa contra ordinem naturæ.

SUMMARIUM.

250. *Nomine peccati contra naturam hic intelligitur actus luxuriæ, repugnans ordini generationis.*

251. *Estque triplex, scilicet* 1. *pollutio,* 2. *bestialitas, &* 3. *sodomia.*

252. *Pollutio est voluntaria seminis effusio extra concubitum;*

253. *Quæ probabiliter etiam in mulieribus contingere potest;*

254. *Estque intrinsece mala.*

255. *Solvitur gemina instantia contra hoc.*

256. *Fas est aliquando ponere actionem vel causam de se honestam ac utilem, esto inde prævideatur subsecutura pollutio &c.*

257. *Quod si causa illa, vel actio sit inhonesta, oportet attendere, an in genere luxuriæ sit mortaliter, vel vero venialiter tantum mala.*

258. *Nomine distillationis intelligitur quidam fluxus humoris medii inter verum semen & urinam.*

259. *Quæ, si fiat cum magna carnis motione, potest evadere mortaliter mala.*

260. *Bestialitas est concubitus hominis cum bruto, ideoque enorme peccatum.*

261. *In actu confessionis probabilius exprimendum est, an bestia illa fuerit mas, vel fœmella.*

262. *Ad bestialitatem pariter reduci debet nefandissimus concubitus cum dæmone.*

263. *Sodomia proprie talis & perfecta, est concubitus inter masculos in vase non naturali, seu præpostero.*

264. *Estque gravissimum peccatum, varias post se trahens pœnas.*

265. *Resolvitur Casus I. cujusdam Juvenis, qui ex confricatione membri sensit fluxum seminis, ignorans quid rei esset.*

266. *Huic proin a Confessario serio inculcandum, ut deinceps abstineat a similibus.*

267. *Quid consulendum illi, qui animadvertit, se tempore nocturno pollui, quoties cum certo quodam situ, honesto tamen, decumbit in lectum.*

268. *Resolvitur Casus II. de quadam puella bestiaria.*

269. *Quid, si talis persona utatur membro alicujus bestiæ ad se polluendam?*

270. *Resolvitur Casus III. de quodam Juvene, assueto incumbere super alterum velut fœminam.*

271. *Et quid si fœmina taliter incumbat super aliam?*

272. *Tametsi omnes pollutiones sint ejusdem speciei, nihilominus communiter contrahunt diversas specie malitias &c.*

273. *In nullo casu fas est procurare pollutionem.*

274. *Licitum tamen est, sumere medicamenta, ad expellendum semen judicio Medicorum corruptum.*

275. *Evigilans non tenetur reprimere fluxum seminis in somno inchoatum, bene tamen excludere consensum in delectationem.*

276. *Qui permittit se pollui manu alterius, vel alium polluit manu propria, tenetur in confessione exprimere qualitatem circumstantiarum.*

277. *Idipsum singulariter exprimendum est, si im-*

si impubes vel Evnuchus tentet in se provocare semen, vel si alius pubes in impubere id attentaverit.

278. *Medici, Chirurgi, Confessarii &c. vi sui officii impudica tractantes aut legentes, & inde pollutionem sentientes, non peccant, modo consensum constanter excludant.*

279. *Caute legendi sunt, qui docent, fas esse fricare genitale membrum, ad abigendum peracrem pruritum &c.*

280. *Non satisfaciunt precepto confessionis, qui sodomiam aut bestialitatem commissam non exprimunt, nisi sub nomine pollutionis procuratæ.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de luxuria completa contra naturam.

QUæres primo, quid sit peccatum contra naturam, & quotuplex?

250. R. primo, peccatum contra naturam hoc loco appellatur actus luxuriæ repugnans ordini, quem natura præscripsit generationi humanæ. Ita in re Lessius *l. 4. n.* 89. Henno *tr. in Decalog. disp. 6. q.* 7. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr. 9. dist. 4. n.* 43. & alii plures. Dicitur *actus luxuriæ*; tametsi enim in latiori sensu omne peccatum contra legem naturalem commissum dici possit contra naturam, in quantum repugnat rationi naturali, proprie tamen loquendo hic solum agimus de peccati luxuriæ sexto Decalogi præcepto repugnantibus, & quidem *contra ordinem generationis humanæ*; pro cujus pleniori intellectu animadvertendum, ad naturam actus venerei, ut ex eo possit fieri generatio ejusdem speciei, necessario quinque requiri, scilicet 1. conjunctionem duorum, quia unus homo se solo non sufficit ad generationem (sicut nec unum animal in ceteris animantibus) 2. eandem in utroque naturam. 3. sexum diversum. 4. Organa seu vasa congrua. 5. debitum congrediendi modum. *Ita DD. proxime citt.* Unde

251. R. jam secundo, ad alteram partem ejusdem quæsiti, peccatum luxuriæ contra naturam est triplex. 1. *Pollutio*, quæ alio nomine appellatur mollities, vel *peccatum mollitiei*, dum scilicet homo semen solitarie, id est, sine conjunctione cum alio effundit. 2. *Bestialitas*, dum quis commiscetur carnaliter alteri naturæ, puta bestiæ, vel demoni, assumenti naturam hominis, aut bestiæ &c. 3. *Sodomia*, dum scilicet quis eidem sexui, utputa mas mari, fœmina fœminæ commiscetur suo modo.

Solent Doctores communiter adhuc recensere alias duas species luxuriæ completæ contra naturam, scilicet 1. quando servatur quidem diversitas sexus, sed non debitum vas, utputa si vir congrediatur cum fœmina, sed in vase præpostero. 2. quando præpostero modo copulam tentant, puta viro succubo, & muliere incuba, aut viro a tergo ad instar canium vel pecorum congrediente; quibus modis regulariter loquendo solet semen effundi, & frustrari generatio. Verum (ni fallor) prior modus congrue ad sodomiam, posteriores autem ad pollutionem congrue reduci possunt: & quia de modo indebito jamjam egimus. *part. 3. Theolog. Sacram. Confer. 17. a n.* 409. ubi de usu matrimonii incongruo ac illicito; hinc restat hic nobis agendum de pollutione, bestialitate, & sodomia.

Quæres proin secundo, quid sit pollutio seu mollities?

252. R. Pollutio seu (ut alio nomine vocatur) mollities recte describitur, quod sit voluntaria seminis effusio extra concubitum. Ita Henno *cit. art. 1. conclus.* 1. Laymann *l. 3. sect. 4. n.* 14. Explicatur breviter. Dicitur 1. *voluntaria*; quia pollutio secundum mox dicta est peccatum contra naturam: atqui nisi effusio seminis esset voluntaria, peccatum non posset esse: hinc fit, ut si talis effusio contra voluntatem, sive dein in somno, sive etiam in vigilia contingat, cum constanti exclusione consensus in delectationem &c. peccatum esse non possit, sed potius occasio meriti. Dicitur 2. *effusione seminis*, ut distinguatur a distillatione, quæ consistit in quadam subtili emissione cujusdam humoris medii inter verum semen & urinam, quæ subinde etiam natura-

liter fine delectatione, aut libidinosa commotione fieri potest: unde dici non debet pollutio, licet evadere possit peccaminosa, si voluntarie acceptetur, & fiat cum magna commotione, seu carnis rebellione; quo casu reductive pertinet ad pollutionem. Dicitur 3. *Extra concubitum*, non vero *extra vas ad generationem ordinatum* &c. ut per hoc comprehendantur mulierum pollutiones, quæ, licet se ipsas tangendo semen effundant ad vas naturale generationi aptum scilicet matricem, nihilominus pollutionis culpam incurrunt, dum hoc extra concubitum faciunt; quod verum est (ait Henno) in omnium sententia, & maxime in sententia D. Bonaventuræ & Scoti post Hypocratem & Galenum, quibus communius adhærent Medici, volentes, semen mulieris active concurrere ad generationem, & consequenter tunc frustrari fine a natura intento.

253. Errant ergo Confessarii (subdit idem Henno *loc. cit.*) qui tantum inquirunt a mulieribus, an non senserint aliquando humoris fluxum extra corpus, putantes tunc contigisse pollutionem, alias non; cum tamen sæpe exterius sentiant humoris medii fluxum sine pollutione, immo sine delectatione: econtra vero patiantur interius veras pollutiones sine fluxu externo: quod accidit, dum semen de vase decisum ad matricem mittitur: quod fœminæ facile sentiunt, immo magna voluptate percipiunt. Fatendum tamen, aliquando, per motus valde violentos & enormes etiam exterius pati pollutionem, licet rarius. Ita Doctor *cit.* cui consonat illud, quod de judicio Medicorum jam pridem scripsit solertissimus Gobat *Theolog. experim. tr. 9. num.* 391. scilicet semen muliebre regulariter diffluere ad matricem, raro extra, propterea que ad dignoscendum, an & ipsæ seminaverint, sicque copula perfecta intervenerit, & inde prognata affinitas, modeste a Confessario interrogandas esse, an non in ipso actu concubitus, vel paulo ante, aut post senserint magnam voluptatem; quod esset indicium, etiam ipsas seminasse. Ita Gobat, ita & nos *part. 3. Theolog. Sacram. Confer. 10. n.* 250.

Audio tamen, hodie a DD. Medicis communiter negari, dari in mulieribus verum semen, aut veros testiculos, sed potius ovaria, quibusdam parvulis, magnitudinem pisi viridis non superantibus (ab aliis vocantur vesiculæ) referta. Ita D. Georgius Francus, videndus apud Paulum Zacchiam *in Quæstion. Medico legal. tom. 2. lib. 9. tit. 11. q. un. num. 19. in fine*. Quidquid tamen de hoc sit: apud Theologos certum, & indubitatum manet, mulieribus æque parum ac impuberibus, vel spadonibus permissum esse, ut (extra concubitum conjugalem) vel proprio vel alterius tactu ad venerem sese provocent; quia, cum ex tali contactu & provocatione spermatis sentiant maximam voluptatem (ut omnes, tam mulieres, quam Medici fatentur) hinc si id semel permitteretur iisdem absque reatu conscientiæ, hac voluptate contentæ facile respuerent connubia, non sine maximo præjudicio speciei humanæ: ergo ob eandem causam, ob quam natura masculis, etiam impuberibus ac spadonibus, interdictam voluit procurationem pollutionis, aut provocationem spermatis, debuit & fœminis interdixisse hujusmodi provocationem &c. &c.

Quæres tertio, sitne pollutio intrinsece mala, ita, ut in nullo casu liceat eam procurare?

254. R. Affirmative. Ita *communis DD.* apud Laymann, Sporer, & alios. Ratio hujus est: quia semen humanum a natura ordinatur ad generationem: ergo illud effundere ob alium finem, repugnat ordini naturæ, idque graviter; quia in materia gravi; Enimvero, cum in tali effusione homo sentiat magnam voluptatem, hinc si semel in aliquo casu v. g. reparandæ sanitatis causa &c. esset licita, procul dubio homines ex natura sua proni ad captandas hujusmodi voluptates abuterentur hac facultate, non sine maximo præjudicio speciei humanæ. His de causis Innocentius XI. sequentem *n.* 49. propositionem damnavit. *Molities jure naturæ probibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria.* Verum contra hoc

Dices. Fas est ob conservationem to-

totius hominis abſcindere membrum v. g. manum vel pedem, item effundere ſanguinem: ergo & ſemen humanum. Et certe ob rationabilem cauſam v. g. ſanitatis licet pollutionem optare: quidni & eam procurare?

255. R. Cum Laymanno, Sanchezio, & aliis *nego conſeq.* & *parit.* quia membra, ſicut & ſanguis humanus inſtituta ſunt ad conſervationem & functiones individui: ergo ſi talis abſciſſio partis ſit neceſſaria ad conſervationem totius, haud imprudenter fit, conſequenter nec illicite. Econtra vero ſemen humanum non eſt ab Auctore Naturæ datum propter individuum, ſed propter conſervationem & propagationem totius ſpeciei humanæ, quæ multum per omnem modum periclitaretur, ſi fruſtratio ejuſdem, ſeu pollutio ſemel ob conſervationem unius individui permitteretur. Adde, quod in abſciſſione membri, vel emiſſione ſanguinis, aut alterius excrementi, non ſentiatur voluptas, ſicut in procuratione pollutionis, vel emiſſione ſeminis, ſed potius dolor: ergo in abſciſſione membri non imminet ſpeciei aut individuo humano tantum periculi, quantum ex procuratione pollutionis. Eſto etiam ob rationabilem cauſam v. g. ſanitatis fas ſit deſiderare pollutionem affectu ſimplici & inefficaci, non tamen licet eam deſiderare efficaciter, aut omnino procurare: diſparitas eſt hæc: quia deſiderium inefficax poteſt præſcindere a circumſtantia delectationis ſenſualis, neque aliquid nocet ſpeciei humanæ: e contra deſiderium efficax, aut procuratio ejuſdem nequit præſcindere ab illa delectatione, & multum per omnem modum eſſet præjudicioſa toti ſpeciei humanæ, uti jam dictum.

Quæres quarto, ſitne aliquando licitum ponere actionem vel cauſam, ex qua probabiliter creditur ſubſecutura pollutio?

256. R. Primo. Et licitum, quando actio vel cauſa eſt de ſe honeſta, & utilis, ſimulque ex parte patientis abeſt periculum conſenſus. Ita Henno *ubi ſupra art. 2. concl. 1. ex communi DD.* Ratio eſt: quia dum quis proſequitur jus ſuum per actionem de ſe honeſtam, effectus quiſcumque demum, præter intentionem & mere per accidens inde ſubſecutus, non poteſt imputari ad culpam; quia talis effectus nullo modo cenſetur voluntarius, ſed ſolum permiſſus ab agente, & quidem ex rationabili cauſa, quam non tenebatur non ponere: ergo quemadmodum mulieri ex rationabili cauſa pharmaco utenti ad recuperandam ſanitatem imputari non poteſt ejectio fœtus inanimati, per accidens forte ex hujuſmodi ſumptione contingens, ita nec debet tali imputari pollutio præter intentionem ſubſequens, ad quam ſe merum permiſſive cenſetur habere, modo conſtanter excludat omnem conſenſum in illam delectationem.

257. R. jam ſecundo ad idem quæſitum. I. ſi actio illa vel cauſa in genere luxuriæ eſt mortaliter mala, & efficaciter influens in commotionem veneream atque pollutionem, uti eſt v. g. aſpectus, aut tactus partium verendarum alterius perſonæ, præſertim diverſi ſexus, ponens hujuſmodi cauſam peccat mortaliter. Ratio eſt: quia cenſetur indirecte voluiſſe procurare pollutionem; qui enim vult cauſam efficacem, convincitur velle & effectum naturaliter inde fluentem.

Econtra vero II. ſi cauſa illa in genere luxuriæ eſt tantum venialiter mala, uti eſt v. g. curioſus aſpectus formoſæ faciei fœmineæ, vel colli aut mamillarum quodammodo prominentium, vel ſi cauſa quidem ſit mortaliter mala in alio genere, non vero in genere luxuriæ, utpote natura ſua non ordinata ad venerem, uti eſt v. g. exceſſus in epulis aut potibus delicatis & calidis &c. etiam pollutio inde ſecuta non erit, niſi venialiter mala. Ratio eſt: quia cum talis pollutio non ſit voluntaria in ſe, ſed in cauſa duntaxat, nequit eſſe magis peccaminoſa, quam ſit ipſa cauſa: atqui hæc in genere luxuriæ non ſupponitur peccaminoſa, niſi venialiter: ergo etiam pollutio nequit imputari ad majorem culpam, quam ad venialem, modo ſemper excludatur libidinoſa complacentia in illam, & periculum proximum conſenſus. Et ita tenent probatiſſimi DD. Sanchez *l. 9. de matr. diſp.* 45. Leſſius *de J. & J. lib. 4. dub. 14. a n* 100. Laymann *ubi*

ubi supra n. 16. Sporer *Theolog. Sacram. part.* 4. *c.* 3. *n.* 645. *& seqq.* Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 9. *dist.* 4. *n.* 54. Hæc doctrina pro praxi bene notanda est; tum quia frequentissime occurrit; tum etiam quia serviet ad tollendos innumeros scrupulos, & casus solvendos, ait Sporer *cit. n.* 650. *in fine*.

Quæres quinto, quid sit distillatio, & an peccaminosa?

258. R. Nomine distillationis intelligitur quidam fluxus humoris medii inter verum semen & urinam per meatus membrorum pudendorum tam unius, quam alterius sexus, qui potest vocari salivalis & sputalis, & licet ab humore seminali non possit tam faciliter discerni, propter similitudinem coloris, carnisque commotionem, re ipsa tamen in eo potissimum ab hoc differt, quod facilius fluat, nec cum tanta carnis commotione, prout jam paulo superius insinuavimus *num.* 252. & fusius videre licet apud Gerson *part.* 2. *tract. de pollut.* Sanchezium, & alios plures: hoc notato

259. R. jam ad alteram partem ejusdem quæsiti. Quando distillatio contingit absque carnis commotione vel rebellione &c. &c. vel omnino non, vel certe non, nisi venialiter peccaminosa est: bene vero secundo, si fiat cum magna carnis commotione. Ita cum Sanchez *de Matr. l.* 9. *disp.* 45. *n.* 2. *&* 31. Bonacina *de Matr. pu.* 10. *n.* 13. Reiffenstuel *cit. n.* 58. *&* 59. Ratio prioris est: quia talis humor ad instar salivæ se habet, nec ex se habet annexam quandam voluptatem: ergo per se loquendo non est peccaminosus. Ratio autem posterioris hæc est: quia si fiat cum commotione carnis ac spirituum, evadit notabiliter turpis, immo est quædam inchoatio pollutionis: ergo si voluntarie acceptetur, vel, quod pejus foret, procuretur, erit mortaliter peccaminosa.

Quæres sexto, quid sit bestialitas, & quale peccatum?

260. R. Bestialitas est concubitus hominis cum bruto; est enorme peccatum, jure tam divino, quam humano sub gravissimis pœnis interdictum. Ita *communissime DD.* Felix Potestas *in exam. Confess. tom.* 1. *p.* 2. *n.* 2182. Henno *art.* 5. *concl.* 1. Dicitur autem 1. *concubitus*, id est coitus carnalis &c. ut per hoc excludantur meri tactus impudici; nam si quis tangeret bestiam impudice usque ad pollutionem ejusdem, fortassis etiam cum pollutione propria, sed sine omni affectu ad coitum, non committeret bestialitatem proprie dictam, nec incurreret casum reservatum, esto supponatur bestialitas esse reservata: licet hujusmodi tactus videantur involvere aliquam specialem turpitudinem, reductive ad speciem bestialitatis pertinentem. Dicitur 2. *cum bruto*, id est, animali, seu re animata alterius speciei ab homine, sive dein sit canis vel equa aut vacca &c. &c. nam in ordine ad bestialitatem incurrendam perinde est, sive cum animali hujus sive alterius speciei coitus fiat; quia hæc diversitas non est, nisi materialis, & in genere entis: fere quemadmodum in ordine ad furtum perinde est, sive pecunia auferatur sive vestis &c. proin necessum minime est, ut in actu Confessionis exprimatur, an peccatum hoc fuerit commissum cum cane vel ove, aut vitulo, gallina &c. Dictum fuit 3. *esse enorme peccatum sub pœnis* &c. Nam in Lege veteri *Levit.* 20. statutum fuerat, ut *qui cum jumento vel pecude coierit, morte moriatur, pecus quoque occidatur*. Lege civili hodie puniri solet rogo, seu comburio.

Sed nunquid necessum erit dicere, an bestia illa fuerit mas, aut fœmella?

261. R. Probabilius tenetur pœnitens id exprimere. Ita contra communem aliorum tenent Mendo *disp.* 5. *q.* 25. quem sequitur la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1083. & noster V. P. Holzmann *tom.* 1. *part.* 2. *tr.* 2. *n.* 681.

Ratio est: quia congressus hominis cum bestia mare, & cum bestia fœmella in genere moris specie differunt, utpote naturæ, & castitati modis essentialiter diversis oppositi: ob eandem rationem tenetur pœnitens exprimere, si fortassis cum bestia fœmella coivisset in vase innaturali seu præpostero ejusdem. Ita *DD. communiter*.

262. Porro ad peccatum bestialitatis reduci debet nefandissimus, & omni jure dam-

damnatissimus coitus cum dæmone, prout fieri amat a magis & sagis, dæmone ipsis in corpore assumpto apparente, & succumbente, vel incumbente in forma maris aut fœminæ; est enim coitus hominis cum alia specie; quia dæmon non est homo, tametsi in specie hominis appareat: immo præter malitiam bestialitatis insuper involvit aliam malitiam contra virtutem religionis, ratione commercii, aut familiaritatis cum hoste humani generis initæ: & præterea potest involvere malitiam v. g. Sodomiæ, adulterii, incestus, vel sacrilegii, secundum quod talis coitus cum affectu ad dæmone in forma personæ sacræ, vel consanguineæ &c. apparentis fit, prout cum Bonac. Filliuc. &c. advertit Busenbaum apud la Croix *l. 3. part. 1. n. 918. fin.* De quibus circumstanstantiis, nisi se ipsum explicet, pœnitens examinari debet.

Quæres tandem septimo. Quid sit Sodomia?

263. R. Sodomia propriæ dicta seu perfecta est concubitus inter masculos in vase non naturali. Ita Felix Potestas ubi supra *n.* 2171. Duo igitur necessario requiruntur ad Sodomiam perfectam, scilicet 1. coitus seu copula inter personas ejusdem sexus, & quidem 2. in vase innaturali seu præpostero. Hinc copula masculi cum fœmina in vase indebito, id est præpostero, non est Sodomia proprie, sed improprie dicta; quia non est concubitus inter personas ejusdem sexus. Verosimilius insuper mihi cum mox *cit:* Auctore (contra communem aliorum) videtur, concubitum fœminæ cum fœmina etiam cum affectu ad vas præposterum factum, non esse, nisi Sodomiam impropriam: quia inter duas fœminas nequit dari coitus, seu copula perfecta: nihilominus in confessione talis circumstantia exprimenda necessario erit; quia committitur Sodomia saltem imperfecta, quæ procul dubio specie morali differt a mollitie seu pollutione, tametsi facile crediderim, hujusmodi concubitum a fœmina vel nunquam, vel non nisi rarissime contingere cum affectu ad vas præposterum alterius fœminæ, bene vero cum affectu ad virum, & ad vas naturale ejusdem, prout in praxi experiuntur illi, quorum est judicare de similibus.

264. Ex quibus cuilibet, nisi fallor, evidenter colligere licet, peccatum sodomiæ esse gravissimum, & abominabilissimum, id quod nedum ex quampluribus S. Scripturæ textibus, sed vel maxime etiam ex gravissimis pœnis Deo propter hoc detestabile crimen inflictis, tum præcipue, dum ad eluendum hoc scelus Sodomam (unde crimen hoc traxit suam nomenclaturam) totamque illam Pentapolim igne sulphureo de cœlo lapso exussit, atque consumpsit. Porro jure humano civili in constitutionibus pœnalibus Caroli V. *constitut. 116.* huic flagitio decernitur rogus, sive comburium. Jure vero Ecclesiastico Laici sodomitæ excommunicantur, Clerici vero beneficiis privantur & deponuntur, ita, ut vi constitutionis Pii V. editæ, 1568. per Judicem Ecclesiasticum degradari, & potestati sæculari extradi debeant, quæ circa eosdem ita procedere jubetur, prout in Laicos hoc vitio irretitos legitimis sanctionibus constitutum repererit. Videatur de hoc Babenstuber *tr. 5. disp. 7. a. 2. n.* 74. Sayrus *lib. 8. clav. Reg. c. 5. n. 16.* Reiffenstuel *l. 5. decret. tit. 16. a. n.* 84. Tambur. *l. 7. decal. c. 7. §. 3. n. 5.* item §. 6. *n.* 3. ubi cum aliis notat, quod hujusmodi pœnæ velut odiosæ, uti & reservatio Sodomiæ non debeant extendi, sed intelligi de Sodomia perfecta inter duos masculos &c. cum immissione seminis in vas præposterum. Ex quo liquet, explicandum esse fueritne Sodomita agens vel patiens, quia patiens nequit immittere semen in vas præposterum, licet & ipse possit dispergere.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de luxuria completa contra naturam.

CASUS PRIMUS.

Titius *Juvenis quindecim annorum fatetur inter alia; se jam aliquoties in s. v. membro genitali sensisse nescio quem pruritum*

tum sat molestum ex fluxu cujusdam humoris, ad hunc vero sedandum fricasse membrum, paulo post dolorem omnem conversum fuisse in magnam voluptatem, simulque aliquid effluxisse adinstar lactis, insuper adjungit, se hujusmodi fluxum jam aliquoties tempore nocturno sensisse, præsertim si ante cubitum aliquandiu inhæsit cogitationibus lubricis, & desuper evigilasse, non sine magna voluptate: Cum vero non sciat, quid hæc sibi velint; hinc a Confessario petit informari. 1. An protinus sibi liceat præfato modo sedare pruritum, & 2. si tempore nocturno etiam contra intentionem propriam simile quid contingeret, an liceat sibi tactu manuum adjuvare naturam, & promovere hujusmodi fluxum? Quid judicii Confessarius ferat de tali juvene? vel 2. quid ad hæc dubia respondebit?

265. R. Ex hac simplici narratione seu confessione facile Confessarius prudens colliget, hunc juvenem esse quodammodo innocentem, vel simplicem potius, utpote ignorantem generationis humanæ principium, semen scilicet humanum, quod sub nomine lactis, vel ad instar lactis expressit: colliget insuper, esse hominem bonæ mentis, & teneræ conscientiæ, eo quod sollicite indaget, quid sibi deinceps liceat vel non?

Proin concludet, cum hujusmodi hominibus caute, immo cautissime, procedendum esse, ne fortassis incautius aut liberius a Confessario in hac materia eruditi, talia discant, quæ melius ignorassent, & qui hactenus materialiter tantum, deinde incipiant peccare formaliter. Verum ut maneamus in nostro casu.

266. R. Jam ad alterum quæsitum, ut Confessarius paucis se expediat, ad præfata proposita dubia respondeat, non licere deinceps vel fricando sedare pruritum, vel manu adjuvare, & promovere hujusmodi fluxum. Ita enim docent Mendo, Tamburinus *in decalog. l. 7. c. 7. §. 2. num. 18. & 19.* Sporer *Theolog. Sacram. part. 4. n. 657.* la Croix *l. 3. p. 1. num. 926.* & alii plures, hac potissimum ratione; quia talis fricatio seu frictio per se tendit ad provocationem seminis; tum etiam, quia in tali juvene semper adest evidentissimum periculum consensus in voluptatem, & ob hanc sæpius percipiendam in procurationem pollutionis. Et quia hujusmodi juvenes facilius ducuntur motivis sensibilibus ac naturalibus, quam supernaturalibus; hinc Confessarius paucis dicat, subesse periculum incurrendi diversas infirmitates ex frequentiori fluxu, aut provocatione talis humoris, ideoque vel maxime abstinendum a fricatione, vel promotione ejusdem fluxus: dicat insuper, id fieri non posse sine gravi offensa Dei &c. ideoque ante somnum non amplius deliberate immorandum cogitationibus impuris, sed potius vigilandum, ut, si vel natura, vel astutia dæmonis similia ingerat phantasiæ, illico intellectum avertat ab hujusmodi objectis, Dei gratiam, & B. V. Mariæ opem, ac patrocinium devote invocet, & huic sese commendet: insuper conetur intellectum applicare, vel ad recolendum quoddam mysterium passionis dominicæ, vel judicii divini horrorem, purgatorii aut inferni rigorem &c. quatenus hoc modo astus inimici infernalis eludat.

Sed quid (ais) de illo pœnitente tenendum, qui multiplici experientia doctus, se semper in somno pollui, quoties cum certo quodam, honesto tamen situ, decumbit in lectum, & tamen hujusmodi situm non vitat, quin potius de pollutione perpessa sibi congratulatur; quia rationabiliter credit, hujusmodi exonerationes naturæ proficuas esse suæ complexioni ac sanitati? quid, inquies, de tali pœnitente judicii ferendum est, vel quid eidem interroganti respondendum?

267. R. A Confessario vel maxime attendendum, an in tali pœnitente subsit periculum consensus in ipsam delectationem, vel non? id, quod ex confessione reliqua, vel speciali indagine facile dignosci poterit. Si subsit periculum consensus, eidem 1. serio inculcandum, ut deinceps abstineat a tali situ: si vero absit omne periculum consensus, 2. eidem dicat, quod non teneatur abstinere ab hujusmodi situ honesto; nec peccaturum, si de pollutione præcise, vel potius de exoneratione naturæ in

in quantum hæc proficua est suæ complexioni, sibi congratuletur; secus 3. si delectaretur de ipsa pollutione secundum se, id est, de illo delectabili fluxu seminis; de quo proin maximopere cavendum, & abstrahendum. Resolutio hæc trimembris bene est notanda tum Confessario, tum ipsi etiam pœnitenti. Ratio primi est: quia si pœnitens supponatur lubricus homo, & assuetus sibi complacere de tali actione, tunc per talem situm, quantumvis de se honestum ac licitum, sese exponeret periculo proximo peccandi: at nefas est, per actionem etiam de se honestam, sese exponere periculo proximo peccandi, nisi talis actio sit summopere necessaria, vel moraliter inevitabilis, qualis certe non est situs ille in lecto, ex quo prævidetur subsecutura pollutio: ergo abstinendum foret ab hoc, idque tanto sollicitius, quanto evidentius timendum, ne mentiatur iniquitas sibi, & sub schemate se taliter situandi lateat sinister affectus sese polluendi, prout bene notant Sanchez, Laymann, Navarr. Busenbaum, apud la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 920.

Ratio secundi est: quia secundum dicta *num.* 256. nemo tenetur abstinere ab actione de se honesta & utili, ex qua prævidetur subsecutura pollutio, quando abest periculum consentiendi in illam turpitudinem: & quia exoneratio naturæ a superfluo semine, & inde consequens ejusdem naturæ sublevatio, est res honesta, secundum rectam rationem appetibilis; hinc nemo tenetur de ea tristari, sed potius licitissime sibi de hac gratulatur, non minus, quam de superato alio morbo. Sanchez *de Matr. l.* 9. *disp.* 45. *n.* 4. cum S. August. S. Thom. & aliis *DD. communiter.*

Ratio autem tertii est hæc: quia illa delectabilitas ex fluxu seminis effusi (extra actum conjugalem) est intrinsece mala, secundum dicta superius *num.* 254. atqui de objecto intrinsece malo nunquam licet gaudere: & licet talis fluxus voluptuosus tempore somni non potuerit esse peccaminosus, utpote merum involuntarius, & naturalis, nihilominus complacentia postea in vigilia inde captata jam est voluntaria; & quia de objecto intrinsece malo, ideo etiam peccaminosa: quemadmodum si talis pœnitens somniasset, se habuisse copulam carnalem fornicariam, vel injuste occidisse suum inimicum, somnians non peccasset, utpote destitutus libertate necessaria: peccabit tamen, si postea vigilans sibi voluntarie complaceat in hujusmodi objecto; quia causa, quæ ipsum in somno excusaverat a peccato, scilicet defectus libertatis, in vigilia, ubi jam supervenit libertas, non amplius adest, consequenter nec excusare potest a peccato. Videantur de hoc Sanchez *in Decalog. l.* 1. *c.* 2. *num.* 16. Sporer *Theolog. mor. tr.* 1. *c.* 6. *num.* 31. *&* 32. la Croix *l.* 3. *p.* 1. *num.* 933. *&* 934.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia puella visa fuit pati quosdam certos inhonestos, & frequentes quidem assultus a quodam prægrandi molosso, & quia in similibus complacentiam potius, quam displicentiam ostendere videbatur, suspicionem apud alios prudentiores incurrit, ne forte cum eodem molosso aliquando habuisset carnale commercium: re melius explorata, veluti a curiosis fieri amat, tandem Sempronia in tribunal tracta & examinata, fassa fuit, se una vel altera vice applicasse eundem molossum ad lambendam sibi pudendam, & exinde sensisse magnam voluptatem, paulo post vero cum eodem pervenisse ad ipsam copulam; hinc Sempronia capitis condemnata, & cum eodem molosso combusta fuit. Hæc species facti Confessario non multum facesset negotii, prout ex dictis num. 260. *facile colligetur: quæri nihilominus potest an Sempronia peccatum bestialitatis commiserit, non solum admittendo molossum ad copulam, verum etiam applicando eundem ad lambendum &c. &c.*

268. R. cum distinctione, vel enim supponitur molossum applicasse ad lambendum eo fine, ut is animaretur per hoc ad coitum, prout animari solent lambendo canes &c. vel solum, ut per hoc voluptatem, & fluxum seminis in se causaret, ideoque ad explendam libidinem? Si prius; dicendum, Semproniam commisisse actum bestialitatis, saltem in affectu, & intentione, esto

coitus re ipsa non fuisset secutus, proindeque teneretur hanc circumstantiam in confessione explicare; secus enim Confessarius non posset colligere malitiam bestialitatis. Si vero supponatur posterius (prout revera haud infrequenter fieri solet ab hujusmodi libidinosis) dicendum, hoc peccatum potius pertinere ad mollitiem, quam ad bestialitatem; parum quippe refert, an lingua canis, vel alio instrumento, etiam animato, v. g. digitis propriis, aut alterius hominis utatur, ad explendam libidinem, seu procurandam pollutionem, prout amplius colligetur ex proxime dicendis *n.* 270. Nihilominus cum hujusmodi tactus libidinosi ex natura sua ordinentur ad diversas specie & malitia copulas ratione diversæ speciei, tenetur pœnitens id exprimere in confessione, prout bene notant Sporer *Theolog. Sacram. p.* 4. *c.* 3. *num.* 635. Babenstuber ubi supra *art.* 2. *n.* 7.

Sed quid, inquies, si talis persona libidine æstuans utatur membro alicujus bestiæ ad se polluendam &c. eritne condemnanda bestialitatis, vel obligata ad declarandam in actu confessionis hanc circumstantiam?

269. R. Cum eadem distinctione proxime data. Vel enim utitur ipso membro genitali bestiæ, vel alio? si primum condemnanda erit bestialitatis. Si secundum non erit condemnanda hujus criminis; quia dici nequit, habuisse coitum cum bestia, utpote impossibilem sine interventu membrorum genitalium: proin satis erit dicere in actu confessionis, se procurasse pollutionem &c. nisi (quod certe rarissime fieri assolet) applicatio talis membri etiam non genitalis facta fuisset, cum affectu ad membrum genitale seu coitum cum bestia, tunc enim committeret bestialitatem saltem in affectu, necessario explicandam in confessione. Certum tamen est, & multiplici experientia compertum habetur, quod tales personæ (saltem ex conscientia erronea) apprendere soleant singularem malitiam, & ruborem exponendi hujusmodi turpitudines coram Confessario. Plures hujusmodi casus audivi, sed non oportet eos typis commendare, aut divulgare in mundo, ne forte aliis cedant in scandalum.

Confessarius, qui ea, quæ mox cum distinctione resolvimus, bene perceperit, de facili sese juvare poterit in similibus casibus. Unde sit

CASUS TERTIUS.

Cajus juvenis veneri deditus alium quendam juvenem honestum thalami consortem, nedum induxit & allexit ad provocandas mutuis tactibus pollutiones, sed insuper aliquoties super eundem supinus incubuit, ac si fuisset mulier: aliquoties etiam convenit amasiam suam tempore nocturno; verum ne ex hujus impraegnatione infamiam publicam, & alia incommoda inde nascentia incurreret, membrum inter coxendices ejusdem tamdiu agitavit, usque dum pollueretur. Quæritur jam, an Cajus in his casibus condemnandus sit sodomiæ commissæ?

270. R. Cajum non esse condemnandum sodomiæ nec in priore, nec in posteriore casu. Ita Mastrius, Felix Potestas ubi supra *n.* 2172. Diana & alii. Ratio est: quia sodomia importat copulam; atqui Cajus non habuit copulam cum juvene, neque eum sua amasia in vase fœmineo aut præpostero: ergo non commisit, nisi peccatum mollitiei. Quia tamen ordinarie loquendo taliter concumbentes habent affectum ad copulam cum persona, cum qua concumbunt; hinc talis mollities solet evadere qualificata, ita scilicet, ut, si affectus vel desiderium tetendit in conjugatam, malitiam adulterii mentalis; si in consanguineam, malitiam incestus; si denique in personam solutam, malitiam simplicis fornicationis quodammodo imbuat; quæ circumstantiæ necessario explicandæ erunt in confessione, licet necessum non sit, ut exprimatur, an pollutio fuerit procurata v. g. inter brachia, vel ubera &c. cum hæc partium corporis distinctio ad peccatum mollitiei non, nisi materialiter se habeat. Ita Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 7. *a* 2. *n.* 68. Sporer *n.* 636. Tamburinus *l.* 7. *Decalog. cap.* 7. §. 1. *n.* 3. Aliqui tamen putant esse exprimendum, si fiat in ore alterius, idque ob nimiam fœditatem con-

contra naturam hominis rationalis, & dictamen rectæ rationis, licet ab aliis hoc ipsum negetur.

Sed quid, si fœmina ad instar viri incumbat super aliam, utens membro virili ficto, quo eam penetret?

271. R. Neque in hoc casu committi sodomiam; tum quia in veritate rei non potest intercedere copula inter duas fœminas; tum etiam quia hæc, quæcunque demum copula non supponitur fieri, nisi ad vas naturale fœmineum: ergo ex hoc capite præcise non transcendit malitiam simplicis mollitiei, nisi aliæ accedant circumstantiæ, vel affectus &c. e quibus talis congressus contrahere possit malitiam v. g. sacrilegii, adulterii, incestns &c.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

272. Colliges ex hactenus dictis 1. omnes quidem pollutiones secundum se spectatas esse ejusdem speciei; quia secundum se omnes æqualiter repugnant eidem virtuti castitatis, & omnes æqualiter pugnant contra naturam, & ordinem generationis, nihilominus per accidens sæpesæpius, immo communiter contrahunt diversas specie malitias, juxta diversitatem objecti desiderati, aut sibi repræsentati ab eo, qui pollutionem procurat, ita scilicet, ut si quis procurando eam sibi imaginetur, aut desideret habere rem cum consanguinea &c. committat incestum saltem mentalem, & in affectu; si cum persona sacra, sacrilegium; vel si procurans pollutionem sit persona sacra, vel per votum solenne castitatis, vel per susceptionem S. Ordinis &c. committat sacrilegium.

Hoc ipsum dicendum, si hoc peccatum committatur a pluribus, una persona alteram adjuvante v. g. tangendo &c. ac proin in similibus casibus necessario exprimenda erit in actu confessionis qualitas personæ complicis, cujus peccato quis cooperatus fuit, vel eam ad hoc induxit. Bonacina *tom.* 1. *q.* 4. *de Matr. p.* 10. *n.* 15. Azorius *part.* 3. *l.* 3. *c.* 21. Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 9. *dist.* 4. *num.* 49. *&* 50. Sporer *Theolog. Sacr. part.* 4. *c.* 3. *nu.* 621. *& seqq.*

Ratio horum est: tum quia actus humani sumunt suam bonitatem vel malitiam ab objecto, in quod tendunt; tum etiam, quia tactus adeo libidinosi, quibus natura provocatur &c. per se ordinantur ad copulam, & sunt quædam præparatio, seu inchoatio ejusdem: ergo juxta diversitatem objectorum aut complicum contrahunt diversas malitias. Ex quibus prudens Confessarius facile colliget, esse interrogandum a pœnitente, qui de peccato pollutionis, seu mollitiei sese accusat (nisi se ipsum exprimat) an huic operi vacando non cogitaverit de alia persona, aut putaverit, vel certe desideraverit habere rem cum illa &c.? item an fuerit persona soluta, vel ligata &c. una vel plures &c. &c.

273. Colliges secundo, in nullo casu, ne quidem sanitatis recuperandæ, aut mortis evadendæ causa fas esse procurare pollutionem, seu effusionem seminis humani; quia hæc secundum dicta *n.* 254. est intrinsece mala. Hinc gravissime peccant Medici, qui similem actionem sanitatis recuperandæ causa suadent, vel qui præscribunt medicamentum per se tendens ad expulsionem seminis, id, quod innuitur *c. cum infirmitas* §. *fin. de pœnit. & remission.* ubi dicitur: *ceterum cum anima sit multo pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis Medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ convertatur.* Vide Reiffenstuel *cit. num.* 46.

274. Loquimur autem de effusione seminis humani &c. Nam si semen judicio Medicorum jam supponatur corruptum, tunc licebit adhibitis in hunc finem medicamentis etiam directe illud expellere. Ita Sanchez *l.* 9. *de Matr. disp.* 17. *n.* 16. Filliuc. *tr.* 30. *n.* 150. Babenstuber *n.* 63. Ratio est: quia ejusmodi humor non est amplius verum semen generationi aptum, sed potius quædam lues, tendens ad infectionem & corruptionem individui: ergo quemadmodum ad conservandam vitam matris fas est expellere fœtum corruptum; ita

ita a fortiori licebit etiam directe medicamentis expellere semen corruptum cujuscuuque hominis. Dixi tamen *medicamentis*, non item tactibus seu confricationibus &c. disparitas est: quia medicamenta, utpote totum corpus permeantia, per se tendunt ad expellendum semen corruptum, esto fortassis per accidens propellat & verum: at vero tactus, seu confricatio membrorum &c. per se tendit ad verum semen expellendum, inquit Tamburinus *l.* 7. *Decalog. c.* 7. §. 2. *n.* 6. quod etiam post Cardinalem de Lugo notat la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 926. Adde insuper, quod nec in sumptione medicinæ, neque in expulsione hujus humoris corrupti sentiatur voluptas, qualis sentitur in contactu seu confricatione membri genitalis: ac proin si hæc semel permitteretur, speciei humanæ facile immineret periculum; quale non est timendum ex sumptione medicamentorum.

275. Colliges tertio, evigilantem non teneri ad reprimendam pollutionem in somno cœptam, sed posse naturalem ejus fluxum permittere, modo cohibeat omnem complacentiam, & consensum in illam turpem delectationem, neque eundem fluxum positive promoveat. Ita *communissime* DD. Laymann *l.* 3. *sect.* 4. *num.* 17. Sanchez *l. prox. cit.* Busenbaum apud la Criox *l.* 3. *p.* 2. *num.* 920. idipsum (ait Tamburinus *cit.* §. 2. *num.* 17.) propter paritatem rationis dicendum de pollutione, quæ cuipiam in vigilia involuntarie accidit.

Ratio est: quia hoc non est procurare emissionem seminis, sed eandem pati, ne, si retineatur ac corrumpatur, corpori detrimentum afferat.

276. Colliges quarto, eum, qui permittit se pollui manu alterius, vel propria manu alium polluit, teneri ad exprimendam qualitatem tum propriæ, tum etiam illius alterius personæ. Ita *cum communi* DD. Sporer *n.* 633. Ratio est: quia non solum peccat in propria persona, sed & in aliena, cujus peccato cooperatur. Porro si quis manu personæ sacræ v. g. Sacerdotis aut Religiosi permittat se pollui, probabilius tenetur non solum qualitatem suæ personæ, sed illius etiam, cujus manu pollutus fuit in confessione exprimere. Ratio hujus est: quia tunc laicus vel solutus admittens in se alterius tactus impudicos, quibus polluitur, revera non solum proprii peccati reus efficitur, sed insuper cooperatur ad sacrilegium, adulterium vel incestum ejus, a quo polluitur, & consequenter peccato proprio addit aliud specie diversum, quod utique exprimendum est in confessione, inquit sapienter Babenstuber *cit. n.* 69.

277. Colliges quinto, pariter exprimendam esse circumstantiam, si impubes puer vel puella seipsum tangendo conetur semen effundere (idipsum cogita dictum de eunucho) vel si pubes tangendo idipsum tentet in impubere, ubi proh dolor! frequenter accedit gravissimum scandalum ex seductione innocentium. Ratio est: quia cum impuberes nondum habeant verum semen, nequeunt illud effundere (nisi malitia suppleat ætatem) ergo non committunt veram pollutionem, sed aliud peccatum specie distinctum, pertinens ad impudicitiam tactus. Tamburinus, Sporer *n.* 639. & alii.

278. Colliges sexto, Medicos, Chirurgos, Infirmarios, item Confessarios, vel alios, qui vi sui officii tenentur impudica vel curando vel medendo, vel aspiciendo, legendo, studendo &c. tractare aut pervolvere &c. non peccare, si propterea cogantur sufferre motus lascivos, distillationes, immo ipsam etiam pollutionem, modo constanter perseverent excludendo consensum, & complacentiam in hujusmodi turpitudines &c. Ratio est: quia vacant operi de se honesto ac licito (medendo scilicet, aut legendo &c.) & licet tractatio similium, tactus, aspectus &c. præsertim partium pudendarum alterius sexus, vehementer alliciant, ac quodammodo pertrahant ad motus lascivos &c. nihilominus cum id fiat causa utilitatis, ac necessitatis, & actio medendi, studendi &c. sit honesta, immo necessaria &c. ad motus lascivos, pollutionem &c. hinc inde sequentem non nisi merum permissive se habere censendi sunt, eo ipso, quod supponantur constanter excludere consensum. Casu quo vero Medicus, Chirurgus,

Confessarius &c. ex humana fragilitate sentiret se sæpius prolabi in consensum, aut complacentiam similium delectationum, tenebitur ferventius instando operibus mortificationum, orationibus, abstinentiis, refrænationi sensuum &c. pro possibili sese munire contra hujusmodi lapsus; vel si his etiam non obstantibus laberetur sæpius, quantum moraliter fieri potest, abstinere ab hujusmodi officio; præstat enim mundi totius, ac divitiarum jacturam tolerare, quam animæ suæ pati detrimentum, juxta effatum æternæ veritatis *Matth.* 16. Vid. Henno *tr. in Decalog. disp.* 6. *q.* 7. *a.* 2. *Resol.* 1. *post concl.* 1.

279. Colliges septimo, caute legendos esse illos, qui docent, ad abigendum peracrem pruritum, aut qualitatem morbidam, forte adhærentem genitalibus, aut eorum meatui, fas esse fricare genitale membrum, esto etiam prævideatur pollutio inde subsecutura. Caute, inquam, legendi sunt & intelligendi; nam si hoc fiat ad quandam morbidam, ut vocant, qualitatem quasi eliciendam & provocandam ex membro, peccatum mortale erit, uti bene notant Mendo & Sporer, & nos jam superius *n.* 274. tum quia semper subest periculum consensus in talem delectationem; tum vel maxime, quia talis frictio per se tendit ad verum semen provocandum, & est causa proxima, per se efficaciter concitans spiritus venereos, adeoque per se proxime influens in pollutionem.

At vero, si talis frictio fiat præcise obiter, & ad abigendum duntaxat molestissimum pruritum, poterit permitti in subjecto non dedito veneri &c. quia talis actio videtur de se licita & necessaria, ex qua, si fortassis sequatur pollutio, mere per accidens erit, & patiens se permissive habet, excludens, uti supponi debet, omnem consensum in illam delectationem. Hanc sententiam probabilem tenent Sanchez, Laymann, Marchant. Sporer *n.* 650. non improbante la Croix *cit. num.* 926. qui tamen sapienter monet, ut studiosi puritatis a talibus abstineant, aut saltem talem modum adhibeant, cum quo non sit conjunctum pollutionis periculum.

280. Colliges tandem octavo, non satisfacturos confessionis præcepto, qui bestialitatem, aut sodomiam, vel incestum a se commissum &c. exprimerent præcise sub nomine pollutionis, dicendo scilicet, quod sese polluerint. Ratio est: quia in confessione jure divino exprimi debet distinctio specifica peccatorum: atqui mox recensita peccata specie differre, patet tum ex dictis supra *n.* 260. & 263. tum etiam ex damnatione sequentis propositionis *n.* 24. inter proscriptas ab Alexandro VII. *mollities, sodomia, & bestialitas, sunt peccata ejusdem speciei: ideoque sufficit in confessione dicere, se procurasse pollutionem:* ergo exprimenda est diversitas peccatorum.

CONFERENTIA
DECIMA

De Natura furti, & quantitate materiæ, ad peccatum mortale furti requisitæ.

SUMMARIUM

281. *Vi septimi Præcepti decalogalis prohibetur omnis actus proximo in bonis fortunæ injuriosus.*
282. *Furtum consistit in contrectatione occulta rei alienæ, facta domino rationabiliter invito.*
283. *Est peccatum mortale ex genere suo.*
284. *Recensentur species furti tum Theologice, tum etiam juridice considerati.*
285. *Ad constituendum furtum grave requiritur materia gravis.*
286. *Quæ recte partitur in absolute & respective gravem.*
287. *Absolute gravis in foro Theologico probabiliter est unus aureus.*
288. *Respective gravis illa censetur, quæ illi, cui fuit ablata, suffecisset ad victum, & sustentationem unius diei.*
289. *In foro tamen civili ad materiam furti gravis requiruntur ad minus quinque aurei.*
290. *Qui ab altero petit præstito, quod nun-*

nunquam amplius potest, nec intendit restituere, proprie non debet dici fur, sed damnifitator injustus.

291. In extrema necessitate fas est surripere alienum, non item in gravi duntaxat.

292. Utens tacita compensatione dici non debet fur;

293. Modo servet conditiones ad tacitam compensationem necessarias.

294. Resolvitur Casus I. de quodam Culinæ Præfecto, pro libitu dispensante suis familiaribus cibaria.

295. Hinc velut gavis noxæ reus per se loquendo condemnandus ad restitutionem.

296. Hujusmodi enim subditis non licet in eleemosynam de bonis dominorum suorum, etiam pauperibus erogare plus, quam de voluntate & consensu eorundem prudenter possunt præsumere.

297. Resolvttur Casus II. cujusdam Mercatoris, qui ab aliis subdole magnam pecuniæ summam credito accepit, sine animo eamdem restituendi.

298. Haud absimilis resolvitur de alio studioso, fingente se candidatum ad aliquam certam Religionem susceptum, & insigniter decipiente quendam prædivitem cauponem.

299. An non iste solus, sed etiam alii studiosi, quos sibi associaverat, teneantui ad restitutionem in solidum?

300. Resolvitur Casus III. cujusdam pœnitentis, qui voluit ingentem summam a Principe sibi debitam tacite compensare e gabellis ab eodem Principe alteri locatis;

301. Quod probabilius sine peccato facere non potuit.

302. An tali creditori liceat compensare suum debitum ex bonis debitoris, tametsi prævideat, id sine præjudicio aliorum creditorum fieri non posse.

303. Circumstantia Rapinæ, utpote specie differens a furto simplici, necessario in confessione est aperienda.

304. Potest subin mortaliter delinqui per ablationem furtivam materiæ de se levis; Hinc

305. Confessarius haud imprudenter faciet subin interrogando, an auferens materiam levem non habuerit animum, etiam gravem auferendi?

306. Videtur probabilius, etiam in casu extremæ necessitatis nefas esse auferre nimis pretiosa, vel summam nimis magnam.

307. Quando tota Respublica patitur vere gravem necessitatem, auctoritate publica licet divitibus auferre superflua ad eam sublevandam.

308. Idipsum probabiliter licet privato, quando is patitur necessitatem valde urgentem, quæ proxime degenerabit in extremam.

309. Qui in extrema necessitate constitutus, & simpliciter indigens, rem alienam consumpsit, probabilius non tenetur postea eam resarcire aut restituere.

310. Secus dicendum de eo, qui aliunde habuisset, unde viveret, vel qui non indiguit simpliciter re aliena, sed usu duntaxat rei.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de furto.

QUæres primo, quidnam prohibeatur vi septimi præcepti decalogalis: *Non furtum facies &c.?*

281. R. Vi hujus septimi præcepti prohibetur omnis actus proximo in bonis fortunæ injuriosus. Nempe ut Clementissimus DEUS tanquam vere misericors Pater suum in nos amorem monstraret, voluit vi Decalogi non solum vitæ, corpori & honori consulere, sed etiam bonis fortunæ, prohibendo ea injuste auferri, detineri, violari aut deteriorari. Tametsi autem vi hujus septimi præcepti solum videatur voluisse prohibere actum externum injustæ ablationis, vel violationis &c. &c. certum nihilominus esse debet, vi ejusdem præcepti pariter, saltem implicite, interdictam esse voluntatem internam furandi, vel damnificandi, a qua actus externus proficiscitur; id, quod amplius patet, si huic simul jungatur præceptum decimum Decalogi, sequentis tenoris: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.* Exod. 20. Hac de causa Doctores in Decalogum

calogum scribentes, communiter septimo præcepto solent conjungere decimum, sicuti sexto nonum, ob cohærentiam materiæ.

Hinc, quæ de actu externo furti dicemus, suo modo de actu interno furandi, damnificandi, &c. intelligenda sunt, licet secundum alibi dicta actus externus interno superaddat quodammodo malitiam.

Quæres jam secundo, quid sit furtum, & quale peccatum?

282. R. Ad primam partem hujus quæsiti, furtum est contrectatio occulta rei alienæ Domino rationabiliter invito. Ita Sporer *in decalog. tr.* 5. *c.* 5. *nu.* 4. & in re *communiter DD.* Dicitur autem 1. *contrectatio*, id est ablatio; per quod furtum distinguitur a pura damnificatione; nam si quis injuste v. g. comburat domum alienam, non est furtum, sed damnificatio: item si quis sartori acum auferat, & is propterea notabile damnum seu lucrum cessans patiatur, talis ablatio non erit grave peccatum furti, bene vero damnificationis, ut notat Fagundez & Moya apud la Croix.

Dicitur 2. *occulta*, id est talis, quæ fit sine vi, seu violentia Domino illata: & per hoc furtum distinguitur a rapina, quæ fit cum violentia. Dicitur 3. *rei*, scilicet externæ, sive mobilis, sive immobilis; hinc si quis partem domus aut agri alieni in suum dominium trahat injuste furtum Theologi, cum committit prout notat Lugo *de Just. disp.* 681. *num.* 14. Dicitur 4. *alienæ* sive hæc sit aliena quo ad dominium, sive saltem quo ad legitimam detentionem, seu etiam usum; hinc si Dominus directus rei subducat clam rem suam v. g. vestem, equum &c. inscio & rationabiliter invito commodatario, vel conductore, furti reus tenetur, quia res erat commodatarii, secundum quid saltem, puta legitimam detentionem, vel usum &c. &c. Additur tandem 5. *Domino rationabiliter invito*; quia si consentiat Dominus, aut non sit, nisi irrationabiliter invitus, non committitur furtum, hinc sæpe maritæ excusantur a furto, dum v. g. Maritis clam e saccis pecunias subtrahunt, ne eas male dilapident; item illi, qui gladium alteri auferunt, ne injuste occidat proximum. Videatur Henno *in decalog. disp.* 7. *q.* 1.

283. R. Iam ad alteram partem ejusdem quæsiti, furtum est peccatum mortale ex genere suo. Ita *omnes*. Ratio est: quia furtum non solum repugnat charitati proximo debitæ, sed & justitiæ, vi cujus jubemur unicuique reddere, & a fortiori relinquere, quod suum est: repugnat insuper bono communi; cujus pax & tranquilitas haud modice per furta perturbatur; unde nec mirum, quod furibus jure civili graves pœnæ decidantur: Et Apostolus 1. *Corinth.* 6. ait: *Neque fures ...... Regnum Dei possidebunt*. Dixi tamen: *ex genere suo*; certum quippe est, ratione parvitatis materiæ sæpesæpius non excedere culpam venialem; quis enim peccati mortalis condemnet auferentem diviti frustulum panis, vel unum assem? &c. &c.

Quæres tertio, quot sint species furti?

284. R. Species furti generice sumpti a Theologis recensentur duæ, scilicet furtum stricte sumptum, & 2. Rapina. Verum, cum nomine furti ut sic intelligatur *occulta ablatio rei alienæ*, Rapina autem non importet occultam, sed potius apertam ablationem, seu violentiam Domino illatam, hinc in rigore philosophico dici non debet species furti ut sic.

Quidquid tamen de hoc sit, in ordine ad praxin parum refert. Illud certum esse debet, etiam rapinam vi hujus septimi præcepti decalogalis esse interdictam. Certum insuper est, quod, si furtum vel rapina fiat circa rem sacram, vel non sacram e loco sacro, sub cujus custodia existit, comitti rapinam, vel furtum sacrilegum.

Dixi etiam *a Theologis* recenseri duas; nam *a Juristis* plures recenseri solent species furti, scilicet 1. *deculatus*: quo nomine intelligunt furtum circa res vel bona publica ad fiscum aut Principem pertinentia. 2. *Abigeatus*, qui comittitur, dum ex grege abiguntur plura pecora, etiam successive, vel etiam unum e majoribus v. g. bos, equus &c. etiamsi e stabulo abigatur, ut notat Illsung *tr.* 4. *disp.* 3. *num.* 131. 3. *Pelagiatus*, seu

seu *plagium*, quod fit, dum homo liber & invitus dolose intercipitur, venditur, abducitur (casus hisce temporibus non raro practicatus:) Et quia hæc possunt fieri cum diversis circumstantiis, utputa temporis, loci &c. &c. hinc juristæ aliud vocant *manifestum* aliud *non manifestum*, aliud *diurnum*, aliud *nocturnum*, aliud *qualificatum* (quod in jure habet speciale nomen, & punitur specialibus pœnis) aliud *non qualificatum* (quod non habet speciale nomen & pœnam in jure &c.) Verum hæc in foro Theologico parum facessent negotii Confessario; unde sufficiat ea insinuasse.

Quæres quarto, quænam quantitas materiæ sit necessaria ad constituendum peccatum mortale furti?

285. Ante responsionem notandum 1. apud omnes in confesso esse, ad furtum grave constituendum requiri ablationem materiæ gravis; verum in determinanda hac gravitate DD. minime conveniunt, quin potius nimium variant, ita ut vix non tot diversas reperire sit sententias, quot capita. Nonnulli antiquiores laxam nimis incedentes viam, existimarunt, centum aureos denique esse materiam gravem furti: econtra alii nimis rigide sentientes, putarunt medium Julium (id est, quatuor nostros crucigeros, vel paulo plus) sufficere: alii assignarunt unum Regalem, id est, octo nostros crucigeros, vel paulo amplius: alii quatuor vel quinque nostrates pazios: alii medium nostratum florenum aut medium talerum: alii denique generatim unum, vel duos aureos determinant, nomine, aurei intelligendo dugatum, valentem quatuor circiter florenos, vel paulo plus. Ex quo liquet, rem hanc esse valde ambiguam, & hoc ipso determinatu difficilem. Quocirca ut quantum possibile est, via clariore ac securiore incedamus.

286. Notandum secundo, a multis Doctoribus materiam furti aliam dici *absolute* gravem, aliam *respective* gravem. Absolute gravem dicunt, quæ absque consideratione circumstantiarum alicujus personæ sufficit respectu omnium ad peccatum mortale, seu, quam quicunque denique, & a quocunque aufert, peccat mortaliter. Respective autem gravis dicitur illa, quæ non secundum se, sed solum habito respectu ad conditionem, divitias, vel potius ad facultates & media illius personæ, cui aufertur, dicitur gravis; quo fit, ut materia respectu unius v. g. pauperis ex eleemosyna viventis, vel mechanici ex diurno labore victitantis merito reputetur gravis, & ad peccatum mortale sufficiens, quæ tamen respectu alicujus ditissimi (quales regulariter sunt magni Principes aut Reges &c. Nobiles & Mercatores valde opulenti &c.) non sufficeret: his notatis.

287. R. Jam ad quæstionem 1. Materia furti in foro Theologico absolute gravis, & respectu cujuscunque etiam ditissimi sufficiens ad mortaliter peccandum, est unus aureus, id est, quatuor circiter floreni, vel paulo amplius. 2. Materia autem furti respective gravis illa censeri debet, quæ sufficeisset, aut necessaria fuit ad comparandum victum pro uno die, statui & conditioni personæ, cui aufertur proportionatum.

Primam partem hujus resolutionis tenent Lugo *de Just. tom.* 1. *disp.* 16. *sect.* 2. *n.* 28. Bonacin. *de Rest. disp.* 2. *q.* 8. *p.* 1. *n.* 7. Lessius *de J. & J. l.* 2. *c.* 12. *dub.* 6. *n.* 29. referens pro eadem opinione Navarrum & Sotum. Secundam partem tenent Sporer *tr.* 5. *decalog. c.* 5. *num.* 29. Mezger *tom.* 3. *tr.* 12. *disp.* 40. *art.* 1. *n.* 7. la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 987. Bebenstuber *tr.* 7. *disp.* 5. *art.* 5. *n.* 13. Laymann *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 3. quibus subscribit noster P. Holzmann *tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 2. *n.* 731. & 732. Ratio primæ partis est: quia illa materia prudenter reputatur absolute gravis, ob cujus ablationem quivis etiam ditissimus Dominus prudenter, ac merito censetur graviter invitus: atqui ob ablationem furtivam aurei unius (vel certe ut volunt Sporer *l. c.* & la Croix *nu.* 986. duorum) quivis etiam ditissimus merito censetur graviter invitus, prout experientia probat: ergo &c.

Confir. ex eo: quia si semel absque reatu culpæ mortalis & pœnæ æternæ liceret auferre unum dugatum, tunc homines, utpote parum abhorrentes a peccatis merum venialibus, & rei alienæ cupi-

cupidi, fortiter allicerentur ad auferendas hujusmodi summas, ex quo toti communitati, seu societati humanæ imminere ingens damnum habituale ac perturbatio: atqui illud, ex quo toti communitati imminet hujusmodi damnum habituale, communi hominum existimatione censetur ab ipsa natura & Auctore naturæ graviter prohibitum, veluti constat de procuratione pollutionis, aut de fractione sigilli sacramentalis, & aliis similibus; ergo ablatio unius aurei (vel ad summum duorum, ut nonnulli volunt) merito reputatur materia furti absolute gravis.

288. Ratio secundæ partis est eadem: quia illa quantitas materiæ prudenter reputatur respective gravis, ob cujus injustam ablationem Dominus merito, ac prudenter est graviter invitus: at, si cuipiam auferas victum diurnum, id est, quantum pro victus diurni solutione suffecisset v. g. Mercatori valde opulento tres florenos, civi mediocriter diviti unum florenum, opifici 4. aut quinque pazios, denique pauperi mendico aliquot pauculos nummos &c. non minus rationabiliter censentur graviter inviti, quam ditissimus, cui abstulisti unum dugatum: ergo quantitas victus diurni simul ablata, merito statuitur materia respective gravis, & in foro Theologico sufficiens.

289. Dixi: *in foro Theologico sufficiens* &c. aliud quippe est in foro civili, in quo gravitas furti non attenditur ex respectu ad personam particnlarem, sed potius ex respectu ad bonum commune, seu damnum habituale communitati imminens: & ob id in foro juridico, præsertim quantum ad pœnas infligendas a Judice, furtum absolute grave dicitur ablatio quinque aureorum seu solidorum aut dugatorum, quorum quilibet valet quatuor florenos & decem cruciferos: quidquid vero non adæquat quinque solidos, aut dugatos, reputatur materia furti levis, prout colligere licet ex *constit. pœnalib. Caroli V. art.* 160. Dixi insuper: *simul ablata*; nam si talis materia successive, & per partes auferatur, præsertim a domesticis, Domini non censentur tam graviter inviti, proptereaque non tam facile peccatur mortaliter auferendo successive, quam auferendo simul, veluti dicemus in Conferentia proxima *a num.* 325.

Quæres quinto, an etiam ille possit dici fur, qui pro statu suo servando v. g. ad victum vel vestitum &c. facit tot ac tantas expensas, quibus solvendis scit se imparem fore?

290. R. Quod non. Ratio est: quia non accipit alienum occulte, prout ad furtum proprie dictum requiritur. Nihilominus dici potest injustus damnificator: quia hoc modo causat Domino damnum, quod nunquam amplius recuperabit. Et certe, si Dominus hoc prævidisset, tali debitori nihil unquam dedisset: neque videtur licitum statum suum gerere, nisi quantum fieri potest salvo aliorum jure, & sine aliorum damno: ideoque tenebitur talis paulatim aliquid de statu detrahere. Ita Burghaber *cent.* 3. *cauf.* 44. quem sequitur la Croix *lib.* 3. *p.* 2. *n.* 17.

Quæres sexto, sitne licitum furari in gravi, vel saltem in extrema necessitate?

291. R. Furari proprie loquendo nunquam licet, nequidem in extrema necessitate; quia furtum est intrinsece malum. Verum si furtum sumatur improprie, prout idem importat, ac auferre seu surripere rem alterius, tunc respondendum ad hunc statum quæstionis conformiter ad dicta *de Restitutione Confer.* 12. *n.* 268. scilicet, fas esse surripere rem proximi in casu extremæ necessitatis, nisi Dominus ipse supponatur in eadem necessitate constitutus, non item in casu necessitatis gravis, aut communis duntaxat. Ratio prioris est: quia si auferas rem alterius in casu extremæ necessitatis (quo scilicet vita, libertate &c. periclitaris) Dominus nequit rationabiliter esse invitus: esto enim jure gentium fuerit introducta rerum divisio, vi cujus res ad dominum suum supponitur pervenisse; nihilominus hæc divisio humano jure facta non potuit præjudicare juri naturæ, quæ voluit in extrema necessitate omnia esse communia; cum hæc bona temporalia non fuerint a DEO data, nisi ob conservationem hominis, seu vitæ humanæ: at, eo ipso, quod Dominus pro tali casu nequeat esse rationabiliter invitus, abla-

tio nequit dici furtum &c. ergo &c. Ratio autem posterioris est : quia si propter magnam necessitatem duntaxat f s esset alteri suum auferre, nulla amplius esset securitas, sed via plana sterneretur furtis ac rapinis, non sine maxima perturbatione Reipublicæ, dum quilibet facile sibi persuaderet, se nedum in communi, sed magna necessitate constitutum, proptereaque sine rubore alteri auferret, quod suum erat. Hinc Innocentio XI. jure meritissimo damnavit sequentem (*num.* 36.) propositionem, *permissum est furari nedum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*. Videantur, quæ de hac re diximus *de Restit. l. cit.* ubi etiam *n.* 271. delaravimus, quid intelligatur nomine *extremæ*, *gravis*, & *communis necessitatis*: vel si hæc non sufficiunt, plura videri possunt apud la Croix *l.* 3. *p.* 1. *nu.* 948. Viva ad *cit. propos. Cardenas in* 2. *Cris. dissert.* 23. *c.* 1. *a.* 1. & alios passim.

Quæres septimo, an dici possit furari, qui utitur occulta, seu tacita compensatione;

292. R. quod non, modo serventur conditiones debitæ ad compensationem occultam. Ita omnes teste Lugo *de Just. disp.* 16. *num.* 86. apud la Croix *cit. num.* 959. Ratio hujus est : tum quia per occultam compensationem fit procuratio æqualitatis : ergo non est contra, sed potius secundum justitiam, quippe quæ intendit æqualitatem; tum etiam, quia tacita compensatione utens accipit rem æquivalenter suam : supponitur enim, creditorem tantundem accipere, quantum sibi debetur vel de ære, vel de bonis debitoris : ergo non committitur furtum. Objectiones contra hanc resolutionem fieri solutas apud la Croix *cit. num.* 960.

293. Dixi tamen : modo serventur conditiones debitæ, quæ sunt sequentes. 1. Ut debitum sit strictum, atque justitiæ, non vero solius convenientiæ, aut gratitudinis. Ut sit certum ac liquidum, non vero merum probabile, vel omnino dubium. 3. Ut res, quæ accipitur si res debitoris, & ut 4. fiat cum minimo damno hujus. 5. Ut non possit facile aliter recuperari. 6. Ut, quantum est possibile, fiat in eadem specie, utputa debitum pecuniarium in pecunia, vini in vino, frumenti in frumento &c. 7. Ut fiat damno & præjudicio tertii, quale huic potest emergere, casu quo res fuisset sibi locata, aut commodata. Rationes horum videri possunt apud Lessium, Sporer, Illsung, Lugonem, la Croix *cit. a num.* 961. & alios plures.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de furtis, & quantitate materiæ ad furtum grave necessariæ.

CASUS PRIMUS.

T*Itius culinæ & victualium præfectus apud quendam Principem, sat multa esculenta liberalissima manu impendit, tum propriæ familiæ, tum etiam aliis bonis amicis; quibus non raro convivia extraordinaria, vel (uti vocant) Merendas, seu Refocillationes &c. parare consuevit, & quidem ex cella penaria Principis. Tandem partim timore reddendæ rationis seu villicationis, partim etiam conscientiæ stimulis excitatus, sciscitatur e Confessario, an protinus tuta conscientia practicare hoc liceat? Quid huic Confessarius Respondebit? An Titium gravis peccati condemnaait? An ad restitutionem obligabit?*

294. R. Minime dubitandum, quin Titius peccaverit mortaliter. Ratio est : quia cum non fuerit Dominus victualium, sed dispensator duntaxat, non potuit tuta conscientia plus de esculentis (etiam e tabula Principis restantibus) aliis vel familiaribus vel amicis tribuere, aut donare, quam Princeps seu Dominus concessit, aut concessisse prudenter præsumi potest : at non potest prudenter præsumi, voluisse Principem, ut dispensator pro suo libitu suis familiaribus, aliisve amicis, tam liberaliter dispensaret, etiam adornando convivia, recreationes &c. &c. ergo procul dubio graviter peccavit. Sapienter prodein faciet Confessarius, examinando hujusmodi pœnitentem, an putet, quod Principes (vel quicunque demum Dominus, id resciens fuisset contentus, vel non?

non ? vel : an hoc fuisset ausus practicare, tametsi scivisset, Principi aut Domino rem totam postea detectum iri ? procul dubio fatebitur, se nequaquam fuisse ausurum; quod evidens signum est, eum mala fide processisse, & quidem in materia gravi; consequenter mortaliter peccasse. Neque de facili præsumi debet, Dominum non esse contrarium; quia ex tali praxi etiam Principi ditissimo emergere potest grave damnum, vel detrimentum.

295. R. Jam ad alterum quæsitum. Titium per se loquendo esse obligandum ad restitutionem; quisquis enim alium injuste damnificat &c. &c. jure naturali tenetur ad recompensationem damni, secundum dicta de *Restitut. Conf.* 3. *num.* 67. Verum cum in talibus circumstantiis vix ulla appareat spes persuadendæ Titio restitutionis, fortassis omnino impossibilis, ob quantitatem damni Principi illati, & ipse etiam pœnitens hactenus nunquam videatur apprehendisse obligationem hanc, neque ex tali nimium liberali dispensatione evaserit ditior; hinc oportet quam cautissime examinare, & bene ponderare omnes circumstantias; quibus perpensis si apparet, Titium nunquam apprehendisse hanc obligationem, immo hanc nunquam eidem cum effectu persuasum iri, præsertim si aliunde non habeat multam substantiam, Confessarius prudenter aget, dissimulando, vel præscindendo ab hac obligatione. Necessum tamen omnino erit, ut eidem serio interdicat hanc praxin injustam, efficaciter persuadendo, ac inculcando hanc, velut universalem Regulam: *Ei, velut dispensatori duntaxat, & non Domino, haudquaquam plus licere dispensare aliis, quam prudenter de benignitate vel Clementia sui Principis, aut Domini præsumere potest*. Juvabit insuper eundem admonere periculi, cui sese exponit, casu quo res hæc tandem innotuerit suo Principali, nec non obligationis, infallibiliter deinceps contrahendæ, resarciendi scilicet hujusmodi damna. Nec dubium, quin (si tamen ratione ducatur) deinceps sit cautius processurus, & positurus metam nimiæ liberalitati, vel potius damnabili prodigalitati suæ.

Sed quid, ais, de illis famulis aut famulabus tenendum, qui de bonis dominorum suorum huic vel illi pauperculo modo dant frustum panis vel carnis, modo offam vel haustum &c. eo quod ab iisdem subleventur in suis laboribus in commodum Dominorum?

296. R. Hanc largitatem famulorum aut famularum neque universaliter approbandam, neque reprobandam esse a Confessario. Non reprobandam quidem; quia subin dantur Domini, qui non solum minime contradicunt, sed potius approbant, immo mandant, ut pauperibus moderatas eleemosynas distribuant. Neque etiam approbandam, universaliter; tum quia Confessarius non est Dominus, & hoc ipso nil potest auctoritative disponere quantum ad elargitionem eleemosynæ; tum etiam quia si Confessarius universaliter approbaret, famuli aut famulæ de facili excederent, non sine damno, & præjudicio Dominorum. Et licet dicant, se a pauperibus sublevari quantum ad labores, & quidem in commodum Dominorum, experientia tamen certa constat, plerumque hujusmodi labores a pauperculis peragi, non tam in commodum Dominorum, quam famularum, quarum inertia & desidia propterea non modice fovetur; propterea que credi potest, id fieri contra voluntatem & mentem Dominorum. Oportebit proin similibus serio inculcare Regulam mox traditam, scilicet: *quod in similibus plus non liceat facere, quam quantum de voluntate Dominorum prudenter præsumere licet*: hæc autem præsumptio, ut fiat prudenter, vel maxime attendi debent circumstantiæ, præsertim an Dominus sit valde dives, an liberalis &c. an nunquam contradixerit, & potissimum, an credatur non contradicturus, tametsi resciret, hoc vel illud a famulo erogari in eleemosynam &c. Videatur Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 9. *dist.* 5. *n.* 38. Lugo *de Just. disp.* 16. *Sect.* 4. *num.* 67. Sporer *Theolog. mor. tr.* 5. *c.* 5. *num.* 50.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius Mercator olim satis potens animadvertit se (nescio quo fato) brevi ad incitas redigendum; hinc ut in futurum sibi prospiceret, ab alio quodam amico ingentem summam postulavit ad aliquot menses, interea ab alio rursus aliam notabilem summam, vi quarum & capitale & interesse prioris summæ elapso termino exacte persolvit: hoc cum aliquoties repetiisset, ingenti tandem summa comparata subito evanuit, & evasit, nunquam amplius reversus, nec aliud quidpiam, præter insignem summam debitorum post se relinquens. Quid jam Confessarius cum tali pœnitente aget? quid de eo feret judicii?

297. R. Conformiter ad dicta *n.* 290. Sempronium in rigore loquendo haud equidem dici posse furem; eo quod rem alienam (pecunias scilicet) non acceperit occulte, sed potius sciente & consentiente Domino: quia tamen id fecit animo nunquam amplius restituendi eam summam; hinc minime dubitandum, quin injuste damnificando tot commiserit peccata mortalia, quot subdole Dominos induxit ad mutuandam sibi pecuniam. Ex quo prudens Confessarius facile concludet, Sempronium esse obligandum, ut pecunias (si quas adhuc fortassis habeat) restituat Dominis, a quibus eas credito accepit; quod quidem haud difficulter præstare poterit, sin minus per se, saltem per alium tertium, sin autem nil amplius habeat, sufficiet eidem serio inculcasse obligationem satisfaciendi suis creditoribus injuste defraudatis & damnificatis, casu quo tandem ad meliorem fortunam rediret: neque dubitandum, quin hanc suam obligationem facile capturus sit, difficulter tamen, vel nunquam prorsus executurus. Verum Confessarius obligationem inculcando, suo faciet muneri satis, poteritque etiam talem pœnitentem tuto absolvere a peccatis, modo in eodem deprehendat serium dolorem, & firmum propositum obligationi suæ, cum primum moraliter potuerit, satisfaciendi.

Sed quid, ais, tenendum de illo studioso pauperculo, qui tempore vacantiarum subsidiis honeste vivendi destitutus, finxit se esse Candidatum, ad certam Religionem susceptum, & assumptis aliquot condiscipulis accessit quendam Cauponem ditissimum, asserens se a certo quodam Parocho Cauponi notissimo (quem mendaciter dixerat suum esse cognatum) illuc missum recreationis & valedictionis causa: jussit proin pro se & sociis suis parari cibos, adornari solenne convivium, cui & Parochum cum nonnullis aliis interessurum dictitaverat: post unum vero, alterumve diem splendidissime & opipare transactum cum suis sociis clam abiit, relictis multis debitis ultra 30. florenos excurrentibus?

298. R. Ex proxime dictis facile quisque prudentum colliget, de hoc studioso, ejusdemque sociis vix non idem judicium esse ferendum, quod de Mercatore in casu proxime relato, nisi quod hi fortassis unicum duntaxat numero peccatum commiserint, utpote idem jus, ex eadem moraliter nunquam interrupta intentione violantes, licet tanto gravius, quanto successive majus damnum intulere Hospiti seu Cauponi.

Quia tamen in hoc casu apparet major spes, aliquando refundendi totum hoc damnum, quam in priori, ubi summa erat incomparabiliter major; hinc tanto efficacius a Confessario inculcanda est obligatio, scilicet suo tempore, ubi studiosi vel antesignanus eorum ad meliorem fortunam eluctatus fuerit, totum damnum refundendi, quantum moraliter fuerit possibile.

Sed nunquid etiam in solidum?

299. R. Antesignanus procul dubio tenetur in solidum, quippe qui totius damni moraliter loquendo causa exstitit. Quin & de reliquorum quovis idipsum tenendum est, si supponantur communi consilio, & scienter id fecisse; quia ex hac suppositione quivis eorum in morali hominum existimatione fuisset causa totalis damni, sin minus totalitate effectus, saltem totalitate causæ. Verum si reliqui bona fide processissent, utpote persuasi, illum antesignanum esse revera Candidatum susceptum, a Domino Parocho illuc missum &c.

ad nil tenerentur; quia rem alienam bona fide supponuntur consumpsisse, & inde parum, vel nihilo ditiores evasisse. Videatur de hoc Lessius *l. 2. de J. & J. cap. 13. n. 32. & seqq.* Reiffenstuel *Theolog mor. tr. 9. dist. 5. n. 62.*

CASUS TERTIUS.

C*Ajus Principi suo (utut nolens & invitus) tenebatur præstito dare summam sat notabilem, aliquot scilicet millium: & quia rationabiliter non amplius sperare poterat vel ipsam summam, vel interesse summæ sibi promissum; hinc subtrahendo vectigalia eidem Principi debita hactenus pro viribus clam compensare studuit. Verum cum idem Princeps haud pridem cuidam alteri eadem vectigalia elocaverit, hinc Cajus sciscitatur e Confessario, an protinus non obstante hac locatione sibi liceat uti tacita compensatione, defraudando scilicet vectigalia &c. Quid ad hæc Confessarius respondebit?*

300. R. Confessarius dicat, id non esse licitum. Ita Corduba, Reginaldus, Sporer, la Croix *l. 3. p. 1. n. 970.* contra Lugonem, Bonac. Sanchez & nonnullos alios, quorum opinionem & ego olim secutus fui *de Restitutione Conferent. 1. n. 13.* Verum re melius perpensa, censeo jam, hanc sententiam multo probabiliorem. Ratio hujus nostræ resolutionis est: quia Cajus nequit tacite compensare suum debitum, nisi ex bonis Principis: atqui gabellæ, utpote justo contractu alteri locatæ, jam non sunt bonum Principis, sed locatarii: ergo ex his non licet compensare totum damnum: id, quod confirmari potest efficaciter; nam ex eo, quod conductor emerit suo modo jus gabella rum, non suscepit in se obligationem solvendi alia debita a Principe facta; quemadmodum si ab alio cive emisset agrum, vel jus percipiendi fructus ex eo, non ideo censeretur in se suscipere voluisse obligationem solvendi alia debita illius civis: neque potest talis voluntas prudenter præsumi de quovis tempore aut conductore: ergo Cajus nequit tuta conscientia compensare suum debitum ex gabellis, nisi quamdiu hæ pertinent ad Principem; atqui ad Principem non amplius pertinent, utpote alteri justo contractu elocatæ: ergo &c.

Dices contra hanc resolutionem. Princeps ipse non potuisset juste exigere gabellas a Cajo cum huic aliunde plus debeat: ergo nec Conductor potest exigere, quia hic non potuit aquirere majus jus, quam habuerit ipse Princeps.

301. R. *negando antecedens* absolute, vel *distinguo*. Non potuit Princeps a Cajo exigere gabellas, & hoc ideo, quia fuerunt injustæ *nego*, quia aliunde erat debitor Caji *transf. antec.* & *neg. conseq.* cum enim Conductor gabellarum nihil omnino debeat Cajo, hinc cessat justa causa compensandi a Conductore. Dixi etiam *transeat*. Non enim apparet ulla ratio, cur Princeps Cajo debitum debuerit refundere potius ex gabellis, quam ex aliis bonis suis: & certe, si ex aliis bonis suis refudisset, potuisset gabellas juste exigere a Cajo: ergo cum gabellas alteri locaverit, potius præsumendum videtur, voluisse reservare onus satisfaciendi Cajo ex aliis bonis.

Sed quid, ais, si Cajus penes se habeat v. g. gemmam, vel aliud qui magni pretii, simulque prævideat, debitorem suum non posse solvere aliis omnibus creditoribus æquale jus, vel omnino prius & potius jus habentibus, poteritne tuta conscientia rem debitoris sui apud se retinere, & ex ea totum suum debitum compensare sine respectu ad aliorum debita?

302. R. Cum distinctione. Vel enim Cajus supponitur penes se habere gemmam &c. loco pignoris sibi datam, vel non? si prius, potest eam sibi retinere, donec sibi solvatur debitum. Ita Tamburinus *l. 8. tr. 2. c. 5. §. 7. a n. 3.* Sporer *tr. 5. c. 5. n. 82.* la Croix *l. 3. p. 1. n. 969.* quia possidenti rem in pignus datam, jam patrocinatur titulus possessionis, vi cujus respective evadit melioris conditionis, quam alii creditores. At vero, si Cajus rem debitoris penes se habeat, absque eo, quod fuerit sibi oppignorata, videtur probabilius, quod nequeat ex ea compensare totum suum debitum, sed pro rata tantum, & cum proportione ad aliorum debita.

Ita Lugo *de Just. disp.* 22. *n.* 127. eumque secutus la Croix *l. cit.* Ratio est: quia cum supponatur illam præcise possidere nomine debitoris, talis possessio nihil favet Cajo, nec per eam fit melioris conditionis, quam alii creditores, præsertim anteriores: ergo si aliunde non habeat alium titulum præferentiæ, probabilius non licebit inde debitum suum, nisi pro rata compensare, ita scilicet, ut si Cajo debeantur mille, alteri vero duo millia, & huic ex re Creditoris non obveniant, nisi mille, Cajo non licebit ex ea compensare, nisi quingentos.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

303. Colliges ex hactenus dictis primo, Rapinam specie differre a furto simplici, & ob id hanc speciem necessario esse exprimendam in confessione. Ratio est: quia per rapinam non solum fit injuriosa ablatio rei alienæ, ut in furto simplici, sed insuper infertur injuriosa violentia personæ Domini præsentis & renitentis; quam gravem injuriam Confessarius nunquam potest intelligere ex sola confessione furti simplicis, ut de se liquet. Notant tamen Molina, Lugo, & alii, necessum non esse, ut vis inferatur immediate personæ ipsius Domini, sed sufficere, eam inferri vel personæ Domini, vel alteri rem legitime detinenti. Videantur Lugo *de Just. Disp.* 16. *sect.* 8. *n.* 13. Haunoldus *de Just. tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 264. Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 5. *art.* 5. *n.* 7.

304. Colliges secundo, subin mortaliter peccari posse, per ablationem rei modicæ, si nimirum exinde grave damnum, vel jactura magni lucri cessantis Domino emergat; ut si cuidam artifici instrumentum necessarium auferas, defectu cujus non amplius possit lucrari panem necessarium &c. Ita *ex communi* DD. Lessius *de J. & J. l.* 2. *c.* 12. *n.* 33. Laymann. *l.* 3. *tr.* 3. *part.* 1. *c.* 1. *n.* 3. Ratio est: quia inferre proximo grave damnum injuste, non vacat culpa mortali: atqui hoc supponitur fieri in nostro casu: ergo &c.

Quocirca tamen sapienter animadvertit Lessius *cit. n.* 34. quod, tametsi in tali casu committatur grave peccatum contra justitiam, ratione damni injuste illati, non tamen committitur grave furtum, prout jam supra & nos animadvertimus. Ex quo consequens est, talem non incurrere casum reservatum, tametsi reservatum alicubi supponatur furtum grave.

305. Colliges tertio, Confessarium equidem non teneri interrogare ex pœnitente de levi furto sese accusante, an ex tali non fuerit Domino subsecutum grave damnum; quandoquidem regulariter tale non solet sequi; nihilominus oportet etiam tales subin interrogare, an non forte habuerint animum plura, & majoris pretii &c. surripiendi, casu quo occasionem habuissent; Ita sapienter Laymann *l. cit.* & Sporer *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 33.

Ratio est: quia experientia multiplici constat, homines huic artificio (clependl scilicet) deditos plerumque intendere quæque sibi arridentia auferre, ita, ut si opus seu effectus non semper correspondeat, id minime defectui intentionis, sed occasionis duntaxat imputandum sit: quo fit, ut licet tales non peccent mortaliter in effectu, nihilominus mortaliter delinquant in affectu, juxta illud D. Hieronymi *in Epist. ad Tit. c.* 2. *fur non solum in majoribus, sed etiam in minoribus* (pro foro conscientiæ) *judicatur; non enim id, quod furto ablatum est, sed mens furandi attenditur.*

306. Colliges quarto, quod, tametsi secundum dicta superius *n.* 291. extreme pauper possit sibi surripere necessaria ad sustentationem; cum jure naturali possit, immo teneatur conservare vitam; probabilius tamen ne quidem in tali casu liceat surripere rem valde pretiosam v. g. ter mille aureos, vel aliud æquivalens &c. maxime si hoc esset necessarium ad sustinendum statum alterius, vel si alter propterea esset in gravia mala lapsurus. Ita Lugo *disp.* 16. *a num.* 147. Tambur *l.* 8. *tr.* 2. *c.* 6. *§.* 2. *num.* 1.

Ratio est: quia nec charitas, neque ulla alia virtus videtur obligare ad conservandam vitam propriam cum tanto dam-

damno ac dispendio proximi. Unde dictum illud: *in extrema necessitate omnia fieri communia*, non debet intelligi de omnibus absolute, & quæ sunt extraordinaria, nec nisi cum maxima jactura proximi obtinibilia, sed de iis, quæ sunt ordinarie necessaria. Ita Hannoldus *tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 345. la Croix *cit. n.* 953. ubi is tamen putat, oppositam sententiam etiam esse probabilem, secundum quam pauper extreme indigens, posset surripere pretiosa. Videatur etiam de hoc, si placet, Pontas *in Dictionar. Casuum V. furtum Resp. ad Casum* 9.

307. Colliges quinto, Casu quo tota Respublica esset in vere gravi necessitate, licitum esse auctoritate Principis aut Reipublicæ divitibus auferre superflua, quæ, & quantum necessaria sunt ad Rempublicam conservandam. Ita post S. Thom. Cardenas *in secunda crisi dissert.* 23. *c.* 1. *a* 3. *n.* 16. Ratio est: quia necessitas gravis Reipublicæ æquivalet, immo superat necessitatem cujuslibet privati; tum etiam, quia aliunde constat, bonum totius Reipublicæ præferendum esse bono privato cujusvis.

Sed quid, inquies, si privatus patiatur necessitatem nondum quidem extremam, sed valde urgentem, quæ proxime verget in extremam?

308. R. In tali casu etiam cuilibet privato fas esse surripere necessaria ad illam sublevandam. Ita Lessius *l.* 2. *c.* 12. *n.* 71. Haunoldus *de Just. to.* 1. *tr.* 2. *a n.* 347. Sporer *n.* 103. Cardenas, Lugo & alii. Ratio est: quia in tali casu extrema necessitas censetur jam moraliter saltem præsens, cum sit proxima: vel certe necessitas tam urgens eidem æquivaleat: ergo quemadmodum in necessitate extrema fas est proximo surripere ea, quæ ad hanc sublevandam sunt necessaria, ita & in tali casu licet &c. Et hanc sententiam Tamburinus *l. cit.* §. 1. dicit esse certam.

309. Colliges tandem sexto, neminem per se loquendo teneri ea resarcire, aut restituere, quæ urgente hujusmodi extrema necessitate simpliciter indigens surripuit, & consumpsit. Ita Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 2. quem sequitur Henno *in decalog. disp.* 7. *q.* 4. *concl.* 3. & alii *satis communiter*. Ratio est: quia nemo tenetur per se loquendo restituere, nisi detineat alienum, vel certe illud auferendo & consumendo alteri fecerit injuriam: at, qui rem usu consumptibilem in casu extremæ necessitatis surripuit & consumpsit, nihil amplius detinet, ut supponitur, neque etiam fecit alteri injuriam, cum habuerit jus surripiendi, secundum dicta *n.* 291. ergo non tenetur postea ea resarcire.

310. Dixi tamen: *per se loquendo*; nam si re aliena non indiguit simpliciter, sed secundum quid duntaxat, eo scilicet, quod re propria, quam alibi in re, vel certe in spe habebat, caruerit &c. tenetur postea restituere; quia cum talis non sit re ipsa pauper, nequit ab alio rem sibi necessariam gratis prætendere. Similiter si tempore extremæ necessitatis non indiguit simpliciter re aliena, utpote usu unico non consumptibili, sed usu duntaxat illius v. g. equi ad evadendam necessitatem &c. tenetur postea rem illam restituere; non enim potuit vi necessitatis plura sibi arrogare, quam quantum indiguit: ergo si non indiguit v. g. equo simpliciter, sed solum secundum quid, id est, usu equi, tenebitur postea hunc restituere secundum *communissimam DD.*

CONFERENTIA
UNDECIMA
De Furtis minutis, præsertim domesticorum &c. &c.

SUMMARIUM.

311. *Ex pluribus furtis minutis tandem fit grave.*
312. *Hinc graviter peccat, qui ex intentione congregandi magnam summam eidem Domino sæpius furatur modica.*
313. *Item, qui in ultimo furto advertit gravitatem damni Domino inferendi.*
314. & 315. *Solvuntur duæ objectiones in contrarium.*
316. *Graviter insuper peccare potest, qui a plu-*

a pluribus modica furatur.

317. *Possunt fieri a pluribus furta minuta, vel communicato inter se consilio, vel sine tali.*

318. *Quando plures communi consilio furta minuta committunt, & grave per hoc damnum inferunt, singuli graviter peccant.*

319. *Secus dicendum, si id contingat sine dependentia vel consensu, aut conspiratione plurium.*

320. & 321. *Occurritur rursum duabus instantiis in contrarium fieri solitis.*

322. *Famuli & ancillæ per furta minuta Domino grave damnum inferentes, graviter peccant.*

323. *Idipsum tenendum de filiis respectu Parentum.*

324. *Nec non de Uxore respectu Mariti.*

325. *Traduntur breviter quinque regulæ, pro dignoscenda seu colligenda gravitate peccati in furtis minutis.*

326. *Resolvitur Casus I. de quodam Praxatore, qui praxando cerevisiam justo tenuiorem graviter defraudavit certum quendam Comitem.*

327. *Quæ resolutio ulterius extenditur ad alios consimiles &c.*

328. *Quomodo peccet, qui cognito damno per furta minuta jamjam illato, nihilominus pergit defraudare, vel furari.*

329. *Resolvitur Casus II. de quodam filio Mercatoris, qui notabilem summam a suo Parente obtentam dilapidavit, & merces minori pretio divenditas prodegit.*

330. *An, vel qualiter Emptores talium mercium peccent.*

331. *An filius gerens negotia Parentis possit juste ab hoc prætendere salarium.*

332. *Resolvitur Casus III. cujusdam Uxoris assuetæ clam subtrahere de bonis sui Mariti.*

333. *An, vel quantum sine peccato licuerit subtrahere.*

334. *Solvitur objectio contra hanc resolutionem.*

335. *Ad dignoscendam gravitatem peccati in furtis minutis, a Confessario vel maxime attendendum est ad circumstantias quis, quid, ubi quomodo, qnando &c. &c.*

336. *Falsificantes pondera & mensuras cum damno communitatis, graviter peccant, & tenentur ad restitutionem.*

337. *Fur detinendo materiam gravem per furta minuta sublatam, graviter delinqueret, tametsi auferendo nunquam graviter peccasset.*

338. *Ad effugiendum tamen peccatum mortale injustæ detentionis sufficit, restituisse partem illam, vi cujus damnum grave complevit.*

339. *Solvitur objectio in contrarium.*

340. *Recensentur aliquot Casus, in quibus filius clam subtrahendo de bonis Parentum non est condemnandus peccati gravis.*

341. *Rursus alii, in quibus Uxor non est condemnanda.*

342. *Famuli aut ancillæ promittentes se velle orare pro iis, quibus subtraxerunt &c. tam facile non sunt audiendi a Confessario, vel ab onere restitutionis absolvendi.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de furtis minutis.

QUæres primo, an, vel quomodo plura furta minuta possint constituere furtum grave, seu mortale?

311. R. Plura minuta furta possunt constituere furtum grave seu mortale, non quidem formaliter, quasi vero plures malitiæ veniales tandem fierent una malitia gravis seu mortalis, sed objective & *materialiter*, ita scilicet, ut materiæ leves per plura furta minuta ablatæ tandem compleant grave damnum, & ratione hujus in morali hominum existimatione quodammodo concrescant. Ita *communiter* DD. videndi apud P. Sporer *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 34. & *seqq.* Pro cujus pleniori intelligentia animadvertendum, hujusmodi furta minuta multifariam committi posse. 1. Sic, ut una & eadem persona sæpius furetur modicum quid eidem personæ. 2. Ut eadem persona furetur modicum diversis personis. 3. Ut plures furentur eidem personæ, & quidem singuli modicum

dicum. 4. Ut auferens modicum habeat animum per frequentia furtula grave damnum inferendi. 5. Ut non habeat talem animum, reipsa tamen grave damnum inferat, ita Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 5. *a* 5. *n.* 18. Hinc jam

Quæres secundo, quomodo peccet, qui eidem Domino sæpius aufert modicum quid?

312. R. 1. Qui repetitis vicibus eidem Domino furatur modicum quid (ne fortassis notetur) animo furandi successive magnam quantitatem &c. in singulis furtis peccat mortaliter. Ita Sanchez *lib.* 7. *decalog. c.* 21. *num.* 2. Lessius *l.* 2. *c.* 12. *dub.* 7. *n.* 36. Lugo *tom.* 1. *disp.* 16. *sect.* 3. & alii *DD. communiter.* Ratio est: quia talis intendit mortaliter malum, scilicet injustum damnum proximi, & quidem grave, quod executive vult inferre mediantibus furtis minutis: atqui media sumunt suam malitiam a fine: ergo cum finis sit mortaliter malus, etiam furta minuta, ceu media in hunc finem assumpta, participant eandem malitiam.

Quocirca tamen recte notat Sporer *l. cit. num.* 35. non committi tot numero distincta peccata mortalia, quot furta minuta, sed unum duntaxat; eo quod hæc omnia furta minuta simul sub una intentione principali uniantur, tanquam continua una executio illius intentionis mortalis, prout dicitur in materia *de peccatis*.

313. R. jam ad idem quæsitum secundo. Qui repetitis vicibus eidem Domino furatur modica, esto id faciat absque intentione inde ditescendi, vel grave damnum inferendi &c. si tamen vel in ultimo furtulo animadvertat, se jam perventurum ad magnam quantitatem, & Dominum inde graviter damnificatum iri, peccat mortaliter. Ita rursus *DD. communiter*, nominatim Tambur. *l.* 8. *decal. tr.* 2. *c.* 3. §. 1. *n.* 2. Laymann *l. tr.* 3. *part.* 1. *c.* 1. *n.* 6. Bonacina, Sporer, & alii. Ratio est: quia talis convincitur, velle Dominum graviter damnificare, & quidem injuste: atqui talis voluntas est mortaliter peccaminosa: ergo &c. Et licet materia ultimi furtuli supponatur de se levis duntaxat, quia tamen per hujus ablationem Dominus prævidetur graviter damnificandus, hinc nec mirandum, quod talis fur propterea peccet mortaliter, quemadmodum ille, qui die jejunii ab Ecclesia præcepti jam sæpius parum aliquid comedit, propterea animadvertens se modicum addendo modico tandem saturatum iri, manducando illud modicum peccat mortaliter; tametsi enim talis materia de se supponatur modica, quia tamen superaddita reliquis facit hominem secunda vice refici seu saturari, hinc complet gravem transgressionem legis Ecclesiasticæ.

Dices fortassis: venialia quantumvis multiplicata, non constituunt peccatum mortale: sed furta minuta supponuntur venialia: ergo quantumvis multiplicata non faciunt peccatum mortale.

Confirmatur. Supponamus furem singulis furtulis abstulisse unum duntaxat pazium, in hoc casu ultimum furtulum, seu ablatio unius pazii est ejusdem rationis cum ceteris furtulis, nec gravius damnificat, quam quodvis aliud e prioribus: ergo si priora singula non excessere culpam venialem, neque illud ultimum ascendet ad culpam mortalem.

314. R. ad objectionem. *dist. Maj.* venialia quantumvis multiplicata &c. non constituunt peccatum mortale *formaliter*, in sensu mox supra *n.* 311. insinuato, *concedo*, non constituunt *materialiter*, id est, ratione materiæ concrescentis, & in mortali hominum existimatione graviter damnificantis Dominum, *nego*. Esto igitur furta secundum se, & seorsim spectata, supponantur levia & venialia; quia tamen fur supponitur animadvertere per ablationem v. g. ultimi pazii se grave damnum Domini completurum, & nihilominus aufert; hinc hæc voluntas merito reputatur mortaliter peccaminosa.

315. R. Ad Confirmationem similiter *distinguendo*. Ultimum furtulum secundum se præcise consideratum, est ejusdem rationis cum præcedentibus, *conc.* si consideretur in quantum est complementum gravis damni, *neg.* Unde falsum omnino est, quod ut conjunctum cum ceteris non damnificet gravius Dominum; quia supponitur per hoc

hoc compleri grave damnum. Negatur proin consequentia.

Quæres tertio, an etiam ille graviter peccet, qui pluribus Dominis, vel singulis eorum aufert modicum?

316. R. Etiam talis mortaliter peccare potest, non solum 1. si auferat illa modica animo tandem notabilem summam surripiendi, verum insuper 2. si absque tali intentione auferat, & tandem advertat, se pervenire ad materiam gravem. Ita *communissime DD.* Molina *tom.* 3. *disp.* 689. Lessius, Laymann &c. &c. Auguft. Michel *tom.* 2. *part.* 3. *tr.* 6. *nu.* 3. & 4. *fol.* 965. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 9. *dist.* 5. *n.* 19. Ratio prioris patet ex dictis *num.* 312. quia intentio auferendi injuste magnam summam, sive uni, sive pluribus, est mortaliter peccaminosa: ergo qui ex hac intentione committit plura furta minuta, quantumvis a pluribus, in singulis graviter peccat, semper continuando, & aggravando idem peccatum mortale. Ratio autem posterioris desumi debet ex dictis *num.* 313. Quia tametsi talis fur per furta minuta neminem supponatur in individuo graviter damnificare; nihilominus convincitur velle graviter damnificare ipsam communitatem, vel certe societatem humanam, cujus paci ac tranquillitati hujusmodi furta vel maxime perniciosa sunt, & adhuc magis perniciosa evaderent, si semel impune tolerarentur, propetereaque non immerito in omni Republica bene instituta hujusmodi fures gravibus pœnis passim puniri solent, inquit Reiffenstuel *l. cit.* Videatur la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 1012.

Quæres quarto, an, vel quomodo peccent, si plures modicum quid eidem Domino auferant, verb. gr. ita, ut singuli eandem vineam intrantes, singulos botros decerpant, vel in eadem cella vinaria furtive bibant vinum, vel ex eadem cassa singulos pazios auferant, propetereaque grave damnum inferant?

317. R. Ante responsionem notandum est, duplici modo fieri posse, ut plures eidem damnum inferant v. g. furtive auferendo, vel etiam destruendo rem alterius, primo sic, ut communi consilio, seu consensu concurrant ad furtum, vel damnum alterius. Secundo sic; ut quilibet quidem concurrat ad idem damnum, sed sine consensu, consilio, aut dependentia unius ab alio verb. gr. Titius animadvertit, ab aliis sibi similibus furtive ablatum fuisse modicum quid de lignis, vino, vel frumento alicujus &c. hoc non obstante etiam ipse adhuc aufert modicum quid, aliis id prorsus ignorantibus, vel inadvertentibus &c. & de hoc casu potissimum moveri solet præsens quæstio. Ad quam

318. R. Jam primo. Casu quo plures communi consensu, consilio vel auxilio plura minuta furta committendo, eidem Domino grave furtum inferunt, singuli peccant mortaliter, & tenentur ad resarcitionem damni totius in solidum. Ita ex *communi DD.* Laymann *l.* 3. *tract.* 3. *p.* 1. *c.* 1. *num.* 3. Ratio est: quia quivis eorum moraliter cooperatur ad totum damnum, & consensit in totum &c. ut supponitur: ergo & peccat mortaliter, cum onere refundendi totum.

319. R. Secundo ad idem quæsitum. Casu quo plures concurrunt quidem ad idem damnum grave, dum singuli parum auferunt, sed sine mutua cooperatione, conspiratione aut consensu, probabilius nullus eorum peccat mortaliter, sed singuli venialiter tantum, esto etiam quilibet eorum sciverit, ab aliis aliquid furtive subtractum fuisse. Ita contra Vasquez, Filiuc. & alios nonnullos Lugo, Sporer, Illsung *tr.* 2. *disp.* 3. *n.* 158. la Croix *l.* 3. *p.* 7. *n.* 1010.

Ratio est: quia in hoc casu singuli non sunt causa neque Physica neque moralis totius damni ab aliis causati, sed quivis solum est causa damni a se illati, cum nullo modo supponatur cooperatus, aut consensisse in damnum alterius, esto etiam sciverit, ab aliis fuisse damnum levi illatum: sed qui furando vel damnificando leve duntaxat damnum infert, non peccat, nisi venialiter ergo &c. &c. Et certe ex opposita opinione sequeretur, quod, si sibi constaret, Cajum Titio furtive jam abstulisse v. g. 56. crucigeros, ad furtum mortale autem respectu Titii mediocriter divitis sufficere unum florenum, ut eidem Titio auferendo unum adhuc pazium, & qui-

quidem sine ulla cooperatione ad priora furta a Cajo facta, committeres peccatum mortale, Cajum vero non nisi venialiter peccasse: quod merito absurdum putant Sporer *cit. n.* 47. la Croix *l. cit.* & alii; ergo tali casu probabilius singuli modicum auferendo non peccant, nisi venialiter.

Dices tamen contra hanc resolutionem. Qui in hoc casu scit, Titio jam fuisse furtim ablatos 56. crucigeros, & hoc non obstante eidem aufert quatuor seu unum pazium, scienter & voluntarie complet grave damnum, & suo modo cooperatur ad grave damnum injuste illatum: at, qui per ultimum furtum complet grave damnum, esto hoc de se supponatur leve duntaxat, peccat mortaliter, prout ipsimet fassi sumus mox supra *n.* 313. ergo talis peccat mortaliter.

Confirmatur. Si Titius animadvertat, Cajo ab aliis jam plura inflicta vulnera levia, simulque prævideat moraliter, fore, ut si ipse (sine omni consensu aut consilio cum aliis inito) adhuc aliud vulnus de se leve infligat, Cajum certo certius moriturum, & nihilominus leve vulnus infligat, procul dubio peccat moraliter, eo quod per hoc ultimum, licet de se leve vulnus, conficeret grave detrimentum vitæ, & graviter Cajum damnificaret: ergo id ipsum in priori casu de fure per suum ultimum furtum grave damnum complente dicendum est.

320. R. ad object. *dist. Maj.* talis complet grave damnum, *partialiter* duntaxat in illud influendo *conc. totaliter* in illud influendo *nego maj.* distinguo etiam *min.* qui complet grave damnum *totaliter* influendo, ita scilicet, ut huic totum damnum moraliter imputari valeat, prout fit in casu supra *n.* 313. allato, *concedo*, qui complet ita, ut non, nisi partialiter huic imputari possit, prout fit in hoc casu *neg. min. cum conseq.* patet hoc in exemplo: si sciam ab aliis successive jam 20. florenos fuisse missos in cippum v. gr. Ecclesiæ, & ego superaddam duos crucigeros, tota quantitas pecuniæ mihi imputari nec potest, nec debet: ergo idipsum dicendum est in nostro casu. Neque dici potest in rigore, quod talis per ultimum furtum cooperetur &c. quia (ut sapienter notat R. D. Augustinus Michel *prox. cit. n.* 6. *fin.*) cooperari non est præcise sua actione quomodcunque facere, ut alter sentiat damnum grave, sed suam actionem esse moraliter conjunctam cum aliorum actionibus, & sic per eam, ut junctam, ceterorum actionibus causari damnum grave: atqui hoc modo non conjungitur actio ultimi furantis in nostro casu; hæc quippe conjunctio solum contingit, vel per intentionem *simul cum aliis* grave damnum inferendi, vel per inductionem consiliumve: aut initam cum aliis sceleris societatem, quorum nullum supponitur intervenisse in nostro casu: ergo &c.

321. R. jam ad confirmationem, cum P. la Croix *cit. n.* 1010. *neg. parit.* disparitas hæc est: quia ultimum vulnus non solum auget malum illatum, sed est causa novi effectus gravis, & quidem indivisibilis, scilicet mortis, quæ (ut supponitur) ex prioribus vulneribus levibus non fuit secuta: & licet mors etiam prioribus vulneribus tribuatur velut dispositionibus, vel causis inadæquatis, attamen ultimo vulneri tribuitur totus effectus secundum prudens judicium: econtra vero ultimum furtum leve solum auget malum illatum, nec est causa novi effectus gravis; & damnum, quod causat est divisibile, ita, ut prudenter soli ultimum furtum inferenti, imputari non valeat. Videatur de hoc Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 5. *art.* 5. *n.* 31. ubi alias adhuc objectiones minoris ponderis in contrarium factas solvit.

Quæres quinto, an, vel quomodo peccent famuli vel ancillæ heris suis modica auferendo?

322. R. Etiam famuli vel ancillæ graviter peccant per furta minuta, si per ea tandem grave damnum inferant heris suis. Ita *omnes*.

Ratio est: quia revera contrectant occulte rem alienam Domino rationabiliter invito: ergo si successu temporis per hujusmodi furta grave damnum inferant, graviter peccant, non minus quam alii extranei occulte clepentes &c. &c. Quia tamen Domini respectu

horum

horum sunt minus inviti, utpote scientes, attenta fragilitate humana fieri non posse, quin aliquid, præsertim de esculentis & poculentis, adhæreat manibus famulorum &c. hinc juxta communissimam Doctorum major quantitas materiæ requiritur ad hoc, ut famulus vel ancilla subtrahendo peccet mortaliter, quam in extraneo.

Quæres sexto, an etiam filius aut filia occulte subtrahendo de bonis Parentum peccent?

323. R. Etiam hi mortaliter peccare possunt, si Parentibus rationabiliter invitis notabilem quantitatem surripiant de bonis Parentum. Ita rursus *omnes*. Ratio est eadem: quia vere usurpant rem alienam domino rationabiliter invito: ergo si ad magnam quantitatem perveniant, peccant mortaliter: hinc *Prov.* 28. dicitur: *Qui subtrahit aliquid a Patre suo, & a Matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est*. Verum, quemadmodum prudenter præsumere licet, Patremfamilias minus esse invitum, si quid a famulo, quam si ab extraneo subtrahatur, propterea que in famulo ad peccatum mortale furti major quantitas, quam in extraneo haud immerito reputatur necessaria; ita a fortiori prudenter præsumere licet, Parentem esse minus invitum respectu filii surripientis, quam respectu famuli, ita ut ad peccatum mortale a filio committendum merito requiratur duplo major quantitas, quam ad committendum a famulo e. g. si in famulo requiratur subtractio unius floreni &c. in filio ad minus necessaria erit subtractio duorum florenorum &c. &c.

Quæres septimo, an etiam Uxor peccet clam surripiendo de bonis Mariti sui?

224. R. Etiem Uxor potest mortaliter peccare, si notabilem quantitatem surripiat de bonis Mariti, quorum scilicet dominium, vel saltem usus fructus, aut administratio ad ipsum pertinet, uti sunt bona dotalia, & lucra communia. Ita *communis DD.* quam tradit Sporer *cit. n.* 51. Ratio manet eadem: quia scilicet usurpat rem alienam, Domino rationabiliter invito, eidemque grave damnum infert: ergo &c. Ob eandem rationem & Maritus graviter potest delinquere, cum onere restituendi, si dissipet bona paraphernalia Uxoris, aut dotalia, immo & communia cum notabili, vel magno detrimento familiæ, prout bene infert Henno *in decalogo disp.* 7. *q.* 7. *concl.* 3. Verum quantitatem certam determinare, quæ sit necessaria, vel sufficiens ad peccandum mortaliter per hujusmodi furta minuta, hoc opus, hic labor est: quocirca nil videtur certius, quam *certam non posse statui regulam universalem*. Ut tamen Confessarius etiam in his formare valeat prudens judicium practicum circa pœnitentes, juvabit præ oculis habere sequentes quinque regulas.

325. I. Regula. Quando quis sive ab uno eodemque, sive a diversis furatur modica *successive*, longe majori quantitate opus est ad peccatum mortale constituendum, quam si *simul* abstulisset: immo aliqui putant, ad minimum dimidio plus opus esse; ut si unus florenus suffecisset simul ablatus, ad furta successive facta requiratur unus & dimidius. Ratio est: quia cum furta successive, & quasi insensibiliter facta, non sint ita perniciosa, eo ipso prudenter licet præsumere, Dominum non esse ita graviter invitum, quam si eadem quantitas fuisset simul ablata.

II. Regula. Ad mortaliter peccandum majori quantitate opus est, dum quis *eodem tempore* surripit modica *diversis*, quam si *eidem* surriperet: putatque Molina duplo majori quantitate opus esse in furtis diversis Dominis, quam uni illatis. Ratio est eadem: quia, quemadmodum damnum in plures divisum facilius portatur a singulis, quam ab uno solo, ita & singuli sunt minus inviti.

III. Regula. Ad mortaliter peccandum per furta minuta, sive hæc uni inferantur, sive diversis, tanto major quantitas requiritur, quanto per *majora temporis intervalla* fiunt. Ratio est: quia quanto majus intervallum temporis intercedit inter illa, tanto minus inter se cohærent, & tanto facilius portantur, quanto minus sentiuntur: ergo Domini tanto minus creduntur inviti: at, quanto minus invitus est Dominus, tanto minus peccatur; cum ma-

litia

litia furti potissimum fundetur in ablatione rei alienæ *Domino rationabiliter invito*.

IV. Regula. Qui sine animo ditescendi, aut notabilem summam auferendi &c. per modica furta *diversis*, præsertim in diversis negotiis facta, & per *magna temporis intervalla*, ad non modicam quantitatem pervenit, non tam facile arguendus est peccati mortalis, quam si animo ditescendi, vel graviter quempiam in particulari, vel ipsam communitatem damnificandi id fecisset. Ratio hujus manet eadem, quæ mox data: quia scilicet hinc neque sequuntur tanta incommoda Reipublicæ, neque Domini sunt tam graviter inviti, neque etiam materiæ furtulorum tam faciliter in unum grave damnum coalescunt.

V. Regula. Majori quantitate opus est ad peccandum mortaliter in furtis minutis *domesticorum*, utputa famulorum, ancillarum, Religiosorum', filiorum &c. &c. quam in furtis *extraneorum*. Rursus major quantitas in esculentis & poculentis, quam in aliis v. g. ære &c. &c. Ratio manet eadem: quia Domini non sunt tam inviti, si a domesticis, quam si ab extraneis, vel si esculenta aut poculenta (non nimis pretiosa) quam si pecuniæ vel aliæ res mobiles subtrahantur. De his regulis videri possunt Laymann *l.* 3. *sect.* 5. *tr.* 3. *p. c.* 1. *n.* 6. Illsung *tr.* 4. *disp.* 3. *q.* 4. *a num.* 155. Sporer *tr.* 5. *cap.* 5. *num.* 44. Molina *tom.* 3. *de Just. disp.* 689. Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 5. *a.* 5. *n.* 26. *& seqq.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de furtis minutis domesticorum & extraneorum.

CASUS PRIMUS.

Titius Praxator Cerevisiæ vi contractus initi cum certo quodam Comite tenebatur annuatim pro taberna Comitis praxare cerevisiam, ea conditione utrinque inita, ut pro certa quadam mensura tum in lupulis, tum etiam in hordeo a Comite accipiendis, & ad singulas praxaturas adhibendis, refundat eidem certam quotam aimerarum cerevisiæ albæ &c. Jam fatetur idem Titius, se pro mox recensita quantitate lupulorum & hordei semper quidem præfato Domino Comiti refudisse illam quotam cerevisiæ, sed cum ex eadem massa ultra illam quotam a Comite desideratam semper coxerit 5. vel 6. aimeras plures, easque velut residuas sibi reservaverit, idque jam ab aliquot annis; hinc partim conscientiæ scrupulis, partim etiam aliorum hominum, contra tenuitatem cerevisiæ murmurantium, quærelis exagitatus, sciscitatur e Confessario, an tuta conscientia, & sine offensa DEI possit prosequi hanc praxin, & praxaturam. Quid Confessarius ei respondeat?

326. R. Confessarius respondeat, hanc praxin prorsus fuisse iniquam, & hoc ipso non amplius prosequendam. Ratio est clara: quia contra omnem æquitatem & leges justitiæ in singulis praxaturis D. Comitem defraudavit inique: non enim verosimile est, D. Comitem convenisse cum Titio de refundendis tot aimeris cerevisiæ cujuscunque, vel quantumlibet tenuis, sed melioris sortis, qualis ex illa massa tum lupulorum, tum etiam hordei seu polentæ judicio prudentum & expertorum in hac arte, coqui potuisset: atqui *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, juxta Reg. 85. J, in 6. Et hoc servandum est, quod initio convenit, per Reg. 23. ff. de R. J. ergo Titius tenebatur D. Comiti refundere quotam cerevisiæ in ea sorte & bonitate, in qua ex illa massa lupuli ac polentæ coqui potuisset: ergo cum hoc Titius non fecerit, nedum contra fidelitatem, sed & contra justitiam peccavit; & licet fortassis in singulis praxaturis non deliquerit mortaliter; tum quia per illam affusionem aquæ non videtur adeo notabiliter debilitasse virtutem lupuli & polentæ, quin adhuc potuerit inde coquere cerevisiam de mediocri saltem sorte; tum etiam, quia famulis operam navantibus praxaturæ os obstrui nequit, quo minus more solito liberaliter bibant, juxta illud 1. *Cor.* 9. *v.* 9. *non alligabis os bovi trituranti*, & hoc ipso, quod Titius debuerit refundere

D. Comiti tot aimeras complete, permittendum fuit, ut ultra hanc mensuram saltem mediam aimeram aquæ superinfunderent; certum nihilominus, & indubitatum videtur, Titium jam a pluribus annis id practicando graviter defraudasse D. Comitem, & hoc ipso graviter peccasse, cum onere resarciendi idem damnum, modo moraliter possibili, sive dein cerevisiam meliorem ac fortiorem pendendo, sive aliis beneficiis aut obsequiis recompensando &c. quæ obligatio eidem serio inculcanda erit, simulque intimandum illud *Proverb.* 28. *v.* 10. *Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet, & simplices possidebunt bona ejus.*

327. Quod vero hic de Titio fraudatore D. Comitis diximus, idipsum intelligas velim dictum de alio quodam magni Principis Præfecto rei praxatoriæ, qui ad singulas praxaturas, seu cocturas cerevisiæ massam tum lupulorum, tum etiam polentarum sibi auctoritate Principis, seu cameræ determinatam adhibuit quidem, sed muneribus & sportulis (uti vocant) corruptus, hordeum, lupulos &c. infimæ sortis comparavit &c. quo factum, ut non solum communitas fuerit damnificata, dum loco melioris cerevisiam tenuiorem eodem pretio debuit solvere, sed etiam Princeps defraudatus, dum ob tenuitatem & vilitatem haustus multi absterriti fuere hospites & compotatores, sicque Præfectus ille causa haud modici lucri cessantis exstitit.

Sed quid judicii a Confessario ferendum (inquies) de hujusmodi servo nequam, nequiter tum Principem suum, tum etiam totam communitatem per hujusmodi furta (est enim quædam species furti) defraudante, si is supponatur jam semel animadvertisse grave damnum emergens defraudatis, & nihilominus iniquam hanc praxin prosecutus fuit: ergone propterea unum duntaxat, vel vero plura peccata mortalia furti commisisse censendus est?

328. R. Si hujusmodi fur vel iniquus defraudator apprehenso etiam gravi damno jamjam illato sine ulla pœnitentia pergat protinus defraudare & damnificare, vel Principem, vel communitatem, procul dubio committit singulis defraudationibus grave peccatum, licet in rigore loquendo non sit peccatum a priori mortali numero distinctum, sed potius continuatio ejusdem peccati mortalis, tanto quidem gravioris, quanto majus damnum infertur communitati; vel aliis defraudatis.

Ast vero, si supponatur talis pœnitens post cognitam & apprehensam gravitatem damni culpam retractasse, cum firmo emendationis & restitutionis proposito, & nihilominus pergat in tali praxi, committet denuo novum, & numero a priori distinctum peccatum, saltem tunc, quamprimum de novo pervenerit ad quantitatem notabilem damni. Ratio est: quia per pœnitentiam seriam moraliter interrupit priorem voluntatem peccandi, ideoque si de novo incipiat defraudare, committit novum, & a priori numero distinctum peccatum.

Res hæc clarior fit in exemplo, & a pari: nam qui semel proposuit inimicum suum occidere, & ex hac intentione sæpius (licet sine effectu) in eundem explosit, feriit &c. per hoc non commisit, nisi unicum numero peccatum. Verum, si hanc voluntatem occidendi semel pœnitendo retractavit, & hoc non obstante de novo quærat occasionem feriendi, occidendi &c. committit novum peccatum mortale &c. &c. Videatur de hoc Lugo *de Just. disp.* 16. *a num.* 43. Sporer *cit. n.* 39. la Croix *l.* 3. *p.* 1. *num.* 1007. Babenstuber *cit. n.* 23.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius cujusdam Mercatoris sat divitis filius, ad certam quandam universitatem studiorum causa missus, & bursa sat pingui provisus fuit eo fine, ut inde victum, & alia necessaria solveret per medium annum. Verum Sempronius in itinere genio indulgens, pecuniam omnem dilapidavit, prius, quam ad eandem universitatem pervenit: cumque velut incognitus a nemine potuisset obtinere necessaria ad vivendum, necessitate compulsus, velut alter filius prodigus rediit ad Patrem suum, a quo ad mercaturam, seu negotiationem appli-

applicatus fuit, ubi ampliorem adhuc nactus occasionem, merces hinc inde minori pretio aliquibus clam vendidit, & pecuniam inde redactam dilapidavit. Quæritur jam 1. an, vel quomodo Sempronius peccaverit? 2. an, vel quomodo peccaverint alii, merces clam ab eodem emendo seu comparando?

329. R. ad primum quæsitum hujus Casus, Sempronium procul dubio peccasse mortaliter, non solum tunc, dum illam notabilem quantitatem pecuniæ pro victu, & aliis ad prosequenda studia necessaria prodige dilapidavit, verum etiam, dum jam ad mercaturæ negotia applicatus merces clam distraxit, & pecuniam inde redactam inscio Parente prodegit. Ratio est: quia notabilem summam contra voluntatem sui Parentis in convivia, commessationes & lusus &c. pessime, contra expressam voluntatem sui Parentis impendit, neque unquam rationabiliter præsumi potest de consensu Parentis, ubi hujusmodi bona Parentum, pecunia, merces &c. dilapidantur cum tanto detrimento, etiam ipsorum liberorum, cum dedecore familiæ &c. &c. atqui filius contra voluntatem Parentis notabilem summam dilapidans peccat mortaliter, juxta *communem DD.* quam tenet P. Navarra *l.* 3. *p.* 2. *cap.* 17. *num.* 164. Lessius *l.* 2. *c.* 12. *n.* 77. Busenbaum apud la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 1014.

Et licet hæc quantitas ad peccandum mortaliter nequeat universaliter respectu filiorum clam defraudantium taxari, nec statim filius Parentis prædivitis ob subtractionem duorum vel trium aureorum condemnandus sit peccati mortalis, sed potius attendendum ad conditionem status, ætatis, personarum, locorum &c. nunquam tamen prudenter præsumere licet de consensu Parentum, ubi tanta summa, & quidem tam perniciose, & male dilapidatur, ut ex hac nonnisi deplorandi effectus, prostitutiones Parentum, filiorum &c. exspectari debeant. Videatur la Croix *n.* 1032.

330. R. Jam ad alterum quæsitum, etiam illos emptores peccati mortalis condemnandos esse, si tamen animadverterunt, Sempronium clam, seu furtive distrahere merces. Ratio est: quia scienter cooperans ad injustum, & grave damnum alterius, fit particeps criminis, sicut est particeps furti, ideoque peccat mortaliter, ubi damnum, ad quod cooperatur, est magni momenti, juxta *communissimam DD.* videndam apud Layman *lec.* 3. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 6. & alios passim, conformiter ad *lec.* 3. §. *non tantum ff. de incendio*, ubi dicitur: *Receptatores non minus delinquunt, quam aggressores.*

Dixi tamen: *si tamen emptores animadverterunt* Sempronium clam, & furtive subtrahere &c. secus quippe dicendum foret, casu quo emptores bona fide processissent, & de tali furtiva subtractione nullam prorsus habuissent notitiam, nec fundatam suspicionem; in casu autem fundatæ suspicionis debuisset cautius indagare in rei veritatem, prout tradi solet in materia *de conscientia dubia*. Videantur de hoc dicta *part.* 1. *Theolog. decalog. Confer. sexta a n.* 150.

Dices fortassis, juxta probabilem sententiam Lessii, Navarri, & aliorum communiter, filius gerens negotia Patris tuta conscientia potest pro suo labore & industria tantundem accipere vel subtrahere, quantum daretur, vel a Parente dari deberet extraneo, nisi intendat illud præstare gratis: ergo Sempronius clam distrahendo merces non peccavit, nec statim ab emptoribus argui debet alicujus infidelitatis.

331. *R. Transmiss. antec.*; quod a pluribus videndis apud la Croix *n.* 1034. absolute negatur, & ab allegatis etiam Doctoribus non admittitur absolute, sed solum cum certis limitationibus, nisi scilicet Pater possit habere alium, qui vel gratis, vel certe minori salario idipsum præstare velit: *neg.* *conseq.* vel *distinguendo* consequens: ergo distrahendo clam merces Sempronius non peccavit, si merces subtractæ non excedunt labores, *transf.* si excedunt *neg. conseq.* videtur autem ex relatione facti, Sempronium non tam servandæ justitiæ, quam licentiosæ dissipationi esse deditum, & hoc ipso, quod merces clam, & quidem justo minore pretio soleat aliis divendere; merito sese reddit su-

spectum

spectum de infidelitate; qui, si fideliter ageret, non haberet, cur justo minore pretio merces distraheret. Videatur Navarrus *Manual. c.17. n.* 144. Lessius *l.* 2. *c.* 12. *n.* 81.

CASUS TERTIUS.

CAja nupserat Viduo Sempronio, certis quibusdam pactis & conditionibus initis, ea præsertim lege, ut si a Sempronio susciperet hæredem masculum, domus tota seu taberna cum omnibus bonis immobilibus Cajæ ac filio remanerent post mortem Sempronii; econtra vero, casu quo nullum ex se susciperet hæredem, altero tanto dotis allatæ contenta, omnia illa bona immobilia relinqueret filiæ, quam Sempronius habebat unicam ex priori matrimonio susceptam. Jam Caja aliquot annis cohabitavit suo Marito, sed sine prole; cujus suscipiendæ jam nulla amplius affulget spes, ob senium Mariti; quod cum Sempronius prævideat, conatur, quidquid demum potest, divitiarum ac pecuniarum corradere, erga Cajam Uxorem tenacissimum, erga filiam vero liberalissimum sese exhibere, coemere agros, meliorare prædia ac prata, reparare domum seu tabernam suam &c. &c. Venit proin Caja ad Confessarium, deplorans miseram conditionem suam, quod diu noctuque cogatur laborare, ad instar ancillæ, lucrum vero e laboribus comparsum a Marito impendatur in emolumentum rei domesticæ &c. &c. prævideatque, se post mortem domo excludendam ac relegandam, & nil inde, præter alterum tantum dotis a se allatæ reportaturam. Sciscitatur proin, an non liceat sibi etiam bis stantibus providere in futurum, clam hinc inde comparsendo & subtrahendo de lucro quotidiano: *Quid ad hoc Confessarius?*

332. R. 1. Confessarius ne fortassis nimium indulgeat, neve nimium gravet Cajam, caute indagabit 1. quantum dotis attulerit? 2. An Sempronius multum ditior fuerit tempore, quo eidem nupsit? 3. An illa emolumenta, quæ corradit, & tam sollicite impendit in melioramenta prædiorum, agrorum &c. &c. vel potius in emolumentum filiæ &c. veniant ex lucro quotidiano, vel vero ex aliis bonis Sempronio propriis, v. g. agris, vineis, domibus &c. &c. 4. quantum Sempronius quotannis circiter soleat impendere in victum, vestitum, recreationes suæ filiæ &c. &c.

333. R. jam secundo. His omnibus bene examinatis ac perpensis dicat 1. Cajam tuta conscientia posse subtrahere quantum suis laboribus e lucro quotidiano coram Deo existimat correspondere, non tamen ea, quæ Marito aliunde e bonis propriis emolumenta respondent. Dicat secundo, quod tantundem clam possit sibi arrogare de bonis, quantum Maritus impendit in victum & vestitum filiæ &c. &c.

Ratio prioris est: quia lucrum ex quotidianis negotiationibus vel laboribus Conjugum, non minus Uxori, quam Marito commune est, tametsi administratio hujus primario ad Maritum pertineat, quam ob rem Maritus dilapidando, vel male utendo iis bonis communibus, infert uxori injuriam, juxta *communissimam Doctorum*, quam tenent Lessius *l.* 2. *cap.* 12. *num.* 87. Gobat. Quin. *tr.* 5. *c.* 24. *n.* 28. & 41. la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 1020. ergo etiam facit injuriam Cajæ, dum illa lucra communia impendit filiæ, vel in emolumentum rei domesticæ, aliquando soli filiæ ex priori Matrimonio obventuræ: ergo Caja licite, & sine peccato clam subtrahit, quantum suis laboribus, industriæ vel parti quotidiani lucri communis correspondet. Nam Maritus ipse, vel filia hæres, jure naturali & humano teneretur partem, seu medietatem refundere: ergo Caja hanc licite subtrahit. Hac de causa Lessius *l. cit.* sapienter ait: *si Uxor difficultates* (post solvendum scilicet matrimonium) *metuit, potest occulte uti compensatione ex bonis Mariti, ut sibi vel liberis consulat, quantum opus est, ut sua pars salva sit*: idipsum tenent Coninch, Petrus Navarra *l.* 3. *c.* 1. *n.* 114. & Gobat *loc. cit.*

Ratio autem posterioris hæc est: Quia Maritus Uxori non minus, quam filiæ, vel aliis liberis tenetur sustentationem congruam quo ad victum, vestitum, medicinas, recreationes, & alia statui conformia: ergo Caja juste in victum vel vestitum suum computat aut subtrahit, quantum judicio Mariti sui filiæ ex

ex priori matrimonio susceptæ impenditur; Uxor enim, quæ non mancipium aut ancilla viri est, sed consors thalami, nequaquam minori in pretio haberi debet: quam liberi. Et licet durante matrimonio administratio bonorum communium maneat penes Maritum, si tamen is ea male administret, vel in præjudicium Uxoris, jure naturali huic licebit sibi prospicere in tantum, ut se indemnem servet. Videatur de hoc la Croix *cit. n.* 1021.

Dices: juxta Lessium & alios Doctores mox allegatos, non solum tota dos, sed etiam medietas bonorum communium pertinet ad Uxorem: ergo Cajæ licebit non solum clam subtrahere partem lucri quotidiani, suis laboribus correspondentem, sed & medietatem aliorum emolumentorum, undeunde demum Marito provenientium.

334. R. Negando suppositum, quod in nostro casu omnia bona Sempronii, præsertim immobilia possint dici communia: contrarium quippe evidenter colligitur ex eo, quod solam filiam ex priori connubio voluerit esse hæredem, nisi Caja ex hoc matrimonio susciperet hæredem masculinum, quin immo supponitur in casu, conventum fuisse inter illos, ut si hæredem masculinum non susciperet, solo altero tanto dotis allatæ contenta, domum seu tabernam, & reliqua bona immobilia filiæ relinqueret: ergo non sine causa respondimus cum hac limitatione; contractus quippe justi in conscientia obligant, ut habetur *l.* 1. *ff. de pactis*. Ex quo prudens Confessarius facile colliget, in similibus casibus quam cautissime esse respondendum, & non nisi omnibus conditionibus, pactis sponsalitiis &c. bene ponderatis; nam ex opposito Uxoribus de facili possent laxari habenæ, non sine gravi præjudicio Maritorum, vel reliquorum hæredum, eo præsertim, quod in tali casu amor proprius, & timor, ne in futurum justo minus Uxor accipiat, sed potius sibi, suisque bene prospiciat, plerumque soleant præponderare, justamque invertere bilancem, prout sapienter notat Gobat *cit. n.* 48. & alii Doctores *communiter*. Videatur de hoc Tamburinus *l.* 8. *decal. tr.* 1. *c.* 2. §. 3. vel R.P. Stanislaus Karg. *in Manuali Theolog. Canon. legali pract. part.* 2. §. 8. *n.* 18. ubi bene animadvertit, resolutionem hujusmodi casuum dependere ut plurimum nedum a jure communi, sed vel maxime etiam a jure municipali. Hinc a Confessario vel maxime oportet attendi, an in tali loco non sint fortassis nonnullæ constitutiones particulares seu municipales: & si de hoc dubitet, necessum erit, ut prius a sapientioribus capiat consilium, tum vero primum pœnitenti suo dicat, quidnam salva conscientia facere possit, vel non.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

335. Colliges ex hactenus dictis primo, a Confessario in ordine ad cognoscendam gravitatem in furtis minutis, vel maxime considerandam esse qualitatem personarum; constat quippe, regulariter loquendo Dominum esse minus invitum, si Uxor, quam si filii aliquid ipso inscio accipiant; item minus invitum, si filii, quam si propinqui; si propinqui in familia sua habitantes, quam si famuli; si famuli, quam si extranei aliquid clepant, vel subtrahant: ubi autem Dominus est minus invitus, ibi secundum dicta hactenus requiritur major quantitas ad mortaliter peccandum, licet pro decernenda hac quantitate non possit certa regula universalis poni. Sapienter tamen advertit Lugo *de Just. tom.* 1. *disp.* 16. *n.* 64. & la Croix ubi supra *n.* 1015. considerandum esse a Confessario, an furtive subtracta fuerint pecunia vel esculenta, item an multum simul, an vero parum, & successive; an ad proprios usus subtrahentium, an vero ad vendendum aliis; an herus habeat multas proles, an vero paucas, an sit pauper vel dives; an liberalis vel parcus; an bene, an vero male affectus erga furantem vel defraudantem; an furans sit ei valde utilis vel non &c. & ex his dijudicandum esse, an herus fuerit graviter invitus vel non? an fuerit invitus quo ad substantiam, an vero quo ad modum auferentis duntaxat.

336. Colliges secundo, mortaliter peccare

care

care eos, qui mensuras & pondera modice falsificando, vino aquam, ceræ albæ calcem vivum &c. aliisve mercibus deteriorem materiam miscendo, notabile lucrum colligunt, item qui alienas vineas circumcursitando uvarum multitudinem congregant, præsertim si id fecerunt ex intentione magnam copiam congerendi &c. quia tunc Domini, vel certe tota communitas censentur graviter inviti.

Econtra tam facile peccati mortalis condemnandus non est, qui hodie ab uno Domino unum pazium, vel ex vinea unum vel alterum botrum, post aliquot vero dies rursus ab alio unum pazium, vel aliquot uvas ex alterius vinea surripit. Ita ex *communi DD.* Sporer *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 36. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 9. *dist.* 5. *n.* 20.

337. Colliges tertio, etiam illum, qui modica auferendo pervenit ad magnam quantitatem v. g. aliquot florenorum, vel omnino aureorum, eamque adhuc sive in natura, sive in æquivalenti vel emolumento possidet, a Confessario sub mortali obligandum esse ad ejusdem restitutionem, etsi ne quidem in ultimo furtulo animadverterit gravitatem damni; ideoque auferendo nunquam graviter deliquerit.

Ratio est: quia non solum injusta ablatio rei alienæ valde notabilis, sed etiam injusta detentio ejusdem est graviter peccaminosa, & inducit obligationem restitutionis: atqui talis fur scienter jam detineret rem alienam injuste ablatam in quantitate notabili, ut supponitur: ergo sub mortali tenetur ad restitutionem illius. Immo vero, tametsi de re aliena nihil amplius possideret, neque inde ullo modo factus esset ditior, si tamen singula furta minuta scienter & deliberate commisit, & per hæc grave damnum intulit Domino, adhuc probabilius tenetur sub peccato mortali ad refusionem illius damni, prout ex professo diximus *de restitutione Confer.* 3. *n.* 66. ubi etiam hujus responsionis dedimus rationem.

Dubitari tamen hic solet, an talis fur teneatur sub mortali refundere totam summam per furta minuta ablatam, an vero sufficiat restituere partem illius, vi cujus excessit culpam venialem, ex. gr. si ponatur respectu Titii mediocriter divitis ad mortaliter peccandum non sufficere quinquaginta crucigeros, sed requiri summam unius floreni, sexaginta scilicet, & furem successive huic abstulisse florenum integrum, jam quæstio exurgit, an teneatur sub peccato mortali ad restituendum totum florenum, an vero ad effugiendam mortalem culpam injustæ detentionis sufficiat, restituere decem crucigeros, quorum ablatione complevit grave damnum?

338. R. ad hanc quæstionem, ad evadendam culpam mortalem injustæ detentionis in tali casu probabilius sufficere, ut fur restituat illum excessum, quem auferendo grave damnum intulit, & mortale peccatum incidit, ideoque sufficere, si restituat decem crucigeros. Ita tenent Lugo *de Just. tom.* 1. *disp.* 16. *sect.* 3. *n.* 41. Sanchez *l.* 7. *in decalog. c.* 2. *n.* 9. Sporer *cit. n.* 37. Viva *ad propositionem* 39. ab Innocentio XI. videndus *ad proposition.* 29. inter proscriptas ab Alexandro VII. Ratio hujus est: quia (ut supponitur) fur auferendo successive quinquaginta crucigeros Titio, non peccavit mortaliter, tum quia non intulit Domino grave damnum; tum etiam quia Dominus non potuit esse rationabiliter graviter invitus: ergo nec peccat mortaliter retinendo quinquaginta crucigeros: Consequentia videtur clara: quia retentio reputatur continua ablatio: ergo si ablatio 50. crucigerorum Titio scienter facta non fuit, nisi venialis, neque retentio erit, nisi venialis; consequenter ad evadendam culpam mortalem sufficiet restituisse illum excessum, scilicet decem, quibus grave damnum fuit completum.

Dices tamen contra hanc resolutionem. Hæc propositio (*n.* 38.) *non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcunque sit magna summa totalis*, fuit ab Innocentio XI. damnata, adeoque falsa est: ergo vera debet esse ejus contradictoria: *tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta* &c.

339. R.

339. R. *disting. consequens*: ergo tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, si, & in quantum per hujusmodi furta pervenit ad magnam summam, *concedo*: si & in quantum non pervenit ad magnam summam *nego conseq.* Allata propositio merito fuit damnata velut scandalosa, quia asserebat, non esse restituendum sub mortali, NB. *quantumcunque esset magna summa totalis*: non autem ideo præcise, quia asserebat, non esse sub mortali restituendum, *quod ablatum est per parva furta*; secus enim teneretur quis restituere sub peccato mortali, quod per parva furta abstulit, tametsi scienter auferendo nunquam, nequidem in ultimo furto peccasset mortaliter, utputa si quis Titio nostro successive tantum abstulisset decem aut 20. crucigeros; quod tamen certo falsum est, & ut tale ab ipsomet Adversario objiciente agnoscitur. Videantur *DD. citat.* præsertim Viva *loco citat.* & Sanchez.

340. Colliges quarto, filium (idem dic suo modo de filia) non esse condemnandum a Confessario peccati mortalis 1. si quantitas ab eo furtive subtracta Parenti non sit notabilis. 2. Si sit talis qualem Pater ab eo rogatus facile concessisset. 3. Si tempore, quo versatur in studiis, aliquid (non tamen nimium) more aliorum suæ conditionis vel status expendat in Eleemosynas, ludum, vel alias honestas recreationes &c. 4. Si in extrema, vel gravissima necessitate proximi sublevanda aliquid surripiat de bonis paternis. Ita cum aliis Lessius *l.* 2. *de J. & J. c.* 12. *n.* 79. *&* 80. & Tamburinus *ubi supra §.* 2.

Ratio est: quia in his casibus Parens nequit esse graviter invitus, saltem quoad substantiam, neque propterea, ut supponimus, graviter damnificatur: ergo filius propterea non committit culpam mortalem.

341. Colliges quinto, neque Uxorem condemnandam esse peccati mortiferi, si de bonis sibi & Marito communibus clam aliquid subtrahat, & impendat vel suis Parentibus summe indigentibus, vel prolibus forte ex priori matrimonio susceptis, immo & si fratribus ac sororibus magna egestate pressis &c; modo propterea Maritum suum non damnificet graviter, vel periculo indigentiæ exponat &c. Ita rursus Tamburinus *cit. §.* 3. Lessius *cit. n.* 88. *&* 89. referens pro eadem opinione Petrum Navarrum, Cordubam, Molinam, &c. Ratio hujus est: quia jure naturæ tenetur illis succurrere, eorumque calamitates pro possibili sublevare: ergo si Maritus propterea non damnificetur graviter, nequit hoc inique ferre, aut graviter esse invitus. Tenebitur tamen Uxor omnia, quæ sic durante Matrimonio dederit, referre in suam partem, vel potius a sua parte detrahere, & aliis hæredibus relinquere, cum ad partitionem cum hæredibus viri pervenerit, uti notat Lessius *cit. n.* 88. Videatur de hoc Gobat Quinar. *tr.* 5. *c.* 24. *n.* 44. *&* 45. Ubi sapienter notat, Uxorem teneri prædictis succurrere potius ex propriis bonis paraphernalibus &c. si quæ habeat, quam ex bonis Mariti; quod procul dubio verissimum est; secus Maritus posset esse rationabiliter invitus.

342. Colliges denique sexto, non tam facile audiendos, vel ab onere restitutionis absolvendos esse a Confessario famulos illos, vel ancillas, qui de repetitis quidem furtis & clancularis subtractionibus sese accusant, & tandem subjungunt (uti frequenter audies) se loco restitutionis vel compensationis aliquid oraturos pro illis, quos furtim damnificarunt. Non, inquam, tam facile audiendi, vel ab hoc onere absolvendi sunt; tum quia restitutio debet fieri non in diverso, sed in eodem genere bonorum, uti dictum fuit, *de Restitut. Confer.* 11. *n.* 292. tum etiam, quia si semel animadverterint, Confessarium hac satisfactione esse contentum, magis adhuc animabuntur ad hujusmodi subtractiones, non sine graviore damno proximorum, & detrimento animæ propriæ: constat autem ex alibi dictis, a Confessario semper esse consulenda tutiora, id est, talia, quæ pœnitentem magis removent, tum a damno proximi, tum etiam ab offensa Dei, & animæ detrimento: ergo &c.

CONFERENTIA DUODECIMA

De Injusta læsione famæ proximi.

SUMMARIUM.

343. *Quidnam probibeatur vi octavi præcepti decalogalis.*
344. *Nomine mendacii intelligitur locutio contra mentem.*
345. *Aliud dicitur perniciosum, aliud officiosum, & aliud jocosum.*
346. *Mendacium est intrinsece malum; sed*
347. *Peccatum veniale duntaxat ex genere suo.*
348. *Notatur differentia inter famam & honorem.*
349. *Item inter judicium, suspicionem & dubium.*
350. *Detrahens famæ alterius in materia gravi, peccat mortaliter per se loquendo.*
351. *Per accidens non raro detractio fit sine peccato mortali.*
352. *Regula dignoscendi, an quis mortaliter, an vero venialiter duntaxat peccaverit detrahendo.*
353. *Recensentur diversæ causæ, ob quas fas est alterius defectus vel crimina manifestare sine peccato.*
354. *Seipsum diffamans per se loquendo non peccat graviter.*
355. *Per accidens tamen subin fieri hoc nequit sine peccato mortali.*
356. *Resolvitur Casus I. cujusdam ancillæ, quæ animo divertendi quamdam honestam puellam a servitio, manifestavit eidem occulta vitia heri.*
357. *Refertur factum de quodam Candidato Religionis denigrante alium candidatum eo fine, ut præ illo susciperetur ad S. Religionem.*
358. *Solvitur quædam objectio contra hanc resolutionem.*
359. *Resolvitur Casus II. Cujusdam Agentis, qui suo Principi assuevit transcribere diversa crimina &c. &c.*
360. *Quid, si transcribat crimina in occulto duntaxat punita &c.*
361. *Quid, si delicta in occulto commissa, & nondum notoria &c.*
362. *Resolvitur Casus III. cujusdam pœnitentis, qui sese accusavit de detractionibus subin factis.*
363. *Item, quod aliis detrahentibus aurem præbuerit.*
364. *Insuper quod aliorum delicta audita ut audita aliis retulerit.*
365. *Qui joci causa aliquid falsum asserit aut refert, ita, ut omnes advertant, eum non loqui ex mente, non est condemnandus mendacii.*
366. *Quomodo Juristæ, Theologi, Medici, Concionatores in materia doctrinæ mentientes peccent.*
367. *Referens alterius defectus merum naturales, regulariter loquendo non delinquit graviter.*
368. *Sicut nec ille, qui alterius defectus morales quidem refert, sed in genere duntaxat &c.*
369. *Vel qui gravia crimina recenset de homine prorsus ignoto.*
370. *Detrahens graviter alicui Ordini sacro, vel congregationi &c. graviter delinquit.*
371. *Neque a gravi culpa immunes sunt, qui facta detractione, & propalato crimine gravi, statim mandant aut rogant, ne is, cui manifestarunt, ulterius cuipiam mortalium propalet.*
372. *Sæpe fit gravis detractio, licet nullum vitium exprimatur.*
373. *Quomodo peccent aurem præbentes detractori.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de injusta diffamatione, vel læsione famæ.

QUæres primo, quidnam octavo decalogi præcepto *non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, *Exod. 20. v. 16.* prohibeatur?

343. R. Hoc præcepto octavo Decalogi negativo prohibetur primario & per se, nequis in judicio agendo testem mentiatur;

tiatur; nihilominus quemadmodum septimo Decalogi præcepto secundum dicta superius *n.* 281. non solum censetur interdicta omnis injusta ablatio rei alienæ, sed etiam omnis actio proximi læsiva in bonis fortunæ; ita etiam hoc octavo præcepto virtualiter & secundario interdicta censetur omnis injusta læsio proximi in bonis famæ & honoris. Ita teste Sporer *omnes*. Ratio hujus est: quia ideo hoc præcepto naturali ac divino prohibetur falsum testimonium, ne proximo inferamus injustum nocumentum in fama & honore, ac bonis inde dependentibus, immo, ut habet Catechismus *ex decreto Concil. Trid. part.* 3. *de* 8. *præcept. n.* 5. hoc eodem præcepto virtualiter affirmativo præcipitur, *ut simulatione fallaciisque sublatis, dicta & facta nostra simplici veritate metiamur*: ergo virtualiter & ex consequenti interdicta censeri debet omnis injusta læsio famæ & honoris proximi, quod quidem primario fieri potest per testimonium falsum in judicio contra proximum depositum: secundario tamen etiam fit per judicium temerarium, per detractionem & calumniam, mendacium &c. de quibus in præsenti Conferentia nobis erit negotium. De testimonio autem falso in judicio deponendo agemus alibi, ubi de Judice ac Judicio &c. Unde

Quæres jam secundo, quid & quotuplex sit mendacium?

344. R. ad hoc quæsitum 1. Mendacium est locutio seu significatio contra mentem cum intentione fallendi. Ita ex D.Augustino *lib. contra mendac.c.*12.Henno *tr. in decal.. disp.* 8. *q.* 1. *conc.* 1. & in re alii *communiter*. Dicitur 1. *locutio*, quia mendacium est peccatum oris saltem principaliter, licet etiam possit fieri nutibus, vel aliis gestibus v. g. a muto &c. unde additum fuit: vel *significatio*. Dicitur secundo *contra mentem*; nam mentiri secundum nominis ethimon idem sonat, ac, *contra mentem ire*; ideoque debet necessario fieri *locutio contra mentem*; hinc contingere potest, ut quis mentiatur, licet a parte rei verum dicat: ex. g. Titius firmiter credit, se nondum complesse annum 21. suæ ætatis (quam a parte rei jamjam complevit) si in hac persuasione perseverans dicat, se jam complevisse annum 21. mentitur formaliter; quia contra mentem loquitur, aliud exterius verbis exprimendo, & aliud interius credendo &c. & nihilominus verum loquitur a parte rei, quia supponitur jamjam complevisse annum 21. ætatis suæ. Dicitur tertio *cum intentione fallendi*; id quod expresse requirit S. August. Enchyridii *c.* 1. dicens, *quod mendacium sit falsa significatio cum voluntate fallendi*: hanc particulam alii negant cum S. Thoma 2. 2. *q.* 110. *a.* 1. nam potest quis velle mentiri (inquiunt) ne fortassis ex propria confessione convincatur, tametsi sciat & prævideat, fore, ut sibi nullus credat, nec ullus inde decipiatur &c. posset nihilominus dici, quod talis habeat intentionem fallendi, per accidens vero esse, quod nemo inde decipiatur; quemadmodum ille, qui merces spurias jactat, & dilaudat pro justis, habet intentionem decipiendi, esto prævideat, fore, ut nemo eas emat, ac per hoc nec decipiatur: spectata tamen ratione non videtur necessaria intentio illa fallendi, licet plerumque soleat intervenire.

345. R. Jam secundo, ad idem quæsitum. Mendacium est triplex, scilicet 1. perniciosum, 2. officiosum, ac 3. jocosum. Ita rursus potest S. Thom. *loc. c. a.* 2. Sporer, Babenstuber, Henno & alii *communiter*. Explicatur breviter. *Perniciosum* mendacium appellatur, quod fit ex fine seu intentione alteri injuste nocendi, esto fortassis damnum inde non sequatur; quod per accidens est. *Officiosum* dicitur, quod causa utilitatis propriæ vel alienæ fit, ita tamen, ut nemini noceat, qualia plerumque committi solent a mulierculis v. g. ad pacem domesticam conservandam, ad impediendas blasphemias, furores &c. Maritorum &c. *Jocosum* denique illud appellatur, quod fit sola placendi aut delectandi consuetudine, prout fieri amat ab hominibus garrulis, qui multa comminiscuntur de nocte, ut novarum rerum cupidos delectent de die, ait Henno *l. c. concl.* 2.

Quæres tertio, sitne mendacium intrinsece malum, & quale peccatum?

346. R. ad primam partem hujus quæsiti. Mendacium est intrinsece malum. Ita hodie *communis DD.* & expresse S. Augustinus *lib. cont. mendac. c. 19.* Ratio hujus est: quia Deus Auctor naturæ verba instituit, eo fine, ut unus alteri cogitationes, & mentis suæ judicia exprimat: ergo aliud cogitare seu sentire in mente, & aliud loqui, repugnat rectæ rationi, Societati humanæ, & institutioni a DEO ordinatæ: atqui hoc fit per mendacium: ergo &c. Hinc S. August. *de mendacio ad Consentium* scripsit: *quisquis autem esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipit se ipsum turpiter.* Videatur de hoc Lessius *l. 2. de J. & J. c. 47. dubit. 6. n. 36.* & seqq. vel Gonet. *Theolog. mor. tom. 7. tr. 9. c. 2. q. 4.*

347. R. Secundo, ad alteram partem ejusdem quæsiti. Mendacium per se, & ex genere suo non est peccatum mortale; sed veniale duntaxat. Ita Lessius *l. c. n.* 40. & alii *communiter*. Ratio est: quia abusus ille verborum aut signorum contra institutionem ab Auctore naturæ factam (in quo malitia seu deordinatio mendacii sita est) per se loquendo neminem graviter lædit: deceptio quoque proximi, quæ intervenire solet, de se est parvi momenti, & hoc ipso Societati humanæ exinde non videtur imminere magnum periculum, esto immineat aliqua incommoditas: ergo per se, & ex genere suo non est, nisi peccatum veniale, licet haud infrequenter ex accidente evadat mortaliter peccaminosum, præsertim mendacium perniciosum, si hoc fiat animo graviter decipiendi &c. quod nedum virtuti veracitatis, sed & charitatis ac justitiæ repugnat; unde *Psal.* 5. dicitur, *perdes omnes, qui loquuntur mendacium:* & rursus *Sap.* 1. *Os, quod mentitur, occidit animam* &c. idipsum dicendum est, quando mendacium firmatur juramento; quod graviter repugnat virtuti Religionis; vel, si fiat cum gravi scandalo audientium, contra virtutem charitatis. Babenstuber *tr. 5. disp. 8. n. 10. & 11.* Henno *cit. concl. 4.*

Quæres quarto, quomodo peccet, qui alterius famæ detrahit?

348. Ante Responsionem recolendum est ex dictis *de Restitut. Confer. 9. n. 231.* primo, *famam* (ut impræsentiarum sumimus) consistere in opinione de virtute, sapientia, vel prudentia alterius; *honorem* vero in testificatione de alterius excellentia. Ex quo liquet, famam importare internam opinionem bonam virtutis, excellentiæ &c. honorem vero contestationem externam ejusdem excellentiæ v. g. coram eo stando, assurgendo, caput aperiendo &c. locum priorem cedendo &c. Liquet insuper, famam alterius lædi posse per hoc solum, quod bonam existimationem de alio conceptam ex mente nostra, quasi abjiciamus, vel certe faciamus abjici ab aliorum mente: id quod fieri assolet. 1. Per judicium temerarium. 2. Per suspicionem, & 3. per dubium de malo seu vitio proximi, 4. per detractionem &c. &c. occultam. Honorem vero non, nisi per externam exhibitionem alicujus irreverentiæ; quod rursus fieri amat vel per detractionem publicam v. g. libellum infamem, vel per contumeliam aut calumniam inferendam, veluti diximus *loc. cit. n.* 232.

349. Recolenda insuper est secundo ex dictis ibidem *n.* 233. differentia inter *judicium*, *suspicionem*, & *dubium* de malo, vel crimine alterius; judicium quippe consistit in assensu, seu firma credulitate; quæ crudelitas, si fuerit concepta ex motivis prudentibus ac firmis, dicitur judicium fundatum: si vero ex motivis insufficientibus, assensu viri prudentis indignis, judicium temerarium appellari consuevit. Suspicio vero consistit quidem in assensu, sed debili, & cum formidine de opposito, ita, ut suspicans non adhæreat firmiter suæ opinioni: porro ubi talis suspicio multum habet formidinis de opposito, & parum de consensu, dicitur suspicio levis; si vero multum consensus, & parum formidinis, suspicio gravis appellari solet, quæ rursus juxta diversitatem motivorum vel fundata vel temeraria dici assolet. Dubium denique importat suspensionem judicii de malo aut vitio alterius, ita scilicet, ut dubitans nec judicet aut dicat, proximum hoc vel illud crimen commisisse; nec dicat, eum hoc non com-

commisisse, sed ad summum existimat, esse dubium, an illud commiserit, nec ne. His præsuppositis.

350. R. jam ad propositam quæstionem. Qui famæ alterius detrahit in materia gravi, scilicet eidem occulte vel falsum crimen imponendo, vel verum quidem, occultum tamen, injuste propalando, sive dein detractione *materiali* (id est sine intentione eidem nocendi) sive detractione *formali* (id est, cum intentione eundem denigrandi, vel ei nocendi in fama &c. &c.) peccat mortaliter, saltem per se loquendo. Ita *communissima* & certa Doctorum sententia, Oraculis sacræ scripturæ confirmata; nam *Proverb.* 24. dicitur: *abominatio hominum detractor*, & rursus *Rom.* 1. *v.* 30. *detractores* dicuntur *DEO odibiles*. Ratio est: quia detractor injuste aufert famam alterius, eamque lædit in materia gravi, ut supponitur: ergo non minus graviter, immo gravius peccat, quam si abstulisset alteri bonum fortunæ in materia notabili. Conseq. liquet: quia bonum famæ est altioris ordinis, & hoc ipso apud homines ingenuos in majori æstimatione, quam bonum fortunæ: ergo si lædens alium in bonis fortunæ graviter delinquit, a fortiori is, qui alium graviter detrahendo lædit in bono famæ graviter peccat, saltem per se loquendo.

351. Dico autem: *per se loquendo*; nam apud omnes in confesso est, fieri posse, ut subinde detractor materialis (qui scilicet non habuit intentionem proximo nocendi in fama) non nisi venialiter peccet, scilicet ob imperfectionem actus, seu indeliberationem; vel quando hujusmodi detractio fit in illis circumstantiis, in quibus audientes fidem adhibere non solent, prout fieri amat, dum subin mulierculæ altercantes verbis, sibi ex impetu passionis ac furoris nescio quæ crimina, aut convitia objiciunt, ut notat Stephanus a S. Paulo *Theolog. mor. tract.* 4. *disp.* 6. *n.* 6. Idipsum tenendum quando defectus alterius manifestatus non est gravis, neque probrosus: quia hoc ipso fama alterius graviter non læditur, neque lædi potest apud prudentes. Videantur de hoc Reiffenstuel *Theolog. mor. tract.* 9. *distinct.* 6. *n.* 5. Matthæucci *in cautela Confess. lib.* 2. *c.* 25. *n.* 9. Filliuc. *tr.* 40. *n.* 89. la Croix *lib.* 3. *p.* 2. *n.* 1149.

Sed undenam colligendum aut dignoscendum, inquies, quod quis alium diffamando aut detrahendo graviter læserit?

352. R. Ad hoc dignoscendum serviet multum sequens Regula, quam velut universalem tradit Henno noster, & Sporer *tr.* 5. *c.* 4. *n.* 59. *Quotiescunque manifestatur defectus proximo graviter probrosus, sive ille secundum se sit naturalis, sive criminalis, sive mortalis, sive venialis, detractio est mortalis*. Ex. gr. dicere de aliquo milite, eum duellasse, fornicatum esse &c. non reputatur graviter probrosum, quin potius de talibus sese jactare consueverunt, licet de se sint peccata gravia: econtra dicere de aliquo viro gravi, præsertim sacerdote, eum esse mendacem, puellarum amatorem &c. item dicere de aliquo Medico, vel alio Doctore &c. eum esse asinum, nihil scire &c. culpa gravi non vacat; quia hoc respectu talium cedit in grave probrum, seu præjudicium famæ, esto defectus secundum se vel omnino non, vel nonnisi leviter sint peccaminosi. Practice loquendo interrogandum est, an talis pœnitens non putet, se per hujusmodi detractionem vel dicteria &c. proximo suo in fama, vel bonis fortunæ nocuisse &c. & ex hujus responso formandum judicium practicum; licet plerumque respondere soleant, se id nescire.

Quæres quinto, an ergo nunquam fas sit, crimen vel defectus occultos proximi manifestare?

353. R. Fas est manifestare, sed nonnisi gravibus de causis, quales sunt I. Quando expedit hujusmodi crimen aut defectum manifestari Superiori, ut emendetur, vel scandala &c. impediantur: quia Superiorum interest scire suorum defectus, ut convenienter valeant remederi. Hac de causa excusari possunt a peccato illi, qui crimen occultum filiorum Parentibus, vel famularum heris, ad debitam correctionem manifestant, modo observetur præceptum fraternæ correctionis, simulque caveatur, ne ex hujusmodi revelatione majus damnnm sequatur: excusatur similiter

similiter Uxor cum Marito (vel econtra) loquens de occultis criminibus filiorum, aut famulorum.

II. Fas est manifestare crimen aut defectum proximi viro prudenti &c. causa consilii, vel auxilii capiendi: in quo tamen cavendum, ut hoc cum minimo damno tertii fiat.

III. Fas manifestare crimina vel defectus proximi, causa avertendi mali aut damni a proximo innocente: v. g. ubi agitur de conferendo aliquo officio, de contrahendo matrimonio, de assumendo Medico, Chirurgo, famulo, aut famula, licet, immo oportet occulta alterius impedimenta, inhabilitatem, vel crimina, a quibus merito timeri potest aliquod incommodum vel nocumentum &c. manifestare iis, quorum interest, vel qui remederi valent, si nullum aliud suppeditet medium impediendi hujusmodi mala. Ratio est: quia tunc proximus nequit esse rationabiliter invitus, cum vel maximi intersit, ut hujusmodi officia vel servitia non conferantur, nisi dignis. Ita Lessius *l. 2. c. 11. dubit. 9. num. 57.* Navarr. *man. c. 18. num. 31.* Sotus *l. 5. de Just. q. 7. a. 1.*

Quæres sexto, an fas sit se ipsum diffamare?

354. R. Sine gravi causa (qualis esse posset amor justitiæ aut humilitatis &c. &c.) se ipsum diffamare non licet, sive falsum crimen sibi imponendo, sive verum occultum propalando &c. tametsi hoc graviter peccaminosum non sit, per se loquendo. Ita *ex communi DD.* Molina, Laymann *l. 2. tr. 3. p. 2. c. 3. nu. 15.* Lugo *de Just. disp. 14. sect. 10.* Ratio est: quia nullus sine mendacio potest sibimet affingere crimen falsum: omne autem mendacium est peccatum: ergo &c. Qui vero sine gravi causa manifestando de se crimen occultum se ipsum diffamat, non peccat contra justitiam, cum sit Dominus famæ, sed potius committit peccatum prodigalitatis, sicut si sine causa pecuniam suam dilapidaret, ideoque non peccat graviter, sed leviter duntaxat, saltem per se loquendo.

355. Dixi rursus *per se loquendo*; nam per accidens potest quis se ipsum diffamando peccare mortaliter: 1. si faciat cum scandalo aliorum; vel 2. si talis diffamatio necessario redundaret in gravem infamiam aliorum, prout diffamatio Religiosi solet redundare in infamiam Religionis, diffamatio Uxoris adulteræ in infamiam Mariti, vel 3. si diffamans exponat se ipsum periculo vitæ vel gravissimi damni &c. vel 4. si fama sit necessaria ad officium, quo fungitur v. g. si sit Parochus, Abbas &c. &c. prout bene animadvertit Sporer *tr. 5. c. 4. nu. 8.* Navarrus, Lessius, Lugo, & alii.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de detractione, vel diffamatione injusta.

CASUS PRIMUS.

Titia ancilla fatetur, se haud pridem renuntiasse servitio cujusdam spectabilis viri, cum vero inaudisset, aliam quandam honestam puellam eidem Domino sua addixisse servitia, huic omnimodis id dissuasisse, asserendo, certo certius fore, ut non diu apud eundem perseveret, eo quod sit vir valde mirabilis, & insupportabilis. Verum cum puella dictis Titiæ noluerit adhibere fidem, denique tum ad hanc sibi reconciliandam, tum potissimum etiam ad removendum ab ea periculum impudicitiæ, dixisse clarioribus verbis, Dominum illum esse Veneri deditum supra omnem modum, nullam adhuc puellam vel famulam reliquisse intactam, proptereaque se suasu cujusdam prudentis viri dereliquisse illud servitium &c. Quæritur jam, an Titia hoc modo diffamando illum spectabilem virum peccaverit?

356. R. Titiam in hoc facto non peccasse peccato detractionis. Ita D. Thom. *2. 2. q. 73. a. 2. in corp.* Ratio est; quia detractio importat injustam denigrationem proximi: hæc autem denigratio a Titia facta non fuit injusta, quia, ut dicit S. Basilius *in Regulis brevior. Resp. ad interrogat. 25.* fas est patefacere crimina proximi, *quando necessitas poscit, ut periculo consulatur aliquorum, qui sæpenumero ex ignorantia commisceri possent*

poſſent cum malo, tanquam cum bono. Tum etiam, quia oportet priorem haberi rationem ſalutis ſpiritualis innocentis, quam famæ ſeductoris nocentis: hac de cauſa Chriſtus ipſe *Matth.* 16. *v.* 6. diſcipulos ſuos de malitia & hypocriſi Phariſæorum commonuit, qui tamen apud Judæos erant in maxima exiſtimatione. Videatur Pontas *Dictionar. Caſuum V. Detractio Reſponſ. ad Caſum II.* Filliuc. *tract.* 40. *nu.* 129. Auguſt. Michel *tract.* 4. *part.* 3. §. 2. *nu.* 12. *fol.* 1041.

r. Sed quid, ais, tenendum de illo Candidato certæ cujuſdam Religionis, qui, ubi animadvertit, alteri cuidam Concanditato affulgere majorem ſpem ſuſceptionis, ut hanc eidem præriperet, illum alterum apud eos, quorum intererat, Superiores denigravit?

357. R. Cum diſtinctione. Vel enim defectus illi ab altero commiſſi erant vere nocivi aut præjudicioſi ſacræ Religioni, vel non? Si primum (quales eſſent, ſi talis fuiſſet natus ab infecto aut infami genere; ſi ob grave delictum foret proſtituendus, aut ſubjiciendus publicæ infamiæ &c.) non peccaſſet; quia ſecundum mox dicta potior eſt habenda ratio Religionis innocentis (cujus vel maximi refert, homines pernicioſos non ſuſcipi) quam hominis privati nocentis. At vero, ſi defectus ille non fuit pernicioſus, neque hominem reddens indignum &c. uti ſunt defectus quaſi quotidiani &c. &c. tunc dicendum foret, hunc Candidatum graviter deliquiſſe, denigrando alterum; partim quia eundem injuſte diffamavit; partim etiam, quia diffamando illum impedivit a ſua vocatione. Et licet hoc fecerit ex bono fine, ſcilicet ut ipſe potius, quam alter ſuſciperetur; quia tamen hunc finem intendit per medium malum, injuſtam ſcilicet diffamationem, ſecundum dicta *de actibus humanis* medium malum non deperdit ſuam malitiam ex eo, quod aſſumatur ad finem bonum; neque ullatenus ſit faciendum malum, ut eveniat bonum; hinc excuſari neutiquam poteſt a gravi peccato. Laymann ubi ſupra *num.* 5.

Dices. Secundum reſolutionem datam *n.* 356. Titia ſine peccato potuit diffamare illum virum ſpectabilem, eo quod potior ratio ſit habenda pro ſalute ſpirituali innocentis; quam pro fama nocentis: quidni ergo & talis Candidatus majori in pretio poſſit habere ſuam vocationem, & ſalutem ſpiritualem, quam alterius utcunque demum nocentis? quidni ergo liceat hujus defectus manifeſtare illis, quorum intereſt?

358. R. Diſparitatem in eo ſitam eſſe, quod libido, ſeu defectus illius viri ſpectabilis ſupponantur vere pernicioſi innocenti puellæ, quippe quæ propterea exponeretur periculo proximo peccandi, neque enim prudenter præſumi poſſet, habituatum illum & libidinoſum ſeductorem intra tam exiguum temporis ſpatium ſeſe emendaſſe, vel ſe emendaturum: econtra defectus alterius Concandidati ſupponuntur non pernicioſi aut præjudicioſi (quales eſſent, ſi aliquoties non frequentaſſet ſcholas, ſed potius hoſpitia, ſi tempore nocturno vagatus fuiſſet per civitatis plateas &c. &c.) ideoque tales jam ſunt emendati, vel facile emendandi; ergo has non licet manifeſtare. Hinc ſi ſcias aliquem defectum v. g. infidelitatis &c. vel, ſi noveris ſcientia privata, aliquem Clericum ſemel commiſiſſe aliquod delictum &c. & eos jamjam fuiſſe emendatos, vel non amplius ſubeſſe periculum, ne in idem delictum reincidat &c. non licebit tibi hujuſmodi delicta occulta manifeſtare eo fine, ut tu, vel tale ſervitium, vel tale beneficium obtineas. Ratio eſt: quia tales adhuc poſſident jus ad ſuam famam, quo ſine grandi peccato injuſtitiæ privari non poſſunt, nec debent, niſi ſubſiſtente graviſſima cauſa: atqui talis non ſuppetit, ubi prudenter præſumi poteſt ac debet, non ſubeſſe periculum relapſus, & hoc ipſo neque periculum damnificandi proximum: ergo &c. Videatur de hoc Lugo *in Reſponſ. moral. lib.* 4. *d.* 46. Sanchez *in decalog. l.* 6. *c.* 18. *num.* 49. & 60.

CASUS SECUNDUS.

S*Empronius in certa quadam aula a magno Principe conſtitutus Agens, dum alia gravioris momenti non occurrunt, ſingulis ſeptimanis tranſcribit quæ-*

cunque demum nova percipit; tum ut suo Principi (quem similibus novellis summopere delectari in comperto habet) placeat: tum etiam, ut suo muneri, Agentis scilicet, ad amussim satisfaciat. Inter alia nuper transcripsit 1. *delicta aliquot malefactorum extremo supplicio affectorum* 2. *certam quandam epistolam amatoriam ab honesta puella eidem Principi haud ignota ad suum amasium scriptam, sed ob inepte factam inscriptionem exteriorem interceptam. Jam vero conscientiae stimulus agitatus Sempronius, quaerit e quodam Theologo, an haec & similia protinus practicare sibi liceat sine offensa DEI. Quid ad haec Theologus?*

359. R. Ad hunc Casum primo, Sempronium non peccasse ex eo, quod transcripserit delicta malefactorum extremo supplicio affectorum.

Ratio est: quia malefactores per publicationem suorum criminum auctoritate Judicis publice factam jam perdiderunt jus ad suam famam; enimvero infamia haec publica est quaedam poena peccati, solentque hujusmodi delicta auctoritate Judicis publicari & puniri in aliorum exemplum, ut scilicet alii ab iisdem committendis absterreantur. Putant etiam Molina & Lugo apud la Croix *cit. num.* 1219. *in fine*, ad hoc, ut quis infamatus sit in Regno, satis esse, ut sit infamatus in Curia, vel alio illustri loco, ex quo facile in totum Regnum fama dimanet: consequenter hujusmodi delicta tuto possunt alio, quocunque demum lubet, transcribi.

360. Dixi: per publicationem criminum auctoritate Judicis *publice factam*; aliter enim loquendum est, casu quo sententia non fertur publice, sed privatim duntaxat in aliquem reum intra aliquam particularem communitatem, v. g. in Religiosa familia aut Monasterio, eo fine ac intentione, ut reus corrigatur, ideoque non tam vindictae, quam correctionis causa, quo casu certe non liceret hujusmodi crimen aut defectum alio sive saecularibus, sive etiam Regularibus ejusdem Ordinis transcribere; tum quia Judex aut Superior talem Reum non simpliciter fama privatum voluit; tum etiam quia per hujusmodi transcriptiones nonnisi dissensiones, animorum exulcerationes, & alia innumera mala oriri sunt nata. Peccant proin pro ratione materiae, qui similes defectus ab uno Conventu transcribunt in alium, nisi forte aliorum intersit, nosse similia, prout contingere posset in casu Apostasiae ab Ordine &c. &c. Videatur la Croix *l.* 3. *p.* 2. *num.* 1221. vel Kreslinger *in supplem. addit. III. R. I. ad tr.* 9. *dist.* 6. *n.* 19. *Theolog. mor.* R. P. Reiffenstuel.

361. R. Jam secundo ad eundem Casum, Sempronium graviter peccasse transcribendo epistolam amatoriam illius puellae, si tamen ex ea gravis infamia (v. g. ob commercium carnale habitum aut habendum) potuit redundare in eandem.

Ratio liquet ex dictis: quia non licet occulta crimina proximi manifestare aliis sine gravissima causa, quae quidem tanto debet esse gravior, quanto major inde infamia redundare solet in diffamatum: at, in nostro casu non videtur ulla ratio sufficiens suppeditare: ergo &c. Nec refert, quod soli Principi, viro utique discreto, ac silentioso supponatur hoc transcripsisse, & fortassis sine mala intentione quidpiam nocendi, sed potius delectandi Principem tali novitate &c. Nam fama seu bona existimatio Principis de puella, huic procul dubio erit charior, quam apud alios decem vel plures, praesertim cum puella supponatur apprime nota Principi: ergo minime dubitandum, quin hanc jacturam famae suae (& rationabiliter quidem) senserit gravius, quam si per talem Scriptorem vel Agentem apud alios decem aut plures fuisset diffamata: ergo cum hoc posterius sine culpa gravi fieri non potuerit, multo minus fieri potuit illud prius. Videantur de hoc Illsung *tract.* 4. *disp.* 3. *numer.* 105. Herincx *p.* 3. *tract.* 2. *disp.* 7. *num.* 28. Holzmann *tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 2. *num.* 673.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus vir honestus & gravis exonerando suam conscientiam inter alia deponit se frequenter miscendo cum aliis sibi similibus discursus, sinistre aliorum defectus*

fectus fuisse interpretatum, & aliis detraxisse, 2. subin detrahentibus aurem præbuisse; & licet aliquoties, dum valde diffamatoria in medium allata sensit, hoc sibi displicuerit, non tamen contradixisse; sed subrisisse potius, denique aliquoties aliorum delicta non quidem affirmasse, sed potius, ut audita ab aliis denuo retulisse, idque non tam animo detrahendi, aut cupiam alteri præjudicandi, nocendive, sed solum discursus & admirationis gratia. Quid judicii feret Confessarius de Cajo?

362. R. Confessarius judicabit prudenter, se hac sola generica quasi confessione & expositione peccatorum neutiquam posse esse contentum, quandoquidem certum & exploratum habetur, pœnitentem teneri nedum ad specificam, sed & numericam peccatorum suorum expositionem, qualem certe non fecit, prout cuivis in Theologia morali vel modice tincto facile apparebit.

Itaque quoad primum punctum vel membrum examinet pœnitentem 1. an aliis graviter detraxerit, eorumve defectus leves, vel vero graves in sinistram partem interpretatus fuerit? Si in materia gravi, tunc 2. oportet interrogare, quoties, & coram quot circiter personis id contigerit? nam si sæpius detraxit, utique plura commisit numero distincta peccata. 3. interroget, an detrahendo aliis, vel eorum defectus in pejorem partem interpretando non intulerit aliud notabile damnum in bono famæ, vel etiam fortunæ? vel, an non animadverterit aliquod damnum iisdem secuturum?

Quod si pœnitens responderit (prout regulariter solet) se id ignorare, ulterius interroget, in qua ergo materia detraxerit? item, quo animo ipsusmet tulisset aut resensisset, casu quo inaudiisset, alium quempiam de se (Cajo scilicet) similia narrasse &c. &c. Et ex responsis facile poterit formare judicium practicum de numero, & gravitate peccatorum pœnitentis, quoad primum punctum vel membrum.

363. R. Jam ad secundum membrum hujus Casus. Confessarius judicabit, Sempronium non peccasse graviter ex eo præcise, quod subin aurem præbuerit detrahentibus, modo illos non animaverit, vel excitaverit ad detrahendum &c. Et cum dicat, sibi displicuisse, dum subin valde detractoria vel infamatoria audivit, satis manifestat, se detrahentes in materia gravi non adjuvisse, neque audivisse libenter. Esto etiam fateatur, se potius subrisisse, quam contradixisse; quia tamen frequenter contingit, ut quis subrideat potius propter lepidum modum narrandi, detrahendi, vel exaggerandi crimen, vel defectus aliorum, quam propter ipsum defectum, aut diffamationem; hinc inferre non licet illico, Sempronium subridendo approbasse detractiones &c. Et certe sæpesæpius non oporteret illico contradicere, vel corrigere detrahentem, præsertim si auscultans non sit Superior; tum quia corrigendo fortassis incurreret notam imprudentiæ; tum etiam, quia correctio sine auctoritate sufficiente facta, posset de facili præbere occasionem majoris indignationis, & gravioris detractionis, dum detractor nollet videri errasse, propterea que alios defectus, vel vitia proferret in medium, prout non raro contingere solet. Suadendum proin foret a Confessario, ut, si Sempronius nolit, vel non audeat hujusmodi detractores corrigere, deinceps displicentiam potius, quam subridendo complacentiam ostendat, vel saltem filum discursus abrumpere, aut alio divertere conetur, modo quasi insensibili verb. gr. narrando subito aliam historiam, vel casum lepidum proxime factum, vi cujus alii abstrahantur a priori discursu detractorio. Videatur S. Thom. 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 4. *in Corp.* Herincx *cit. num.* 33.

364. R. Jam ad tertium membrum hujus Casus, Sempronium probabilius in his circumstantiis non peccasse graviter, aliorum crimina referendo præcise *ut audita*, idque, (ut asseritur) non animo nocendi, aut præjudicandi &c. sed solum discursus gratia, quia non intulit notabile damnum in fama vel honore, ut supponitur: secus dicendum foret, si ea narrasset animo persuadendi, & rationibus fidem dictis suis conciliandi &c. allegando alios viros graves velut testes &c. quo casu peccasset etiam contra

tra justitiam, cum onere restituendi famam; vel si prævidisset, fore ut alii audientes similia credant, saltem ex levitate cordis, propereaque illum, cujus crimina ut audita narrabat, incursurum gravem jacturam famæ, vel aliud detrimentum; quo casu Sempronius contra charitatem proximi graviter deliquisset. Videantur de hoc Sporer *tr.* 5. *c.* 4. *num.* 62. Laymann *l.* 3. *tract.* 3. *p.* 2. *c.* 3. *num.* 7. Tambur. *in decalog. lib.* 9. *c.* 3. §. 2. *num.* 5. la Croix *l.* 3. *p.* 2. *n.* 1207.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

365. COlliges ex hactenus dictis primo, non committi mendacium ab eo, qui joci causa aliquid narrat quod alii audientes facile intelligunt, non esse serio, & ex mente dictum; ut si quis dicat, se hodie comedisse, aut comesturum integrum vitulum, vel, si dicat, se bibisse aut bibiturum integram aimeram vini, aquæ &c. Ratio est: quia tametsi probabiliter ad mendacii essentiam opus non sit, ut quis loquatur animo alios fallendi &c. necessum tamen est, ut loquatur *contra mentem*: at, qui in hunc modum loquitur, non loquitur contra mentem, eo ipso, quod alii omnes possint apprehendere, eum non loqui serio, & ex mente propria: ergo non committit mendacium; secus enim dicendum foret, omnes Poetas fuisse mentitos, & Juvenes, qui in arte fingendi &c. instruuntur, instrui in arte mentiendi, quod nemo prudentum facile dixerit. Videatur Henno *in decalog. disp.* 8. *q.* 1. *concl.* 1. *circa finem.*

366. Colliges secundo, graviter peccare Theologos, Juristas, & Medicos, scienter docentes seu tradentes falsas opiniones, perniciosa consilia &c.; quia mendacium perniciosum in materia gravi est graviter malum. Idipsum dicendum de Concionatoribus, scienter annuntiantibus vel jactantibus falsa miracula, falsas indulgentias, vel falsas Reliquias, sen mentientes *in materia doctrinæ*; tum quia per hoc exponunt vera miracula, veras indulgentias, & Reliquias contemptui, ac ludibrio; tum etiam, quia cum ratione officii sustineant personam Dei, & in Dei persona loquantur, tenentur doctrinæ veritatem conservare, nisi Deo ipsi velint gravem injuriam irrogare, prout tradidit S. Augustinus *lib. de Mendac. c.* 21. dicens: *non est mentiendum in doctrina pietatis; magnum enim scelus est, & primum genus detestabilis mendacii*: idipsum postea docuit D. Thom. 2. 2. *q.* 110. *art.* 4. *ad ultim:* Secus dicendum, si mentiatur solum in citationibus, vel *materia non doctrinali*; id est, fidem aut mores non concernente, ut si dicat, se aliquid vidisse, quod non vidit: fuisse v. g. Romæ &c. ubi non fuit, propterea enim per se loquendo non videtur excedere culpam venialem, inquit Henno *loc. cit. conc.* 4. *Resol.* 2. *fin.*

367. Colliges tertio, non esse condemnandum peccati mortalis (saltem regulariter loquendo) qui alterius defectus naturales duntaxat revelat, sive sint animi, sive corporis &c. utputa dicendo, hunc vel illum esse spurium, stupidum, gibbosum &c.

Ratio est: quia cum hujusmodi defectus sint naturales, non voluntarii, eo ipso per se loquendo non sunt graviter probrosi, consequenter nec graviter diffamatorii, prout bene notat Bonacina *tom.* 2. *de Restitut. in part. disp.* 2. *quæst.* 4. *p.* 2. *n.* 8. secus dicendum, si quis animadverteret, hujusmodi revelationem cessuram in grave præjudicium, vel in damnum tertii.

368. Colliges quarto, neque illum de facili condemnandum esse alicujus peccati mortalis, qui revelat aut refert defectus alterius morales quidem, sed in genere duntaxat v. g. asserendo illum esse superbum, iracundum, dissolutum &c. Ratio est: quia audientes similia plerumque interpretantur de naturali propensione, seu inclinatione in similia vitia &c. proptereaque non habentur velut graviter probrosi. Excipiendum rursus est, nisi relator similium animadvertat, diffamatum exinde incursurum aliquod grave damnum v. g. exclusum iri ab aliquo officio, aut servitio &c. vel a sua vocatione &c. &c. Videantur de hoc Lessius *l.* 2. *c.* 11. *num.* 18. Laymann *ubi supra n.* 3. vel S. Antoni-

nus 1. *p. t.* 8. *c.* 4. Henno *cit. a.* 1. *Resol.* 2. *post concl.* 4.

369. Colliges quinto, non esse mortale peccatum, male vel sinistre loqui, aut defectus etiam graves referre de aliquo homine ignoto, vel de noto quidem, sed tecto nomine, ita ut alii non sint venturi in notitiam delinquentis, vel etiam de aliqua Natione quasi in genere e. g. eam esse superbam, esse bibulam, esse furiosam, infidelem in servandis promissis &c.

Ratio est: quia per hæc & similia solum innuitur, dari multos, vel potiores in tali Natione, aut civitate &c. ad hoc vel illud genus vitii inclinatos: sicut ergo ex hoc inferre non licet, hunc vel illum in particulari, seu in individuo esse talem; ita nemo in individuo læditur, certe non graviter: sed neque ob id toti Nationi aut toti civitati gravis nota inuritur: tametsi fatendum, laudabilius a similibus dicteriis abstineri a prudentibus, præsertim, cum potissimum non serviant in alium finem, nisi ad concitandas dissensiones, animorumque perturbationes &c. &c. Videantur de hoc Azorius *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 7. Herincx *part.* 3. *tract.* 2. *disput.* 7. *n.* 24.

370. Colliges sexto, econtra graviter peccare, qui alicui Ordini Religioso, aut Monasterio, Collegio &c. detrahunt v. g. dicendo, quod in eo male, licentiose &c. vivatur &c. quod in eo non sit observantia Regulæ, vel Regularis disciplinæ &c. (nisi hoc sit notorium &c.) Ratio est: quia hoc modo graviter diffamatur Monasterium, Ordo, vel Collegium, quippe quod facit moraliter unum corpus politicum, prout cum Scoto, Navarro, & aliis bene notat Busenbaum apud la Croix *l.* 3. *p.* 2. *n.* 1190. Teneturque talis detractor sub gravi culpa ad restitutionem famæ, a qua Superioris remissio non excusat, inquit Busenbaum *c. n. XV.* Quocirca tamen Tamburinus *de exped. confess. lib.* 2. *cap.* 1. existimat, hujusmodi detractorem præcepto confessionis satisfacturum, si accusando se dicat: *detraxi cuidam Monasterio, Religioni, vel Ordini &c. graviter &c.* sive communitas fuerit numerosa, sive non.

Sed quid judicii formandum (inquies) a Confessario de illis, qui de aliquo Monasterio, aut Religioso, aliove homine sæculari privato grave crimen referunt, aut confidunt uni vel alteri, & statim eidem mandant, vel etiam rogant &c. ne ulli alteri mortalium ullo unquam tempore quidpiam de hoc revelet &c. eruntne condemnandi peccati gravis?

371. R. Conformiter ad dicta *n.* 361. etiam in tali casu per se loquendo graviter peccari posse, plerumque graviter Deum offendi, præsertim, si exinde prævideatur notabile probrum redundaturum in diffamatum, prout fieri potest, si tale crimen reveletur etiam uni duntaxat viro magnæ auctoritatis, ac potentiæ, a quo nescio quæ incommoda possent inferri diffamato &c. &c.

Per illud vero, quod detractor statim mandet aut roget, ne ab illo, cui concredidit, tale factum infame ulterius propaletur &c. parum vel nihil omnino diminuit culpam, prout bene docet S. Chrysostomus *hom.* 3. *ad Popul. Antioch.* eo ipso enim, quod audientem rogent, & quasi adjurent, ne cuipiam amplius alteri dicat, declarant, quod rem reprehensione dignam commiserint, *si enim* (inquit Sanctus) *illum, ut nemini dicat, rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat* &c. Videatur Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 73. *art.* 1. *ad* 2. vel Pontas *loc. cit. Respons. ad Cas.* 3.

372. Colliges septimo, etiam graviter peccari posse ab illis, quid de proximo nullum quidem vitium in specie exprimunt, nihilominus ex modo loquendi dant intelligere, eum esse vitiosum, e.g. movetur discursus de virtutibus, doctrina, fidelitate, prudentia &c. Titii, qui ab uno vel alio summopere commendatur &c. tu id inaudiens, respondes: *verum est: est vir sapiens, est prudens &c. sed!* vel dicis: *scio hæc omnia. Verum scio insuper, quid mihi de eodem alius vir magnus fide dignissimus narraverit* &c. Rursus commendatur aliqua velut honesta puella, honesta Matrona &c. famula fidelissima &c. tu vero id inaudiens, reponis: *transeant hæc omnia, sed si* &c. &c. Contingere itidem potest, ut

alii

alii tertium quendam laudent vel extollant de ſua arte &c. &c. tu vero id inaudiens, frontem & os contrahis &c. vel dicis : *ego taceo de hoc homine*, *utpote mihi aliunde noto* &c. &c. In his & ſimilibus pluribus contingentiis hodie valde frequentibus graviſſime lædi poteſt fama proximi ; quia præbetur anſa aliis audientibus, neſcio quæ mala ſuſpicandi, nec dubium, quin ſæpeſæpius minus læderetur fama, ſi aperte defectus proximi narrarentur.

Ad dignoſcendam tamen gravitatem peccati animadvertendum eſt, quis, coram quibus, cui &c. hæc & ſimilia dixerit, an propterea talis famulus vel ancilla, opifex &c. non fuerint damnificati, vel impediti ab aliquo alio bono, labore, ſervitio aſſequendo &c. quo caſu detractor tenebitur pro poſſibili ad reſarciendam famam, & omne illud damnum illatum vi talis diffamationis. Videatur Sporer *tract.* 5. *c.* 4. *num.* 41. vel R. D. Auguſt. Michel *tr.* 4. *part.* 3. §. 2. *num.* 5. *fol.* 1039.

373. Colliges denique octavo, facilius, & frequentius etiam a culpa mortali excuſandos eſſe illos, qui (uti non raro fieri amat) mere per accidens, & præter omnem intentionem incidunt in talem diſcurſum, ut vel nolentes cogantur audire neſcio quas querelas, murmurationes, criminum narrationes, ſeu detractiones ; ſæpius inquam tales a gravi peccato, immo ab omni etiam culpa excuſari poſſunt ; tum quia ſimilia libenter non audiunt (forte nec credunt) tum quia contradicere non audent, fortaſſis nec poſſunt ſine periculo gravioris detractionis, diſgratiæ incurrendæ, aut aliorum incommodorum. Quæmadmodum ergo in aliis multis de ſe peccaminoſis ad evitandam culpam ſufficit, ut quis merum paſſive ſe habeat : ita & in ſimilibus ſufficiet, quod audiens merum paſſive ſe habeat (niſi ſit Superior ipſius detractoris, cui incumbit ex officio prohibere ſimilia) &, ſi contradicere non audeat, vel non oporteat, triſtiore vultu monſtret ſibi diſplicere ſimilia, & dictis exiguam, vel nullam prorſus fidem adhibeat, juxta monitum *Eccli.* 28. *Sepi aures tuas ſpinis*, *&* *linguam nequam noli audire*. Et rurſus *Prov.* 25. dicitur : *Ventus aquilo diſſipat pluvias*, *&* *facies triſtis linguam detrahentem*. Videantur de hoc Sayrus *l.* 11. *clav. reg. c.* 7. *num.* 46. vel Babenſtuber *tr.* 7. *diſp.* 5. *art.* 3. *n.* 43. Herincx ubi ſupra *num.* 33.

CONFERENTIA DECIMA TERTIA.

De Injuſta læſione honoris proximi, ubi etiam de revelatione ſecreti.

SUMMARIUM.

374. *Inhonoratio conſiſtit in quadam externa quaſi vilipenſione.*
375. *Contumelia vero in injuria, qua alicujus præſentis honor violatur palam &c.*
376. *Quæ triplici modo poteſt inferri, ſcilicet,* 1. *verbo,* 2. *ſcripto, &* 3. *facto.*
377. *Eſtque peccatum mortale ex genere ſuo.*
378. *Notorietas alicujus criminis eſt triplex, ſcilicet* 1. *Juris,* 2. *facti, &* 3. *famæ.*
379. *Quandonam dici poſſit publicum ſeu notorium?*
380. *An crimen notorium in uno loco liceat referre, ſeu manifeſtare in alio.*
381. *Juridice infamatus in uno loco, etiam in aliis famam perdit quodammodo.*
382. *Quomodo peccet, qui crimen alterius nondum quidem notum, proxime tamen manifeſtandum, anticipato propalat.*
383. *Solvitur quædam objectio in contrarium.*
384. *Ad labefactandam alterius auctoritatem nunquam licet eidem crimen falſum imponere.*
385. *Bene tamen crimen verum.*
386. *Detrahens defuncto, an vel quando peccet?*

387. *Quid intelligitur nomine secreti?*
388. *Et quomodo peccet revelans secretum.*
389. *Quinam specialiter obligentur ad servandum secretum?*
390. *Recensentur breviter quatuor causæ, ex quibus licet revelare secretum.*
391. *Qui aperit alterius litteras potest graviter peccare.*
392. *Nisi id faciat legitima auctoritate, vel justa de causa.*
393. *Resolvitur Casus I. cujusdam, qui libellum famosum, seu infamatorium composuerat.*
394. *Alia vice in cujusdam confusionem publicam paleas ab hujus domo usque ad habitaculum suæ amasiæ sparsit per plateam.*
395. *Rursus alium ad tacendum compescuit sub comminatione nescio quæ propalandi de eodem.*
396. *Resolvitur Casus II. de quodam Rectore Ecclesiæ, ab alio Nobili coram duobus calumniato.*
397. *Qui si periculum fuit, ne talis calumnia ulterius diffunderetur, merito postulavit satisfactionem.*
398. *Tenebanturque audientes reddere testimonium de illata calumnia &c.*
399. *Resolvitur Casus III. de quodam Juvene, qui dubitans an amasia sua non fuisset ab alio impraegnata, clam litteras eidem consignatas legit.*
400. *Easdemque postea ad se purgandum aliis juste exhibuit.*
401. *Occurritur cuidam instantiæ contra hanc resolutionem factæ.*
402. *Omnes contumeliæ, qua tales sunt ejusdem speciei.*
403. *Infamatum in uno genere, non licet propterea infamare etiam in alio &c.*
404. *Infamans alium olim publice diffamatum, sed jam emendatum peccat contra charitatem proximo debitam.*
405. *Probabiliter etiam contra justitiam.*
406. *Medicus vel obstetrix revelantes puerperium &c. quando & quomodo peccent?*
407. *Belliduces revelantes hostibus consilia bellica, gravissime delinquunt.*
408. *Similiter delinquunt Visitatores Religiosorum, defectus graves aliis, quorum non interest, manifestantes.*
409. *Idipsum tenendum de revelantibus secreta, quæ in diffinitorio gesta fuere &c. &c.*
410. *Non solum componentes, sed & spargentes libellos famosos graviter peccant.*
411. *Graviter insuper peccat, qui malitiose expiscatur alterius secretum.*
412. *Et qui tali notitia injuste adepta utitur cum gravi detrimento proximi, cujus erat secretum.*
413. *Secus dicendum, si quis uteretur tali notitia juste ac licite adepta.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de injusta læsione honoris proximi.

Quæres primo, quid sit inhonoratio proximi, vel quot modis inhonoratio contingere soleat?

374. R. Quemadmodum secundum dicta superius *num.* 348. honor consistit in quadam exteriori contestatione excellentiæ alterius, ita inhonoratio consistit in quadam testificatione mali, seu imperfectionis in altero, cum significatione malæ existimationis de illo, prout bene notat la Croix *l.* 3. *p.* 2. *nu.* 1193. Et quia per hujusmodi inhonorationem plerumque etiam lædi solet fama alterius; hinc plerumque fatentur DD. inhonorationem esse peccatum gravius simplici detractione &c. prout colligere licet ex Lessio *l.* 2. *de J. & J. c.* 11. *num.* 5. Ceterum, talis inhonoratio multifarie potest contingere, potissimum tamen per contumeliam. Unde

Quæres secundo, quid & quotuplex sit contumelia? & 2. quale peccatum?

375. R. Primo, Contumelia a contemnendo sic dicta recte describitur, quod sit *injuria, qua alicujus præsentis honor & existimatio palam violatur*. Ita Reiffenstuel *tract.* 9. *dist.* 6. *num.* 20. & in re *communiter DD.* Ex quibus liquet, contumeliam differre a detractione per hoc, quod hæc directe famam dat, contumelia vero honorem: rursus

tus detractio fit occulte & in absentia, sicut furtum; contumelia vero fit palam & in faciem, sicut rapina; vel clam quidem, sed ea intentione, ut veniat ad notitiam ejus, in quem conjicitur, prout contingit per scripturas, ac libellos famosos.

376. R. Secundo, Contumelia tribus modis accidere potest, scilicet 1. verbo, 2. scripto, & 3. facto. Ita rursus Reiffenstuel *l. cit. num.* 21. Explico breviter: I. sub contumelia, quæ fit verbo comprehenditur 1. *Convitium*, dum scilicet vitium vel defectus naturalis alicui in faciem objicitur cum ejus dedecore. 2. *Improperium*, vi cujus proximo exprobratur defectus minorationis seu indigentiæ &c. 3. *Maledictum*, quo quis alteri in faciem imprecatur v. g. diabolum, fulgura &c.

II. Sub contumelia quæ fit scripto intelligitur *scriptura* facta animo quempiam infamandi, prout fieri assolet per Pasquilla &c. solet in jure appellari *libellus famosus*.

III. Sub contumelia quæ fit facto comprehenditur 1. *Irrisio*, qua quis præsens objicitur risui. 2. *Illusio*, qua quis objicitur ludibrio, quasi tecte, & cum quadam deceptione prout Judæi Christo velata prius facie illudebant dicentes: *prophetiza nobis Christe* &c. 3. *Subsannatio*, qua quis objicitur irrisioni, seu ludibrio per gestus aliosve motus corporis, veluti rursus Judæi fecerunt, dum circa crucem, e qua moriturus pendebat Salvator noster, transeuntes illudebant ei, moventes capita sua, & dicentes: *Vah! qui destruis templum Dei, & in triduo* &c. &c.

377. R. Jam ad secundam partem quæstionis. Contumelia est ex suo genere peccatum mortale. Ita rursus *DD. communiter* signanter Reiffenstuel *l. cit. num.* 22. Ratio est: quia per contumeliam non solum læditur proximus in fama, sed & in honore, quæ merito reputantur bona magni momenti, immo plerumque majoris, quam bona fortunæ: ergo si furtum, vel detractio secundum dicta ex suo genere sunt peccata mortalia, a fortiori id ipsum est tenendum de contumelia; id, quod Salvator noster haud obscure insinuavit *Matth.* 5. iis verbis: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis*. Ubi sub ly *fatue* secundum expositionem Cornelii a Lapide intelliguntur *calumniarum genera* &c. Dixi tamen: *per se loquendo*; quia minime dubitandum, quin similia sæpesæpius fiant sine peccato mortali, sive ob levitatem materiæ, sive ob imperfectionem actus &c. sive ob conditionem personæ, cui infertur, vel a qua infertur; eadem quippe contumelia, quæ erga Dominum, Parentem, Virum gravem & honoratum, ob reverentiam iisdem debitam foret peccatum mortale, erga puerum, vel fœminam &c. prolata potest esse venialis; qua de causa jam superius a peccato mortali (regulariter loquendo) excusavimus illa convitia, dicteria, improperia, quæ mulierculæ litigantes impetu furoris gehennalis invicem evomere consueverunt.

Quæres tertio, sitne licitum, crimen ab aliquo in uno loco notorium, vel notorie commissum, eidem in alio loco, ubi notum non est, exprobrare, vel objicere, aliove modo ibidem publicare?

378. Ante resolutionem hujus quæsiti necessario prænotandum est, & animadvertendum, tripliciter aliquid fieri ac dici posse publicum seu notorium, scilicet 1. notoreitate *Juris*, 2. notoreitate *facti*, & 3. notoreitate *famæ*. Explico breviter. Notorium notoreitate Juris illud dicitur, quod scitur per confessionem Rei in publico judicio, vel per sententiam Judicis jam publicatam; Notoreitate facti publicum seu notorium appellatur, quo ob facti evidentiam innotuit apud tot homines, ut nulla tergiversatione celari posse videatur; ut si quis in publica platea rixando multis inspicientibus occidit suum adversarium &c. Notoreitate famæ illud dicitur publicum seu notorium, cujus rumor ex sufficientibus indiciis jam pervolavit seu pervenit ad tot, ut spectata hominum fragilitate vel loquacitate, merito censeatur jam divulgatum, aut facile evulgandum &c. ut si puella ex fornicatione prægnans, sensim incipiat intumescere, & ab aliquibus jam fuit

fuit notata portare uterum &c. la Croix *l.* 3. *p.* 2. *num.* 1219. & alii *DD. communiter*.

Sed quando (inquies) censendum eſt, crimen jam ita eſſe notorium, vel ad tot aures pervolaſſe, ut cenſeatur divulgatum, aut facile divulgandum?

379. R. Breviter cum Molina, Michel, & aliis ſequentia, 1. ut res, crimen, vel factum cenſeatur publicum in aliquo collegio vel domo &c. conſtante octo perſonis, ſufficit illud innotuiſſe jam quatuor ex illis 2. ſi conſtet viginti perſonis, ſufficit illud innotuiſſe ſeptem aut octo &c. 3. ſi conſtet centum, ſufficit illud innotuiſſe quindecim, aut viginti perſonis, 4. ſi conſtet talis communitas mille perſonis, ſufficit crimen aut factum innotuiſſe viginti plus minus &c. qui tamen non ex una aut duabus, ſed pluribus domibus ſint, 5. denique ubi civitas aliqua conſtat mille incolis, ſufficit famam facti alicujus pervolaſſe ad tringinta diverſos &c. ex illa civitate &c.

Ratio horum eſt: quia ſi tot de communitate factum aliquod aut delictum jam ſciant, ſpectata humana fragilitate, loquacitate &c. prudenter ſperari non poteſt ulterius ſilentium, & occultatio ejuſdem; conſequenter cenſetur jam moraliter publicum, aut certe proxime ex integro publicandum. Ita Michel *cit. num.* 16. *fol.* 1042. de quo ulterius videri poſſunt Haunoldus *tom.* 1. *tract.* 2. *num.* 544. Kreſslinger *addit.* 4. *poſt. nu.* 19. *ad tract.* 9. *diſt.* 6. *Theolog. mor. R. P. Reiffenſtuel*. His notatis

380. R. Jam ad quæſitum. Qui crimen proximi in uno loco publicum ſeu notorium, ſive notoreitate juris, ſive notoreitate facti, aut famæ, in alio loco manifeſtat, vel etiam eidem exprobrat, objicit &c. non peccat graviter contra juſtitiam. Ita *DD. citt.* quibus accedunt Molina, Leſſius, Laymann, Sporer *tr.* 5. *c.* 4. *num.* 69. 70. Azorius *part.* 3. *l.* 13. *c.* 6. *ad dub.* 8. Ratio eſt: quia ille, cujus delicta publica ſunt, amiſit jus ad ſuam famam (ſaltem in eo genere, in quo eſt notatus) immo amiſit famam ipſam, & bonam de ſe exiſtimationem hominum, in qua fama conſiſtit.

Confir. quia intereſt Reipublicæ, publice infamatos in omnium venire notitiam, ne cum illis, qui integræ famæ ſunt, pari in honore habeantur; qua ratione etiam publicari ſolent hujuſmodi facinoroſi; prout ſapienter animadvertit P. Haunoldus: ergo qui tales alibi diffamant, vel crimen ipſis objiciunt, non peccant contra juſtitiam.

Dices tamen: Crimen in uno loco commiſſum, quantumvis notorium, ſupponitur in alio loco adhuc ignotum, & incognitum ita, ut facinoroſus adhuc poſſideat integram ſuam famam in illo loco: ergo qui hunc diffamat, vel crimen in illo alieno objicit, facit huic injuriam, & peccat contra juſtitiam.

381. R. Cum Azorio & aliis *negando conſeq.* Eſto enim in alio loco nondum ſupponatur diffamatus ob ignorantiam criminum commiſſorum, nihilominus famam vel jus ad ſuam famam jamjam amiſit ſimpliciter, eo ipſo, quod per juſtam ſententiam judicis fuerit diffamatus &c. &c. Ex hoc igitur plus inferre non licet, niſi quod objiciens ei crimen alibi, & prævidens, eum propterea eſſe ſubiturum gravem jacturam, peccet contra charitatem proximo debitam, niſi forte id faciat animo avertendi pericula ab aliis innocentibus. Et ob hanc cauſam diximus, publicantem hujuſmodi crimina alibi, non peccare *contra juſtitiam*.

Quæres quarto, an, vel quomodo peccet, qui de alio, ſive verbis, ſive ſcriptura manifeſtat crimen grave, quod ſcit, nondum quidem publicum, proxime tamen infallibiliter publicandum?

382. R. Qui publicat crimen alterius, quod certo ſcit proxime vel naturaliter (ut fornicatio occulta per partum) vel juſte (per ſententiam ſcilicet Judicis &c.) publicandum, non peccat graviter, forte nec venialiter, niſi per anticipatam publicationem prævideatur aliud damnum aut præjudicium illatum iri. 2. qui vero publicat crimen, quod prævidebat proxime publicandum, ſed injuſte duntaxat, peccat per ſe loquendo graviter. Ita la Croix *l.* 3. *p.* 2. *num.* 1200. Holzmann *tom.* 1. *part.* 2.

tr. 2.

tr. 2. *n.* 639. referens pro eadem opinione Jacob Marchant. Illſung, & Babenſtuber. Ratio primi eſt: quia fama vel honor proxime proſtituendus &c. non eſt alicujus, vel certe non magnæ exiſtimationis: ergo anticipata ablatio per publicationem juſtam criminis non eſt injurioſa, aut præjudicioſa, vel certe non graviter. Ratio autem ſecundi eſt: quia qui prævenit injuſtum promulgatorem criminis, prius infert injuriam graviter damnoſam: ergo quemadmodum ille, qui prior incenderet domum, quam prævidet proxime injuſte incendendam ab aliis, graviter peccaret contra juſtitiam, ita, & qui prius injuſte manifeſtando delictum graviter probroſum proximo aufert famam.

Dices fortaſſis contra primam partem hujus reſolutionis. Qui homini vitam auferret, quam prævidet breviter ab aliis, quantumvis juſte auferendam, graviter peccaret: ergo etiam qui aufert famam, quam prævidet proxime ab aliis juſte auferendam.

383. R. cum *citt. DD. negando conſequens*. Diſparitas eſt: quia quodlibet momentum vitæ, utpote in quo promereri poteſt ſalus æterna, eſt res graviter æſtimabilis, non ſic fama brevi poſt amittenda. Addo ego, quod, cum nemo ſit Dominus vitæ ſuæ, eo ipſo nec poſſit conſentire, ut vel unico momento prius, quam juſtitia permittit, vita ſibi auferatur: poteſt autem conſentire, ut ſibi auferatur fama, vel ut anticipetur talis ablatio, aut certe nequit eſſe quoad hoc graviter invitus, niſi ex anticipata diffamatione cogeretur ſubire alia damna v. g. in bonis fortunæ &c.

Quæres quinto, an, vel qualiter peccet, qui ad labefactandam famam vel auctoritatem & honorem alterius, eidem imponit crimen, vel revelat?

384. R. ad hoc quæſitum 1. Certum, & hodie exploratum eſt, quod non liceat ad labefactandum alterius honorem vel auctoritatem ſive in, ſive extra judicium, eidem imponere crimen falſum. Ita *DD. communiter* poſt damnatas propoſitiones ab Innocentio XI. mox referendas. Ratio hujus eſt: quia imponens alteri crimen falſum committit mendacium pernicioſum proximo juxta proportionem materiæ &c. immo & pernicioſum Reipublicæ, ſi fiat in judicio; quia hæc habet jus, ne decipiatur in iis, quæ ad rectam gubernationem pertinent: atqui mendacium proximo graviter pernicioſum, non vacat culpa gravi: ergo &c. &c. Hinc mox allegatus Pontifex juſtiſſimo damnationis fulmine percuſſit ſequentes duas propoſitiones, quarum prima (*n.* 43.) ita ſonat: *quidni non, niſi veniale ſit, detrahentis magnam auctoritatem ſibi noxiam falſo crimine elidere*. Secunda (*n.* 44.) ita habet: *Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alteri, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat: & ſi hoc non eſt probabile, vix erit opinio probabilis in tota Theologia*. Videatur la Croix ubi ſupra *n.* 1215. Michel ubi ſupra *n.* 8. Viva *ad cit. propoſit.*

385. R. jam ſecundo ad idem quæſitum. Ad labefactandam tamen famam vel auctoritatem Adverſarii, qui per calumniam intra vel extra judicium famam vel jura fortunæ nititur lædere, fas eſt occulta ejus delicta vere commiſſa revelare, in quantum opus eſt ad retundendam calumniam. Ita Thomas Sanchez *tom.* 2. *conſil. l.* 6. *c.* 5. *dub.* 20 *n.* 4. Lugo *tom.* 1. *de Juſt. diſp.* 40. *ſect.* 2. *n.* 22. Molina *diſp.* 43. *n.* 3. quos refert & ſequitur Auguſt. Michel *ſupra c.* §. 2. *n.* 14. *fol.* 1042. Tamburinus *lib.* 9. *Decalog. c.* 3. §. 2. *n.* 21. Ratio eſt: quia jus naturale permittit, ut unusquisque ſeſe contra ſuum injuſtum aggreſſorem valeat pro viribus defendere, & tunc aggreſſor ſibimet imputare debet, ſi aggreſſus utatur mediis ad juſtam defenſionem permiſſis, immo neceſſariis: atqui ad juſtam defenſionem ſupponitur neceſſaria revelatio criminis ab illo commiſſi; ergo &c. Fatendum tamen, quod hæc res ſemper ſit periculoſa; quia ut advertit la Croix *n.* 1213. nunquam non ſubeſt periculum vindictæ, quæ privato non licet. Neque in tali caſu fit proprie impoſitio criminis, ſed revelatio criminis veri.

Quæres ſexto, an, vel quomodo peccet, qui famæ vel honori defunctorum detrahit?

386. R. Lædens honorem defuncti, de quo moraliter certo non constat esse damnatum, juxta proportionem materiæ vel honoris læsi graviter peccat; non item secundo, qui lædit honorem illius, de quo constat, esse damnatum. Ita rursus Molina, Navarra, Laymann *lib.* 3. *tract.* 3. *pag.* 2. *cap.* 3. *num.* 13. Michel *num.* 20. Ratio prioris est: quia fama defuncti reputatur bonum valde æstimabile, vi cujus adhuc reputatur vivere in memoria viventium, & cujus intuitu homines in vivis adhuc agentes solent aggredi magna & ardua: ergo eorum famam vel honorem lædens graviter delinquit, præsertim si talis læsio (prout non raro fieri natum est) redundet in infamiam aliorum superstitum viventium. Ratio autem posterioris est hæc: quia damnati non amplius veniunt nomine proximorum, sed justa DEI sententia velut hostes DEI & omnium electorum sunt exclusi perpetim, pœna æterna, & omni confusione digni: ergo qui eorum honorem diminuit non peccat, æque parum, ac ille, qui dehonorat dæmonem.

Quæres septimo, an vel quomodo delinquat, qui revelat alterius secretum?

387. Ante resolutionem notandum, nomine secreti intelligi rem, alicui clam manifestatam, quæ in plurium notitiam nondum pervenit, & hoc ipso notoria non est: Porro aliud dicitur secretum (alio nomine sigillum) *Sacramentale*, de quo in *part.* 2. *Theolog. Sacram.* egimus: aliud dicitur *naturale*, quod dividi assolet in *commissum*, & *promissum*. Commissum dicitur, quod alicui fuit revelatum sub antecedente pacto tacendi; & hoc continet obligationem justitiæ gravem vel levem, secundum proportionem materiæ gravis, aut levis. Promissum dicitur, dum quis promittit reticere, quod jam cognoverat, prout frequenter accidit, dum garruli nescio quæ secreta, vel abdita cordis sui pandunt, & mox quasi pœnitentes postulant, ut audiens nulli mortalium quidpiam de hoc manifestet. Et hoc, nisi, audiens specialiter voluerit se obligare ex justitia, per se loquendo solum obligat ex virtute fidelitatis; id, quod & in dubio præsumendum est, nisi aliunde constet ex conjecturis de intentione sese obligandi ex justitia, cujus obligatio gravior foret, quam obligatio ex sola fidelitate, prout notat la Croix *l.* 3. *p.* 2. *nu.* 1230. his jam præmissis & prænotatis.

388. R. jam ad quæsitum 1. Revelans secretum commissum per se loquendo peccat graviter, non item 2. revelans secretum promissum, nisi voluerit se ad hoc servandum obligare ex justitia, vel aliunde ex hujus revelatione prævideat proximo imminere grave damnum injustum. Ratio prioris partis, quam tenent la Croix *cit.* Sanchez *lib.* 6. *consil. mor. cap.* 6. *dub.* 1. *num.* 4. Sporer *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 45. Babenstuber *tract.* 7. *disp.* 5. *a* 3. *n.* 54. est: tum quia secretum commissum obligat ex virtute justitiæ: hæc autem obligatio est de se & ex suo genere gravis: ergo & transgressio ejusdem; tum etiam quia secretum ex se ipso est bonum aliquod spirituale, cujus retentionem plurimi faciunt homines, & censentur velle obligare juxta capacitatem materiæ, dum non aliter nisi sub pacto tacendi volunt illud committere: ergo per revelationem secreti, quæ est quasi furtum spirituale secreti, violatur jus proximi, eidemque injuria infertur, & quidem gravis, si materia ipsa sit magni momenti, & capax gravis obligationis. Ratio posterioris partis, satis receptæ inter Doctores, est: quia virtus fidelitatis ex suo genere non nisi leviter obligat: ergo hujus violatio non est, nisi venialiter peccaminosa. Nihilominus quemadmodum revelatio secreti commissi de se graviter peccaminosa, potest evadere, & procul dubio in praxi sæpesæpius ob levitatem materiæ, actus inconsiderationem &c. evadit tantum venialiter mala; ita econtrario revelatio secreti promissi ex sola fidelitate obligans, evadere potest graviter peccaminosa, si prævideatur, ex tali promissione non servata, & revelatione secreti proximo enasciturum grave damnum. Videantur *DD. cit.* vel Lugo *de Just. tom.* 1. *disp.* 4. *sect.* 9. *n.* 143. & 144.

Quæres octavo, quinam ergo teneantur ad servandum secretum naturale?

389. R. Ex tacita conventione, & absque ulla verborum expressione ad servandum secretum obligantur sequentes 1. Principum Consiliarii & Belliduces, quibus Reipublicæ vel exercitus consilia committuntur. 2. Medici, Advocati, Chirurgi, obstetrices, & alii, quibus, ut auxilium impertiant, secreta deteguntur. 3. Viri docti, utputa Theologi, Jureconsulti &c. dum eis consilii capiendi causa arcana panduntur. 4. Denique probabiliter etiam amici, vel propinqui, quibus consilii vel auxilii capiendi causa hujusmodi secreta manifestamus. Ita præter citatos Laymann *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 1. & Sporer *loc. cit.* Babenstuber *num.* 55. Utrum vero hi omnes ad servandum secretum obligentur ex virtute justitiæ, vel vero fidelitatis, dependet ex cujuslibet intentione, licet Sporer putet, hos omnes obligari ex justitia; id, quod de Consiliariis, Medicis, Chirurgis, & obstetricibus facile concesserim; immo & de reliquis, quibus secretum proprie fuit *commissum*. In dubio autem, an quis intenderit se obligare ex justitia, utendum est conjecturis, ex consideratione circumstantiarum; nam si quis ita fuerit animo comparatus, ut noluisset se obligare ex justitia, probabiliter non tenebitur, nisi ex sola fidelitate, & etiam quandoque ex sola decentia, vel urbanitate, inquit la Croix *l. cit.* ex Lugone.

Quæres nono, an non dentur causæ justæ revelandi secretum commissum vel promissum?

390. R. Dantur, & quidem sequentes quatuor. 1. Si servatio secreti vergeret in detrimentum totius Reipublicæ. 2. Si vergeret in grave nocumentum animæ illius, qui commisit, vel 3. illius, cui commissum est. 4. Si vergeret in detrimentum proximi innocentis. Ratio horum est: quia vinculum secreti nequit obligare contra charitatem Deo aut proximo debitam: atqui in casibus allatis obligat charitas ad revelationem secreti: ergo cessat obligare vinculum secreti. *Minor.* ostenditur; nam in primo casu ordo charitatis postulat, ut habeatur major ratio boni publici, quam hominis privati: in secundo casu, bonum animæ præferendum est bonis fortunæ &c. in tertio casu charitas suadet, ut quivis sibi potius, quam proximo consulat, & nemo prudentum censeri potest, voluisse secreti obligationem in se suscipere cum permagno, vel omnino majori detrimento proprio aut incommodo &c. in quarto casu, rursus ordo charitatis postulat, ut liberemus innocentem ab injuria nocentis, etiam cum aliquo damno istius, quando innocens aliter liberari non potest, ex. g. revelavit tibi Titius, quod intendat Caium secreto occidere &c. si Titium aliter avertere nequeas, vel damnum a Caio innocente avertere, potes huic revelare secretum, ob rationem jam datam. Idque verum est in hoc ultimo & primo casu ex recensitis, tametsi jurejurando promisisses servare secretum; tum quia juramentum nequit esse vinculum iniquitatis; tum etiam quia promissio secreti servandi merito reputatur facta cum sequenti conditione saltem tacite imbibita: *si non aliunde tenear manifestare*: ergo cum charitas aliud præcipiat, ruit obligatio juramenti, quippe quæ sequitur naturam actus, cui adjicitur. Videatur de hoc Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 5. *art.* 4. *num.* 56. Bonacina *de Restit. disp.* 2. *q.* 2. *pu. un. num.* 9. Laymann *l. cit.*

Quæres tandem decimo, an, vel quomodo peccet, qui alterius litteras aperit, vel apertas quidem, sed inventas in loco secreto v. g. scrinio, pulpito, mensa cubiculi &c. legit?

391. R. Qui alterius litteras aperit, vel apertas quidem, sed in loco secreto inventas legit, communiter loquendo peccat graviter. 2. si tamen id fiat vel legitima auctoritate, vel justa ex causa, vel nullum omnino, vel non, nisi veniale peccatum erit. Ita Laymann *lib.* 3. *tract.* 3. *pag.* 1. *cap.* 4. Busenbaum apud la Croix *lib.* 5. *num.* 300. & *alii DD. communiter.* Ratio prioris est: quia unusquisque jus habet ad suum secretum scriptis mandatum, aut

aut verbis prolatum &c. ergo injuriam patitur, si ipsius litteræ clausæ aperiantur, vel apertæ legantur, quamdiu sunt in loco secreto; immo etiam si inveniantur in loco publico, modo appareat, eas fuisse casu perditas, vel ex oblivione ibi relictas; secus dicendum foret, si constaret, eas fuisse studio projectas, aut voluntarie positas in tali loco, ut ab aliis legantur; quia tunc censetur objiciens cessisse juri suo, sicut & quando eas semilaceratas projicit.

392. Ratio autem posterioris est: quia si aperiantur legitima auctoritate, vel justa de causa, nemini fit injuria, ut de se liquet. Ceterum legitima auctoritate eas aperire potest Superior mittentis aut recipientis litteras: unde in omnibus fere Religionibus hæc facultas Superiori conceditur, immo in nostra Sacra Religione apertio præcipitur per statutum speciale, modo epistola non sit scripta a Prælato majori ad subditum, aut vice versa ab hoc ad illum; quod graviter prohibetur sub pœna reservationis &c.

Porro justæ causæ aperiendi aut legendi hujusmodi litteras censentur sequentes. 1. expressus vel tacitus consensus scribentis aut recipientis, prout sæpesæpius fit inter amicos, familiares, propinquos &c. qui rationabiliter creduntur non esse inviti, præsertim quando non scribunt, nisi civilitates vel salutationes, vel talia nova, quæ passim ab aliis resciri possunt. 2. Damnum avertendum, quod ex iisdem litteris rationabiliter timetur; quia rescire hujusmodi secretum ad se indemnem servandum, & ad propriam defensionem pertinet, adeoque talis utitur jure suo, inquit Babenstuber *num.* 59. Hac de causa 1. licite interciperes ac legeres litteras capitalis inimici tui, ad damnum præcavendum. 2. licite intercipiuntur litteræ hostium in bello justo, quatenus cognitis eorum consiliis præcludi valeant mala, bono publico impendentia. 3. Gubernatores Urbium, aliique Ministri publici licite aperiunt litteras civium, quando id exigit bonum Reipublicæ &c. Monent tamen DD. in his casibus illa tantum legenda esse, quæ ad finem legentium (avertenda scilicet mala &c.) scitu necessaria sunt, alia vero esse prætermittenda, vel si aliquid hujusmodi lectum fuerit, silentio involvendum; quod & Prælati facere debent respectu contentorum in litteris suorum subditorum, inquit recte Henno *in decalog. disp. 9. art. 8. concl. 3. in fine*. Tandem illi, qui sola curiositate ducti aperiunt, vel legunt aliorum litteras, credentes, nil magni in eis contineri, non, nisi venialiter delinquunt; quia non inferunt grandem injuriam: debent tamen tales esse quasi moraliter certi, quod nil momentosum in iis contineatur; nam si de hoc quis dubitet, & nihilominus pergat legere, potest graviter peccare, eo quod se exponat periculo, inferendi alteri gravem injuriam: idque vel maxime dicendum foret, si quis præsumeret legere confessionem sacramentalem ab alio in scriptis redactam. Videantur de his Lugo *de Justit. tom. 1. disp. 14. Sect. 9. numer.* 148. Pettschacher *de Restit pag.* 511. *& seqq.* Bonacina *de Restit. disp. 2. q. 4. pu. 10. a n. 5.* Holzmann *ubi supra tract. 2. num. 649.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de læsione honoris, nec non de revelatione secreti.

CASUS PRIMUS.

Titius ingenio felicior, quam fortuna, fatetur, 1. se de alio quodam famosum composuisse libellum, qui paulo post ab aliis pluribus descriptus in omnem terram fuerat missus. 2. ad confundendum, seu publice prostituendum alium, ab hujus domo usque ad domum amasiæ tempore nocturno sparsisse per plateam paleas, quo signo inordinato amore, & commercio carnali impliciti denotari solent. 3. denique ait, se semel ab alio verbis lacessitum in quadam popina, ad eum prostituendum dixisse sæpius: sileas, jam enim notus es passim; & dum ille alter,

nondum destitit verbis lacessere, tandem aliis pluribus audientibus addidisse hæc verba: ni subito taceas, ego pandam aliquid a te in N. commissum, quod tibi neutiquam feret rosas; id est: quo insigniter prostitueris, & damnificaberis. Jam quæri potest, quomodo in his tribus casibus vel contingentiis Titius deliquerit?

393. R. ad primum membrum hujus Casus, ad dignoscendam gravitatem peccati, & obligationem restituendi famam inde consequentem, interrogandum esse e Titio, 1. an diffamaverit proximum de gravibus criminibus, honori præjudiciosis, vel de minus gravibus, minus præjudiciosis? 2. an de criminibus veris vel falsis? 3. si de veris, an hæc jam fuerint notoria, vel omnino occulta? tum vero primum resolvet, quod, si crimina vel potius defectus fuerint nullius quasi momenti, vel si de se gravia quidem, tamen jam notoria passim &c. Titius non deliquerit graviter. Econtra vero, si per suum libellum vel falsum crimen, vel crimen quidem verum, sed non notorium sparsit, vel ultra veritatis limites (ut plerumque fieri amat) exaggeravit, dicendum, Titium gravissime peccasse, nedum contra justitiam, alterius famam, & honorem graviter lædendo, sed & contra charitatem, aliis præbendo scandalum, & occasionem sinistre, non sine gravi offensa Dei, loquendi de diffamato &c. proptereaque obligandus erit, ut pro possibili conetur v. g. alia scriptura resarcire famam & honorem proximo ademptum. Merito sane Herincx noster *part. 3. tract. 2. disp. 7. n. 15.* ait: hunc diffamandi modum, per libellos scilicet famosos, vel diffamatorios, esse pestilentissimum diffamationis, seu detractionis modum, jam pridem nedum Jure civili *L. un. C. de famosis libellis*, sed & Canonico *C. qui in alterius 5. q. 1.* proscriptum, quam ob causam Gregorius XIII. *Constit. 4. Ea est*, tales scriptores libellorum voluit haberi infames, confirmavitque alias pœnas in similes statutas a S. Pio V. *constitut. 147.* Videatur Henno *art. 6. concl. 1. fin.* Tamburinus *in decalog. lib. 9. cap. 3. §. 1. nu. 5.* vel Haunoldus *tom. 1. tract. 2. a num. 580.*

394. R. ad alterum membrum hujus Casus, rursus pro dignoscenda gravitate peccati indagandum esse a Confessario 1. an de illo commercio carnali habuerit solum suspicionem, vel certam notitiam? & si hanc: 2. an hæc sciverit notitia privata duntaxat, an vero publica, ita ut jam passim constiterit de illo? si dicat fuisse duntaxat suspectos, evidens est, eum esse condemnandum gravissimi peccati injustæ diffamationis & honoris læsi, cum propter solam suspicionem neminem liceat condemnare, consequenter neque prostituere publice. Si respondeat, se certam quidem habuisse notitiam alicujus commercii carnalis, sed privatam solum, rursus condemnandus erit gravissimi peccati, velut injustus diffamator &c. Denique si respondeat, jam passim seu publice constitisse de illo inhonesto commercio, videtur adhuc arguendus alicujus culpæ, licet non tam gravis; quia fatetur, se id solum fecisse animo confundendi, & publice prostituendi proximum; quod certo sapit odium, & sinistrum affectum, non tam erga vitium personæ, quam erga personam ipsam: Secus dicendum existimarem, si id fecisset præcise animo dissolvendi illud commercium carnale, & scandalum publicum e medio tollendi; quo casu laude potius, quam vituperio dignus esset; tum quia ex hac suppositione nullam intulisset injuriam proximo suo; tum quia ex charitate ac pietate Christiana quilibet tenetur pro viribus laborare ad abroganda publica scandala, & gloriam DEI vel animarum salutem procurandam, prout constare debet ex dictis *part. 2. Theolog. mor. Confer. 12. a numer. 354.*

395. R. jam ad tertium membrum hujus Casus, conformiter ad dicta superius *num. 372.* Titium per se loquendo graviter peccasse, non quidem ex eo præcise, quod jusserit adversarium suum silere, addendo, eum jam esse passim notum &c. quia hæc & similia verba homines non solent multum appre-

prehendere &c. bene vero ex eo, quod dixerit, se aliquid de illo altero dicturum, quod nequaquam rosas feret &c. Quia tametsi per hæc verba nullum delictum in specie manifestaverit de suo adversario, nihilominus satis eum in præsentia aliorum prostituit, significando saltem in confuso, eum alibi perpetrasse gravia delicta &c. &c. qui modus (secundum dicta *loc. cit.*) est sæpius magis perniciosus, quam ille, quo crimina aliena aperte panduntur. Dixi tamen, Titium *per se loquendo* graviter peccasse; nam per accidens subin contingit, ut similia fiant sine peccato formali, id, quod & in nostro casu potuisset contingere, si Titius vel 1. id solum fecisset ex prædominante passione, & sine sufficienti deliberatione, vel 2. si hæc solum dixisset ad retundendas contumelias ab alio sibi illatas, eumque absterrendum a similibus inferendis; vel, si 3. contigit in talibus circumstantiis, in quibus alii audientes propterea nil prorsus moti fuere ad concipiendam sinistram suspicionem, aut judicium de illo adversario &c. utpote scientes bene, similia potius ex indeliberatione, & prædominante furore fieri, quam animo serioso &c. quam ob causam jam supra *num.* 351. monuimus, muliercularum dictis, dum sese nescio quibus contumeliis ac opprobriis rixando proscindunt, a prudentioribus similia audientibus nullam prorsus adhiberi fidem. Videantur Stephanus a S. Paulo Theolog. mor. *tract.* 4. *disp.* 6. *numer.* 6. Tambur. *lib.* 9. *decalog. cap.* 3. §. 2. *num.* 5. Michel *tr.* 4. *part.* 3. §. 2. *n.* 5. *fol.* 1039.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius cujusdam Ecclesiæ Rector, insigni ab alio quodam magni nominis viro (quem Cajum appellamus) calumnia fuit affectus, dum in præsentia aliorum duorum subditorum fuit appellatus concubinarius. Et licet hanc calumniam amore & exemplo Christi statuerit patienter ferre, dissimulando factum, soli innocentiæ suæ confisus, nihilominus aliorum instinctu permotus calumniatorem illum judicialiter accusavit. Hic, cum factum negasset, ad instantiam Sempronii vocantur a Judice testes de auditu a Sempronio allegati: comparuere hi duo, verum, probabilius timore incurrendi disgratiam, vel subeundi alterius magni incommodi a Cajo, absolute negarunt, se quidpiam unquam audiisse de illa calumnia Sempronio illata a Cajo, unde & factum, ut Sempronius de novo fuerit insigniter prostitutus, velut injustus calumniator, & pacis perturbator. Quæritur jam ad nostrum propositum 1. an Sempronius bene egerit, accusando Cajum? 2. an allegati testes salva conscientia potuerint negare factum?

396. R. ad primum quæsitum cum distinctione. Vel enim suberat periculum, ne illa calumnia aut contumelia ulterius spargeretur in vulgus, vel nullum suberat? si nullum subfuit, quia fortassis Cajus solum ex crapula, præcipitantia &c. hoc dixerat, tunc non bene fecit Sempronius accusando Cajum; tum quia per accusationem & strepitum judiciarium sese exposuit periculo incurrendi majorem prostitutionem, quod plane in similibus casibus semper timendum; eo quod semper aliquid hæreat: semper etiam timenda aversio animorum. Pastoribus summopere fugienda &c. ideoque ex hac suppositione melius fecisset, exemplo Christi patienter tolerando injuriam a calumniatore sibi illatam, & præcise petendo a Cajo, ut hanc coram duobus illis auditoribus revocaret &c. At vero, si supponatur subfuisse periculum ulterioris promulgationis, & inde nascituræ diffamationis publicæ, bene omnino fecit Sempronius accusando Cajum, & postulando ab eo reparationem honoris læsi. Ratio est: quia diffamatio Pastoris non solum redundat in hujus detrimentum, sed vel maxime in detrimentum animarum; nam si Pastor ipse publice audiat concubinarius, qualem oviculæ ad eundem habebunt confidentiam? plane nullam, juxta effatum magni Gregorii *hom.* 12. *Matth.* 25. *Cujus vita despicitur, restat, ut præ-*

dicatio contemnatur. Hinc S. Thomas 2. 2. *q.* 72. *art.* 3. *in corp.* ait, quandoque oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem propter eum, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur: alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Hac de causa Christus Dominus ipse contumelias sibi illatas repulisse legitur *Matthæi* 12. 25. Idipsum præstitit Paulus Apostolus *Act.* 26. 25. Videatur Pontas *in* *Dictionar. Cas. V. detractio*. *Respons. ad Casum* 17.

397. R. Jam ad alterum quæsitum. Allegati testes non potuere salva conscientia negare factum. Ratio est: 1. quia juxta *communissimam* DD. sententiam, videndam apud Lessium *de J. & J. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 44. Laymann *Lib.* 3. *de Just. tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 8. testis saltem ex charitate tenetur dicere veritatem, si hac non manifestata videat impendere grave malum alicui privato, quod aliter non potest impediri: Quin etiam, ubi proceditur via accusationis, & delictum plene probari potest, testis citatus ad requisitionem Judicis tenetur saltem ex justitia legali dicere veritatem. Et certe, si in hoc casu testis non posset cogi, nemo amplius de facili auderet accusare; quia crimen non posset probare nolente teste, & sic audiret calumniator, prout etiam in nostro hoc casu contigit: hoc autem redundaret in damnum publicum: ergo testes allegati tenebantur fateri veritatem sub gravi culpa.

Dices tamen contra hanc resolutionem: nemo tenetur agere testem, ne quidem in judicio, quando ex tali testimonio vel sibi, vel suis metuit notabile damnum; quia charitas suadet, ut unusquisque conetur potius se suosque, quam alienos servare indemnes: ergo si testes timore subeundi magni incommodi reticuere veritatem, nequaquam condemnandi sunt alicujus peccati.

398. R. distinguendo & explicando *anteced.* Nemo tenetur agere testem &c. quando illud damnum, quod sibi timet, est notabiliter majus, vel saltem æquale illi, quod alter deberet subire *trans.* si damnum sit minus, vel, si ex negato testimonio nedum homini privato, sed & bono communi immineat notabile damnum, *nego*; tunc enim privatum damnum vel incommodum debet postponi, prout præter DD. allegatos docent Navarrus *cap.* 25. *num.* 50. Covarruvias *qq. pract. cap.* 18. apud Lessium *loc. cit. num.* 50. atqui in nostro casu damnum quod innocens Pastor vel Rector Ecclesiæ deberet subire, est procul dubio incomparabiliter majus illo, quod timuere testes. Accedit insuper, quod ex negato testimonio, & inde fluente diffamatione, seu prostitutione Pastoris (sive concubinarius, sive calumniator injustus audiat) non soli Pastori, sed & bono publico, animarum scilicet saluti, ingens periculum immineat, ob rationem jamjam allegatam: ergo major est ratio habenda hujus periculi excludendi. Adde, quod testes non solum supponantur recusasse, aut dissimulasse, reddere testimonium veritati, sed & positive negaverint (contra omnem veritatem) se quidpiam audivisse de illa calumnia, simul & contumelia Pastori illata; quod utique falsissimum fuit, & summopere perniciosum tum Rectori, tum etiam aliis subditis.

CASUS TERTIUS.

Cajus jam pridem lascivo amore captus, rem haud infrequenter habuit cum Caja; quæ, cum asseverarit, se portare uterum opera Caji, huic haud immodicum timorem incussit ex periculo prostitutionis subeundæ: cœpit proin Cajus dubitare, an illa non conceperit ab alio valde sibi suspecto: hoc ut certius exploraret, aliquando Scriniolum Cajæ clam aperuit, epistolas inde exemptas legit, & ecce! reperit unam, vi cujus ille Corrivalis suspectus fatebatur, se esse Patrem prolis, esse insuper paratum, ad eam alendam, & ad subministrandas necessarias

rias expensas in hujus educationem. Venit ergo Cajus cum eadem epistola ad quendam Theologum, quærens, an non sibi liceat hanc epistolam manifestare aliis, præsertim Judicibus Ecclesiasticis, tum ad se indemnem servandum, tum etiam ad publice prostituendum illud infame scortum, Cajam scilicet, quæ sibi innocenti tantam inurere notam, cum tot ac tantis expensis intendit. Quid ad hoc Theologus, vel Confessarius respondebit?

399. R. Confessarius dicat Cajo 1. quod teneatur prius Cajam charitative admonere, ne sibi (Cajo scilicet) injuste imponat, aut expensas pro alimentanda prole non sua prætendat, multo minus coram aliis, præsertim Judicibus Ecclesiasticis, se prostituat, secus si fecerit, comminetur eidem publicam prostitutionem, & revelationem criminis cum alio, qui verus est Parens, & ut talis demonstrari potest, commissi. Quod si tali comminatione, & fraterna seu charitativa correctione flocci pensa, Caja nihilominus præsumat Cajum coram aliis, præsertim Judicibus Ecclesiasticis prostituere, accusare, & expensas in alimentandam prolem prætendere, dicat eidem secundo, quod sine peccato liceat præfatam epistolam aliis, coram quibus injuste diffamatus vel accusatus fuit, præsertim Judicibus Ecclesiasticis, exhibere, ad se indemnem servandum. Ratio prioris est: quia non licet proximi crimen occultum propalare aliis, quando hujus correctio, vel damni sibi imminentis aversio prudenter sperari potest per viam correctionis fraternæ; secus enim proximus foret rationabiliter invitus. Et certe, si hoc medio Cajus & se ab injusto damno, simul & amasiam a prostitutione vel infamia publica eximere valeat, omnino imprudenter, & sine causa exhibitione litterarum seu epistolæ clam obtentæ id tentaret; cum hac via certo certius incursurus sit notam & infamiam, ratione commercii carnalis habiti cum tali prostibulo: ergo non solum charitas proximo debita, sed & æquitas naturalis, & prudentia suadent, ut in tali casu præmittatur fraterna correctio, & hac via suaviore incedatur, ad obtinendum id, quod æquum & justum est. Videantur de hoc dicta *part. 2. Theolog. decalog. Confer. 10. n. 296. & seqq.*

400. Ratio autem posterioris, quod scilicet Cajo liceat litteras exhibere, ni amasia velit aquiescere &c. hæc est: quia fas est crimen verum detrahentis, vel falso accusantis manifestare, quando id necessitas postulat, ad elidendam vel enervandam auctoritatem illius; nam injuriam patiens habet jus ad se defendendum, nec detrahens aut injuste accusans potest esse rationabiliter invitus, cum ipsemet cogat injuriatum ad hoc medium necessarium pro sui justa defensione ac indemnitate, prout habet *communis* DD. Sanchez *tom. 2. Consil. lib. 6. cap. 5. dub. 23.* Lugo & Molina, quos citat & sequitur Cardenas *dissert. 26. crif. 2. Theolog. cap. 5. num. 48.* ergo si amasia, non obstante fraterna admonitione Caji, nihilominus præsumat hunc accusare, propterea que diffamationem ac prostitutionem famæ, vel honoris patiatur, id sibi imputare debet.

Dices tamen contra hanc resolutionem. Qui notitiam alieni criminis aquisivit injuste v. g. aperiendo, vel intercipiendo litteras secretas illius, nunquam potest uti illa notitia, ne quidem ad evadendam mortem, sed debet se gerere perinde, ac si illam nunquam comparasset; notitia enim, quam quis injuste aquirit, non est moraliter sua, prout ex communi tradunt Lugo, Haunoldus *tract. 2. num. 536.* & alii: atqui Cajus notitiam illam injuste aquisivit ex lectione litterarum secretarum: ergo hac notitia nunquam licet uti.

401. R. *transf. Maj. neg. min.* nam juxta receptam DD. sententiam apud Babenstuber *tract. 7. disp. 5. art. 4. n. 56. & 59.* Henno *in decalog. disp. 9. a 8. concl. 2.* & alios passim, fas est, alterius litteras legere, vel secretum revelare, quando necessitas id postulat, vel ad proximum innocentem, vel ad se ipsum indemnem servandum, vel notabile damnum evitandum: atqui in nostro hoc casu lectio litterarum secretarum,

 ca-

earumque exhibitio supponitur omnino necessaria, ad repellendam injuriosam læsionem, quandoquidem supponitur, amasiam alia via cohiberi non potuisse ab injusta, & valde præjudiciosa accusatione.

Deinde, fas est uti notitia secreti injuste obtenta, quando supervenit causa justificans usum talis notitiæ, talis autem causa justa juxta opinionem Lugonis *tom.* 1. *de Just. disp.* 14. *sect.* 7. *num.* 103. & Haunoldum *loc. cit. num.* 535. est, si alius vel te ipsum, vel alium tertium innocentem injuste vexet, nec possit aliter repelli, nisi per manifestationem secreti atque occulti criminis; id quod & in nostro casu supponitur contingere: ergo Cajus exhibendo litteras illas non peccat; sicut nec peccaret, si prius alicui injuste fuisset furatus gladium, & postea eodem gladio uteretur contra illum ad propriam vitam defendendam; vel si abstulisset equum, & postea conjectus a Domino in proximum periculum mortis, eodem equo uteretur ad evadendum periculum.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

402. COlliges ex hactenus dictis primo, omnes contumelias esse ejusdem speciei, non minus, quam omnes detractiones; nam quemadmodum per detractiones eadem fama, ita per contumelias idem honor læditur; ex quo consequens est, non esse necessario explicandum a pœnitente, neque a Confessario indagandum, quo modo honor fuerit læsus &c. licet exprimendum sit, si contumelia fuit gravis seu mortalis: sicut enim furtum grave & leve in ratione furti specie non differunt, & nihilominus explicandum est, si furtum fuit grave seu mortale, eo quod peccatum mortale qua tale specie mortali differat a peccato veniali; ita pariter distinguendum est, & discurrendum de contumelia mortali ac veniali. Videatur la Croix *l.* 3. *p.* 2. *num.* 1227.

403. Colliges secundo, peccare eum, qui diffamatum in uno genere, vel potius in una specie peccati v. g. fornicationis, præsumeret etiam diffamare in alia specie adhuc occulta &c. Ita contra Sylvestrum *communis* DD. Tambur. Bonacin. Lessius *dubit.* 14. Ratio est: quia tametsi supponatur amisisse famam in uno genere vel specie v. g. luxuriæ, non eo ipso amisit famam in alio genere: ergo huic detrahens in alio genere peccat contra justitiam: secus dicendum foret, si illa vitia aut flagitia essent valde affinia, ita, ut unum quasi sequatur ex altero. Hinc fit, ut non peccet, qui de publice infamato v. g. de commissa fornicatione vel adulterio &c. diceret, eum scripsisset litteras amatorias; vel qui de Marito ebrioso diceret, eum male tractare suam Uxorem &c. Videatur Babenstuber *cit. n.* 38. Henno *ubi supra q.* 3. *art.* 3. *Resol.* 1. & 2. *post concl.* 3.

Sed quid, ais, si sciam aliquem olim publice fuisse prostitutum, & expositum ad Numellas v. g. ob defraudationes communitatis &c. sciam insuper, illum jam esse interea emendatum, licebitne huic nunc in alio loco, ubi integram possidet famam, crimen aut infamiam objicere, vel aliis divulgare?

404. R. Certe non licet, sed peccabis saltem contra charitatem, nisi id facias urgente alia rationabili causa, v. g. ad avertendos alios propter periculum relapsus &c. Ratio est: quia charitas præcipit, ut aliorum defectus nulli præjudiciosos vel perniciosos potius studeamus celare, quam manifestare: ergo contrarium agendo peccas, saltem contra charitatem. Less. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 82. Tamburinus *lib.* 9. *decal. cap.* 3. §. 2. *num.* 18.

405. Dixi: *saltem contra charitatem*: nam, si ille fuisset solum alio tempore infamatus ob crimen evidens evidentia facti, & postea alibi bene vivendo bonam sibi comparasset existimationem & famam, tu illum jam infamans aut prostituens, nedum contra charita-

ritatem, ſed & contra juſtitiam peccares; quemadmodum enim fama proprio facto amittitur, & infamia contrahitur, ita etiam proprio facto infamia purgatur, & fama amiſſa recuperatur: ergo ſi ſcias, proximum jam emendatum ab illo crimine, diffamando illum peccabis etiam contra juſtitiam, juxta *communiſſimam DD.* videndam apud Sporer *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 72. Secus dicendum putat Azorius *Inſt. mor. part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 6. *dub.* 8. ſi quis fuiſſet factus infamis infamia juris, id eſt per ſententiam Judicis, quales ſunt illi, qui auctoritate Judicis ad Numellas exponuntur; quia ſicut infamia juris non incurritur proprio facto, ſed auctoritate juris, ita nec fama recuperatur, niſi auctoritate Judicis: ergo quamdiu hoc non fuerit factum, tu objiciendo aut exprobrando crimen illud, non peccabis contra juſtitiam, licet adhuc poſſis peccare contra charitatem proximo debitam, ſi id facias ſine permagna, & urgente cauſa. Revide dicta ſuperius *num.* 358.

406. Colliges tertio, graviter peccaturum Medicum vel obſtetricem, qui vocati ſecreto ad puerperam, vel aliam puellam ex fornicatione gravidam, illud crimen aut puerperium hactenus aliis incognitum, forte etiam in hoc loco nunquam cognoſcendum &c. aliis manifeſtarent. Ratio eſt: quia vocantes in talibus circumſtantiis cenſentur ipſis velle imponere obligationem ſecreti; & vocati ſaltem ex tacita conventione cenſentur ſeſe obligare ad ſilentium: ergo contrarium agentes graviter peccant, & injuſte diffamant proximum: ſecus tamen dicendum foret, ſi tale delictum, vel puerperium &c. jam pluribus innotuiſſet, ita, ut moraliter loquendo ſpectata hominum fragilitate nequeat amplius contineri ſub roſa; quod vero de Medico & obſtetrice hic diximus, idipſum intelligas velim de Conſiliariis Principum, de Belliducibus &c. &c. quantum ad revelationem ſecretorum ipſis commiſſorum.

407. Colliges proin quarto, mortaliter peccaturum Belliducem Cæſareum, qui vel armis, vel auro captus, Turcis ſecreta conſilia contra eos inita manifeſtaret, utique non ſine magna pernicie Reipublicæ Chriſtianæ, vel totius Exercitus.

Hinc talis deberet potius mortem, vel quælibet tormenta ſubire, quam ſecretum violare. Ita Dicaſtillo *l.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 12. *dubit.* 3. *num.* 591. Laymann *lec.* 3. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 3.

Ratio eſt: quia cum aliunde conſtet, bonum Reipublicæ præferendum eſſe bono privato, haud immerito Princeps vel Reſpublica bene ordinata cenſetur hujuſmodi ſecreta ſuis Judicibus, officialibus publicis, conſiliariis &c. non aliter contuliſſe, niſi ſub onere ſervandi ſecretum, etiam cum diſpendio vitæ, ac fortunæ propriæ. Tales igitur interrogati, vel examinati ab inimicis &c. tuta conſcientia poſſunt dicere, immo etiam cum reſtrictione mentali jurare, ſe nihil ſcire de talibus &c. &c.

408. Colliges quinto, Viſitatorem Religioſorum enormiter peccaturum, ſi perſonas, a quibus aliorum defectus corrigendos ſuſcepit (niſi juſtitia pro caſu falſæ delationis aliud ſuadeat) manifeſtaret. Ratio eſt: quia hujuſmodi defectus non ſolent committi, niſi ſub conventione ſaltem tacita ſervandi ſecretum &c. & certe talis manifeſtatio vehementiſſime abſterreret ſubditos a declarandis defectibus corrigendis; quod cederet in perniciem Religionis.

409. Colliges ſexto, ſimiliter peccare illos, qui acta, dicta, vel geſta in Diffinitorio aliis, forte ſibi familiaribus, aperiunt, præſertim declarando iiſdem, qui pro- vel contra ipſos fuerint, in ordine ad hoc vel illud officium, vel ſaltem implicite manifeſtando adverſarios &c. v. g. dicendo: ego, talis & talis, non fuimus contrarii, ſed &c. hoc enim modo ſatis aperte indicant, quinam fuerint contrarii, unde non ſolum contra expreſſum & formale præceptum S. Obedientiæ, (quod ſemper a Præſide ſolet imponi) gra-

viter peccant, sed & contra charitatem proximo debitam, dum hoc modo discordiarum ac divisionum semina spargunt; quod & in statutis generalibus *cap. 6. §. 13. num. 5.* graviter fuit prohibitum, sub pœna biennalis inhabilitatis ad officium Diffinitoriatus. Videatur Henno *tr. in decalog. disp. 8. q. 3. a. 8. Resol. 3. post concl. 1.*

410. Colliges septimo, non solum illos graviter delinquere, qui libellos famosos componunt (tametsi crimina vera, occulta tamen, & a fortiori si crimina falsa affingunt, aut manifestant) sed & illos, qui hujusmodi libellos infamatorios describunt, & ulterius publicant &c. &c. Hinc merito Filliucius *tract. 40. num. 82.* ait, eos, qui reperiunt hujusmodi libellos, si advertant esse infamatorios, teneri ad eos rescindendos, & delendos, antequam aliis manifestent; quod, si non faciant, graviter peccant, & velut cooperatores scriptorum infamium subjicuntur iisdem pœnis, quas paulo superius *num. 393.* recensuimus. Si tamen talis libellus (de veris intellige, non de falsis criminibus) jam sit satis publicatus, probabiliter non amplius peccat graviter, qui illum ulterius divulgat. Ratio est: quia per publicationem factam jus famæ jam fuit deperditum: ergo ulterius diffamando non peccabis, saltem non contra justitiam, nisi aliud damnum diffamando inde causandum prævideas; id quod praxi fidelium etiam timoratorum hodiedum confirmatur; vix enim reperies unum, qui conscientiæ sibi ducat, vel crimen, vel libellum diffamatorum jam semel publicatum, & satis notorium, ulterius promulgare, vel transcribere, prout bene advertit Tamburinus *l. 9. decalog. cap. 3. §. 1. num. 5.*

411. Colliges octavo, graviter peccare illum, qui malitiose expiscatur alterius secretum v. g. interrogando, explorando quasi per rimulas, vel incautum decipiendo &c. ita ex *communi DD.* Henno *cit. art. 8. concl. 3.* Ratio est: quia unicuique competit jus ad suum secretum: ergo injuriam infert, qui illud per fraudem expiscatur, vel extorquet ab invito. Excusabitur tamen, qui hoc facit ex rationibus, vel aliqua earum, quas supra *num. 390.* allegavimus, vel qui hoc facit in ordine ad cognoscendam qualitatem, dignitatem, mores &c. Personæ ad Officium, Beneficium, Prælaturam &c. promovendæ, vel in matrimonium assumendæ, modo ipsius intersit talia cognoscere. Ex his tandem ulterius

412. Colliges nono, graviter peccaturum illum, qui notitia alieni secreti, sive ex apertione, interceptione &c. litterarum, sive alio quocunque demum modo injuste obtenta uteretur in damnum proximi, utputa eidem lucrum justum præripiendo, vel officium, beneficium &c. præoccupando &c. &c. Sporer *tr. 5. cap. 4. num. 46.* la Croix *lec. 3. part. 2. num. 1233.* Ratio est: quia quicunque injuriam intulit, tenetur eam tollere, vel saltem non continuare: sed qui notitia secreti alterius injuste aquisita uteretur in damnum vel perniciem proximi, modo mox relato, non solum non tolleret, sed continuaret injuriam: ergo hac utendo graviter peccaret, contraheretque inde obligationem restituendi pro rata spei, quam proximus habuit ad obtinendum tale lucrum vel beneficium, prout constat ex dictis *de Restitutione Confer. 4. a num. 96.*

413. Dixi tamen, *qui uteretur notitia alieni secreti injuste obtenta*; nam secus dicendum arbitror, si quis venit in notitiam alieni secreti juste, seu sine injuria alteri illata v. g. audiisti alium discurrentem de quodam secreto conficiendi certum artefactum &c. vel narrante alio tu percepisti, in tali vel tali loco merces exiguo pretio comparari posse &c. ut vero hujus arcani non surdus auditor, illico tentas tale artefactum, & feliciter conficis, vel comparas hujusmodi merces, sicque lucrum alteri quodammodo præripis &c. in tali casu ego non video, cur tu alicujus peccati condemnari posses; tum quia tibi non minus quam alteri fas est negotiari, aut artefactum conficere; tum etiam

etiam quia, ut suppono, illi alteri non competebat soli jus privative conficiendi tale artefactum, vel aucupandi hujusmodi lucrum: & licet fortassis ipse solus hoc secretum noverit, vel invenerit, si tamen tu sine ulla prorsus injuria venisti in notitiam talis secreti, non apparet, cur tali notitia, utpote jam tua moraliter, in tuum favorem uti non valeas. Profecto id ipsum confirmat praxis timoratorum: nam si quis artefactum alterius vel naturali ingenii sagacitate perscrutari, vel docilitate imitari valeat, non vituperandus, sed commendandus videtur, nec immerito huic applicari potest illud, quod apud Sylvestrum *summa. V. Emptio quæst.* 17. legitur dictum de quodam, qui litteras alterius Mercatoris pro derelictis habitas non sine ingenti suo lucro legerat, scilicet, *si legerat solum ut sciret, curiositas erat; si vero ut inde sibi provideret, commodisque suis studeret, humana, non vitiosa prudentia fuit.*



I N-

INDEX ALPHABETICUS

Rerum & Materiarum in hoc opusculo contentarum.

Littera C. Conferentiam, n. cum cifra numerum marginalem designat.

A

ABortum procurare, an aliquando fas sit. C. 4. n. 92.
Adulterium quid. C. 8. n. 22.
Aspectus partium inhonestarum, vel imaginum lascivarum, quomodo peccaminosi. C. 7. n. 188. 195.
Assassinium quid. C. 4. n. 90.

B

Bannitus an licite occidatur a quolibet. C. 2. num. 34. quibus de causis liceat aliquem bannire seu proscribere. ibid. num. 33. Utrum Bannito liceat se defendere &c. ibid. num. 35. item num. 42.
Bellum quid sit, & quotuplex. C. 6. num. 143. & 144. an, & quibus de causis licite suscipiatur. C. 6. num. 145. 146. & seqq. Quænam belligerantibus liceant. C. 6. num. 151. & seqq. quomodo regulariter peccare soleant belligerantes. C. 6. num. 160. 464. item num. 178. 179. & 180. Bellum ex - utraque parte justum, an vel quomodo possibile. C. 6. num. 168. & quid si utraque pars prætendat jus succedendi in Regno, ibid. num. 169. In bello injusto scienter militare non licet. C. 6. num. 170. quænam in bello justo erga hostes liceat tentare. ibid. num. 171. & seqq.
Bestialitas quid, & quale peccatum. C. 9. num. 260. utrum in actu Confessionis necessario sit exprimendum, an hæc fuerit commissa cum bestia mare aut fœmella. ibid. num. 261. ad hanc pertinet concubitus cum dæmone. ibidem num. 262. item 270. & 271.
Bona tam mobilia quam immobilia in bello capta, cujus fiant. C. 6. num. 174. Utrum etiam privata auctoritate fas sit quempiam occidere in bello. ibidem num. 164. 172. an liceat uti repressaliis. C. 6. num 175. Utrum in bello capti licite aufugiant. C. 6. n. 176.

C

CAlumniam passus ab alio, an vel quando debeat postulare reparationem honoris. C. 13. n. 396. & 397.
Castrare se ipsum, an liceat. C. 1. n. 29.
Choreæ, an vel quantum licitæ. C. 7. n. 113. & 114. quis modus iis imponendus. ibi. n. 215.
Clerici, an vel quinam licite pugnent in bello. C. 6. n. 156.
Compensatio tacita, an vel quando sit licita. C. 10. n. 292. & 293. item n. 300. & seqq.
Concubinatus quid. C. 8. n. 221. itam n. 232. & 243.
Concubitus Eunuchi vel frigidi, peccatum qualificatum. ibi. n. 244.
Confessarius quid circa pœnitentem homicidam debeat observare, quomodo debeat illum examinare, & qualem pœnitentiam eidem injungere. C. 4. n. 105. 110. & 111. Quid Confessario observandum circa duellantes. C. 5. n.

5. n. 134. Confessarius animadvertens pœnitentem in occasione proxima constitutum, quidnam debeat agere. C. 8. n. 233. & seqq. Confessarius peccando cum filia Confessionis, an committat incestum. ibidem n. 241. Confessarius legens impudica sine affectu inordinato aut consensu &c. non peccat, esto inde polluatur. C. 9. num. 278. Confessarius furis, quid observare debeat. C. 10. num. 305. Quidnam observare debeat in ordine ad dignoscendam gravitatem peccati. C. 11. n. 335.

Contumelia quid. C. 13. n. 375. quot modis possit inferri. ibidem n. 376. est peccatum mortale ex genere suo. ibidem n. 377. an omnes sint ejusdem speciei. C. 13. n. 402.

D

DEfensio inculpatæ tutelæ, in quo consistat? C. 3. n. 57. & seqq. item n. 70. an fas sit in tali casu mortem aggressoris intendere. C. 3. n. 78.

Delectatio morosa quid, & quomodo inter se differant delectatio simplex ac desiderium efficax. C. 7. n. 204. quomodo a Confessario disquirenda. ibid. n. 205.

Detractio quale peccatum. C. 12. n. 350. & 351. Regula dignoscendi gravitatem peccati hujus. ibi. n. 352. alterius defectus revelare, an, vel quomodo liceat. C. 12. n. 353. & seqq. rursns ibidem n. 367. & 368. ac seqq.

Detractori aurem præbens, quomodo peccet. C. 12. num. 363. & quomodo delicta audita, ut audita referens. ibid. n. 364.

Detrahens defuncto, an vel quando peccet. C. 13. n. 336.

Diffamans se ipsum, an, vel quomodo peccet. C. 12. num. 354. & 355. diffamans proximum, quomodo delinquat. C. 12. num. 356. 359. & seqq. Vid. *Detractio*. An fas sit alterum diffamare ad labefactandam ejus auctoritatem. C. 13. num. 384. diffamatus in uno loco, an licite diffametur in alio. ibid. n. 381. & seqq. rursus n. 403. & 404.

Distillationis nomine quid intelligatur. C. 9. n. 258. quomodo sit peccaminosa. ibid. n. 259.

Dubium quomodo differat a suspicione & judicio. C. 12. n. 349.

Duellum quid, & quotuplex. C. 5. n. 113. & 114. quas ob causas liceat suscipere duellum. ibidem n. 115. 116. 117. & seqq. Quid agendum provocato ad duellum. C. 5. num. 126. An fas sit duellum ficte suscipere. ibidem num. 137. Duella graviter psohibenda & eliminanda. C. 5. num. 138. quas pœnas incurrant duellantes. C. 5. n. 120. 121. item 132. 136. & 140. An, vel quando mortuus in duello sit privandus sepultura Ecclesiastica. C. 5. n. 140. & 141.

E

EUnuchus tentans copulam, committit peccatum qualificatum contra naturam. C. 8. num. 244. Idipsum tenendum, dum sese polluerè nititur. C. 9. n. 277.

F

FAma quid importet. C. 12. n. 348.

Famulus dissipans bona Domini sui, an vel quomodo peccet. C. 10. n. 294. & seqq. famuli & famulæ committentes furta minuta, quomodo peccent. C. 11. n. 322. item n. 342.

Feripetæ quomodo vel quando puniri valeant, vel omnino occidi. C. 2. n. 49. & seqq. Quid a Confessario circa feripetas observandum. ibi. n. 53.

Filii ac filiæfamilias quomodo peccent, clam surripiendo de bonis suorum Parentum. C. 11. n. 323. item n. 329. 330. & 331. rursus C. 11. n. 340.

Fornicatio quid. C. 8. n. 217. item nu. 236. & 242.

Furti descriptio. C. 10. n. 282. est peccatum mortale ex genere suo. ibid. n. 283. ejusdem species tum Theologice, tum juridice etiam considerati. ibidem n. 284. Quæ sit mâteria gravis, & quænam levis respectu utriusque furti. C. 10. n. 285. 286. & seqq. an furti reus sit, qui contrahit debita, quæ nun-

nunquam poterit solvere &c. ibidem num. 290. item num. 297. & 298. an fas sit furari in gravi, vel saltem extrema necessitate. C. 10. n. 291. item n. 306. 307. & 308. an ablata tempore necessitatis postea debeant restitui, aut resarciri. C. 10. n. 309. & 310. inter furtum & rapinam, quæ differentia. C. 10. n. 303.

Furta minuta an vel quomodo constituere possint furtum grave. C. 11. n. 311. Quomodo peccent committentes plura furta minuta. ibidem n. 312. 313. & seqq. Regulæ pro dignoscenda gravitate ex furtis minutis. C. 11. num. 325. Mensuras & pondera falsificantes quomodo peccent. ibidem n. 326. item 336. & seqq.

G

G*Abellas* defraudare, an liceat, præsertim si Princeps has alteri elocaverit. C. 10. n. 300.

Grassatores viarum, an licite occidantur. C. 12. n. 55.

H

H*Omicidium* quid. C. 1. n. 2. quotuplex. ibidem n. 4. 5. 6. homicidium sui, an aliquando possit esse licitum. C. 1. n. 7. & 8. an aliquando fas sit aliquid facere, vel omittere, ex quo prævidetur secutura mors. C. 1. n. 10. & 25. 26. & 27. an vel qualiter teneamur vitam pro possibili prolongare. C. 1. n. 28. voluntarie & deliberate se ipsum occidens, privandus est sepultura Ecclesiastica. C. 1. n. 30. non item qui ex amentia, vel furore se ipsum occidit. ibidem n. 31.

Homicidium casuale, quid. C. 4. n. 86. quid & quotuplex voluntarium. ibid. n. 87. & 88. in ebrietate hominem occidens, quomodo peccet. C. 4. n. 91. homicidium mandans, consulens &c. &c. quomodo peccent &c. C. 4. num. 95. & seqq. homicidium casuale mixtum quid. C. 4. n. 89. item num. 106. non impediens mortem alterius, an vel quando peccet. C. 4. n. 109. quæ circumstantiæ ab homicida sint explicandæ in actu Confessionis sacramentalis. ibi. n. 110. Et quæ pœnitentia huic a Confessario sit imponenda. ibidem n. 111.

Honor quid importet. C. 12. n. 348. In quo consistat inhonoratio vel dehonoratio. C. 13. n. 374.

I

I*Ncestus* quid. C. 8. n. 226. quale peccatum, & an inter se specie differant. ibidem num. 227. & 228. item n. 245.

Innocens, an sine peccato possit sese offerre Tyranno occidendum. C. 1. n 2. utrum innocentes aliquando licat occidere. C. 1. n. 35.

Judex, quomodo se portare debeat erga accsatum, quem privata notitia scit innocentem. C. 2. n. 40. & seqq.

Judicium, quomodo differat a suspicione & dubio. C. 12. n. 349.

L

L*ibellus* famosus, seu infamatorius quid. C. 13. n. 393. quomodo peccent, hujusmodi libellos componentes, vel describentes, promulgantes. C. 13. ibidem n. 410.

Luxuria alia completa, alia incompleta, hujus referuntur quatuor species. C. 7. n. 182. Luxuriæ completæ referuntur quatuor species. C. 8. n. 216. Peccatum luxuriæ contra naturam, quid sit, & quotupliciter contingere natum. C. 9. n. 250. & 251.

M

M*Alefactor*, an licite fugiat, ut evadat carcerem, vel mortem. C. 1. n. 13. 16. & 17. an huic liceat se ipsum occidere. ibidem num. 14. an ad imperium saltem Tyranni se ipsum licite occideret. ibidem n. 9. an Malefactor se ipsum licite præsentet Judici ad mortis supplicium. C. 1. n. 19. & 20. utrum condemnatus ad mortem licite occideretur a quolibet. C. 2. numer. 56. an Malefactores nolentes se accommodare capientibus licite

ab his occidantur. C. 2. num. 54.
Marito an liceat occidere Uxorem in adulterio deprehensam, vel adulterum in flagranti deprehensum. C. 2. n. 37.
Medicus negligens infirmum, an vel quomodo peccet. C. 4. n. 99. & seqq.
Mendacium quid, & quale peccatum. C. 12. n. 344. quotuplex. ibidem n. 345. & seqq. Concionatores, Theologi, Medici, Juristæ &c. quomodo peccent mentiendo. C. 12. n. 365. Joci causa aliquid referens, quod ab omnibus apprehenditur falsum &c. an committat mendacium. C. 12. n. 365.
Milites, an tempore conflictus licite succendant naves, esto prævideant sibi propterea moriendum. C. 1. n. 15. an miles privatus licite pugnet in bello probabiliter tantum justo. C. 6. n. 15. quomodo milites gregarii tempore belli soleant excedere & peccare. ibid. n. 180.
Mortem sibi optare an fas sit. C. 1. n. 24.
Mutilare se ipsum, an liceat. C. 1. n. 11. 12. & 29.

N

N*Ecessitas* quid, & quotuplex. C. 10. n. 306. quænam præbeat causam sufficientem contrectandi alienum, ibi. n. 307.
Notoreitas quid, & quotuplex. C. 13. n. n. 378. crimen notorium in uno loco, an liceat referre, aut propalare in alio. C. 13. n. 380. & seqq.

O

O*Ccasioni* proximæ peccandi sese exponentes peccant graviter. C. 7. n. 198. & 201.
Occisio sui ipsius, an aliquando liceat. C. 1. n. 7. Vide *homicidium*. An liceat quempiam occidere ob defendendam pudicitiam. C. 3. n. 61. an ob honorem defendendum. ibid. n. 62. an ob bona temporalia &c. ibid. n. 64. quæ quantitas bonorum censeatur magni momenti. C. 3. n. 65.
Oscula, an, vel quænam sine peccato permitti possint. C. 7. n. 183. & seqq. quid, si joci tantum causa fiant. ibidem n. 200. Utrum osculantes se, teneantur exprimere objectum vel circumstantias. C. 7. n. 206.

P

P*Arricidium* quid sit. C. 4. n. 90.
Pingentes imagines lascivas, quomodo peccent. C. 7. n. 194. & 207.
Pœnæ duellantium, quæ. C. 5. n. 120. 121. item n. 132. & 140. Pœnæ Raptorum, vel potius Rapientium, quæ. C. 8. n. 230.
Pollutio quid importet. C. 9. n. 282. an etiam possibilis in muliere. ibid. n. 253. Utrum sit intrinsece mala. ibid. num. 254. an fas sit aliquando ponere vel non amovere causam pollutionis. C. 9. n. 256. quomodo examinandus juvenis, de hac suspectus. C. 9. n. 265. n. 266. & 267. quomodo peccent juvenis super juvenem, & fœmina super fœminam incumbendo. C. 9. n. 270. & seqq. An aliquando liceat procurare pollutionem. ibid. n. 273. & seqq. Medici & Chirurgi suadentes eam, an peccent. ibid.
Principibus ac Magistratibus, quantum juris competat in Malefactores &c. &c. C. 2. n. 32. Utrum licite suos subditos exponant periculo vitæ. ibi. n. 36. item n. 45. & 46. Principibus incumbit impedire & prohibere duella. C. 5. n. 138. Quid observandum Principibus, dum volunt suscipere bellum. C. 6. n. 149. Et quid, ne peccent belligerando. ibidem n. 152. & seqq. An Princeps Catholicus licite opituletur acatholico, vel talem in auxilium vocet. C. 6. n. 155.

R

R*Aptus* quid. C. 8. n. 229. quæ ad hunc sint necessaria. ibi. n. 246. quæ pœnæ Rapientium. C. 8. n. 230.
Repressalia quid? & an licita. C. 6. n. 175.

S

S*Acrilegium* quid. C. 8. n. 231. Confessarius peccando cum filia confessionis,

sionis, an committat sacrilegium. ibi. n. 241. an tale committat, qui peccat cum persona e fonte baptismatis a se levata. ibidem n. 240. an tale committat Religiosus cum persona laicali peccando &c. vel Sacerdos &c. ibi. n. 248. & 249.

Secreti nomine quid intelligant Theologi. C. 13. n. 387. quomodo peccet revelans secretum. ibid. n. 388. quinam teneantur ad servandum secretum. C. 13. n. 389. item n. 406. 407. 408. & 409. an, vel quando peccet, qui secretum alterius expiscatur. C. 13. n. 411. quomodo peccet, qni utitur notitia secreti alterius. n. 399. 400. rursus n. 412. & 413. Quibus de causis liceat manifestare, seu revelare secretum alterius. C. 13. n. 390.

Semen humanum, an etiam in sexu fœmineo reperibile. C. 9. n. 253. an fas sit sumere medicinam eo fine, ut ejiciatur e corpore. ibid. n. 274. Patiens seminis fluxum in somno, an postea evigilans teneatur eundem reprimere. C. 9. n. 275.

Sepultura Ecclesiastica an privandi, qui se ipsos occidunt. C. 1. num. 30. an, vel quando privandi, qui in duello sunt occisi. C. 5. n. 140. & seqq.

Sodomia quid sit. C. 9. n. 263. quomodo a bestialitate & pollutione differat. ibid. n. 280.

Sterilitatem procurans in fœmina, an peccet. C. 4. n. 94.

Stuprum quid. C. 8. n. 223. an involvat specialem malitiam ob violationem claustri virginalis. ibidem n. 224.

Suspicio quomodo differat a dubio, & judicio. C. 12. n. 349.

T

T *Actus* impudici, an, vel quando sint peccaminosi. C. 7. n. 192. 193. item n. 210. & 211.

Testis in judicio allegatus & examinatus, an teneatur reddere testimonium. C. 13. n. 398.

U

V *Xor* clam subtrahens de bonis Mariti, vel sibi & Marito communibus, quomodo peccet. C. 11. n. 324. item n. 332. & 233. rursus ibidem n. 340.

FINIS.

THEOLOGIÆ MORALIS DECALOGALIS

PARS QUINTA

DE POENIS ECCLESIASTICIS SEU CENSURIS, ET IRREGULARITATIBUS,

NEC NON

DE TRIPLICI HOMINUM STATU, ECCLESIASTICO SCILICET, RELIGIOSO, ET LAICALI;

DEQUE

HORUM MUNERIBUS, ONERIBUS, ET EMOLUMENTIS.



PRÆFATIO

Ad Lectorem Benevolum.

NOn eſt, cur multum te morer in limine hujus Opuſculi, Benevole Lector; nam methodum ac modum ſcribendi eundem prorſus reperies, quem obſervavi in prioribus opuſculis. Ne tamen erronee exiſtimares, argumentum hujus opuſculi nullius, vel exigui prorſus eſſe momenti, & hoc ipſo hujus ſtudium aut lecturam negligeres, aut omnino velut minus neceſſarium contemneres; hinc rei totius materiem ac ſeriem clarius ante oculos ponendam exiſtimavi, firmiter credens, fore, ut re bene perpenſa facile tibi perſuadeas, notitiam hujus materiæ Cuivis Confeſſario ſcitu ſummopere eſſe neceſſariam ad dirigendas in viam ſalutis animas. Quatuor titulis res tota comprehenditur.

I. Agimus de pœnis Eccleſiaſticis: quo nomine veniunt Cenſuræ, id eſt, Excommunicatio tam major, quam minor, nec non Suſpenſio, & Interdictum. Et quia inter pœnas Eccleſiaſticas etiam recenſetur Irregularitas ex delicto; hinc nedum de hac, verum inſuper de Irregularitate in Genere, & de aliis ex defectu in ſpecie pertractamus, tandemque, tum de poteſtate abſolvendi ac diſpenſandi, tum de ipſa etiam abſolutione a Cenſuris, & de diſpenſatione in Irregularitatibus agimus.

II. Agimus de ſtatu Eccleſiaſtico, id eſt, de Beneficiatis:

& quia Beneficiatum oportet ſcire, quæ ſint Munera, quæve onera ſibi incumbentia, & qui favores ſibi competentes; hinc ſub hoc titulo agimus in primis de Beneficiis Eccleſiaſticis, eorumque collatione, Reſignatione, ac Permutatione. Deinde de obligatione reſidendi, deque horis Canonicis, de modo, tempore, & qualitate horarum, deque cauſis excuſantibus ab earum recitatione. Denique de Decimis, Primitiis, & Oblationibus, velut Emolumentis.

Porro ad Emolumenta, vel potius Privilegia Beneficiatorum, & Eccleſiarum haud inconvenienter reduci poteſt Immunitas Eccleſiaſtica: de qua nedum in Genere, ſed etiam in ſpecie de Immunitate locali ſeu Aſylo, & de Perſonali ac reali agimus in pluribus Conferentiis.

III. Agimus de ſtatu Religioſo, & quidem 1. de Novitiis, 2. de Profeſſione Regularium, & 3. de Votis ſolennibus ſeu ſubſtantialibus ſtatui Religioſo, Obedientiæ ſcilicet, Caſtitatis, & Paupertatis, nec non 4. de Clauſura Regularium.

IV. Denique agimus in hoc Opuſculo de ſtatu Laicali, & quidem (prætermiſſis aliis) de Perſonis judiciariis, de quibus ferme ſolis ſpeciales difficultates moveri ſolent in Sacro tribunali. Unde ſub hoc titulo primario agitur de Judice. 2. de Accuſatore, Teſtibus, & Reo, nec non 3. de Advocato, Procuratore, Notario, Aſſeſſoribus, & Referendario, veluti ex ſequenti Elencho, omnium Conferentiarum indice amplius patebit ad oculum, per Caſus mere practicos, factos, & non fictos.

Finem ſcribendi, quod attinet, non quæro alium, niſi majorem Dei gloriam, & animarum ſalutem. Tu benevole Lector hoc meo Labore in eundem finem utere, & ut diu utaris, diu vale.

ELEN-

ELENCHUS

Conferentiarum & Casuum.

CONFERENTIA I.

De Censuris in Genere. pag. 407

CASUS

I. Cujusdam cooperatoris, qui Parochianos pœna Excommunicationis voluit compellere ad asseres, seu ligna necessaria D. Parocho advehenda. 412

II. Cujusdam puellæ, quæ ne quidem sub comminatione excommunicationis potuit compelli, ut staret promissioni sponsalitiæ. 413

III. Cujusdam dubitantis, an non inciderit Excommunicationem, eo quod valde temulentus lethaliter vulneraverit suum inimicum corrivalem &c. 414

CONFERENTIA II.

De Excommunicatione majori in specie. 417

CASUS

I. De quodam Clerico multum anxio ex eo, quod in statu Excommunicationis debuerit administrare Sacramenta. 424

II. De quodam Illustri, qui Excommunicationis sententiæ subjectus, præsumpsit solenniter comparere in Ecclesia. 425

III. De quodam Acatholico sepeliendo, qui in sua secta contumax e vivis excesserat. 426

CONFERENTIA III.

De nonnullis Excommunicationibus majoribus in specie, & de Excommunicatione minore. 429

CASUS

I. De quodam Catholico, assueto legere libros hæreticos. 435

II. De quodam Clerico, qui voluit alium Clericum projicere in puteum, sed hoc prævalente ipsusmet in eum projectus fuerat. 437

III. De alio quodam Religioso, qui Apostatam sui Ordinis casu in itinere deprehensum, fecit capi ac constringi vinculis, manibus sæcularium. 438

CONFERENTIA IV.

De Suspensione, Interdicto, & aliis nonnullis pœnis Ecclesiasticis. 443

CASUS

I. De quodam Curato, qui in statu suspensionis baptizaverat infantem. 448

II. De quodam Religioso, qui a suo Superiore simpliciter suspensus, præsumpsit excipere nonnullorum Confessiones. 450

III. De quodam Sacerdote, qui stante Interdicto Moribundo administravit Sacrum Viaticum. 451

CONFERENTIA V.

De Irregularitate in genere. 454

CASUS

I. De quodam Infirmario, qui, ut infirmus citius moreretur, fenestram infirmariæ aperuit. 459

II. Cujusdam studiosi, qui Puerum in Campanili sursum attrahendo, causam mortis præbuit. 460

III. Cujusdam Sacerdotis, sciscitantis, an non incurrerit irregularitatem, eo quod cuidam moribundo præbuerit quoddam confortativum, eo quo is postea obiit. 461

CONFERENTIA VI.

De Irregularitatibus ex delicto. 464

CASUS

I. De quodam studioso, qui tempore belli prædones pecorum persecutus, unum vel alterum eorum occidit, prædamque eripuit, & modo aspirat ad statum Ecclesiasticum. 469

II. De quodam Clerico, qui mandaverat suis famulis, ut si quem feripetam in sylva deprehenderent, armis spoliarent, & vehementissime verberarent. 460
III. Cujusdam studiosi, qui alteri suo condiscipulo subministravit gladium ad duellandum, quo is inimicum suum occidit. 471

CONFERENTIA VII.

De Irregularitatibus ex defectu. 475

CASUS

I. De quodam Sacerdote, qui ob fatalem lapsum perdidit alterum pedem. 480
II. De quodam Parocho, qui intempesta nocte a prædonibus obrutus, explodendo sclopetum unum eorum occidit. 481
III. De quodam studiosо, qui sæpius scribam egerat in Dicasterio, ubi agebatur de causa sanguinis. 482

CONFERENTIA VIII.

De Absolutione a Censuris, & dispensatione in Irregularitatibus. 487

CASUS

I. Cujusdam Clerici, qui post percussionem alterius Clerici illico postulavit absolvi ab aliquo Privilegiato. 494
II. De duobus studiosis, qui tempore nocturno Clericum spoliarunt, propterea a militibus supervenientibus mutilati, nihilominus aspirant ad statum Ecclesiasticum. 495
III. De quodam Religioso, qui multis annis castra secutus unum vel alterum ex hostibus occidit. 497

CONFERENTIA IX.

De Beneficiis Ecclesiasticis, eorumque Collatione. 500

CASUS

I. Cujusdam Principis, qui ad Beneficium curatum præsentare voluit quendam Nobilem, sed idiotam. 508
II. De quodam Clerico, qui, ut ad Beneficium præsentaretur, varia promisit, sed gratitudinis ergo duntaxat, ut ipse ait. 509
III. De quodam studioso, qui post homicidium injustum occulte perpetratum, debuisset ad certum Beneficium præsentari. 511

CONFERENTIA X.

De Resignatione Beneficiorum, Eorumque permutatione. 513

CASUS

I. Cujusdam Canonici, qui intuitu infirmitatis resignavit suo fratri Canonicatum, cum clancularia reservatione pensionis annuæ. 517
II. De quodam Clerico, qui suum Beneficium fraudulenter resignare contendit suo ex fratre Nepoti. 518
III. De quodam Clerico, qui suum Beneficium permutavit pro alio minus pingui, annexo tamen gemino onere. 520

CONFERENTIA XI.

De Obligatione Beneficiatorum, eorumque Emolumentis. 524

CASUS

I. Cujusdam Pastoris, qui tempore pestis relictis ovibus suis ad instar Mercenarii aufugit. 529
II. Duorum Beneficiatorum, dubitantium, an Sacra septimanalia tenerentur etiam applicare ad intentionem Fundatorum. 530
III. De quodam Beneficiato, qui ob simulatam duntaxat infirmitatem consuevit emanere ex choro. 532

CONFERENTIA XII.

De Horis Canonicis, earumque obligatione. 536

CASUS

I. De quodam Religioso, qui Antiphonis, & Lectionibus novis prætermissis, solet legere antiquas, vel de Communi, in suo Breviario contentas. 542
II. Cujusdam Confessarii, qui Canonico assueto negligere Breviarium, non injunxerat onus restitutionis. 543
III. De quodam Religioso scrupuloso, assueto continuis repetitionibus sui Breviarii. 545

CONFERENTIA XIII.

De modo, tempore, & qualitate Horarum Canonicarum, nec non de causis excusantibus ab earum recitatione. 550

CASUS

I. Cujusdam Blæsi, qui ob balbutiem linguæ mirum in modum syncopare solet verba sacra. 558
II. Cujusdam Religiosi, qui vi sui officii peragrans diversas Diœceses ac Conventus, reperit diversa officia pro diversitate locorum dici. 559
III. De alio quodam Religioso, ex itinere valde lasso, & ob id dubitante, an adhuc teneretur præstare pensum canonicum. 560

CONFERENTIA XIV.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus. 561

CASUS

I. De quodam Rustico, pertinaciter detrectante solvere decimas Novalium. 570
II. De quodam alio Rustico, qui agros suos convertit in prata. 571
III. De alio Rustico, decimas defraudante. 573

CONFERENTIA XV.

De Immunitate Ecclesiastica in genere, & de locali, seu Asylo in specie. 576

CASUS

I. De quodam Malefactore, qui effracto carcere ad Monasterium confugiens repulsam tulit a Portario, propterea denuo captus. 582
II. De quodam fure, qui in flagranti deprehensus ab Æedituo, fuit expulsus ex Ecclesia. 584
III. De quodam Milite desertore, quem Dux repetiit a Superiore Ecclesiastico, in cujus Ecclesiam confugerat. 586

CONFERENTIA XVI.

De Immunitate Personali & reali. 859

CASUS

I. De quodam Clerico, ab Apparitoribus visitato, an non penes se portaret tabacum. 594
II. De quodam Parocho, e cujus area frumentum fuerat violenter ablatum, eo quod ad Cameram Principis noluerit mittere certam collectam. 595
III. De quodam Apostata Religioso, quem Princeps voluit restituere Religioni, sed cum onere, ut hæc refunderet expensas in carceribus intuitu ejusdem Religiosi factas. 596

CONFERENTIA XVII.

De statu Regularium, & de Novitiis in specie. 601

CASUS

I. Cujusdam studiosi, cui Mater suafit, ut postposita vocatione amplecteretur statum sæcularem. 608
II. Cujusdam Novitii ex Ordine Mendicantium, sciscitantis, an reversurus ad sæculum teneretur solvere expensas, pro victu, & vestitu factas. 609
III. De quodam studioso opulentissimo, qui ante ingressum Religionis bona sua liberalissime distribuit inter amicos. 610

CONFERENTIA XVIII.

De Professione Regularium, nec non de Voto Obedientiæ, & Castitatis. 615

CASUS

I. De quodam Religioso, reclamante contra Professionem suam solenniter factam. 621
II. De quadam Moniali, post professionem ob morbum epilepsiæ subdole reticitum ejecta a Monasterio. 623
III. De quodam Religioso, qui jussus assistere Confratri Moribundo, tergiversabatur parere, ob periculum infectionis. 624

CONFERENTIA XIX.

De Voto Paupertatis religiosæ, & de Clausura Regularium. 628

CASUS

I. De quodam Religioso lusui dedito. 636

II. De quodam alio, qui, ne a suo Superiore repulsam pateretur, solum usum simplicem pecuniæ acceptavit. 637

III. De quadam honesta Matrona, quæ sæpius joci causa invitata, tandem clausuram Monasterii virorum intravit. 638

CONFERENTIA XX.

De statu laicali, & in specie de Judice. 442

CASUS

I. De quodam Judice, qui personam fornicationis ream dolose induxerat ad confessionem complicis. 650

II. De quodam Visitatore Religioso, cui in actu visitationis detecta fuere nonnulla crimina contra quendam Subditum. 651

III. De quodam Judice, qui suspectum de adulteratione monetæ jussit comprehendi. 653

CONFERENTIA XXI.

De Accusatore, Testibus, & Reo. 656

CASUS

I. De quodam Officiale Principis, qui a Rusticis accusatus, negavit omnia sibi objecta. 662

II. De quodam Judice, qui domesticos actoris noluit admittere in testes. 663

III. De quodam Reo, qui vi torturæ intolerabilis nedum sibi, sed & alteri cuidam innocenti imposuerat falsum crimen. 664

CONFERENTIA XXII.

De Advocato, Procuratore, & Notario. 669

CASUS

I. De quodam Advocato, qui relictis causis pauperum, totus quantus in unam Prædivitis defendendam incubuit. 673

II. De quodam Procuratore, qui inique protrahendo litem injustam, partemque adversam vexando, graviter deliquit. 674

III. De quodam Notario, assueto protrahere expeditiones causarum, idque solius lucri gratia. 676



R. P. Fr. BENJAMIN ELBEL
THEOLOGIA MORALIS,
Per modum Conferentiarum casibus practicis applicata, & illustrata.
PARS QUINTA.
CONFERENTIA PRIMA.
De Censuris in genere.

SUMMARIUM.

1. *Nomine Censuræ intelligitur pœna spiritualis & medicinalis &c.*
2. *Essentialiter & adæquate dividitur in tria membra, scilicet Excommunicationem, suspensionem & interdictum.*
3. *Accidentaliter vero subdividi solet in eam, quæ est a jure, & quæ ab homine; item quæ est latæ, & ferendæ sententiæ.*
4. *Quibusnam competat potestas ordinaria ferendi Censuras.*
5. *Et quibus potestas delegata.*
6. *Censura ferri potest in solos Christianos, subditos &c.*
7. *Solvitur gemina objectio in contrarium.*
8. *Censura juste infligi nequit, nisi ob delictum grave &c.*
9. *Excepta excommunicatione minore &c.*
10. *In Censuris infligendis mature procedendum.*
11. *An, vel qualis monitio prævia requiratur ad valorem Censuræ.*
12. *Et quænam ad hoc, ut licite inferatur ab homine.*
13. *Ab incursione Censuræ gravis excusat, quidquid excusat a peccato mortali.*
14. *An, vel quænam ignorantia excuset.*
15. *Censura non tollitur, nisi per absolutionem.*
16. *Quænam in ordine ad absolutionem a Censura sint observanda.*
17. *Et quinam absolvere valeant a Censuris tum a jure, tum etiam ab homine latis.*
18. *Resolvitur Casus I. cujusdam Cooperatoris, qui Parochianos sub pœna excommunicationis voluit compellere ad asseres, seu ligna necessaria D. Parocho adferenda.*
19. *Alius huic haud absimilis Casus refertur.*
20. *Et quid, si Rustici voluissent hunc Cooperatorem violenter detinere in Ecclesia, & compellere ad celebranda Divina.*
21. *Resolvitur Casus II. cujusdam puellæ, quæ ne quidem sub comminatione excom-*

com-

communicationis potuit compelli, ut stare promissioni sponsalium.

22. *Si talis persona ultra annum perseveret in excommunicatione sine spe correctionis, misericorditer quidem absolvenda est:*

23. *At non hoc ipso deobligatur ab onere satisfaciendi Sponso &c.*

24. *Resolvitur Casus III. cujusdam dubitantis, an non inciderit excommunicationem, eo quod valde temulentus lethaliter vulneraverit suum inimicum, & suæ amasiæ porrexerit poculum medicatum ad procurandum abortum fœtus animati.*

25. *An sufficiat homicidium in causa voluntarium in ordine ad incurrendam excommunicationem.*

26. *Et quid si talis pœnitens petat absolvi, priusquam inimicus lethaliter vulneratus diem suum obit.*

27. *Nec irregularitas, nec cessatio a Divinis &c. dici merentur Censura, & quare.*

28. *Judæi & Pagani affici nequeunt Censuris Ecclesiasticis, bene vero hæretici.*

29. *Ob peccatum soli juri naturali aut Divino contrarium nullus incurrit Censuram.*

30. *Neque ob peccatum mere præteritum &c.*

31. *Neque ille Censuram incurrit, qui novit quidem actum, vel opus esse ab Ecclesia prohibitum, sed ignoravit esse prohibitum sub Censura.*

32. *Et quid, si quis Legem ecclesiasticam sub Censura obligantem transgrediatur ex solo metu?*

33. *Quænam observanda ab habentibus potestatem ordinariam vel delegatam absolvendi a Censuris.*

34. *An talis absolutio debeat semper dari in actu Confessionis, an vero etiam dari possit absenti, immo & invito.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de Censuris in genere.

QUæres primo, quid sit, vel quid intelligatur nomine Censuræ?

Ante responsionem notandum, olim apud Romanos illos fuisse dictos Censores, qui corrigendis civium moribus præerant, sicut hodiedum Censores librorum appellantur, qui auctoritatem habent, scripta, vel libros corrigendi, ne quid contra sanam doctrinam aut bonos mores edatur. Communiter tamen Theologi nomine Censuræ hodie intelligunt pœnam quamdam spiritualem, a Judice Ecclesiastico propter aliquod crimen contumacibus impositam. Hoc notato

1. R. jam ad quæsitum. Censura est pœna spiritualis & medicinalis, per quam homini baptizato, delinquenti & contumaci, potestate ecclesiastica aufertur usus quorumdam bonorum spiritualium externorum Ecclesiæ, ad frangendam contumaciam. Ita noster A. R. P. Kazenberger *in Suppl. II. P. Sargar tit. 7. Confer.* 106. Pichler *in Compend. Jur. Can. L. 5. tit. 39. n. 1. & in re communiter DD.* Explico brevissime. Dicitur 1. *pœna spiritualis*: per ly *pœna* convenit cum aliis: per ly *spiritualis* vero differt a pœnis corporalibus; quia hæc est pœna animæ, prohibetque per se primo usum rerum spiritualium, licet secundario quandoque etiam privet usu bonorum *temporalium*, ut patebit ex infra dicendis. Dicitur 2. *medicinalis*; quia Censura Ecclesiastica proprie non est pœna vindicativa sceleris jam patrati, sed potius medicinalis, per quam solum intenditur emendatio, seu futura correctio delinquentis. Dicitur 3. *per quam homini baptizato* &c. quia Ecclesia non judicat de iis, qui foris (idest extra Ecclesiam) sunt. Additur 4. *delinquenti*; quia pœna non debet infligi nisi culpabili & delinquenti. Dicitur 5. & *contumaci*; quia infligitur ad corrigendam obstinationem in delicto. Dicitur 6. *potestate Ecclesiastica*; quia potestas Censuras ferendi competit soli Ecclesiæ, & quidem jure divino, ut habetur Matth. c. 16. & 18. Dicitur 7. *aufertur usus quorumdam bonorum spiritualium*, utputa administratio aut receptio Sacramentorum, suffragia Ecclesiæ &c. idque non ad alium finem, quam ad frangendam contumaciam delinquentis: non tamen privat omnibus bonis spiritualibus, cum non privet charactere, aut gratia sanctificante, virtutibus &c. &c.

Quæres secundo, quotuplex sit Censura?

2. R. Censura triplex est, scilicet Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum. Ita *communis sententia Doct.* quæ col-

colligitur *ex c. quærenti de Verb. sign.* ubi Innocent. III. consultus, quid per Censuram ecclesiasticam intelligendum sit, respondet, quod per eam *non solum interdicti, sed suspensionis & excommunicationis sententia valeat intelligi*. Ex quo Castropalao *part. 6. tr. 29. disp. 1. pun. 1. n. 4.* cum Suarezio, Laymanno & aliis recte infert, hanc divisionem esse adæquatam, ita, ut præter recensitas tres species nulla detur alia species Censuræ; tum, quia si præter eas adhuc alia daretur, Pontifex imperfecte & diminute respondisset, & quidem in materia doctrinali; quemadmodum diminute responderet, si interrogatus quot sint Sacramenta diceret, non solum esse Eucharistiam, sed & baptismum & pœnitentiam. Tum etiam, quia nulli alteri speciei præter excommunicationem, suspensionem & interdictum convenit definitio Censuræ a nobis proxime explicatæ, & communiter a DD. receptæ: ergo tres, & non plures species Censuræ dantur.

3. R. Nihilominus jam secundo. Censura ut sic accidentaliter adhuc dividi solet, & quidem I. ex parte causæ efficientis in eam, quæ est a *jure*, & in eam, quæ est ab *homine*. A *jure* dicitur, quæ fertur mediante statuto, aut lege, utpote jus statuentibus: ab *homine* autem appellatur, quæ media sententia ab homine prolata procedit: & hinc quemadmodum statutum & lex etiam post mortem Legislatoris non cessat obligare, ita nec Censura a jure lata, bene vero lata ab homine, nisi hæc jam sit actu incursa ante mortem Judicis Censuram ferentis. Porro si Episcopus feret Censuram v. g. Excommunicationis indifferenter in omnes, qui v.g. furtum Ecclesiasticum commiserint, dici consuevit Censura *generalis*. Si vero feratur in aliquā personam privatam v.g. Petrum &c. dicitur Censure *specialis*.

II. Ex parte formæ accidentaliter dividi solet Censura in eam, quæ est *latæ*, & in illam, quæ est *ferendæ sententiæ*. Prior ipso facto seu criminis admissione absque ulteriore Judicis sententia incurritur; posterior vero primum per Judicis sententiam. Ceterum an Censura sit latæ, vel vero ferendæ primum sententiæ, dignosci debet ex verbis, quibus Judex fuerit usus; nam si dicat v. g. qui tale crimen commiserit, *ipso facto* vel *jure* sit excommunicatus &c. concludendum erit, quod sit Censura *latæ sententiæ*; quia tales particulæ excludunt sententiam de novo ferendam &c. Si vero dicat: qui tale crimen admiserit, excommunicetur, suspendatur &c. &c. erit censenda *Censura ferendæ sententiæ*; quia tales termini innuunt sententiam a Judice ferendam &c.

Denique si omnibus perpensis restet dubium, sitne Censura latæ vel ferendæ primum sententiæ &c. præsumendum est, esse ferendæ &c. *quia in pœnis benignior interpretatio est facienda* juxta *Reg. 49. Jur. in sexto*, & *Communem DD.*

Quæres tertio, quibusnam competat potestas ferendi Censuras?

4. R. 1. Censuram ferre possunt omnes & soli Superiores ecclesiastici, etiam Regulares, jurisdictionem in foro externo & contentioso habentes. Ita ex *communi DD.* Pichler *l. cit. n. 2.* Laymann *L. 1. tr. 5. part. 1. c. 3. n. 1.* Et constat *ex c. 1. 3. 16. de Offic. Ordin. & aliis*. Ratio est: quia Superior ecclesiasticus habens jurisdictionem in foro externo est institutus ad servandam disciplinam christianam per leges, præcepta, & sententias: ergo huic concedi debet, quidquid in hunc finem est necessarium: atqui posse ferre Censuras est omnino necessarium in hunc finem; secus enim gubernatio talium Prælatorum utpote infirma & inermis facile contemneretur a subditis peccatoribus: ergo &c. Hinc talis potestas competit 1. Summo Pontifici. 2. Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, eorumque Vicariis Generalibus respectu suorum subditorum. 3. Cardinalibus & Legatis a Latere. 4. Vicariis Capituli, & ipsi Capitulo sede vacante. 5. Conciliis Generalibus & Provincialibus. 6. Abbatibus, Prioribus, Præpositis Ecclesiarum collegiatarum. 7. Generalibus, Provincialibus, Rectoribus, Guardianis, aliisque Superioribus localibus &c. Videantur de hoc Herincx *part. 2. tr. 3. disp. 6. n. 5.* Illsung *tr. 7. disp. un. q. 1. a. 1. n. 2.*

5. R. secundo. Ex delegatione possunt ferre Censuras omnes illi, quibus id fuerit commissum ab habentibus potestatem ordinariam, modo illius fuerint capaces, prout sunt omnes Clerici gaudentes privilegiis Clericalibus (excepto

Cle-

Clerico conjugato, qui jurisdictionis & administrationis ecclesiasticæ incapax est *per cap. 2. de Cleric. conjung.*) Non item laici, aut fœminæ, &c. Ratio est: quia potestas ordinaria hoc habet ex sua natura, quod possit alteri delegari: ergo & hæc potestas ordinaria ferendi Censuras. Taliter tamen delegatus non poterit hanc potestatem rursus alteri subdelegare, nisi hoc habeat ex speciali commissione, ut, quando est delegatus Papæ. Vid. Filliuc. *tr.* 11. *c.* 2. *n.* 35. Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 1. *a.* 2. *n.* 4.

Quæres quarto, in quos ferri possit Censura?

6. R. Censura ferri potest in omnes & solos 1. Christianos, 2. subditos, 3. doli capaces, & 4. viatores. Ita rursus *DD. communiter*. Ratio primi & secundi est: quia subjectio & jurisdictio sunt correlativa: ergo sicut in ferente Censuram debet esse jurisdictio, ita & in patiente debet esse subjectio; unde D. Paulus 1. *Cor.* 5. ait: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Ratio tertii est: quia doli incapaces legibus ac præceptis humanis obligari nequeunt, ergo quemadmodum incapaces sunt delicti, ita & pœnæ esse debent. Ratio quarti est: quia Prælatis Ecclesiæ Christus quidem dedit potestatem ligandi, sed *super terram*, non vero subtus terram: ergo qui non est amplius viator, id est, in vivis, seu via ad alteram vitam, nequit ligari Censura.

Dices fortassis, *can. fin. caus.* 24. *q.* 2. hæretici etiam post mortem jubentur excommunicari, & vicissim *cap.* 28. *de sent. Excom.* excommunicati, qui cum signis pœnitentiæ decesserunt, jubentur absolvi, ergo & in mortuos potest ferri sententia, vel Censura Ecclesiæ.

7. R. *disting. & explicando antecedens*. Jubentur excommunicari & absolvi *proprie* & directe, *nego. improprie, conc. antec. & neg. conseq.* Per excommunicationem defuncti Ecclesia nil aliud intendit, quam ad terrorem aliorum declarare, talem hæreticum fuisse irretitum excommunicationis vinculo, propterea que privandum beneficio sepulturæ Ecclesiasticæ. Per absolutionem econtra declarare intendit, quod talis coram Deo pro absoluto sit habendus, & neque sepultura Ecclesiastica, neque suffragiis Ecclesiæ privandus, prout Canonistæ exponunt.

Quæres quinto, quam ob causam possit ferri Censura?

8. R. Censura juste infligi nequit, nisi ob delictum seu peccatum, & quidem (excepta excommunicatione minore, suspensione ac interdicto improprie dictis) 1. mortale tam ex objecto suo, quam ex advertentia, & 2. cum contumacia junctum, atque completum in suo genere. Ratio prioris est; quia ut pœna sit justa, debet esse proportionata culpæ, & eam non excedere: excommunicatio autem major, vel alia Censura ecclesiastica gravis, sunt vere graves infligi pœnæ: ergo nequeunt nisi ob peccatum mortale &c. &c. Ratio posterioris jam constat ex descriptione Censuræ; quia hæc velut pœna medicinalis non infertur in alium finem, nisi ut delinquens resipiscat, & a contumacia vel inobedientia recedat, ergo si nunquam fuit contumax, censura feriri non debet. Hanc fortassis ob causam Christus *Matth.* 18. delinquentem velut Ethnicum haberi, aut ex gremio Ecclesiæ ejici non voluit, nisi monitus *Ecclesiam non audierit*. Ratio tertii est: quia leges pœnales sunt stricte interpretandæ per *cap. odia.* 15. *de Reg. J. in 6.* simulque earum verba accipienda cum effectu *arg. C. Hæc autem verba. de pœnit. dist.* 1.

Hinc qui solum conatus fuit percutere Clericum, sed globo vel ictu aberrante re ipsa non percussit, non incurcurit pœnam excommunicationis latam in percussores Clericorum *Can. si quis suadente &c. C.* 17. *q.* 4.

9. Dixi tamen per parenthesin: *Excepta excommunicatione minore, & suspensione ac interdicto improprie dictis &c.* Excommunicatio quippe minor potest imponi non solum ob peccatum mortale, sed etiam ob veniale v. g. ob communicationem habitam cum excommunicato vitando in alloquio, mensa &c. quia effectus hujus excommunicationis non est adeo gravis, cum privet solum participatione seu receptione Sacramentorum, quæ non quovis tempore est necessaria. Similiter nihil prohibet, quin ob venialem culpam etiam præteritam, pos-

possit inferri suspensio levis v. g. ab uno actu electionis, aut a Missa celebranda per unum aut alterum diem, idque per modum pœnæ &c. quo casu tamen talis suspensio non est censura *proprie dicta*, utpote non illata per modum medicinæ ad avertendum hominem a peccato &c. Sed est pœna spiritualis vindicativa peccati jam facti, prout advertit Bassæus V. *Censura n.* 15. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 13. *dist.* 1. *n.* 18. & alii plures.

Quæres sexto, quænam forma sit observanda in ferendis censuris?

10. R. 1. In ferendis censuris non præpropere, sed lente procedendum est, & prius tentanda alia media, puta dehortationes, comminationes &c. Ita expresse statuit Concilium Trident. *ss.* 25. *c.* 3. *de Reform.* addita hac causali: *Cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rationibus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem.*

11. R. 2. Quando censura transgressoribus decreta est ipso jure, aut etiam ab homine per sententiam generalem & publicam, circa delicta futura, non requiritur ulla monitio: econtra tamen 2. quando censura fertur ab homine ob culpam jam commissam, tunc necessario præmitti debet saltem una admonitio Rei, cum comminatione censuræ. Ita *communiter DD.* signanter Busenbaum *l.* 7. *dub.* 4. *n. VIII.* La Croix *l.* 7. *n.* 73. Ratio prioris habetur *cap. Reprehensibilis* 26. *de appellat.* Tum ex eo etiam, quia tunc lex & commune præceptum semper monet ac dehortatur: ergo qui hoc non obstante illud transgreditur, fit contumax Ecclesiæ. Ratio autem prioris hæc est: quia censura *proprie dicta* ferri non potest, nisi in contumacem: ast, qui nunquam fuit monitus de præcepto aut pœna annexa, contumax dici nequit: ergo ad minimum una admonitio sub comminatione censuræ adhiberi debet, ita, ut si secus fiat, ordo substantialis judicii non servetur, & per consequens nulliter agatur.

12. R. jam tertio ad idem quæsitum. Ut Censura ab homine per sententiam particularem licite feratur, requiritur I. ut dicta admonitio sit canonica, id est trina, uti volunt S. Canones. *cap. constitutionem de sent. excomm. in* 6. interposito aliquot dierum inter monitiones singulas intervallo, quamvis etiam possit fieri unica æquivalens tribus v.g. hoc modo: moneo te semel pro tribus vicibus, concedendo tibi sex dies, biduum pro singulis monitionibus, ad præstandam satisfactionem, aut proponendam tuam defensionem &c. immo si necessitas causæ postulet, restringendo tempus ad unum diem &c. ut habetur *C. constitutionem cit.* II. requiritur, ut ex scripto recitetur. III. ut causa censuræ exprimatur. IV. ut Reo petenti exemplum scripturæ intra mensem tradatur; alioquin ipse Judex suspenditur a divinis. Videatur Filliuc. *tr.* 11. *c.* 4. Herincx *ubi supra disp.* 6. *n.* 15. *& seqq.*

Quæres septimo, an, vel quæ causæ dentur excusantes ab incurrenda censura?

13. R. Ab incurrenda censura gravi excusat, quidquid excusat a peccato mortali. Ratio est: quia cessante culpa gravi pariter cessare debet pœna gravis. Atque hinc sequitur 1. a censura gravi excusare primo parvitatem materiæ. 2. Impotentiam legem implendi. 3. Defectum advertentiæ ac deliberationis. 4. Metum gravem injuste incussum, qui impellat ad legem violandam, etsi a peccato forte non excuset; cum contumax dici nequeat, qui aliquid invitus agit. 5. Appellationem legitimam, si hæc interponatur antequam feratur sententia censuræ, ut habetur *c.* 16. *de appell.* 6. Innocentiam, licet pro foro externo fuisses probatus reus. *c.* 2. 7. *de sent. excomm. in* 6. 7. Ignorantiam invincibilem, sive ea sit *facti*, ut si v.g. nescias, eum, quem percutis, esse Clericum; sive *juris*, ut si scias quidem esse Clericum, teque moraliter peccare percutiendo, nescias tamen, sub excommunicatione prohibitam esse; quia neque in hoc casu dici mereris pertinax Ecclesiæ.

14. Dixi tamen ignorantiam *invincibilem*; nam ignorantia crassa seu mortaliter culpabilis, quemadmodum non excusat a culpa, ita nec a pœna, prout decidit Bonifacius VIII. *c.* 2. *de constitut. in* 6. ubi ait: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcun-*

que

que Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dummodo tamen NB. eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.

Excipe tamen rursus: nisi addatur in lege certus modus v. g. qui hoc fecerit *scienter*, *consulto* &c. qui *ausu temerario præsumpserit* &c. hujusmodi enim verba utpote in re odiosa, sunt strictè interpretanda: sed qui ex ignorantia crassa, & mortaliter culpabili legem transgreditur, dici non debet *temerarie præsumpsisse*, nisi ignorantia omnino fuisset affectata, formalem dolum includens: ergo &c. Videatur Sanchez *de Matr. l. 9. disp. 32. n.* 31. Kazenberger *in suppl. decalog.* P. Sporer *c. 3. n. 38. & 39.*

Quæres octavo, quomodo censura tollatur?

15. R. Censura non tollitur nisi per absolutionem. Ita *communis DD.* & habetur decisum *c. 28. de sent. excomm.* idque verum est, tametsi censura affectus jamjam supponatur rediisse ad frugem meliorem, & posita contumacia plenam præstitisse satisfactionem (nisi esset lata sub conditione aut modo v. g. quamdiu non satisfecerit &c.) quemadmodum enim sublata culpa, quæ est causa pœnæ, adhuc durat pœna, ita pariter sublata contumacia adhuc durat censura: qua de causa Alexander VII. damnavit sequentem propositionem *n.* 44. *quo ad forum conscientiæ, Reo correcto ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.* Necessum proin est, ut qui ligavit reum, etiam solvat, sive per se, sive per alium. Unde si censuratus intra annum non petat absolutionem, & sic in censura insordescat, fit suspectus de hæresi juxta Trid. *ss. 25. c. 3. de Reform. in fin.*

Quæres tandem nono, quisnam ergo possit absolvere a vinculo censurarum?

16. R. Ante responsionem recolenda est ex dictis differentia inter censuram *a Jure* vel generaliter, & *ab homine* specialiter latam. Item inter censuram *reservatam*, & non *reservatam*: non reservata autem dicitur tunc, quando Judex vel Legislator in suo decreto nullam prorsus facit mentionem reservationis &c. &c. Hoc notato

17. R. jam ad quæsitum 1. Quando censura est lata ab ipso jure aut lege, vel ab homine quidem, sed per sententiam aut decretum generale (quod æquivalet legi) eaque non est reservata specialiter, tunc ab hac potest absolvere quilibet Confessarius præditus potestate absolvendi a peccatis mortalibus. 2. Ubi vero censura fuit specialiter reservata, vel lata ab homine per sententiam particularem, tunc ab eo potest absolvere solus ille (saltem pro foro etiam externo) qui tulit, ejusque successor, aut Superior jurisdictionem immediatam habens in censuratum, vel eorum delegatus. Ita quo ad utramque partem *communis* & certa sententia. Ratio prioris partis est: quia hoc ipso quod absolutio a censura non reservetur in jure, ferens censuram censetur concessisse potestatem absolvendi etiam aliis, prout colligitur *ex cap. Nuper 29. de sent. excomm.* Ratio autem posterioris est; quia ejusdem est solvere, cujus est ligare: ergo qui ligavit, potest etiam absolvere; cumque Superior ligantis, aut hujus successor vel delegatus habeant eandem quo ad hoc potestatem, sequitur, quod & hi valeant absolvere: alii vero non possunt, eo ipso, quod Lator censuræ per reservationem omnibus aliis voluerit ademptam potestatem absolvendi. Ceterum cum quoad modum impertiendi non sit præscripta certa forma absolutionis, hinc pro foro saltem externo observandus erit ritus in Diœcesi usitatus, vel Rituale Romanum &c. &c. &c. Verum de hoc pluribus agemus ex professo *Conferentia octava a num.* 249.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Censuris in genere.

CASUS PRIMUS.

Titius fungens munere cujusdam D. Parochi graviter decumbentis, sæpius Rusticos Parochianos admonuerat, ut pro D. Parocho ligna seu asseres tempore brumali necessarios adveherent; quod, cum impetrare non potuisset verbis pacificis, die quadam Dominica dato prius signo ad Sacrum,*

erum; e Sacristia processit ad altare, portans in una manu calicem, altera tenens asciam, cumque pervenisset ad Summum Altare conversus ad plebem dixit : En! sæpius vos admonui, ut D. Parocho graviter infirmo & summopere indigenti apportaretis ligna necessaria, sed noluistis audire me: habetis jam hic calicem, vos facitote divina: ego vero cum hac ascia vadam, comparaturus D. Parocho asseres necessarios, & vestro functurus officio. Viso tam inopinato spectaculo aliqui indigne id ferentes illico sese opposuere Titio, volentes eundem manutenere in Ecclesia; hic vero eos graviter objurgando comminabatur, quod primo se opponentem, aut manus sibi injicientem vellet illico excommunicare, & ejicere ex Ecclesia.

Quæritur jam, an Titius Capellanus id potuisset juste facere, fulminando scilicet in eos sententiam Excommunicationis?

18. R. Titius Cappellanus id minime potuisset. Ratio est: quia juxta *communem sententiam DD.* apud Palao *tr.* 29. *disp.* 1. *pu.* 4. *n.* 2. La Croix *l.* 7. *num.* 21. Pirhing. Krimer & alios, ne quidem Parochus ipse, utpote destitutus jurisdictione externa & contentiosa, potuisset quempiam suorum Parochianorum excommunicare: ergo multo minus id potest Capellanus, fungens munere Parochi. Et certe nec ex jure divino, neque ex humano constat, Parochis hanc competere potestatem, prout post Doctorem Seraphicum & subtilem recte animadvertit Mastrius *Theolog. mor. disp.* 13. *n.* 11.

19. Atque hinc noster A. R. P. Kazenberger *in Supplem. II. P. Sargar Confer.* 106. *n.* 307. cum P. Reiffenst. *l.* 3. *decret. tit.* 30. *n.* 39. recte resolvit, non bene processisse Parochum illum, qui suum Parochianum decimas solvere detrectantem in festo Pentecostes post concionem publice in Ecclesia excommunicavit; tum quia Parocho solum competit jurisdictio in foro interiori seu pœnitentiali, non item in foro exteriori seu contentioso; tum etiam quia nemo debet esse judex in propria causa. In similibus ergo casibus Parochi vel Capellani debent hujusmodi contumaces deferre ad Episcopum, cujus est administrare justitiam, & jura Ecclesiæ manutenere, compellendo refractarios etiam per sententiam excommunicationis, ubi opus fuerit.

Sed quid, si Rustici illi violenter detinuissent Titium in Ecclesia, nunquid in tali casu potuisset eos declarare ut excommunicatos, velut notorie violentas manus injicientes in Clericum?

20. R. Ne hoc quidem licite potuisset. Ita La Croix *cit. n.* 21. Ratio est: quia cum neque Capellanus, neque Parochus habeant jurisdictionem externam; hinc nec ipsis competit jus citandi, neque aliquem ex officio declarandi ut excommunicatum, nisi hoc ipsis specialiter demandetur. Quin immo, ubi censura est lata a jure, prout est excommunicatio in percussores Clericorum &c. ne quidem Judex potest denunciare, & declarare excommunicatum, nisi prius proferat sententiam declaratoriam criminis, esto crimen fuisset notorium, ait Palao *tr.* 29. *disp.* 1. *pu.* 9. *n.* 1. lata tamen semel sententia legitima excommunicationis, licebit Parocho aut Capellano excommunicatum prohibere ab ingressu Ecclesiæ, & removere a Sacris, ut notat La Croix *l. cit.* Pirhing & Krimer ab eodem citati.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia puella matrimonium promiserat Sempronio honesto Juveni: postea promissionis pœnitens facta, nescio quam ob causam, noluit eidem nubere. Sponso identidem sponsalia urgente, ab Ordinario fuit ad hæc admonita, & quidem sub comminatione excommunicationis; quo non obstante Sempronia pertinacissime obtestabatur, malle se nedum excommunicationis sententiam, sed vel ipsius inferni subire pœnas, quam Sempronio manus dare in connubium. Quæritur jam primo, an non obstante tali contumacia Ordinarius valeat procedere ad sententiam excommunicationis? 2. an postea viso & comperto animo Semproniæ prorsus immobili, non debeat hanc rursus absolvere a vinculo excommunicationis?

21. R. ad primum quæsitum: Potest procul dubio. Ratio est, quia ob talem contumaciam, & quidem formalem, nec obligatio sponsalitia minuitur, neque culpa: quin immo potest quis excommunicari ob solam contumaciam,

quia

quia scilicet citatus stare noluit juri, prout habetur *textu clar. cap. Ex parte de V. S.* quid ni ergo & in Semproniam quantumvis contumacem proferri possit sententia excommunicationis. Profecto si in contumacem censura non posset fulminari, facile ab hujusmodi pertinacibus contemneretur potestas ecclesiastica, quemadmodum hodiedum contemnitur ab hæreticis. Quod vero censura talibus in perniciem animæ potius, quam in medicinam vergat, id mere per accidens, & præter intentionem Ecclesiæ contingit. Videatur Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 1. *art.* 3. *n.* 1.

22. R. ad secundum. Si Sempronia per annum vel ultra maneat pertinax, debet a Judice misericorditer absolvi, haud equidem ob pertinaciam (nam contra tales, qui obdurato animo in censuris per annum insorduerint, tanquam de hæresi suspectos procedi posset, juxta Trident. *ss.* 25. *c.* 3. *de Reform.*) sed ideo, quia si Judex noluerit cedere contumaci, hæcque videat se certe non absolutum iri, nisi stet promissis, timendum foret, ne simulet duntaxat consensum, sicque ficte, & hoc ipso invalide contrahat, vel consentiat quidem, sed infelicissimo exitu, cum evidenti scilicet periculo perpetuorum jurgiorum, verberum, mutilationis; quare cum hujusmodi connubia pro viribus sint impedienda; hinc Judicis Ecclesiastici erit paterne hic prospicere. Et ita cum aliis tenet Sanchez *de spons. l.* 1. *disp.* 29. *n.* 7. & 8. Gobat *Theol. experim. tr.* 10. *n.* 28. Unde & sacra Congregatio Concil. videnda apud Dianam *part.* 11. *tr.* 2. *resol.* 70. decidit, casu quo unus sponsorum ita incipit abhorrere ab altero, ut serio dicat, se malle quidlibet pati, quam huic matrimonio jungi, abstinendum esse a coactione.

Sed nunquid hoc ipso, quod talis persona absolvatur ab excommunicatione, erit pariter absoluta ab onere sponso satisfaciendi, vel quidpiam compensandi?

23. R. Minime gentium; nam si pars innocens fuerit passa damnum v. g. quia vel fecit expensas intuitu sponsalium, vel quia alibi potuisset obtinere matrimonium favorabile &c. &c. tenebitur injuste resiliens jure naturali ad compensanda hujusmodi damna; tum quia hæc obligatio de jure naturæ consequitur ad injuriam damnosam, prout recte arguit Sanchez *de Matr. l.* 1. *disp.* 30. *n.* 15. & La Croix *l.* 6. *part.* 3. *n.* 220. tum etiam quia pœna excommunicationis ab Episcopo non fuit inflicta in ordine ad absolvendum ab illo onere, jure naturæ consequente obligationem sponsalium, sed potius in ordine ad compellendum ad satisfactionem debitam: ergo Episcopus non absolvit ab hoc onere, licet ad bonum animæ, & alia graviora mala ex coactis matrimoniis regulariter timenda, misericorditer absolvat a vinculo excommunicationis. Id, quod & praxis plurium Diœcesum Germaniæ probat ac confirmat; in quibus teste P. Gobat *Theolog. experim. tr.* 10. *n.* 179. vel ad 100. 200. aureos damnati, vel cum sponsa transigere quo ad rationabilem summam compulsi fuere sponsi frangentes fidem, tametsi sponsæ non adierint e fracta fide damnum ullum positivum, aut æquivalens illi Summæ.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus jam a longo tempore animadvertit amasiam suam (qua hactenus adinstar uxoris uti consueverat) portare uterum: cum vero noverit eandem ab alio quodam Corrivali adamari; hinc dubitare cœperat, an non ab eodem fuisset impregnata, propterea que jam a longo tempore fatales erga eundem fovit inimicitias in pectore, diu noctuque nescio quo zelotypiæ & rancoris stimulo exagitatus. Ut ergo ab hujusmodi vexa & stimulis se tandem liberaret, nuper liberiori potui (quo se magis audacem & animosum redderet) indulsit, & bene potatus amasiæ suæ sub specie amicitiæ medicatum poculum porrexit, & quidem fortissimum, eo fine, ut abortiretur: haud paulo post suum Corrivalem studio conquisitum, cæsim in capite læsit gravissime, ita, ut illico corruerit; qua de causa Cajus fuga sibi consulendum duxit. Cum vero sciat & procurationem abortus post fœtum animatum, & homicidium præmeditatum sub censura in illo loco esse prohibita; hinc conscientiæ stimulis jam agitatus, rem aperit Confessario, una simul referens, sibi certo equidem constare, quod & amasia & corrivalis ille ad mortem decubuerint, ignorare*

rare tamen; an vel abortus, vel mors cujuspiam inde jam fuerit effective secuta. Confessarius id inaudiens cœpit pariter dubitare, an Cajus Censuram incurrerit? nunquid bene?

24. R. Non immerito dubitat Confessarius. Ratio est: quia ex vulnere lethali, præsertim cæsim in capite, aut punctim in pectore, vel intestinis facto, communiter solet sequi mors: ex communiter autem contingentibus fit prudens præsumptio; ergo & Cajus prudenter potest ac debet præsumere, mortem fuisse secutam. Quia tamen ad incurrendam quamcunque censuram requiritur delictum opere consumatum, & in nostro casu nondum supponitur certo constare de consumatione delicti, homicidii scilicet vel abortus effective secuti; hinc Cajus nondum tenetur se habere ut excommunicatum: multo minus alii tenentur hunc evitare velut talem: tum quia nondum fuit denunciatus qua excommunicatus; tum etiam, quia fortassis vulnus lethale non fuit, aut, si tale fuit, vulneratus nondum obiit, neque abortus vel mors amasiæ secuta, consequenter & Cajus censuram non incidit; si enim mors quacunque de causa, etiam per miraculum non sequatur, vulnerans quantumvis lethaliter non incurrit hanc censuram; esto enim posuerint actionem de se occisivam, reipsa tamen non occidit. Videatur La Croix *l. 7. n.* 53. Filliuc *tr.* 11. *c.* 6. *n.* 174.

Dices fortassis. Cajus supponitur fuisse vix non plene ebrius, dum lethale vulnus inflixit, vel poculum medicatum porrexit amasiæ, in ordine ad abortum: ergo non peccavit mortaliter defectu sufficientis usus rationis, & per consequens neque incidit in excommunicationem, aut censuram.

25. R. *transf. ant. neg. conseq.* Nam tale homicidium (si supponatur effective consecutum) fuit Cajo plene voluntarium in causa; supponitur enim evidenter prævidisse hujus periculum, & hoc non obstante se ingurgitasse ad captandam majorem audaciam: neque vero necessum est, ut mors ipsa in se sit voluntaria; quia hæc solum in ordine ad incurrendam censuram requiritur per modum conditionis, sine qua non, quæ non requirit libertatem, inquit La Croix *c. n.* 55.

Sed quid (ais) si Cajus doleat, & confiteatur hoc suum peccatum prius, quam lethaliter vulneratus diem suum obeat, vel prius, quam abortus sequatur effective, poteritne absolvi a quolibet Confessario approbato; vel incidet postea subsequente morte in excommunicationis sententiam.

26. R. Minime dubitandum, quin Cajus vel talis pœnitens qualiscunque possit absolvi a quolibet. Ratio est: quia cum mors tali tempore nondum supponatur secuta; hinc etiam nondum incidit excommunicationem, uti bene notat Herincx. Quin immo juxta P. Castropalao, Wiggers, Krimer & alios apud La Croix *cit. n.* 54. probabile est, taliter absolutum pœnitentem postea non amplius incurrere excommunicationem, vel alias censuras, nisi pro foro externo tantum; quia hæ feruntur solum in contumaces: pœnitens autem non est contumax, ergo &c. Bosco tamen & alii oppositum censent probabilius, eo quod sufficiat contumacia in causa homicidii, seu vulneratione lethali data. Et certum omnino esse debet, quod talis incurrat irregularitatem; quia ad hanc incurrendam non requiritur contumacia; cum sit pœna pure vindicativa criminis præteriti, uti bene advertit Dicastillo *de Juram. d.* 2. *n.* 274. Bosco & alii communiter.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

27. COlliges ex hactenus dictis primo, nec irregularitatem, nec 2. cessationem a divinis, nec 3. depositionem aut degradationem, nec denique 4. peccatum mortale dici posse censuras. *Ita DD. communiter*. Ratio est, quia censura est pœna medicinalis: atqui irregularitas de se non est pœna, & licet illa, quæ ex delicto contrahitur, sit pœna, non tamen est medicinalis, sed vindicativa, atque ex se perpetua, nec tollitur per absolutionem, sicut censura, sed per dispensationem: similiter 2. depositio & degradatio non sunt pœnæ medicinales sed vindicativæ, perpetim inflictæ, etiam ob deli-

delictum mere præteritum. 3. Cessatio a divinis pariter non infligitur per modum pœnæ, sed potius ad contestandum luctum ob injuriam Ecclesiæ illatam. 4. denique peccatum mortale, esto hominem privet bonis spiritualibus, utputa gratia, meritis, charitate &c. nullo modo tamen est pœna ecclesiastica, sed culpa tantum peccatoris &c. ergo cum his non competat descriptio censuræ supra *n.* 1. explicata, nec dici debent species censuræ: Vide Bonacin. *de Censur. disp.* 1. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 3. Laymann *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 3. Filliuc. *tr.* 11. *c.* 1. *n.* 7. *&* 8.

28. Colliges secundo, Paganos, Judæos, & Catechumenos affici non posse censuris ecclesiasticis, bene vero 2. hæreticos, apostatas, & schismaticos. Ita Filliuc. *cit. n.* 129. Illsung *tr. n. disp. un. q.* 1. *a.* 1. *n.* 1. Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 1. *a.* 2. *n.* 7. Ratio est, quia priores utpote non baptizati nullo modo subsunt jurisdictioni Ecclesiæ, bene vero posteriores: ergo hi pœnis ecclesiasticis compesci quidem possunt, non vero illi.

29. Colliges tertio, neque excommunicationem, neque aliam quamcunque censuram incurri a fidelibus ob peccatum solo jure naturali aut divino prohibitum. Ita *omnes*. Ratio est: quia nemo incurrit censuram, nisi sit contumax Ecclesiæ: at Ecclesiæ contumax dici non potest, qui non agit contra legem vel mandatum Ecclesiæ, ergo &c. Secus dicendum, si Ecclesia quidpiam sub censura prohibeat, quod jam antecedenter erat prohibitum jure naturali aut divino, prout interdicit violentam injectionem manuum in Clericos, item nefandum abusum Sacramentorum Ecclesiæ ad artes magicas vel superstitiones &c. Videatur noster V. P. Holzmann *tom.* 1. *part.* 3. *tr.* 2. *n.* 113.

30. Colliges quarto, censuram proprie dictam nunquam esse infligendam ob peccatum mere præteritum, id est, tale, quod jam penitus cessavit, & nullam præsentem inobedientiam vel contumaciam habet adjunctam. Ratio est: quia censura proprie dicta est pœna medicinalis infligenda ad frangendam contumaciam delinquentis: atqui contumacia non respicit delictum mere præteritum, quippe quod non amplius stat in arbitrio delinquentis: immo potest esse, quod talis sit jam penitus compunctus ac pœnitens; ergo ob delictum mere præteritum nullus affici debet censura proprie dicta. Secus dicendum si quis suum delictum actu continuet, ut si nolit solvere decimas injuste subtractas, tametsi moraliter posset. Secus insuper dicendum de censura improprie dicta, prout jam supra *n.* 9. cum Bassæo & Reiffenstuel animadvertimus: de quo videri potest Abbas *in cap. Reprehensibilis n.* 3. *de Appellat.* & Laymann *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 3.

31. Colliges quinto, excusandos esse ab incursione censuræ illos, qui quidem sciverunt opus aliquod esse prohibitum a Deo, vel ab Ecclesia, ignorarunt tamen invincibiliter, aut saltem probabiliter, illud esse prohibitum sub aliqua censura vel excommunicatione. Ratio est: quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, consistens in virtuali quodam contemptu, quo quis renuit obedire Ecclesiæ sub tali pœna, seu censura quidpiam præcipienti aut prohibenti; sed, qui ignorat censuram, taliter contumax dici nequit: ergo &c. Et ex hoc fundamento Rustici, aliique homines simpliciores sæpissime excusari possunt; eo quod de hujusmodi excommunicationibus latis vix unquam aliquid audiant, nisi de excommunicatione lata in percussores Clericorum. Videatur Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 13. *dist.* 1. *n.* 30. *&* 31.

Sed quid (inquies) de illo tenendum, qui metu vere gravi adigitur ad prævaricandam legem Ecclesiæ v. g. ad non solvendas decimas? vel ad injiciendas violentas manus in Clericum? incurretne talis excommunicationem?

32. R. Quod non. Ita Filliucius *cit. n.* 269. Laymann *cit. c.* 5. *n.* 9. & alii *communiter*. Ratio est: quia leges ecclesiasticæ regulariter loquendo obligare non solent cum tanto rigore, scilicet periculo vitæ vel membrorum: Lex autem imponens censuram, est ecclesiastica: ergo &c. Hinc fit, ut tametsi talis excusari nequeat a culpa contra legem naturalem vel divinam, quippe quæ rigorosius humanis, etiam in casu gravis periculi

culi non cessant obligare, excusatur nihilominus a censura, quia non ita stricte obligant leges ecclesiasticæ. Excipiendus tamen est casus, quo metus incuteretur in contemptum Ecclesiæ aut Religionis; quia in hoc Ecclesia pergit prohibere tale factum: consequenter transgrediens peccat nedum contra legem naturalem aut divinam, sed & contra ecclesiasticam, ac per hoc nec evadit pœnam ab Ecclesia decisam. Ita cum Suarez Bonacin. Filliuc. *loc. cit.* La Croix *lib.* 7. *num.* 98.

33. Colliges sexto, summo Pontifici competere potestatem absolvendi quoslibet a quacunque demum censura, quia velut caput Ecclesiæ habet absolutam potestatem ligandi atque solvendi. Ab aliis vero censuris & casibus occultis, ad forum contentiosum nondum deductis, licet Summo Pontifici reservatis, per Concil. Trident *ss.* 24. *c.* 6. *de Reform.* conceditur Episcopis potestas absolvendi quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua, sed hoc pro foro interno tantum. Eadem facultas absolvendi a censuris & casibus Papæ reservatis quo ad personas non Regulares (exceptis tamen casibus Bullæ Cœnæ, & quidem solis extra Italiam) per speciale privilegium *Constitut.* Clementis VIII. die 9. Junii 1601. & Constit. Urbani VIII. 17. Novemb. 1628. fuit concessa Religiosis Mendicantibus. Immo in casu necessitatis, aut impedimenti perpetui adeundi Pontificem, in utroque foro eadem facultas fuit concessa tum Episcopis, tum etiam Religiosis mendicantibus, & aliis Confessariis: debet tamen pœnitens in tali casu vel jurato, vel saltem simpliciter promittere, quod cessante impedimento velit se sistere Superiori reservanti, non quidem in ordine ad obtinendam novam absolutionem, sed ad parendum & satisfaciendum: quod, si postea non præstiterit, reincidet in eandem censuram *per cap.* 13. & 58. *de sent. Excomm.* Idipsum tenendum quis ab alio inferiore in articulo mortis (ubi cessat omnis reservatio *per Trid. ss.* 14. *c.* 7. *de pœnit. Sacram.*) fuit absolutus. Videatur Pichler *in Compend. Jur. Can. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 6. Kazenberger *ubi supra c.* 3. *num.* 60.

Ast debetne (inquies) talis absolutio semper dari in actu Confessionis Sacramentalis, & quidem actu præsenti & pœnitenti?

34. R. Absolutio a censuris ab habente potestatem ordinariam potest dari etiam extra Confessionem Sacramentalem, immo & absenti ac invito. Ita Reiffenstuel ubi supra *n.* 43. Babenstuber *cit. a.* 4. *n.* 9. *fin.* Quia non est major ratio, cur quis absens & invitus possit censura puniri, & non etiam absolvi. Dixi tamen: *ab habente potestatem ordinariam;* enimvero habens potestatem delegatam duntaxat absolvendi a censuris, debet absolvere juxta tenorem suæ delegationis, ejusque formam exacte servare, prout cum P. Sannig & aliis observat Reiffenstuel l. cit.

CONFERENTIA SECUNDA.

De Excommunicatione majore in specie.

SUMMARIUM.

35. *Inter fideles datur triplex communicatio.*
36. *Excommunicatio est censura Ecclesiastica qua privatur homo christianus communione ecclesiastica fidelium.*
37. *Alia dicitur* major, *alia* minor.
38. *Nomine excommunicationis simpliciter prolatæ intelligi debet excommunicatio major, & quare?*
39. *Rursus inter excommunicatos alii dicuntur* tolerati, *alii* non tolerati, *seu vitandi.*
40. *Excommunicationis majoris effectus communiter recensentur novem: ab aliis adhuc plures.*
41. *Excommunicatio major privat usu passivo Sacramentorum.*
42. *An etiam usu Sacramenti pœnitentiæ.*
43. *Privat insuper Sacerdotem usu activo; & quomodo?*
44. *Privat communibus Ecclesiæ suffragiis.*
45. *Item usu divinorum Officiorum.*
46. *Nec non ecclesiastica Sepultura.*
47. *An etiam tolerati hac sint privandi.*

48. *Excommunicatus fit inhabilis ad beneficia ecclesiastica.*
49. *Privatur insuper jurisdictione ecclesiastica, si sit* non toleratus.
50. *Quomodo excommunicatus privetur communicatione forensi.*
51. *Nec non communicatione politica seu civili.*
52. *Recensentur causæ, ob quas fidelibus licet communicare cum excommunicato.*
53. *Resolvitur Casus I. de quodam Clerico, multum anxio ex eo, quod in statu excommunicationis debuerit administrare Sacramenta.*
54. *An propterea incurrerrit irregularitatem.*
55. *Quid si excommunicatus non toleratus præsumat administrare Sacramenta.*
56. *Resolvitur Casus II. de quodam Perillustri, qui excommunicationis sententiæ subjectus præsumpsit solemniter comparere in Ecclesia;*
57. *Hinc D. Parochus bene fecit, eundem ante inchoatum Sacrum perhumaniter admonendo, quatenus vellet inde recedere.*
58. *Et quid agendum, si talis nec velit recedere, neque posset mortaliter expelli.*
59. *Resolvitur Casus III. de quodam Acatholico, qui in sua secta pertinax decessit.*
60. *An D. Parochus ad instantiam amicorum eum more Catholico inter alios fideles licite sepeliisset.*
61. *An D. Parochus potuerit saltem permittere, ut durante conductu funebri pulsarentur campanæ in Ecclesia Catholica.*
62. *Excommunitatio velut odiosa, & gravissima pœna ecclesiastica, debet stricte interpretari, quantum moraliter fieri potest.*
63. *Excommunicatus etiam toleratus graviter peccat proprio motu, sese ingerendo ad Sacramenta in tali statu sine necessitate administranda.*
64. *Vel si præsumat cum aliis audire Sacrum &c.*
65. *Tenetur nihilominus ad horas Canonicas privatim dicendas.*
66. *Sepelientes excommunicatum non toleratum nec absolutum in loco sacro, per se loquendo peccant mortaliter.*
67. *Secus dicendum foret, si ob edita in fine vitæ signa pœnitentiæ prius fuisset absolutus.*
68. *Qui taliter excommunicatum præsumunt more Ecclesiæ sepelire, incurrunt excommunicationem ipso facto.*
69. *Excommunicatus non toleratus est inhabilis ad ferendam censuram, ad absolvendum ab ea &c.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Excommunicatione majore.

QUæres primo, quid sit Excommunicatio?

35. Ante responsionem breviter notandum, nomine excommunicationis intelligi quamdam separationem seu sequestrationem a Communione, fidelium scilicet, prout ipsum vocabulum innuit. Triplex autem datur communicatio inter fideles, prout notat S. Bonaventura 4. *dist.* 18. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *n.* 2. videlicet 1. pure interna, 2. pure externa, & 3. media, seu mixta. Pure interna consistit in fide & charitate, per quam fideles & inter se, & cum Christo mystice copulantur; ratione hujus unus fidelis potest alteri a DEO impetrare specialia beneficia, eidemque, si fit capax, proprias satisfactiones applicare. Pure externa communicatio consistit in societate politica, utputa convictu, alloquio, commerciis. Mixta vero seu media dicitur, quæ in exterioribus actionibus seu ceremoniis ecclesiasticis consistens, interiorem ac spiritualem fructum ex propria institutione continet; quo spectat usus tam activus, quam passivus Sacramentorum, item 2. communia Ecclesiæ suffragia, quæ in Sacrificio Missæ, aliisque Officiis publicis, puta Psalmodia, Comprecationibus pro universa Ecclesia ad Deum funduntur, nec non 3. merita seu satisfactiones Christi ac Sanctorum, quæ ex communi thesauro Ecclesiæ per Indulgentias fidelibus applicantur. Hoc notato

36. R. Jam ad Quæstionem. Excommunicatio ut sic, seu in communi recte describitur, quod sit Censura ecclesiastica, qua homo Christianus communione ecclesiastica fidelium privatur. Ita *in*

re DD. *communiter*. Dicitur autem *Censura ecclesiastica*, loco generis. Per reliquas particulas differt ab aliis; nam suspensio solum privat ecclesiastico ministerio; Interdictum vero rebus vel officiis divinis; e contra excommunicatio privat hominem Christianum Communione, & quidem ecclesiastica, id est, illa, quæ dependet ex voluntate & potestate Ecclesiæ, scilicet externa, & mixta, non item pure interna.

Quæres jam secundo, quotuplex sit Excommunicatio?

37. R. Excommunicatio ut sic communissime dividitur in majorem & minorem. Et ratio est: quia homo Christianus vel potest simpliciter privari a communione ecclesiastica, vel aliqua tantum: si primum, dicitur excommunicatio major: si secundum, dicitur excommunicatio minor, quæ solum privat usu passivo, id est, participatione Sacramentorum, prout amplius patebit ex dicendis. Solet insuper Ecclesia non raro excommunicando usurpare nomen *anathema*, prout patet ex Canonibus Concilii Tridentini: per hoc tamen nil intelligitur, nisi excommunicatio major, solumque significatur major solennitas in ferendo excommunicationem, prout præscribitur *Can. debent*, 106. *Cauf. XI. quæst.* 3. & Doctores *communiter* advertunt, signanter Kazenberger *in Supplem. decal.* P. Sporer *c.* 3. *n.* 65. *fin.*

38. Quocirca adhuc venit animadvertendum 1. quod, ubi Ecclesia in aliquem fert sententiam excommunicationis, semper intelligi debeat excommunicatio major, quippe quæ simpliciter dici meretur excommunicatio: idque expresse declaratum existit *per cap. si quem* 59. *de sent. Excomm.* & confirmat praxis Ecclesiæ.

Neque dicas, in pœnalibus & odiosis benigniora esse sequenda, & hoc ipso nomine excommunicationis simpliciter prolatæ non majorem, sed minorem intelligendam esse; Respondetur enim, hoc axioma verum esse tunc solum, quando Leges & Canones oppositum non declarant, prout fit in præsenti *can. cit.*

39. Animadvertendum est secundo, inter excommunicatos excommunicatione majore alios dici toleratos, quos ceteri fideles non tenentur vitare, alios vero non toleratos, seu vitandos, quos scilicet reliqui fideles tenentur vitare ita, ut si secus fecerint sine justa & legitima causa (de quibus paulo inferius *n.* 52.) & ipsi incurrant excommunicationem minorem. Et quidem jure antiquo omnes excommunicati erant vitandi, eo tamen discrimine, ut qui publice erant excommunicati, debuerint vitari publice, qui vero privatim excommunicati fuerant, debebant vitari ab iis duntaxat, quibus privatim constitit de tali excommunicatione. Jam vero jure novo post Concilium Constantiense (quod fuit celebratum Anno 1414.) ex moderatione Martini V. *Ad evitanda scandala*, duo tantum dantur genera excommunicatorum, qui vitandi, adeoque non tolerati sunt, scilicet 1. nominatim excommunicati ac denunciati, & 2. notorii percussores Clericorum. Reliqui omnes excommunicati habentur modo pro toleratis in tantum, ut vi censuræ nemo teneatur eos vitare, bene vero subin ex alio capite v. g. ob periculum subversionis, vel scandali &c. Ita *communiter Doctores*. Palao *tr.* 29. *disp.* 2. *pu.* 4. *num.* 5.

Quæres jam tertio, quinam sint effectus excommunicationis majoris?

40. R. Effectus excommunicationis majoris a Doctoribus communiter enumerantur novem sequentes. 1. Privatio usus passivi Sacramentorum. 2. Privatio usus activi eorundem. 3. Privatio communium suffragiorum Ecclesiæ. 4. Privatio usus divinorum Officiorum, & 5. Sepulturæ ecclesiasticæ. 6. Inhabilitas ad beneficia ecclesiastica. 7. Privatio jurisdictionis ecclesiasticæ. 8. Privatio communicationis forensis. 9. Privatio communicationis civilis, sive politicæ. Sed quia hæc indigent majori declaratione, hinc non immerito

Quæres quarto, quomodo excommunicatio major privet usu passivo, & quomodo usu activo Sacramentorum?

41. R. 1. Usu passivo privat in tantum, ut omnis excommunicatus sive toleratus sit, sive non toleratus, recipiendo Sacramentum quodcunque, peccet mortaliter, utpote in re gravissima agens contra prohibitionem Ecclesiæ *cap. cum* illo-

illorum. C. si quem de sent. Excomm. nisi eum excuset vel ignorantia invincibilis, vel metus mortis, gravis infamiæ, jacturæve bonorum; quibus de causis excusari posset a peccato mortali; eo quod Ecclesia velut pia Mater cum tanto rigore nolit obligare ad observantiam Censuræ. Ita Laymann *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 1.* Khamm *de censuris in genere n. 41.* Holzmann *part. 3. decalog. tr. 2. n. 164.*

Sed nunquid saltem valide reciperet Sacramenta?

42. R. Valide quidem quo ad substantiam; quia valor Sacramentorum dependet ex institutione Christi, nec potest impediri per jus vel censuram ecclesiasticam. Infructuose tamen talis susciperet Sacramenta; quia constitutus in statu disgratiæ poneret obicem gratiæ: ob hanc causam invalide omnino reciperet Sacramentum pœnitentiæ, si sine necessitate, & conscius excommunicationis tentaret illud recipere, velut indispositus. Secus dicendum, si necessitate gravi compulsus illud susciperet vere contritus, vel si cum inculpabili ignorantia juris aut facti, bona fide, cum vero dolore supernaturali ac proposito emendandi &c. sua peccata confiteretur; quia ex parte pœnitentis concurrunt omnia ad substantiam pœnitentiæ Sacramenti necessaria, & licet vi censuræ prohibeatur recipere Sacramenta, prius, quam absolvatur; non tamen propterea fit absolute incapax &c. & similiter ex parte Confessarii; quia hic habet potestatem jurisdictionis; esto enim excommunicatus Jure Canonico *remotus* a participatione Sacramentorum, id est, prohibitus, talis tamen prohibitio non obligat in casu necessitatis, nec subtrahit Confessario, utpote innocenti, jurisdictionem: ergo concludendum, talem absolutionem Sacramentalem valere, utpote procedentem a legitimo Ministro in pœnitentem rite dispositum. Ita Mastrius, Palao *cit. p. 7. num. 4.* Filliucius *tr. 12. num. 59.*

43. R. Jam ad alteram partem quæsiti. Excommunicatio major privat insuper Sacerdotem excommunicatum usu activo, id est, potestate administrandi Sacramenta, ita scilicet, ut si extra casum necessitatis aut ignorantiæ inculpabilis aliquod administret, peccet mortaliter, utpote agens in materia gravi contra præceptum Ecclesiæ, *cap. si celebrat. de Cleric. excomm. minist.* Nihilominus Sacramenta a tali excommunicato etiam vitando administrata valida sunt; quia omnia ad valorem requisita concurrunt, ut supponitur, vel certe possunt concurrere, excepto duntaxat unico Sacramento pœnitentiæ, quod extra casum extremæ necessitatis invalide administraret, utpote privatus ac destitutus potestate jurisdictionis, essentialiter requisitæ ad valorem hujus Sacramenti: in casu tamen extremæ necessitatis seu articulo mortis (nisi alius Sacerdos approbatus, seu jurisdictione præditus adesset) valide absolveret excommunicatus; quia Ecclesia ceu pia Mater ob evitanda animarum pericula vult supplere jurisdictionem: sicut & in casu, quo talis ex errore communi cum titulo colorato crederetur legitime approbatus, ac jurisdictione præditus. Ita communis ac certa sententia, quam tenent Bonacina, Laymann, Salmanticenses, Babenstuber *tr. 4. disp. 2. a. 1. n. 21. & 25.* Palao *cit. disp. 2. pu. 8. n. 2.* & habetur in Concilio Trid. *ss. 14. c. 7. de Sacram. pœnit.*

Quæres quinto, quomodo Excommunicatio privet communibus Ecclesiæ suffragiis, usu divinorum officiorum, & sepultura ecclesiastica?

44. R. Ad primum membrum hujus quæsiti. Vi excommunicationis excommunicati (saltem non tolerati) privantur ita, ut orationes, quæ nomine Ecclesiæ totius fiunt, talibus non prosint, neque nomine Ecclesiæ pro ipsis liceat offerre SS. Missæ Sacrificium, neque Indulgentias, utpote provenientes ex communi thesauro Ecclesiæ, neque denique alias orationes publicas, quæ a Ministris nomine Ecclesiæ fiunt, liceat offerre. Hinc Sacerdos publice pro iisdem orando, & offerendo hujusmodi suffragia Ecclesiæ, peccaret graviter, utpote in re gravi contraveniendo mandato Ecclesiæ; non tamen peccaret, si tanquam persona privata oraret, etiam in publicis comprecationibus, vel in SS. Missæ Sacrificio faceret *Memento*, vel si ad impetrandum iisdem lumen veræ fidei jejunaret &c. &c. quia hæc non faceret nomine

mine totius Ecclesiæ, sed solum ut persona privata. Marchant. *Trib. tom.* 3. *tr.* 4. *tit.* 1. *sect.* 1. *q.* 11. *concl.* 2. Azor. *instit. mor. l.* 10. *c.* 22. Licitum est insuper orare pro hæreticis ac schismaticis, ut convertantur, & resipiscant; unde ad imitandum exemplum Christi, qui morituriens etiam pro suis inimicis ac crucifixoribus orabat, Ecclesia in die S. Parasceves publice ac solenniter orare solet pro hæreticis schismaticis, immo & pro Judæis ac paganis &c.

45. R. Ad alterum membrum hujus quæsiti: Excommunicatus non toleratus privatur usu divinorum officiorum, ita, ut non solum destituatur eorum fructu, sed insuper mortaliter peccet, si præsumat iisdem (excepta concione) in parte notabili interesse, nisi excuset ignorantia, aut necessitas vitandi scandali, aliave justa causa: nomine autem divinorum officiorum intelligitur non solum Missa, sed etiam cantus horarum Canonicarum, publica oratio, processio, benedictio olei, aquæ benedictæ, candelarum &c. & cetera ordini Clericali annexa. Ita Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 13. *dist.* 2. *nu.* 29. nihilominus excommunicatus etiam non toleratus permittitur audire conciones, ut hinc magis ac citius ad pœnitentiam excitetur. *C. Responso de sent. excomm.*

46. R. Jam ad tertium membrum ejusdem quæsiti: Excommunicatus non toleratus privatur sepultura ecclesiastica ita, ut hujusmodi cadaver nequaquam liceat sepelire in loco sacro, seu destinato sepulturæ fidelium. Ita legitur statutum *C. sacris de sepulturis*: ubi etiam præcipitur, ut hujusmodi ossa exhumentur & removeantur a reliquis ossibus fidelium defunctorum, si adhuc ab illis discerni valeant: secus, si non amplius possint discerni: neque in tali loco, utpote polluto, possunt celebrari divina, priusquam fuerit reconciliatus *cap. Consuluisti de Consecr. Eccl. vel Altar.*

Sed quid judicii formandum (inquies) de excommunicatis toleratis: licetne hos saltem honorare sepultura ecclesiastica?

47. R. Si tales decesserunt impœnitentes, non sunt honorandi sepultura sacra; quia cum præsumantur decessisse in statu peccati mortalis, & per consequens incurrisse æternam damnationem, eo ipso præsumi debet, eos nec esse capaces suffragiorum Ecclesiæ, propter quorum participationem fideles in loco sacro solent humari. At vero II. si tales ante mortem signa contritionis ac pœnitentiæ dederint, multi Doctores (inter quos Laymann, Filliucius, Navarrus, Illsung &c.) existimant, eos posse sepeliri in loco sacro; quia fidelibus licuit cum talibus communicare in vivis, juxta Concil. Costantiense: quid ni ergo & post mortem? suadent tamen etiam hi Doctores, ut taliter defunctus absolvatur prius, quam sepeliatur. Econtra Engel *tit: de sepultur. nu.* 19. Reiffenstuel *l. cit. n.* 26. & alii probabilius putant, eum, de quo constitit, fuisse excommunicatum, necessario prius esse absolvendum (verberando nonnihil cadaver, juxta ritum in Rituali Romano præscriptum) priusquam sepeliatur in loco sacro. Ratio est: quia facultas communicandi cum excommunicatis, a Concilio Costantiensi fuit solum data in favorem fidelium, non item in favorem excommunicatorum: quin potius in fine *cit. Can. ad evitanda &c.* Martinus V. expresse protestatur, quod *per hoc non intendat excommunicatos in aliquo relev..re, nec eis quomodolibet suffragari*; ergo sicut prius *per cap. a Nobis de sent. excomm.* fuere privati sepultura ecclesiastica, ita & post Concilium manent privati, donec absolvantur, esto etiam contriti discesserint. Utraque sententia est vere probabilis, & quia prior deservit fidelibus ad eximendos scrupulos, hinc & illam referendam censui.

Si quis tamen occulte duntaxat fuisset excommunicatus, non debet ei negari sepultura ecclesiastica; quia ob delictum mere occultum nemo debet publice diffamari: diffamaretur autem, si publice privaretur sepultura ecclesiastica: ergo &c.

Quæres sexto, quomodo ergo excommunicatus fiat inhabilis ad beneficia, & privetur usu jurisdictionis?

48. R. Ad primum membrum hujus quæsiti. Fit inhabilis ita, ut tam præsentatio vel electio, quam etiam institutio vel confirmatio nulla fit, sive dein excommunicatus supponatur toleratus, sive

non toleratus. Ratio est: quia excommunicatus etiam toleratus nequit communicare cum aliis fidelibus in Officio, ergo etiam inhabilis est ad beneficium, quippe quod non datur, nisi propter Officium: id, quod etiam decisum legitur *cap. postulasti de Cleric. excomm. vel deposito*. Idque verum manet, tametsi talis Clericus invincibiliter ignorasset, se incidisse in excommunicationem majorem; etsi enim talis ignorantia excuset a culpa, vel aliis pœnis jure latis contra excommunicatos, non potest tamen quempiam habilitare, neque supplere defectum conditionis requisitæ ad valorem actus, juxta communem DD. apud Covarruvias *in c. Alma Mater part.* 1. *§.* 7. *num.* 3. Lessium *lib.* 2. *c.* 34. *n.* 117. Immo Suarez & alii probabiliter existimant, illum etiam, qui post obtentum legitime beneficium incidit in excommunicationem majorem, non facere fructus suos (esto beneficio non privetur) ideoque teneri in conscientia ante omnem Judicis sententiam hos restituere, eo quod fructus non dentur, nisi propter Officium: Sanchez econtra existimat, talem non teneri ante sententiam ad restitutionem fructuum, modo per se, vel per alium fungatur officio, seu inserviat beneficio, prout colligitur *ex cap. Pastoralis de Appellat.* ubi dicitur: & illi proventus ecclesiastici merito subtrahuntur; intellige per actionem Judicis, ait Herincx. Vid. Busenbaum apud La Croix *l.* 7. *n.* 196. *V.* Herincx *disp.* 6. *de censur. n.* 40.

49. R. Jam ad alteram partem hujus quæsiti. Excommunicatus non toleratus privatur usu jurisdictionis Ecclesiasticæ, ita, ut omnia ipsius acta sint invalida, econtra 2. excommunicatus toleratus valide exercet actus jurisdictionis, quamdiu contra ipsum non sit exceptio. Ita quo ad utramque partem certa & communis sententia DD. cui subscribunt Navarrus, Sayrus, Pirhing &c. Ratio prioris constare debet *ex can.* 4. *Caus.* 24. *q.* 1. *&* *cap.* 24. *de sent & re judicata*, in quibus taliter excommunicati privantur usu jurisdictionis ecclesiasticæ seu spiritualis: atqui privatus usu jurisdictionis invalide exercet actum jurisdictionis: ergo. Ratio posterioris est: quia post Concilium Constantiense Ecclesia voluit hujusmodi excommunicatos tolerare in commodum ac favorem fidelium, ad tollendos scrupulos, & alia innumera incommoda: at, nisi acta taliter excommunicati valerent, minime tollerentur incommoda aut scrupuli: ergo censetur voluisse iisdem permittere hujusmodi actus in tantum, ut valide ab iis exerceantur. Videatur Palao *tract.* 29. *disp.* 2. *punct.* 13. *n.* 3. Dixi: *ut valide*; nam per se loquendo adhuc illicite agunt; quia cuivis excommunicato, sive toleratus sit, sive non toleratus, est prohibita excommunicatio cum aliis fidelibus: si tamen a fidelibus tales requirantur, non peccant; quemadmodum enim fidelibus licitum est ab iis petere, ut suo fungantur officio; ita debuit permitti, ut in tali casu licite fungerentur, ait noster Holzmann *num.* 190. Dixi insuper *quamdiu contra ipsum non sit exceptio*: si enim pars adversa contra talem qua excommunicatum excipiat, nil amplius efficaciter agere poterit. Excipiens tamen tenetur intra octiduum speciem excommunicationis, & Auctorem hujus, seu nomen Excommunicatoris apertissimis documentis probare; quod, si non probaverit, Judex tenetur in causa procedere, prout statuitur *cap. Pia de exception. in sexto*.

Quæres septimo, quomodo excommunicatus privetur communicatione forensi, & civili communicatione fidelium?

50. R. Excommunicatus privatur communicatione forensi, id est, actionibus ad forum judiciale pertinentibus in tantum, ut non possit agere Judicem, Advocatum, Tabellionem, vel actorem aut testem &c. etiam in causis civilibus. Ita *ex communi DD.* Babenstuber *tract.* 4. *d.* 2. *a.* 1. *num.* 35.

Ratio est: quia excommunicato prohibita est omnis humana communicatio: ergo & hæc velut præcipua humanarum. Nihilominus excommunicatus toleratus quamdiu contra eum non excipitur, valide hujusmodi officia exercere, ob rationem numero mox præcedente datam. Et licet Judex teneatur excommunicatos non toleratos repellere

ab

ab agendo, patrocinando, & testificando, ne & ipse atque alii talibus illicite communicet, *C. decernimus de sent. excomm. in 6.* non tamen tenetur repellere excommunicatum toleratum (etsi possit, si excommunicatio sit notoria) donec pars adversa contra talem excipiat. His non obstantibus tam toleratus quam non toleratus excommunicatus possunt in judicio conveniri, ibique accusari & citari, ne in præjudicium aliorum ex sua malitia reportent commodum, ut habetur *C. intelleximus de Judiciis.* Videatur Reiffenstuel *Theolog. mor. tract.* 13. *dist.* 2. *num.* 31. & 32. Herincx *ubi supra num.* 42. & 43.

51. R. Ad alteram partem quæsiti: Omnis excommunicatus excommunicatione majore etiam toleratus privatus existit jure ecclesiastico omni communicatione politica seu civili fidelium. Ita habetur decisum *C. si quem de sent. excomm.* & *c. Nup. eodem tit.* Ratio hujus desumenda est ex ipsa natura hujus censuræ; quia secundum dicta excommunicari idem sonat, ac separari, seu excludi a communione fidelium, id est, baptizatorum. Hinc Callistus Papa *Can. Excommunicatos XI. q. 3.* præcipit, *ne quis excommunicatos suscipiat, aut cum iis in oratione cibo, potu, aut osculo communicet, nec ave eis dicat.* Unde ortum ducit communissimns ille versus, comprehendens actiones, in quibus Excommunicatis non licet communicare cum fidelibus.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur: quocirca breviter notandum

I. Per to *os* prohiberi omnia oscula, quæ olim amicitiæ causa dabantur, item omnia colloquia, etiam per litteras aut internuntium, amicitiæ causa facienda. II. Per ly *Orare* prohibetur iisdem communicatio in Sacris, uti jam insinuatum ac declaratum fuit, præsertim *numer.* 44. III. Per to *Vale* interdicitur omnis salutatio honorifica, etiam gestu facta: nonulli tamen Doctores putant licitum esse fidelibus eosdem resalutare, vel gratias referre, eo quod hoc sit quædam debiti solutio, etiam inimicis non deneganda, e contra Bonacina & alii existimant, ne hoc quidem licere; quia illicite quempiam salutans non habet jus, ut resalutetur. IV. Per ly *Communio* prohibetur omnis contractus, cohabitatio, societas, tam in judicio, quam extra, per donationem, testamentum, electionem, collationem beneficii &c. velut ex hactenus dictis jam constat. V. denique per to *Mensa* intelligi debet omnis convictus seu sumptio cibi ac potus per modum societatis. Tametsi autem pœna excommunicationis præcipue ac primario tangat solos excommunicatos, indirecte tamen talis communicatio etiam censeri debet interdicta aliis fidelibus, idque propterea, ut excommunicati tali pœna exterriti citius ad cor redeant, & resipiscant. Notat tamen Laymann & alii, non esse fidelibus scrupulizandum, si casu incidant in hospitium, domum, vel balneum, ubi talis excommunicatus moratur, possuntque sæpe sæpius a peccato gravi excusari fideles ob parvitatem materiæ, præsertim in actionibus civilibus, quæ non multum repugnant fini hujus præcepti. Ita Coninck, eumque secutus Herincx *num.* 23.

Quæres octavo, an ergo nunquam prorsus, vel in quibus casibus liceat fidelibus communicare cum excommunicato?

52. R. Dantur nonnullæ causæ, ob quas sine omni peccato permittitur fidelibus communicatio cum excommunicatis etiam non toleratis; quæ omnes comprehenduntur sequenti versiculo:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse. Ita *communissime Doctores* ex variis Juribus. Explico brevissime singula. I. Per ly *utile* intelligitur notabilis utilitas corporalis aut spiritualis, sive se hæc teneat ex parte fidelis, sive ex parte excommunicati; hinc licet talem excommunicatum vel per epistolam, vel oretenus exhortari ut resipiscat, dictare saniora consilia, sive etiam ab eo petere, nisi forsitan habere possit alius non excommunicatus, qui æque bene consulere, aut juvare possit: Licet insuper ab eo repetere debitum, tam in quam extra judicium. II. Per to *lex* intelligitur matrimonii vinculum, vi cujus conjugi licet ab altero, quantum excommunicato, petere, ac eidem reddere debitum (nisi fuerit excommunicatus ob tale crimen, vi cujus divortium conceditur.) Licet insuper talibus conjugibus in omnibus

aliis

aliis rebus, utputa mensa, gubernatione domus ac familiæ ad invicem communicare, non obstante excommunicatione alterius. III. Per ly *humile* intelligitur subjectio: vi cujus licet filiis communicare cum parentibus, famulis, aut famulabus cum heris, militibus cum Ducibus suis, Religioso cum suo Prælato, Clerico cum Episcopo &c. IV. Per to *res ignorata* innuitur, quod is, qui ignorat alterum esse excommunicatum, conversando cum illo non peccet, idque verum est, tametsi ignorantia supponatur crassa & vincibilis, modo non sit affectata. Immo nullus omnino tenetur abstinere ab alio, quamdiu mortaliter certo non constat, illum fuisse excommunicatum. V. Per ly *necesse* intelligitur quæcunque, vel extrema, vel gravis necessitas, sive spiritualis, sive corporalis, sive hæc se teneat ex parte excommunicati non tolerati, sive ex parte alterius fidelis non excommunicati. Hinc excommunicatus in tali casu necessitatis potest excipi hospitio, potest ei dari eleemosyna, medicina &c. potest cum eo communicari, ne diffametur coram aliis ignorantibus excommunicationem illius &c. Ex his causis a fortiori fas est communicare cum excommunicato tolerato in quibuscunque licitis, etiam sacris, & certe si notabilis utilitas secundum dicta præbeat justam causam communicandi cum talibus, a fortiori eandem tribuet necessitas. Ita Coninck *disp.* 14. *n.* 132. Herincx *loc. cit. n.* 24. Videatur de his Palao *tr.* 29. *disp.* 2. *pu.* 19. *per totum*.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Excommunicatione majore.

CASUS PRIMUS.

TItius *Clericus curatus seu Pastor incidit in excommunicationem, an ob crimen simoniæ vel sacrilegæ solicitationis, vel denique ob procuratum abortum, nescio: pœnitens sui criminis factus, cupiebat sacramentali Confessione illud expiare, sed quia copiam Confessarii non habuit, nec de facili impetrare potuit, aliunde vero ad administranda Sacramenta tum puerperæ, tum etiam proli genitæ, vocatus fuit; hinc totus quatenus perplexus resolvit se, quod in his circumstantiis ad tuendum honorem ac famam propriam velit facere, quantum posset. Venit ex post facto ad quemdam Confessarium privilegiatum, reique serie enarrata sciscitabatur* 1. *quid tenendum de valore Sacramenti penitentiæ a se administrati?* 2. *an non inciderit in novam excommunicationem vel irregularitatem eo, quod in tali statu presumpserit adminastrare Sacramenta?*

53. R. Ad primum, nullatenus ambigendum de valore Sacramentorum, etiam absolutionis sacramentalis: esto enim Titius inciderit excommunicationem, fuit tamen toleratus; non enim erat (ut supponitnr) nominatim denunciatus, neque notorius percussor Clerici; atqui excommunicatus toleratus ad requisitionem fidelium licite & valide administrat Sacramenta? quia secundum dicta *n.* 49. non privatur jurisdictione: ergo quemadmodum prius, ita & post excommunicationem hanc poterat valide, immo & licite hæc Sacramenta administrare; tum quia fuit requisitus a fidelibus, nemine contra excipiente, aut excommunicationem, utpote mere occultam, opponente; tum etiam quia talem administrationem requisiverat tam salus proximi, quam proprii honoris ac famæ defensio, & exclusio scandali ex opposito timendi. Ne tamen indigne vel in statu peccati mortalis illa administraret, debuit prius per contritionem perfectam, vel actum amoris Dei super omnia se ponere in statum gratiæ, ut bene notat La Croix *l.* 7. *num.* 203. referens pro eadem opinione Lohnerum & Barbosam.

54 R. Ad alterum quæsitum, Titium nullatenus incurrisse irregularitatem. Ratio est; quia hæc irregularitas incurritur ex delicto violatæ censuræ, prout colligitur *ex cap. Apostolicæ, de Cleric. excomm. minstr.* & tenent communiter Doctores, Suarez *de censur. disp.* 11. *sect.* 3. *n.* 5. Ugolinus, Navarrus, Palao *c.p.*8.*n.*9. atqui Titius noster administrando Sacramenta in relatis proxime circumstantiis nullum commisit delictum, ut jam probavimus: ergo

ergo non est, cur sibi de hac irregularitate timeat.

Sed quid, inquies, si Titius fuisset excommunicatus non toleratus, utpote nominatim denuntiatus ob qualecunque demum delictum, potuissetne nihilominus absque nota irregularitatis ministrare præfata Sacramenta, pœnitentiæ scilicet Eucharistiæ, & baptismi, aut debuisset potius suam jurisdictionem alteri cuidam Sacerdoti delegare, præsertim si Parochiani postulassent ab eo administrationem Sacramentorum?

55. R. ad quæsitum breviter 1. casu quo nullus alius adfuisset Sacerdos, qui potuisset illa Sacramenta administrare, licuisset Titio administrare Sacramentum pœnitentiæ, & probabiliter etiam Eucharistiæ, idque sine nota irregularitatis incurrendæ. At vero 2. si supponatur adfuisse alius Sacerdos (de quo vix dubitandum) quando enim Pastor ab Episcopo publice excommunicatur, vel ut talis nominatim denuntiatur, tunc incumbit Episcopo de alio Pastore fidelibus ad interim saltem providere) tunc Titius sine peccato mortali, & nota irregularitatis incurrendæ, non potuisset administrare Sacramentum pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, neque potuisset alteri suam delegare jurisdictionem, neque licuisset Parochianis ab eodem petere administrationem Sacramentorum. Ratio horum peti debet ex dictis *n.* 43. quia in casu extremæ necessitatis, & defectu alterius Sacerdotis approbati, Ecclesia cuivis Sacerdoti quantumvis excommunicato concedit facultatem administrandi Sacramenta necessaria, ne quis horum defectu in æternum pereat: ergo ex hac suppositione licite, & hoc ipso sine nota irregularitatis, administraret Sacramentum pœnitentiæ, & probabiliter etiam Eucharistiæ; non ita baptismi; cum hic potuerit facile administrari ab alio laico, etiam fœmina perita. At vero si supponatur adfuisse alius Sacerdos, tunc nec Parochiani potuissent ab hoc licite postulare, neque Titius licite aut valide administrare Sacramentum pœnitentiæ, neque alteri cuipiam suam delegare jurisdictionem, cum vi excommunicationis fuerit omnino privatus velut non toleratus, neque amplius tolerandus inter fideles; quibus proin non nisi pro casu extremæ necessitatis permittitur administratio Sacramentorum: at vero hic nulla prorsus fuit necessitas, eo ipso, quod supponatur adfuisse alius Sacerdos, qui hæc potuit administrare: ergo nec licite administrare potuit, neque a fidelibus ad hoc requiri, saltem per se loquendo, licet ignorantia fortassis potuisset quempiam excusare. Videatur Coninck *disp.* 14. *dubit.* 5. *fin.* Palao *cit. p.* 8. *num.* 4.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius illustrissimo stemmate natus, ob violatam immunitatem ecclesiasticam, & pertinaciam in reparandis Ecclesiæ juribus ostensam, auctoritate legitima fuit excommunicatus, diplomate per certum Commissarium Episcopalem e Cathedra Ecclesiæ parochialis loci promulgato, & solenniter affixo ad valvas Ecclesiæ. Sempronius id indigne ferens, & ne hilo quidem melior, sed potius obstinatior factus, proximo die festo aut Dominica dum plebs erat solenniter congregata, & Pastor e suggestu peroraverat, cum multo comitatu ingressus fuit ecclesiam, suumque illico occupavit locum seu stallum. Pastor id animadvertens rem totam durante concione dissimulavit: peracta tamen concione eundem anathematis perhumaniter admonens, rogavit, vellet inde discedere, ne reliqui vel scandalizarentur, vel a divinis impedirentur: e contra Sempronius obtestabatur, se nunquam facturum, quin potius minitabatur Pastori, se, ni sponte ac libere vellet ad aram litare per suos eum ad hoc compulsurum. Quæritur jam, quid in his circumstantiis Parocho seu Pastori fuerit agendum?

56. R. Ad hanc speciem facti 1. D. Parochum prudentissime fecisse, dissimulando rem totam, durante concione; quia etiam excommunicatis non toleratis fas est interesse concioni, eo fine, ut convertantur & resipiscant, prout diximus *n.* 45. licet Sempronius procul dubio mortaliter deliquerit, dum non, nisi animo suam obstinationem demonstrandi, Ecclesiam accessit. 2. Prudentissime itidem fecit D. Parochus, finita concione eum perhumaniter monendo, & rogando, quatenus inde vellet excedere; hoc enim

enim modo & legibus S. Ecclesiæ, & charitati proximi debitæ satisfecit. Quin immo talis non solum moneri, sed per se loquendo vi expelli, aut omnino exportari debuisset, licet fuisset Clericus, nec propterea quispiam habuisset timere censuram, seu excommunicationem Canonis; cum hoc non supponatur fieri aut factum, nisi ob defensionem ecclesiasticæ jurisdictionis. Verum quia in his circumstantiis respectu hujus nulla potuit adhiberi violentia sine evidentissimo periculo majorum incommodorum; hinc

57. R. jam secundo, quod, cum Missa nondum fuerit inchoata, & ipse excommunicatus mortaliter non potuerit expelli, hinc reliqui fideles, immo & ipse D. Parochus, ne cum eodem viderentur, velle communicare in divinis, debuerint discedere ex Ecclesia. Profecto si D. Parochus vel per sacristiam exeundo sese recepisset in suam domum Parochialem, vel in ipsa sacristia permansisset, facile procul dubio potuisset eludere ferociam hujus hominis: nullatenus tamen licuit eidem acquiescere, & divina celebrare; quia hæc potius in contemptum Ecclesiæ, nullo autem modo ad salutem animæ suæ, vel Dei honorem prætendisse videtur: ubi autem quis cogitur ad prævaricandam legem Ecclesiæ in contemptum, hæc non cessat obligare, prout dictum fuit superius *n.* 32. ergo &c.

Sed quid, inquies, si Sempronius, vel alius hujusmodi excommunicatus præpotens, qui sine maximis incommodis expelli aut ejici ex Ecclesia nequit, fuisset ingressus Ecclesiam, post Sacrum jam inchoatum?

58. R. breviter cum distinctione. Nam si Sacerdos celebrans nondum inchoavit Canonem (qui secundum dicta *part.* 1. *Theol. Sacram.* incipit ad illa verba post Sanctus *Te igitur Clementissime Pater*) tunc debet abrumpere Missam seu desistere, & loco cum reliquis fidelibus excedere (nisi excommunicatus posset expelli vi, uti per se loquendo deberet) ast vero si Canonem jamjam inchoavit, nondum vero ad consecrationem pervenit, juxta aliquorum probabilem sententiam adhuc debet Sacrum abrumpere, juxta aliorum autem potest; immo si jam consecravit (secundum omnes) debet aliis omnibus recedentibus jam remanente solo Ministro perficere Sacrum usque ad sumptionem Calicis inclusive. Deinde rursus monendus est excommunicatus ut recedat: qui, si nolit, debet Sacerdos ab Altari recedere, & ea, quæ restant de Missa, in sacristia, vel alio decenti loco absolvere, vel, si deficiat locus accommodus, omnino intermittere. Ita Herincx noster *disp.* 6. *n.* 31. & ex Laymann ac Filliucio Palao, Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 2. *a* 1. *n.* 28. Holzmam *part.* 3. *tr.* 2. *n.* 174. Ubi etiam advertunt, quod talis excommunicatus monitus & nolens recedere, incurrat denuo excommunicationem, sicut & illi, qui prohibent vel impediunt, ne talis excommunicatus exeat ex Ecclesia, prout deciditur *Clement.* 2. *de sent. Excomm.* & *cap.* 15. *cui eod. tit. in* 6. Sacerdosque coram excommunicato vitando celebrans, non solum peccaret mortaliter, & minorem excommunicationem incurreret, sed etiam interdictum, vi cujus prohiberetur ab ingressu Ecclesiæ.

CASUS TERTIUS.

Cajus Mercator acatholicus, dum ad nundinas Francofurtenses proficisci voluit, in itinere incidit in morbum lethalem, & quidem in oppido quodam mere catholico. Pastor loci ubi id inaudiit, ocyus infirmum invisit, periculi admonuit, suasitque ut abjurata sua secta fidem catholicam ceu unice salvificam amplecteretur. Verum Cajus de hoc nil prorsus audire voluit, quin potius aperte protestatus, malle se perdere vitam, quam fidem suam, non absque indignatione Parochum a se repulit, eademque adhuc die expiravit. Hinc amici ejusdem Parochum perhumaniter rogarunt, quatenus cadaver defuncti more Christiano in cœmeterio communi, ubi scilicet reliqui Catholici sepeliri consueverant, tumularet. Licitene deferet huic petito Pastor?

59. R. Haud quaquam licet deferret. Ratio est: tum 1. quia *cap. sicut. de hæret.* & *cap. sacri. de sepul.* prohibetur, ne hæretici in loco sacro sepeliantur; tum 2. quia si Parochus illum sepeliret, ipso facto

pro-

profiteretur, eum judicio Ecclesiæ esse dignum favoribus, orationibus, & communibus Ecclesiæ suffragiis; quod tamen tuta conscientia profiteri non valet; tum denique tertio, quia cum in sua hæresi, & per consequens in excommunicatione pertinacissimus decesserit, & quidem in loco mere catholico, ubi hactenus consuetudo nunquam obtinuit, ut hæretici sepelirentur a Pastore catholico, reliqui fideles id audientes, vel oculis perspicientes, procul dubio scandalizarentur: hinc etiam teste La Croix *l.* 7. *n.* 262. *in fine*; nec Prædicantes Calviniani ita volunt sepelire Lutheranos; quia dicunt, non esse oves suas.

60. R. Nihilominus secundo. Si Parochus sine gravi offensa vel alio majore incommodo non potuit efficere, ut cadaver vel ad alias partes acatholicorum deportaretur, vel in loco profano humaretur, tunc potuit (absente scandalo) saltem permittere, ut Cajus ab illis suis amicis in communi cœmeterio sepeliretur; tum quia juxta probabilem quorumdam DD. opinionem supra *num.* 47. insinuatam, fas est, in loco sacro sepeliri hæreticos toleratos (qualis etiam fuit Cajus noster) tum quia non constat, quod fuerit hæreticus formalis, & fortassis vere contritus ex hac vita decessit; tum denique quia in hisce partibus nostris, ubi hæretici vivunt permixti Catholicis, non raro contingit, ut in eodem communi cœmeterio sepeliantur defuncti, prout bene advertunt Laymann *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 9. Gobat Quinar. *tr.* 5. *c.* 50. *n.* 27. ex Lezana: idque probat quotidiana quasi experientia.

Suaderem nihilominus tali Parocho, ut rem hanc prius deferat ad suum Reverendissimum Ordinarium (si mora id patiatur) ne fortassis vel suis ovibus, utpote in loco mere catholico, scandalum præbeat, vel Superiorum suorum graviorem offensam, aut disgratiam incurrat; præsertim cum in loco mere catholico plebs facile possit scandalizari, vel ex sola etiam permissione sepulturæ talis hæretici.

Sed quid, si amici Caji postulent a D. Parocho, ut dum cadaver fuerit deportatum ad tumulum, saltem jubeat, aut permittat pulsari campanas templi catholici: Licebitne in hoc deferre?

61. R. Neque in hoc de facili deferendum sine prævio consensu Reverendissimi Ordinarii; quia cum in loco mere catholico hoc nunquam fuerit in usu, haud quaquam sine offensa seu scandalo id fieri poterit. Secus dicendum existimat La Croix *l.* 7. *n.* 268. in locis, ubi acatholici permixtim habitant cum Catholicis; quia hæretici postulantes pulsum campanarum, intendunt id fieri vel tantum causa honoris politici, vel, ut omnes resciant de morte sui defuncti. Accedit, quod iste sonus campanæ quantumvis benedictæ, sit aliquid extrinsece, nec dicendum absolute quid divinum, aut ecclesiasticum &c. Ita La Croix cit. l. Hac de causa neque ego putarem multum scrupulizandum de tali pulsu campanarum in similibus locis permixtæ Religionis, quandoquidem hodie in pluribus civitatibus, præsertim ubi utraque Religio in eadem Ecclesia successive exercetur, eædem campanæ tam Catholicis, quam Acatholicis deservire debeant.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

62. Colliges ex hactenus dictis primo excommunicationem esse gravissimam pœnam ecclesiasticam, utpote per quam excommunicatus privatur simpliciter omni jure communicandi cum aliis fidelibus, etiam in rebus de se honestis ac licitis: & quia hæc secundum dicta *num.* 51. saltem indirecte tangit etiam alios fideles, hinc quantum possibile est, stricte interpretari debet, præsertim in hisce partibus nostris, ubi quasi in medio acatholicorum quotidie versamur. Quapropter cum post Concilium Constantiense secundum relata *nu.* 39. non teneamur amplius vitare, nisi excommunicatos nominatim denuntiatos, & notorios percussores Clericorum, concludendum venit, quod, tametsi constaret aliquem commisisse crimen, cui excommunicatio ipso facto est connexa, nihilominus talem non teneamur vitare, priusquam fuerit nominatim denuntiatus. Quin etiamsi sibi constaret, aliquem in aula vel conclavi Episcopali fuisse denuntiatum &c. non tamen tene-

reris

reris illum propterea vitare; quia nondum supponitur denuntiatus denuntiatione publica, quippe ad quam necessum est, ut sententia legatur in aliquo loco publico, dein affigatur ad valvas Ecclesiæ, aliumve locum celebrem. Videantur de hoc Filliucius *numer.* 68. Bonacina *disp.* 2. *q.* 2. *p.* 1. *num.* 1. Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 2. *a.* 1. *n.* 6. Khamm *de censur. c.* 1. *n.* 11.

63. Colliges secundo excommunicatum etiam toleratum graviter peccaturum, si absque necessitate proprio motu sese ingerat ad administranda fidelibus Sacramenta &c. Ratio patet ex dictis: quia excommunicati sunt exclusi a communione fidelium, & licet per Concilium Constantiense indultum sit fidelibus ad tollendos innumeros scrupulos, ut possent communicare cum illis, qui non sunt nominatim denuntiati, aut notorii percussores Clericorum, id tamen non in favorem excommunicatorum, sed fidelium contigit. Nihilominus ubi vel necessitas, vel utilitas, vel salus animarum id requirit, etiam taliter excommunicati licite conficiunt Sacramenta v. g. Pastor taliter excommunicatus ad requisitionem suorum Parochianorum licite celebraret die festivo vel dominico, nisi adesset alius Sacerdos potens celebrare Sacrum. Immo & hoc licitum esse alteri Sacerdoti non Parocho, si forte rogetur aut invitetur ad celebrandum. Filliucius *nu.* 72. Salmanticenses & alii, quos sequitur Babenstuber *cit. n.* 23.

64. Colliges hinc tertio, mortaliter peccaturum excommunicatum, si in tali statu præsumeret audire Missam, vel in aliis divinis (excepta concione, ut jam dictum) communicare formaliter, ita scilicet, ut cum iisdem intersit Missæ solenni &c. comprecationi, solenni processioni &c. Ratio manet eadem: quia scilicet in re gravi transgreditur prohibitionem Ecclesiæ: & si hæc possent impune exerceri, tam facili negotio fortassis non compellerentur ad sectanda charismata meliora. Dixi tamen *si præsumeret communicare formaliter* cum aliis fidelibus in divinis; nam si solus ingrederetur templum, & ab aliis ibi congregatis quasi sequestratus oraret v. g. in aliqua capella, vel angulo Ecclesiæ, vel si adoraret Eucharistiam, signarét se crucis signo, aut alicui imagini cultum privatum exhiberet, per hoc non diceretur formaliter communicare cum aliis, neque peccaret, prout cum aliis relatis perbene docet Eximius P. Khamm *de Excomm. c.* 2. *n.* 58. Bonacina *pu.* 3. §. 2. *n.* 1. La Croix *n.* 210.

65. Colliges quarto excommunicatum Clericum qui vel titulo Ordinis, aut Professionis, vel beneficii tenetur ad pensum Canonicum, per hoc non liberari ab onere *privatim* dicendi Horas Canonicas, esto *cum aliis*, vel *alio* non liceret dicere. Ita communissime DD. Herincx *ubi supra disp.* 6. *n.* 32. Holzmann *n.* 175. Ratio est: tum quia per privatam orationem non censetur communicare cum aliis fidelibus; tum quia per hoc, quod excommunicationis pœnam delinquendo incurrerit, non debet reputari melioris conditionis, vel ab onere liberari. Nec refert, quod beneficiatus excommunicatus non amplius percipiat fructus sui beneficii; hoc enim propriæ culpæ imputare debet. Putant tamen aliqui, venialiter peccaturum, si recitando diceret: *Dominus vobiscum;* quia per hoc videretur velle habere communicationem cum aliis fidelibus, propterea loco hujus deberet dicere: *Domine exaudi orationem:* alii tamen minus scrupulosi eum excusant etiam a veniali peccato. Ita Navarr. & Avila: Forsan (inquit P. Khamm *n.* 51.) quia non videtur cum aliis communicatio, sed privata pro illis oratio, sicut dicit in invitatorio matutino: *Venite adoremus.*

66. Colliges quinto, mortaliter peccare eos, qui excommunicatum vitandum seu non toleratum, non absolutum sepeliunt in loco sacro, esto etiam ante decessum suum nonnulla signa pœnitentiæ ediderit. Ratio est: quia contraveniunt prohibitioni Ecclesiæ in re gravi, prout vel inde patet, quia in *Clement.* 1. *de sepult.* tales excommunicationis vinculo innodantur, a quo absolvi non possunt, nisi præstita satisfactione ad arbitrium Episcopi. Nomine autem sepelientium Filliucius, Salmanticenses *tr.* 10. *de censur. c.* 3. *p.* 7. *n.* 80. Coninck, & Khamm *n.* 84. putant probabilius venire non illos tantum, qui physice cadaver terræ man-

mandant, sed & illos, qui sua auctoritate procurant aut præcipiunt talem inabsolutum sepeliri; secus enim illa Constitutio Apostolica suo facile frustraretur vigore, quandoquidem physice sepelientes plerumque sunt homines plebei ac rudes, qui ob ignorantiam jurium ab hac excommunicatione vix non semper forent excusati: non tamen comprehendi debent comitantes funus, crucem portantes, vel campanas pulsantes, cereum vel ipsum cadaver portantes, fossam aut tumbam conficientes &c. quia tales non nisi impropriissime dici possent *sepelientes*.

67. Dixi etiam: *qui non absolutum sepeliunt* &c. nam si talis ante mortem signa pœnitentiæ & doloris de suis delictis dederit, & fortassis Confessarium postulavit, sed obtinere non amplius potuit, tunc antequam sepeliatur debet absolvi, verberando non nihil corpus, vel si per errorem aut ignorantiam jam fuisset sepultus, verberando aut virga percutiendo sepulcrum, prout præscribit Rituale Romanum secundum dicta superius *n.* 7. haud equidem quod Ecclesia velit per hoc significare quoddam exercitium jurisdictionis, aut absolutionis in defunctos, sed ut per hoc declaret, talem jam coram Deo & hominibus esse habendum pro absoluto, & neque sepultura ecclesiastica, neque suffragiis Ecclesiæ privandum.

Sed quid, inquies, si excommunicatus non toleratus absque omni signo pœnitentiæ decessisset ex hac vita, & nihilominus jam fuisset sepultus in loco sacro?

68. R. Qui scienter præsumpserint talem ecclesiasticæ sepulturæ tradere, ipso facto incurrunt excommunicationem *c. Quicunque* 2. *de hæret. in* 6. a qua secundum rigorem SS. Canonum non esset absolvendus talis sepeliens, nisi propriis manibus personaliter & publice ossa exhumaverit, inquit La Croix *l.* 7. *n.* 261. citans pro eadem opinione Sperellum *decis.* 106. *nu.* 43. Quod si ossa talis excommunicati vitandi discerni amplius nequeant ab ossibus fidelium, relinqui possunt; attamen talis locus sacer manet execratus, donec reconcilietur *c. consuluisti de consecrat. Altar. & Eccles.* si tamen res occulta sit, non peccant, qui in tali loco divina peragunt: Ita Krimer *nu.* 1626. apud La Croix *cit.num.* 266.

69. Colliges sexto, Excommunicatum non toleratum inhabilem esse ad ferendam censuram, aut ad absolvendum ab ea, nec posse ferre sententiam in judicio ecclesiastico, sive interno seu sacramentali, sive externo; similiter acta delegati a taliter excommunicato sunt invalida, prout habetur *c.* 1. *de Offic. Vicar. in sexto*. Ratio est: quia jurisdictio delegati dependet assidue a jurisdictione delegantis: ergo si principalis delegans tempore delegationis fuit excommunicatus non toleratus, fuit hoc ipso privatus jurisdictione spirituali, ac proin non potuit hanc alteri delegare. Secus dicendum, si tempore delegationis nondum fuisset excommunicatus, & delegatus jam inchoasset actum sui Officii, tunc enim posset ulterius prosequi. Porro totaliter excommunicatus nequit conferre beneficia, *argum. cap. un. Ne Sede vacante &c. in sexto*. Nec potest quempiam valide eligere *c. cum dilectus & cap. cum inter* 16. *de elect.* ubi electio a suspensis celebrata habetur irrita: Omnis autem excommunicatus hoc ipso est suspensus ab officio, & beneficio &c. ergo &c. Vid. Herincx *disp.* 6. *num.* 36. Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 13. *dist.* 2. *n.* 29.

CONFERENTIA
TERTIA

De nonnullis excommunicationibus majoribus in specie, nec non de excommunicatione minore.

SUMMARIUM

70. *Dantur hodie quasi innumerabiles excommunicationes etiam majores, e quibus tamen*

71 *Non omnes sunt reservatæ;*

72. *Recensentur strictim* 20. *Excommunicationes, comprehensæ in Bulla Bœnæ.*

73. *An, vel qualiter in hisce partibus nostris obligent.*

74. Re-

74. *Referuntur nonnullæ excommunicationes extra Bullam Cœnæ summo Pontifici in corpore juris communis reservatæ:*
75. *Rursus aliæ non reservatæ.*
76. *Recensentur quatuor conditiones, requisitæ ad incurrendam excommunicationem Bullæ cœnæ ratione hæreseos.*
77. *Rursus aliæ ad incurrendam hanc excommunicationem in Legentes Libros hæreticos.*
78. *Ad incurrendam excommunicationem Canonis: Si quis suadente &c. requiruntur tres conditiones.*
79. *Quid intelligatur per violentam injectionem manuum.*
80. *An etiam mandantes, approbantes &c. comprehendantur.*
81. *Quinam veniant nomine Clericorum.*
82. *Et quidnam sit fieri suadente diabolo.*
83. *Quidnam importet Excommunicatio minor; &*
84. *Ob quam causam vel culpam hæc incurratur.*
85. *Hujus effectus proprius & directus est unicus.*
86. *Indirecte tamen alius inde sequi natus innuitur.*
87. *An tali Excommunicatione irretitus peccet saltem venialiter, administrando Sacramenta.*
88. *Potest quis sæpius eandem specie, vel etiam diversas Excommunicationes incurrere.*
89. *Resolvitur Casus I. de quodam Catholico, assueto Legere Libros hæreticos.*
90. *Qui propterea probabilius graviter deliquit,*
91. *Et incidit in excommunicationem Bullæ cœnæ, etiam in hisce partibus nostris.*
92. *Occurritur cuidam instantiæ in contrarium.*
93. *Resolvitur Casus II. de quodam Clerico, qui alium Clericum voluit projicere in puteum;*
94. *At hoc prævalente, contrarium experiri debuit.*
95. *Ut quis hanc excommunicationem evadat, necessum est, ut se vel sua non aliter defendat, nisi defensione inculpatæ tutelæ.*
96. *Resolvitur Casus III. de alio quodam Religioso, qui Apostatam sui Ordinis casu in itinere deprehensum fecit capi, ac ligari manibus sæcularium*
97. *Laudandus propterea potius, quam culpandus esto hoc attentaverit in Territorio alieno*
98. *An, vel qualiter hujusmodi Clericum in carcere insolentem liceat castigare &c.*
99. *Ne quidem in nostra Germania sine speciali licentia fas est legere Libros hæreticos &c.*
100. *Neque Lectio Bibliorum Sacrorum Germanico idiomate editorum omnibus indifferenter est permittenda.*
101. *An, & quales Libros controversisticos liceat legere.*
102. *Excommunicationem Canonis si quis suadente &c. etiam fœminæ possunt incurrere.*
103. & 104. *An mandans aut consulens hujusmodi violentam manuum injectionem hanc excommunicationem incurrat, etiam revocato mandato, aut consilio.*
105. *Ab hac Excommunicatione excusare potest imperfectio actus, seu indeliberatio &c.*
106. *Itemque ignorantia juris aut facti.*
107. *Neque hanc incurrit, qui volens aut existimans se percutere Clericum, reipsa percussit Laicum.*
108. *Bene vero ille, qui putans se percutere Paulum Clericum, reipsa percussit Petrum Clericum.*
109. *Superior Religiosus excedens modum in corrigendo subditum delinquentem potest hanc Censuram incurrere.*
110. *Neque excusatur per hoc, quod talis subitus aliter noluerit fateri sua delicta.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de excommunicationibus in particulari.

QUæres primo, quot dentur Excommunicationes majores?

70. R. Dantur quasi innumerabiles. Ita Doctores communiter. Certe noster Doctor Subtilis *in 4. dist. 25. qu. 1. §. quanta pœna*, suo jam tempore scripsit: *a jure quandoque erat possibile dicere numerum (excommunicationum) imo erat parvus numerus, quando fuerunt decretales compilatæ sub Gregorio IX. sed hodie, quis numerare sufficiat? & cum crescant in infinitum, crescentibus moribus capitum, non oportet circa hoc membranas nos implere.* Ita D. Subtilis: Cujus consilium secututus, ad evitandam omnem confusionem (quæ

ex nimia copia, & multitudine excommunicationum recensendarum enasci posset) solum de non nullis, & quidem principalioribus, ac cæteris usu magis venientibus agemus. Unde jam

Quæres secundo, sintne omnes omnino excommunicationes majores reservatæ, ita, ut non quilibet etiam approbatus Confessarius possit ab iisdem absolvere?

71. R. Non sunt omnes reservatæ, sed aliquæ duntaxat; unde Filliucius, Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 2. *a.* 1. *n.* 46. & alii communiter distinguunt inter tres classes, e quibus 1. aliquæ sunt S. Pontifici reservatæ in Bulla cœnæ: 2. aliæ sunt eidem reservatæ in jure communi, & 3. reliquæ non sunt reservatæ;

Quæres proin tertio, quænam igitur sint excommunicationes soli summo Pontifici in Bulla cœnæ reservatæ?

72. R. In Bulla cœnæ (ideo sic dicta, quia quot annis in Cœna Domini Romæ solet de novo promulgari) continentur sequentes viginti excommunicationes; seu: excommunicantur 1. Hæretici, Apostatæ a Fide, Receptores, Fautores, & Defensores Hæreticorum, Legentes eorum Libros de Religione tractantes, imprimentes, defendentes &c. Item Schismatici. 2. Appellantes a sententiis & mandatis Summi Pontificis ad futurum Concilium Generale. 3. Pyratæ, seu Latrunculi maritimi, eorumque Fautores. 4. Rapientes bona naufragantium Christianorum ubivis terrarum. 5. Imponentes nova pedagia, seu gabellas sine sufficiente auctoritate seu potestate, qualem ad hoc habent Imperator, Reges & Principes absoluti in terris suis. 6. Falsificantes Litteras Apostolicas. 7. Deferentes arma, & alia usui bellico idonea, ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, vel hæreticos, expresse & nominatim a Sede Apostolica declaratos. 8. Impedientes eos, qui victualia, aut alia necessaria Romam vehunt. 9. Afficientes injuriis eos, qui accedunt ad Sedem Apostolicam. 10. Vexantes Romipetas. 11. Offendentes Cardinales, & Ecclesiæ Prælatos. 12. Offendentes eos, qui ad Romanam Curiam accedunt pro negotiis, negotiorumque gestores. 13. Appellantes a gravamine, vel futura executione Litterarum Apostolicarum ad Laicam potestatem. 14. Officiales, & alii, qui causas Ecclesiasticas avocant a judiciis Ecclesiasticis. 15. Judices sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal trahunt. 16. Impedientes Prælatos, ne jurisdictione sua Ecclesiastica utantur. 17. Usurpantes jurisdictionem Sedis Apostolicæ, aliarumque Ecclesiarum, seu fructus, reditus: & proventus earum. 18. Imponentes decimas, vel alia onera personis Ecclesiasticis. 19. Judices sæculares, qui in causis capitalibus seu criminalibus Clericorum sese interponunt. 20. Occupantes bona, & terras Ecclesiæ Romanæ, & supremam jurisdictionem in illius usurpantes &c. Hæ sunt Excommunicationes Bullæ cœnæ, quas diffuse explicat Filliucius *tr.* 16. *per tot.*

Ergone, inquies, omnes etiam in nostra Patria obligant?

73. R. Minime dubitare licet, quin Bulla Cœnæ sit etiam in hisce partibus nostris recepta, prout *Communiter* fatentur Doctores etiam Germani, signanter Reiffenstuel, Laymann, Sporer, Illsung, Babenstuber, La Croix *L.* 1. *n.* 637. & rursus *L.* 6. *p.* 2. *n.* 16. 19. & ali, licet aliqui haud immerito existiment, eam quo ad aliqua, præsertim quo ad excommunicationem in Legentes Libros hæreticos &c. vel eos retinentes &c. non esse cum tanto rigore receptam, prout jam *in part.* 2. *Theolog. Decalog. Confer.* 4. *n.* 120. insinuavimus, & mox infra *n.* 91. *ac* 92. *amplius dicemus.*

Quo ad excommunicationem vero in hæreticos, vel ratione hæreseos incurrendæ, eam receptam esse, probat experientia & praxis; nemo enim (quod scio) sine speciali facultate vel ab Episcopo, vel a Summa Sede obtenta facile præsumet ab hac absolvere: in Italia quoque, Hispania, Gallia receptam esse hanc Bullam Cœnæ, minime dubitaverim. Et ita supponant Vega *in Summa V. Excommunicatio C.* 84. *Resp. ad Casum* 133. Mastrius *Theolog. mor. disp.* 13. *n.* 61. Mathæuccius *in Cautela Confess. L.* 1. *c.* 3. *n.* 1.

Quæres quarto, quænam sint excommunicationes Summo Pontifici reservatæ extra Bullam Cœnæ, sive in corpore juris Communis, sive in Bullis Pontificiis?

74. R. Breviter cum P. Babenſtuber *c. n.* 68. eſſe ſequentes. 1. Excommunicantur (excommunicatione Summo Pontifici reſervata) Incendiarii. 2. Qui effringunt, ac inſuper ſpoliant Eccleſiam. 3. Qui communicant in eodem crimine reſervato cum excommunicatis a Papa. 4. Qui abſoluti ſunt ab excommunicatione reſervata ſub conditione, & illam non implent. 5. Clerici, qui excommunicatis a Papa, neque toleratis, Sacramenta adminiſtrant. 6. Violantes interdictum Papale. 7. Simoniaci reales: item committentes Simoniam confidentialem. 8. Qui duellum ineunt, vel ad illud cooperantur v. g. ſuadendo &c. 9. Qui rapiunt bona Eccleſiaſtica. 10. Qui violant immunitatem Eccleſiaſticam. 11. Percuſſores Clericorum, aut percuſſionem mandantes. 12. Dantes, vel accipientes aliquid ob ingreſſum Religionis. Hactenus Babenſtuber. Nullus tamen dubito, quin præter has plures adhuc dentur: Sed quis omnibus enarrandis ſufficiat? Certe ſine maxima confuſione Legentium, præſertim Tyronum in Theologia morali (quibus poſt Deum laborem hunc meum qualemcunque conſecro) fieri hoc nullatenus poſſet. Id unum tum Confeſſariis, tum Pœnitentibus etiam poteſt eſſe ſolatio, quod quam plures hujuſmodi caſus in hiſce partibus noſtris, vel nunquam omnino, vel certe non niſi rariſſime contingant, vel ſi contigerint, plerumque cum ignorantia juris aut facti fiant, proptereaque Confeſſario parum faceſſent negotii.

Quæres quinto, quænam ſint excommunicationes vi juris Communis nemini reſervatæ?

75. R. Sunt ſequentes. 1. Excommunicantur qui occupant bona Eccleſiarum vacantium. 2. Qui compellunt perſonas Eccleſiaſticas, aut bona Eccleſiarum ſubmittunt Laicis. 3. Qui ſepeliunt hæreticos, excommunicatos, interdictos. 4. Qui contrahunt in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus, vel perſona Sacra, aut religioſa. 5. Qui impediunt Viſitatores Monialium, ſi admoniti non deſiſtunt. 6. Qui imprimunt, imprimi mandant, vendunt Libros ſine approbatione Superiorum. 7. Qui rapiunt Mulieres, eorumque Raptoribus præbent auxilium. 8. Qui Mulieres cogunt ingredi Monaſteria, vel impediunt earum ingreſſum, vel ne libere contrahant Matrimonium. 9. Qui procurant abortum fœtus animati. 10. Eccleſiaſtici qui alienant bona eccleſiaſtica, vel ultra triennium hypothecant. 11. Religioſi, immo & Sacerdotes ſæculares, qui audiunt jus Civile, vel Medicinam. 12. Perſonæ publicæ, quæ ſtatuta condunt contra Libertatem eccleſiaſticam. 13. Eædem, ſi non adjuvant Epiſcopos in Clauſura Monialium. 14. Doctores, & Profeſſores cujuſcunque Facultatis, qui non faciunt profeſſionem Fidei in manibus Ordinarii. Ita rurſus ad litteram P. Babenſtuber *cit. n.* 47.

Quæres ſexto, Quænam requirantur ad incurrendam Excommunicationem Bullæ Cœnæ in hæreticos latam?

76. R. Ad incurrendam hanc excommunicationem in hæreticos qua tales latam requiruntur quatuor conditiones. 1. Ut quis ſit hæreticus non ſolum materialis ſed formalis, id eſt, talis, qui errorem contra Fidem catholicam pertinaciter tenet, ſuum judicium præferendo judicio Eccleſiæ univerſalis ſatis cognito. 2. Ut talem errorem intellectus, ſeu hæreſin internam exterius manifeſtet, eam ſcilicet exprimendo ſigno aliquo exteriore, quamvis occultiſſimo, & nullo præſente; tametſi enim juxta probabiliſſimam opinionem Doctorum Eccleſia poſſet abſolute loquendo præcipere aut prohibere, conſequenter & punire cenſura latæ ſententiæ actum mere internum, v. g. hæreſin, prout bene docet Franciſc. Schmier, Holzmann *p.* 3. *tr.* 2. *n.* 109. & alii, noluit tamen, vel certe non ſatis conſtat, voluiſſe prohibere ſub pœna excommunicationis hæreſin mere internam. 3. Requiritur ut hæreſis interna exterius manifeſtetur per actionem mortaliter peccaminoſam. Ita Reiffenſtuel *Theolog. moral. tr.* 4. *diſt.* 4. *n.* 27. Hinc qui hæreſin mente conceptam exterius manifeſtat ſolius conſilii cauſa, vel eo fine, ut ab alio melius inſtruatur, non incurrit hanc excommunicationem; quia Eccleſia actum bonum, qualis eſt talis manifeſtatio, punire non vult nec poteſt tam gravi pœna. Quarto neceſſum eſt, ut quis hæreſin ſuam verbo,

vel saltem opere manifestet, animo eam asserendi seu profitendi. Ratio est: Quia Ecclesia vult hæreticum punire propter externum peccatum, seu professionem hæreseos, utpote vel maxime perniciosam fidelibus. Ex quo Reiffenstuel *cit. n.* 28. recte infert, non incurri hanc excommunicationem ab eo, qui in hæresin v. g. Lutheranam interne lapsus die ab Ecclesia interdicto manducat carnes, sed ex mera voracitate, seu gula, absque eo, quod per hoc intendat ullatenus manifestare suam hæresin; quia talis comestio est actio de se indifferens, licet evadat peccaminosa ex eo, quod fiat contra Legem Ecclesiasticam, ex motivo non fidei, sed temperantiæ, & carnis spiritui subjugandæ latam.

77. Dixi autem, ad hanc excommunicationem incurrendam *in hæreticos qua tales* latam, requiri quatuor conditiones &c. aliæ enim requiruntur ad incurrendam excommunicationem Bullæ Cœnæ *in Legentes Libros hæreticos* &c. de quibus egimus *part.* 2. *Theolog. Decalog. Confer.* 4. *num.* 111. De reliquis excommunicationibus in præfata Bulla Cœnæ latis tractare, nimis prolixum foret, nec huic opellæ commensuratum, & quia in nostra Germania nonnisi rarissime occurrunt in praxi, hinc pro emergentia Casus Lectorem remittimus ad alios fusius hanc materiam examinantes, singulariter vero ad Toletum *L.* 1. *c.* 18. *& sequentibus*. Palaum *tr.* 29. *disp.* 3. *per totam*, & alios plures ab his citatos.

Quæres septimo, quænam requirantur ad incurrendam excommunicationem latam in percussores Clericorum *can. Si quis suadente diabolo &c. C.* 17. *q.* 4. sequenti tenore: *Si quis suadente diabolo manus violentas in Clericum vel Monachum injecerit, anathematis vinculo subjaceat?*

78. R. Ad hanc tria necessario requiri. 1. Ut injiciat manus violentas. 2. Ut has injiciat in Clericum vel Monachum. 3. Ut hoc faciat suadente diabolo; pro horum intellectu necessario declarandum venit. 1. Quid intelligatur per violentam manuum injectionem? 2. Quinam nomine Clerici aut Monachi veniant? 3. Quandonam censeatur hoc fieri suadente diabolo? Hinc

79. R. ad primum: per violentam manuum injectionem intelligitur quæcunque actio corporalis injuriosa, & mortaliter peccaminosa, violenter illata personæ Clericali aut Monachali vel rebus ipsius corpori adhærentibus: unde hanc excommunicationem incurrit non solum ille, qui Clericum aut Monachum occidit, aut graviter vulnerat, sive etiam manu, gladio vel baculo percutit, aut injuriose (licet absque alia corporali læsione) in vincula conjiciat, aut in custodia publica, vel privata detinet &c. sed etiam ille, qui talem conspuit, pulvere, luto vel aqua conspergit, vestem lacerat, aut aliquid ejus corpori adhærens v. g. Pileum &c. Per vim & injuriam eripit, pecuniam extorquet, equum cui insidet, fræno arrepto violenter detinet, qui eum persequitur injuriose ita, ut in flumen vel foveam incidat, aut equo decidat &c. Esto enim aliquæ hujusmodi actiones vel ex se, vel respectu corporis videantur leves, non tamen sunt leves sed graves respectu honoris Clericalis, quippe qui per eas haudquaquam leviter offenditur in morali hominum existimatione, prout bene notat Mastrius *Theolog. mor. disp.* 13. *n.* 63.

80. Quocirca insuper notandum, quod licet *Can. Nuper de sent. excommunicat.* videantur comprehendi soli physice offendentes Clericum aut Monachum &c. Vi aliorum tamen Canonum hæc eadem excommunicatio extendatur etiam ad mandantes, Consulentes, auxiliumve ferentes ad percussionem Clerici, dummodo effectus sit secutus; quia, ut dicitur *c. Quantæ de sent. excommunicationis*: *Facientes & consentientes pari pœna plectendi sunt*: id ipsum clarius habetur *Clem. Si quis suadente de pœnis*. Insuper hæc eadem excommunicatio extenditur ad eos, qui ratam habent percussionem vel offensionem Clerici suo nomine factam *c. Cum quis* 23. *de sent. excommun. in sexto* conformiter *ad Regulam* 10. *Jur.* in 6. ubi dicitur; *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.* Ita communiter DD. signanter Reiffenstuel *tr.* 13. *dist.* 2. *n.* 62. Mastrius *cit. n.* 62.

81. R. ad secundum quæsitum I. Nomine

Nomine Clerici veniunt omnes, saltem prima tonsura initiati, nec Privilegio Canonis privati, modo deferant habitum, serviantque alicui Ecclesiæ, esto supponantur excommunicati, suspensi, interdicti aut degradati verbaliter tantum. Mastrius *l.cit.* Busenbaum apud La-Croix *nu.* 300. II. Nomine Monachi intelligitur quivis Religiosus, etiam Laicus, seu (ut alii loquuntur) conversus, Novitius utriusque sexus, item Tertiarii S. Francisci, S. Dominici, haud equidem illi, qui in domibus propriis habitant, sine votis substantialibus, & ad instar aliorum sæcularium (quibus propterea adnumerantur) incedunt, sed illi, qui gestant habitum. & vivunt in aliqua communitate. His probabiliter adnumerant Herincx *Disp. 6. num.* 59. & Reiffenstuel *cit. n.* 63. Canonissas sæculares (vulgo die Stüfft Fräulein) quamdiu præbendam retinent, & in habitu Ecclesiastico, patenter a sæcularibus fœminis distinctivo incedunt, idque decisum fuisse a Rota afferit Bassæus *V. Excommunicatio VII.* §. *un. num.* 3. Secus dicendum putant de Eremitis illis; qui sub nulla regula & obedientia vivunt, sed hinc inde vagantur, nullam prorsus habentes specialem ecclesiasticam obligationem. Videantur Rodriquez *tom.* 2. *QQ. Regul. q.* 65. *a.* 5. Laymann *L.* 1. *tr.* 6. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 4.

82. R. jam ad tertium. Violenta manuum injectio censetur tunc fieri *suadente diabolo*, quando fit injuriose sine justa causa: debetque fieri cum sacrilegio in- & extrinsece gravi. Ita post Cajetanum, Molinam, & alios Pignatelli *tom.* 1. *consult.* 107. Sperellus *decis.* 45. La Croix *Lib.* 7. *n.* 301. Ratio hujus est: quia gravissima pœna (qualis censetur excommunicatio major secundum dicta *n.* 62.) nemini debet infligi, nisi propter delictum grave: ergo qui violenter tractando Clericum non peccat graviter, huic pœnæ non fit obnoxius. Hinc 1. qui ex mero joco, vel casualiter Clericum percutit, vel 2. qui hoc fecit ad defendendum se, vel vitam suam, vel Uxoris, Parentum, Filiorum, vel res suas, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ &c. item 3. si Prælatus, Præceptor vel pater subditum in minoribus constitutum correctionis causa (esto etiam non sine iracundia) percutiat moderate, non incurrit hanc excommunicationem. Et universim 4. quoties talis percussio ob levitatem vel imperfectionem actus (utputa quia ex solo inconsulto calore iracundiæ facta) non fuit mortaliter peccaminosa, non incurritur hæc excommunicatio, saltem pro foro conscientiæ, quidquid demum pro foro externo præsumatur; ubi procul dubio non semper credetur facta ex imperfectione actus. Videatur Laymann *L.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. Filliuc. *tr.* 15. *c.* 1. Kazenber *suppl. decalog. P.* Sporer *c.* 3. *sect.* 2. §. 3. *n.* 112. *& seqq.*

Quæres octavo, quidnam sit, vel importet excommunicatio minor? & ob quam causam incurratur?

83. R. ad primum. Excommunicatio minor est censura ecclesiastica, privans hominem perceptione Sacramentorum. Ita *Communis DD.* & constat *ex c. si quem de sent. Excomm. & c. si celebrat. de Cleric. excomm.* ubi de excommunicato excommunicatione minore dicitur, *quod non videatur a collatione, sed participatione Sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus.*

84. R. jam ad tertiam partem hujus quæsiti. Excommunicatio minor hodie propter solam culpabilem communicationem cum excommunicato non tolerato, sive vivente sive mortuo incurritur. Ita rursus unanimiter DD. constat tum ex Concilio Constantiensi, tum etiam ex *c.* 15. *& c.* 29. *de sent. excomm.* Sufficit tamen ad hanc incurrendam communicatio vel culpa venialis, prout jam supra fuit notatum. Ceterum quænam sint causæ, licite, & absque omni peccato communicandi cum excommunicato, diximus paulo superius *n.* 51. Posset equidem hæc excommunicatio, seu privatio participationis passivæ Sacramentorum etiam ob alias causas ferri ab homine v. g. Superiore spirituali, verum hodie talem modum non amplius vigere, testatur Laymann *ubi supra C.* 3. *n.* 5. *fine.*

Quæres jam nono, quinam sint effectus hujus excommunicationis minoris?

85. R. Effectus proprius & directus excommunicationis minoris est unicus tan-

tantum, scilicet privatio passiva Sacramentorum, prout habetur *c. si celebrat. de Cleric. excomm. ministr.* & *cap. penult. de sent. excommunicat*. Quo fit, ut taliter excommunicatus teneatur sub gravi culpa a cujuslibet Sacramenti perceptione abstinere, quamdiu non fuerit ab hac excommunicatione absolutus, & ratio est: quia cujuslibet Sacramenti receptio censetur res gravis, seu magni momenti: ergo contraveniens huic legi ac prohibitioni Ecclesiæ graviter delinquit.

86. Dixi: *Effectum proprium & directum esse unicum:* nam præter hunc excommunicatio etiam minor indirecte infert alterum, in eo consistentem, quod taliter excommunicatus non debeat eligi ad beneficia. Ita *communis DD.* Et ratio est: quia omne beneficium ecclesiasticum ex sua institutione ordinatur ad officium spirituale, propter quod & datur, ideoque ad suscipiendos Sacros Ordines, vel ad offerendum SS. Missæ Sacrificium: ergo cum excommunicatio etiam minor impediat ab Ordinibus suscipiendis, vel SS. Missæ Sacrificio celebrando, eo ipso saltem indirecte impedit a beneficio. Et licet Capitulum illud *si celebrat* solum loquatur de electione ad beneficia ecclesiastica, propter identitatem tamen rationis id ipsum debet intelligi de præsentatione & collatione beneficii, quæ, tametsi non ipso jure sint nullæ seu irritæ, sunt tamen irritandæ, & tam eligentes scienter talem excommunicatum, aut præsentantes, vel conferentes eidem beneficium, quam etiam ipse excommunicatus illud recipiens peccant mortaliter, utpote in re gravi transgredientes præceptum Ecclesiæ. Ita cum Suarezio, Soto, Sayro & aliis pluribus Palao *tr. 29. pu. 21. n. 15.*

87. Alii porro existimant, excommunicatum excommunicatione minore peccare saltem venialiter, si citra necessitatem Sacramenta administret; eo quod indecens videatur, talem, cui Sacramentorum administratio prohibita est, subire ministerium sacrum, propereaque S. Pontifex *cap. si celebrat.* declarat, talem peccare &c. Hujus opinionis sunt Palao, Suarez, Medina, & alii plures. Verum mihi videtur probabilior opinio Filliuc. *tr. 13. n. 23. & 24.* Bonacinæ *disp. 2. q. 3. n. 4.* Illsung *tr. 7. disp. 1. n. 20.* & Babenstuber *tr. 4. disp. 2. a. 1. n. 10.* existimantium, talem ne venialiter quidem peccare: negatur enim suppositum, quod taliter excommunicatus excommunicatione minore administrando Sacramentum committat aliquam indecentiam, modo ad id præstandum aliunde sit bene dispositus. Certe, si quam committeret indecentiam, illa non venialiter tantum, sed mortaliter mala esset; quia administratio Sacramenti est materia gravis legis, sicut receptio: ergo si administratio supponatur tali prohibita, administrando peccaret non minus quam recipiendo. Noc obstat Capitulum illud; quippe quod congrue intelligi potest de tali administratione, quam debet præcedere susceptio alicujus Sacramenti, uti est v. g. administratio Sacrorum Ordinum; talis enim committit indecentiam, & quidem permagnam, in quantum suscipit Sacramentum in statu excommunicationis.

Quæres tandem decimo. An quis possit sæpius excommunicari, seu sæpius in eandem, vel plures, ac diversas excommunicationes incidere?

88. R. Affirmative. Ita *ex communi DD.* Reiffenstuel *Theolog. moral. tr. 13. dist. 2. n. 72.* Id quod desumit *arg. c. Cum pro causa de sent. excomm.* Et ratio est: quia potest quis sæpius committere eandem culpam, ob quam excommunicatio statuta est v. g. communicando cum aliquo excommunicato &c. vel percutiendo Clericum suadente diabolo &c. ergo potest etiam sæpius incidere in eandem pœnam excommunicationis.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de excommunicatione tum ob hæresin, tum etiam ob percussionem Clerici incurrenda.

CASUS PRIMUS.

Titius *novellarum amator eximius, & nomine potius quam re Catholicus, consuevit legere quemdam Libellum ab hæreticis compositum, Scommatibus ac dicteriis contra S. Pontificem & Ecclesiam Romanam,* immo

imo & hæresibus refertum ; idque (ut ipse fatetur) non tam animo addiscendi hæreses, vel assentiendi iisdem, sed potius impugnandi alios catholicos, tum studiosos tum etiam Clericos &c. id, quod sæpius practicare consuevit, vel maximopere sibimet complacens, si quandoque invenit tales, qui non scivere dissolvere fundamenta, aut dicteria hæreticorum : hoc dum alteri cuidam amico nuper revelavit, cœpit is dubitare, an Titius non peccaverit propterea, vel incurrerit excommunicationem Bullæ Cœnæ. Quid judicii de hoc formabit Confessarius?

89. R. ad hunc Casum primo, Titium non incurrisse excommunicationem in Bulla Cœnæ latam *contra hæreticos*. Ratio est: quia, ut casus fert, talem librum non legit animo addiscendi hæreses, vel iisdem assentiendi : qui autem hæresi aut propositioni hæreticæ assensum nunquam præbuit, hæreticus dici non valet, secundum dicta *n.76.* ergo Titius non incurrit excommunicationem latam in hæreticos; secus dicendum foret, si revera hujusmodi erroribus Fidei orthodoxæ contrariis assensum præbuisset, eundemque exterius manifestasset serio, ita scilicet, ut revera fuerit visus ex propria mente loqui : tunc enim excommunicationis pœnam in hæreticos vi Bullæ Cænæ latam indubitanter incurrisset, prout relinquitur ex dictis supra 76. de quo etiam videri possunt dicta *part. 2. Theolog. decalog. Confer. 5. n. 138. & seqq.*

Dixi, Titium non incurrisse excommunicationem latam *in hæreticos*; majus quippe dubium moveri posset, an saltem non inciderit excommunicationem latam in legentes Libros hæreticos &c. & an non peccaverit graviter legendo illum Libellum infamem? Ad hanc igitur quæstionem.

90. R. jam secundo. Titium probabilius graviter peccasse legendo hujusmodi Libellum infamem (qualis haud immerito dici meretur Liber cui titulus :

Regnum mortuorum seu das Reich der Todten : & alii plures) Ratio est : quia homo nomine potius, quam re Catholicus (qualis supponitur Titius noster) hujusmodi infames Libros nunquam potest legere sine periculo approbandi, vel assentiendi hæresibus, aut dicteriis contra Catholicam seu Orthodoxam fidem? nec sine periculo alios scandalizandi per hujusmodi discursus contra fidem veram inde formandos, prout experientia multiplex probat : at, qui tali periculo sponte sese exponit, graviter peccat : ergo &c. Unde etiam in Indice Librorum prohibitorum edito auctoritate Alexandri VII. Bulla speculatores. 15. non solum Libri hæreticorum, hæresin continentes, aut de Religione ex professo tractantes fuere sub excommunicatione latæ sententiæ prohibiti; sed insuper in secunda ac tertia Classe ejusdem Indicis sub gravi peccato fuerunt prohibiti alii plurimi Libri, qui nullam quidem hæresin, aut falsum dogma, sed doctrinam non sanam, bonis moribus repugnantem, aut suspectam continent,&qui hujusmodi Libros legisse, aut habuisse deprehensi fuissent, præter peccati mortalis reatum, quo afficiuntur, jubentur judicio Episcorum severe puniri. De quo videri potest Reiffenstuel *L. 5. Decret. tit. 7. num. 100. & seqq.*

91. R. jam tertio ad hanc quæstionem. Titius probabilius ratione hujus lecturæ incidit in excommunicationem vi Bullæ Cœnæ latam *in Legentes Libros hæreticos*. Ratio est : quia ad hanc incurrendam sufficit, Librum fuisse ab hæretico compositum, & insuper hæresin continere, aut de Religione tractare &c. atqui Libellus a Titio lectus, ponitur ab auctore hæretico sive uno, sive pluribus compositus, simulque nedum dicteriis, & scommatibus contra Sanctam Ecclesiam Romano-Catholicam, sed etiam hæresibus refertus : ergo Titius hunc legendo incidit in excommunicationem. Nec refert, quod Titius id non fecerit animo perverso, scilicet addiscendi hæresin, vel animo eidem assentiendi &c. quia homo iste saltem sese exposuit periculo perversionis. Quin etiamsi supponeretur ex parte Titii nullum subesse periculum, quia tamen periculum commune semper manet, & Leges in communi periculo fundatæ (qualis est hæc) non cessant obligare ex eo, quod in casu particulari cesset tale periculum, prout ex professo diximus *tract. 1. prælim. Confer. 11. n. 307.* hinc dicendum, quod Titius graviter peccaverit, idque toties, quoties interruptis moraliter

vici-

vicibus materiam notabilem legit. Videatur Kreslinger *addit. post. n.39. ad tr. 4. dist. 4. Theologiæ mor. R. P. Reiffenstuel.*

Dices contra hanc resolutionem: in nostra Germania (præsertim ubi Catholici mixti vivunt hæreticis) hujusmodi Libri etiam controversistici passim solent & legi per modum novellarum, & retineri, etiam ab hominibus timoratis, Episcopis scientibus, & non prohibentibus: ergo Titius non peccat legendo, consequenter nec incurrit excommunicationem.

Et certe Laymann, Tannerus, Pichler, aliique probatissimi Doctores Germani fatentur, Bullam Cœnæ quantum ad lectionem similium Librorum in nostra Germania non esse cum tanto rigore receptam.

92. R. *Negando antecedens*: nam de illa praxi timoratorum in nostra etiam Patria non satis constat: Et licet hic Augustæ, ubi in medio Lutheranorum vivimus, fortassis reperire sit quosdam licentiosiores, qui præsumunt Libros etiam controversisticos legere a Lutheranis compositos, paucos tamen e timoratis reperies, qui hoc sine scrupulo vel remorsu conscientiæ faciant. Accedit, quod hujusmodi Libri, v. g. Regnum mortuorum, vel ut vocant, *collectio Relationum innocentium* revera sint periculosi ac perniciosi, tametsi enim Auctores eorum videantur nil aliud intendere, quam relationes historicas &c. reipsa tamen spargunt suas hæreses, satagunt vindicare & defendere sectas suas, proscindunt dicteriis ac scommatibus Ecclesiam Catholicam, & hujus contemptum omnibus ingerere conantur pro viribus: quis ergo sibi tam facile persuadeat, Ecclesiam, vel Episcopos velle talem lectionem permittere suis subditis? sunt revera, & manent Libri hæretici: tractant pluribus in Locis ex professo de Religione, seu controversiis Religionum, &, ut Casus fert, sunt referti hæresibus: ergo manent vi Bullæ Cœnæ prohibiti sub pœna excommunicationis. Illud equidem verum est, in nostris hisce partibus Bullæ Cœnæ fuisse non nihil derogatum quantum ad lecturam illorum Librorum hæreticorum, qui ex professo solum tractant v. g. de jure, Medicina, historia &c. & solum incidenter, ac per accidens quasi unam vel alteram hæresin continent vel insinuant, prout bene advertit La Croix *L. 7 n. 332.* aliter tamen loquendum arbitror de illis hæreticis, quorum intentum est, Catholicam Religionem denigrare, prostituere, & venenum Sectæ suæ omnium cordibus latenter quodamodo infundere; de quo videri possunt dicta *part. 2. Confer. 4. num. 120.* noster P. Cherubinus Mayr *in Trismegisto de fide, spe &c. dist. 2. num. 195.* Felix Potestas *in Exam. Confessar. tom. 2. part. 2. num. 357.* Kreslinger *in addit. post n. 40. tr. 4. dist. 4. Theolog. mor. R. P. Reiffenstuel.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Clericus Religiosus horti cujusdam cultor & custos, cum alium quemdam Clericum deprehendisset in horto suo radices seu raphanos rapientem, subitanea ira percitus eundem apprehendit, voluitque præcipitare in puteum vel aquam; ast vero alter ille, ubi animadvertit, rem serio agi, restitit pro viribus, tandemque prævalens, Sempronium in eundem puteum vel aquam projecit, & abiit. Quæritur jam, an, vel quisnam ex his duobus incurrerit excommunicationem Canonis: Si quis suadente?

93. R. ad hunc Casum primo cum distinctione. Vel enim subitanea illa ira fuit tam vehemens, ut rationem omnino prævenerit, nec reliquerit sufficientem deliberationem ad peccandum mortaliter, vel non fuit tam vehemens? si primum, dicendum, quod Sempronius non inciderit excommunicationem; quia secundum dicta superius *num. 8.* & *communissimam Doctorum*, pœna excommunicationis majoris utpote gravissima, supponit peccatum mortale. Si vero secundum, dicendum foret, eum incurrisse hanc censuram Canonis. Ratio est: quia violentas manus injecit in Clericum, & quidem cum magna injuria erga statum Clericalem, idque sine sufficiente, vel satis ponderosa causa: at, qui hoc deliberate satis facit, incurrit excommunicationem Canonis: & quia iste est Casus Papalis, hinc non posset absolvi a quolibet, quantumvis potestate in casus in or-

dine reservatos prædito Confessario, sed necessum erit, ut talis facultas a superiore specialiter obtineatur, prout ex professo diximus *part. 2. Theolog. Sacram. Confer.* 14. *n.* 381. Videatur La Croix *L.* 7. *n.* 321.

94. R. ad eundem Casum secundo. Si ille alter Clericus non potuit se aliter a suo invasore injurioso, vel ab illa confusibili, & status Clericali prorsus indigna projectione in puteum expedire, absque peccato, aut nota Censuræ potuit eundem projicere in eundem puteum. Ratio est: quia omnia jura permittunt vim vi, quantum opus est, repellere, uti habetur *c. si vero* 3. *de sent. excomm.* ergo si hic non potuerit aliter evadere, nisi projiciendo eundem Clericum aggressorem in puteum, culpæ aut excommunicationis reus argui nequit. Vid. Laymann *L.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 8.

Dices tamen contra: juxta resolutionem *n.* 82. datam, non incurrit hanc Censuram, qui ob sui, vel etiam rerum suarum defensionem injicit violentas manus in Clericum, & ob hanc causam admittimus, quod contra Sempronium Clericus sine nota censuræ potuerit sese defendere: ergo similiter debemus admittere, quod licuerit Sempronio ad defendendos suos Raphanos Clericum Raptorem projicere in puteum.

95. R. Cum distinctione jamjam insinuata, non incurrit &c. si quis se vel res suas defendat tutela inculpata, id est, moderata & rationabili, *concedo*. Si id faciat tutela excessiva seu culpabili, *nego*. Sempronius enim potuisset ac debuisset Clericum illum alia via modestiore repellere, vel, si noluisset cedere, deferre ad suum Superiorem, non autem illico violenter, & ignominiose eundem aggredi, non sine permagna irreverentia erga statum Clericalem. Hinc notanter diximus, fas esse vim vi repellere, *quantum opus est*, non autem quantum libet: propereaque La Croix *l.* 7. *n.* 317. recte dicit, ad evadendam hanc censuram necessum esse, ut talis defensio statim fiat post aggressionem; si quis enim Clericum repercuteret, posteaquam is jam cessavit vim inferre, jam incurreret hanc censuram, quia non amplius dici posset repulisse vim vi; debetque semper servari moderamen inculpatæ tutelæ, ut non plus fiat, quam sit necesse ad vim repellendam. Vid. Palao *tr.* 29. *pu.* 22. *§.* 3. *n.* 5. *&* 14.

CASUS TERTIUS.

Cajus Religiosus in itinere constitutus inopinato offendit quemdam sui Ordinis Apostatam vestibus sæcularibus indutum: ad parcendum proin honori Ordinis, & ad lucrandam animam, procuravit, ut ille Apostata ab aliquo tertio bono amico invitaretur. Tum vero sub medium convivii Cajus assumpto uno alterove socio laico irrupit, eundemque ab iisdem laicis frustra reclamantem & privilegium Canonis prætendentem vinculis constringi fecit. An juste & sine nota excommunicationis?*

96. R. Omnino juste & sine nota excommunicationis; tum quia talis manuum injectio non fuit facta *suadente diabolo*, sed potius suadente DEO, & charitate proximi; tum etiam quia est conformis Legibus ac Privilegiis Ordinum Religiosorum; nam in primis Innocent. IV. Bulla *Provisionis nostræ* (septima apud Rodriquez in Bullario) ita loquitur Ordinis nostri Prælatis: *Ut Apostatas & insolentes vestri Ordinis, nisi vestris salutaribus monitis acquiescant, excommunicare, ligare, capere & carceri mancipare (si videbitur expedire) possitis, auctoritate præsentium vobis concedimus facultatem.* Eandem facultatem excommunicandi, capiendi & incarcerandi Apostatas Sixtus IV. Bulla *Noverint Universi* (33. apud Rodriquez) concessit Prædicatoribus. Idem concessit Eremitis S. Augustini. Idipsum concessit Alexander IV. Patribus Carmelitis teste nostro P. Kerckhove *in stat. gen. c.* 6. *§.* 6. *n.* 1. Idipsum conceditur laicis, ut ad mandatum Prælati ecclesiastici possint Clericos vel Monachos facinorosos capere, *cap. ut famæ de sent. Excomm. & c. si Clericos eod. in sexto*. Nec obstat, quod Religiosus ille, utpote in itinere constitutus, videatur hanc capturam attentasse privata auctoritate; nam in casu necessitatis (uti erat iste) cuilibet fratri hæc facultas capiendi Apostatas, adhibito etiam, ubi opus fuerit, brachio sæculari, concessa est vi constitutionum Apostolicarum, prout expresse loquuntur nostra statuta generalia *cap.* 6. *§.* 20. *n.* 6.

n. 6. ergo revera non auctoritate privata, sed publica, scilicet SS. Pontificum, & totius Concilii generalis hoc fecit, & prudenter omnino, dum pro evitando strepitu adhibuit cautelam, ut apud bonum amicum in domo privata caperetur; quia hoc modo exclusit scandalum pro possibili, id, quod semper circa tales quam sollicitissime præcavendum, ne posterior confusio in captura fiat major, quam prior per ipsam apostasiam, ab ordine perpessa, prout sapienter monet KercKhove *loc. cit. n.* 13.

Dices tamen contra hanc resolutionem: capere hujusmodi hominem videtur actus jurisdictionis contentiosæ: sed talem actum non licet exercere in territorio alieno sine consensu aut præscitu Domini territorialis: ergo Religiosus ille, sive Sacerdos fuerit, sive conversus &c. male fecit capiendo apostatam.

97. R. Explicando & *distinguendo minorem*. Talem non licet exercere, per se loquendo, & nisi id jura concedant, *con.* si jura id concedant, prout fit in nostro proposito, *neg. minor. cum conseq.* Hanc enim potestatem nedum jure ecclesiastico, sed & civili Prælatis Regularibus competere, multis demonstrant Navarr. *in cap. Nullam* 18. *q.* 2. *Comment.* 3. *de Regularibus n.* 3. eumque secutus Miranda noster *in Manual. Prælat. Regul. tom.* 1. *q.* 51. *art.* 3. Nam 1. quicunque rem aliquam possidet, si ab eo auferatur, potest illam propria auctoritate recuperare, utpote habens ius insistendi eidem, prout tradit Bartholus *in L. si quis* 17. *§. differentia ff. de aquir. possess.* 2. Juxta communem Doctorum dominus possidens servum fugientem potest capere, ubicunque illum invenerit. *L.* 5. *§. per servum, qui in fuga ff. de aquir. possess.* Rursus juxta *l.* 1. *C. ubi causa status* qui habet ancillam, & invenit eam fugientem extra provinciam & proprium territorium, potest illam propria auctoritate capere: Multæ præterea leges (inquit Navarrus) sunt, quæ dicunt idipsum de marito: quidni ergo hoc ipsum concedatur Prælato Regulari, vel hujus subdito mandatario respectu fugientis Apostatæ? Et certe parum negotii hæc res facesset Prælatis in territorio Principis vel Domini Catholici, multum vero per omnem modum in locis Domino acatholico subjectis, ubi propterea quam cautissime procedendum erit, ad evitandas majores confusiones, aut prostitutiones Sacræ Religionis. Videatur Palao *tom.* 3. *tr.* 16. *pu.* 16. *n.* 14.

Sed quid (inquies) si talis Clericus vel Religiosus in loco carceris insolentem sese monstret v. g. clamando tam alte, ut ab aliis forte prætereuntibus sæcularibus, non sine prostitutione Ordinis vel Conventus, audiatur, vel si de uno alterove gravi crimine violenter suspectus, nolit illud fateri, licebitne talem graviter percutere v. g. virgis &c. etiam usque ad sanguinis effusionem; idque sine periculo excommunicationis a Prælato (cujus auctoritate fit) incurrendæ?

98. R. Licet quidem talem percutere, vel etiam torquere, sed moderate juxta proportionem delicti, & quidem pœna mitiore, quam delicti gravitas de se mereretur, non autem immoderate. Ratio est: quia illud prius jura concedunt, non item hoc posterius. Hinc Prælati incurrunt excommunicationem (inquit La Croix *l.* 7. *n.* 318.) si Religiosos subditos cum excessu verberent, item, si delinquant in modo, v. g. projiciant librum ad caput, pede trudant &c. hæ enim pœnæ non sunt concessæ a jure, uti bene ostendit Dript. *in cautione judiciali sect.* 2. *art.* 14. *pag.* 285. Ita La Croix *l. cit.* Sed de his pluribus inferius *Confer.* 20. *a n.* 681.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

99. Colliges ex hactenus dictis primo, etiam in nostra Germania libros hæreticos hæresin continentes, vel de Religione ex professo (esto non nisi in uno vel altero articulo &c.) tractantes, a nemine sine speciali licentia retineri, aut legi posse, quin excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrat. Ratio est: quia Bulla Cœnæ prohibet absolute omnem lectionem & retentionem hujusmodi librorum in quocunque Officio constitutis, ex quavis causa, vel quocunque ingenio vel colore, absque Sedis Apostolicæ licentia vel auctoritate.

Et

Et licet secundum dicta *part.* 2. *Theolog. decalog. Confer.* 4. *num.* 112. dari possit subinde locus Epikeiæ in tantum, ut vir prudens ac discretus v. g. ad convincendum hæreticum, aut retundendum eorum insultum, vel informandos alios &c. tuta conscientia possit inquirere aliquam citationem, vel textum in libro hæretico v. g. colloquiis mensalibus Lutheri &c. nemo tamen facile fatebitur, ob hanc causam universaliter legi aut retineri posse hujusmodi libros, etiam a Curatis. Casu quo tamen necessitas frequentioris conversationis talem retentionem vel lectionem suaderet, aut exigeret, opus erit, ut talis petat facultatem a summa Sede, prout bene notat noster P. Cherubin Mayr *in Trismeg. cit. n.* 196.

100. Colliges secundo, neque lectionem Bibliorum Germanicorum ab animarum pastoribus indifferenter omnibus fidelibus pro libitu esse permittendam. Ratio est: tum quia multa Biblia sive hominum ignorantia aut incuria, sive dein perversitate ac perfidia fuere depravata, præsertim in nostra vernacula seu germanica lingua.

Et licet Biblia vulgata & vernacula Eckii vel Dietenbergii sine offensa legi possent; quia tamen homines plebei inter genuina & corrupta vel depravata tam facile discernere non possunt, & experientia compertum habetur, ab hæreticis ad homines dementandos, aut decipiendos fideles Bibliis depravatis ac corruptis subin præfixa fuisse nomina Interpretum vel etiam Typographorum Catholicorum; hinc jure merito in Regula IV. Indicis cavetur, ne sine Judicio Episcopi aut Inquisitoris cum consilio Parochi vel Confessarii etiam lectio Bibliorum a Catholicis Auctoribus versorum in lingua vulgari ab aliquo attentetur. Ex quibus prudens Confessarius facile advertet, hanc lectionem tam facile non esse permittendam, sed cum multa perspectione ponderandas esse qualitates ac circumstantias personarum tum lectoris, tum etiam interpretis.

101. Colliges tertio præsertim ex dictis *nu.* 92. fidelibus sub pœna excommunicationis prohibitum quidem esse, ne legant libros controversisticos hæreticorum, id est, ab hæreticis compositorum, at, non eo ipso eisdem vetitum esse, legere libros controversisticos a Catholicis compositos, quibus hæretici refutantur, quales sunt libri A. R. P. Pichler, Weislinger, Kazenberger, Pfiffer (ut silentio prætereaam Bellarmini, Gretscheri, & aliorum de Ecclesia optime meritorum opera nunquam satis laudanda) Nec dubium, quin id laudabilissime fiat a fidelibus, quibus incumbit sæpius agere cum acatholicis, eorumque dicteria vel scommata erga Ecclesiam catholicam audire: aliis tamen indoctis, a conversatione vel notitia hæreticorum remotis, id minime consulendum esset; quia tales ex hujusmodi lectione facile plus nocumenti spiritualis, quam fructus haurire possent, non propter errorem scribentis, sed propter incapacitatem legentis, inquit sapienter noster P. Cherubinus Mayr *loc. cit. n.* 199.

102. Colliges quarto, excommunicationem Canonis *si quis suadente &c.* nedum a viris, sed etiam a fœminis posse incurri, si quæ actionem externam graviter injuriosam & injustam exerceat in Clericum v. g. percutiendo, luto eundem conspurcando &c. (secus putarem, si verbis duntaxat injuriosis eundem impetat; quia per hoc dici non potest injecisse manus violentas &c. prout bene advertit Mastrius *Theolog. mor. disp.* 13. *art.* 4. *n.* 62. *fin.* Kazenberger *supplem. decalog. P. Sporer c.* 3. *num.* 114.) Ratio est: quia textus utitur verbo: *si quis*: at, hoc est universale omnes comprehendens, ut constat *ex l. qui filiabus* §. 1. *ff. de legatis I.* ergo &c. Porro hunc Canonem nedum ad physice percutientes, sed etiam ad mandantes, consulentes, percussionem in gratiam sui postea ratihabentes, seu approbantes, extendendum esse, jam supra *n.* 80. annotavimus *ex communi Doctorum*: idipsum DD. tenent de non impedientibus hujusmodi violentam manuum injectionem, saltem quando ex officio tenebantur impedire, uti videre est apud Palao *tr.* 29. *d.* 3. *pu.* 22. *n.* 13. Bonacin. *tr.* 1. *disp.* 2. *de censur. q.* 4. *pu.* 1. §. 2. *n.* 8. Molinam, Laymannum & alios. Quin etiamsi Clericus in sui percussionem violentam consentiret, nihilominus excommuni-

municatio non evitaretur; quia cum talis actio redundet in injuriam totius status Clericalis, in cujus favorem Canon hic, seu privilegium immunitatis concessum fuit; hinc Clericus privatus nequit efficaciter consentire, seu juri huic cedere, prout bene notat Babenstuber, Kazenberger, & alii *communiter.*

Sed quid, si mandans aut consulens hujusmodi violentam manuum injectionem postea revocet suum mandatum aut consilium, & nihilominus mandatarius exequatur eam, posthabita revocatione?

103. R. Qui mandatum vel consilium in ordine ad violentam manuum injectionem datum serio & efficaciter revocavit, & quidem prius, quam executioni data fuere, probabilissime non incurrit hanc excommunicationem. Ita cum Coninch, Laymanno & aliis Castropalao *cit. pu.* 22. §. 2. *num.* 9. Ratio est: quia in tali casu dici non debet, delictum fuisse secutum vi mandati aut consilii, sed ex sola malitia exequentis.

104. Secus dicendum arbitror, casu quo talis revocatio vel omnino non fuisset facta, vel certe non pervenisset ad aures mandatarii ante executionem. Ratio desumitur ab opposito: quia in hoc casu mandatum aut consilium adhuc vere est causa executionis, statui Clericali injuriosæ.

Nec refert, quod forte ille, qui mandatum dedit, ante executionem efficaciter doluerit, propodereaque nec amplius dici valeat contumax aut rebellis Ecclesiæ; non inquam refert; quia ad incurrendam hanc censuram sufficit, quod quis fuerit rebellis Ecclesiæ ac contumax tunc, quando mandatum dedit, & vi hujus percussio violenta fuerit effective secuta, nec est necessum, ut quis sit rebellis tunc, quando percussio aut violentia actu infertur personæ Clericali; secus enim dicendum foret, nec illum incurrere hanc censuram, qui Clericum occideret lethaliter vulnerando, aut venenum eidem propinando, ante mortem tamen effective secutam doleret de suo delicto; quod tamen certo falsum videtur, prout recte arguunt Laymann *cit. c.* 5. *n.* 7. Lessius *l.* 2. *c.* 13. *dub.* 3. *n.* 17. Palao *l. cit. n.* 7. Bonacina, Molina, & alii.

105. Colliges quinto ex dictis *n.* 93. percussorem Clerici ab hac censura excusari posse ob imperfectionem actus, ut si quis subitanea ira percitus alterum percutiat, præsertim non adeo graviter; qua de causa sæpius putem excusari posse Religiosos, si unus alium ex subita ira vel passione iracundiæ percutiat &c. idipsum a fortiori dicendum est, si id contingat causa joci aut ludi tantum; nam esto alias talis percussio gravis esset, modus tamen, quo contingit, gravitatem minuit, ne culpam mortalem attingat, neve censuram contrahat percutiens. *Argum. c.* 1. *de sent. excomm.* Molina *tr.* 3. *disp.* 51. *num.* 7. *&* 8. Bonacin. *disp.* 2. *de censur. in partic. q.* 3. *punct.* 6. *sect.* 2. *num.* 3. Laymann *cit. c.* 5. *num.* 8.

106. Colliges sexto, ad hac censura pariter excusandum, qui percutit Clericum, probabiliter ignorans, esse talem. Ratio est: quia hæc excommunicatio non propter quamcunque percussionem etiam injustam, sed propter percussionem sacrilegam, statui Clericali injuriosam fuit lata: atqui stante ignorantia probabili status Clericalis, cessat injuria, prout manifeste colligitur *ex cap. si vero* 4. *de sent. excomm.* ubi excusatur ab excommunicatione percussor Clerici comam nutrientis: ergo &c. Hinc recte infert La Croix *lib.* 7. *nu.* 313. non fieri obnoxium huic censuræ, qui percutit in bacchanalibus Clericum cum larva currentem; quia imprudenter crederet esse Clericum: idipsum dicendum de percutiente Clericum in tenebris, vel tempore nocturno incedentem sine habitu clericali &c. secus dicendum foret, si quis certo sciens esse Clericum, solum simularet se id nescire; quia talis scienter inferret gravem violentiam & injuriam statui clericali.

107. Colliges septimo, ab hac excommunicatione immunem esse, qui putans se percutere Clericum, & fortassis id etiam intendens, reipsa percussit laicum. Ratio est: quia de tali dici nequit, quod violentas manus injecerit in Clericum, sed solum quod voluerit, aut inten-

intenderit: Ecclesia autem non vult punire solum affectum, sed externam sacrilegam manuum injectionem, uti notavit Molina, Suarez & alii.

Sed quid, ais, de illo tenendum, qui putavit se percutere Joannem Clericum, reipsa autem percussit Paulum Clericum?

108. R. cum Palao *cit. n.* 4. talem incurrere vinculum excommunicationis. Ratio est: quia hæc non imponitur ob percussionem hujus vel illius, sed ob Clerici voluntariam percussionem: atqui talis supponitur voluntarie percussisse Clericum, quandoquidem percussus habitum & tonsuram Clericalem gestasse supponitur: ergo &c. Similiter excommunicationis hujus reum existimat La Croix *l.* 7. *n.* 314. illum, qui intendit actu percutere hunc hominem, sive laicus sit, sive Clericus, & a parte rei Clericum percussit: quia etiam in tali casu verum est dicere, quod voluntarie percusserit Clericum.

109. Colliges tandem octavo, gravis noxæ, & excommunicationis hujus reum arguendum fore illum Prælatum vel Superiorem Religiosum, qui subditum suum delinquentem juberet verberari usque ad sanguinis effusionem, os & nares contundi, usque ad copiosum sanguinis profluvium. Ratio colligitur ex dictis *n.* 98. quia talis modus corrigendi est omnino excessivus, & maximopere dedecens statum Clericalem, ideoque juribus contrarius. Secus dicendum foret, si talis Religiosus esset omnino amens aut phreneticus, alios quoque invadens, & periculose percutiens, ita, ut aliter non possit compesci; quamvis etiam talis commiseratione potius, quam excessivo rigore dignus sit.

Dices fortassis: sed talis Religiosus aut Clericus est nequam, malitiosus, & pertinax, nec vult fateri gravia crimina, de quibus exstat semiplena probatio, nisi gravius in eundem animadvertatur.

110. R. cum P. KercKhove *in methodo corrigendi Regular. c.* 4. *§.* 5. *n.* 4. hoc non obstante Regulares mitius semper ac levius, ceteris paribus, esse torquendos aut castigandos, quam laicos, idque partim ob metum excommunicationis, si excedatur; partim etiam ob reverentiam status Religiosi. Neque Religiosis alia tortura, nisi Religiosa adhibenda est, inquit Ghisilerius *cap.* 18. *§. de tortura n.* 63. apud KercKhove *cit. n.* 5. nempe in gravissimis delictis carcer cum inedia: in gravioribus Camera disciplinæ, vel Cella, aut Conventus pro carcere, cum præcepto non exeundi sub pœna carceris: subtractio cibi & potus, comestio in terra, quousque veritatem deponant testes aut rei, aliæve pœnæ, juxta cujusque Congregationis instituta; qui vero jam confessus vel convictus est de aliquo crimine, ratione illius nequit amplius torqueri; cum enim ex Confessione sententiari aut condemnari jam valeat ad pœnam promeritam, necessaria non amplius est tortura, multo minus conveniens statui Religioso. Videatur de his P. Reiffenstuel *L.* 5. *decret. tit.* 1. *de accusat. nu.* 472. *& seq.* nam pluribus hisce inhærere non est mei fori aut instituti; nonnulla tamen dicemus infra *Conferent.* 20.

CONFERENTIA
QUARTA
De Suspensione, Interdicto, & aliis pœnis Ecclesiasticis.

SUMMARIUM.

111. *Nomine suspensionis intelligitur hic pœna Ecclesiastica, vi cujus Clerico prohibetur usus potestatis Ecclesiasticæ.*
112. *Dividitur varie, præcipue in suspensionem 1. ab officio, 2. a beneficio, & 3. ab utroque simul; hinc*
113. *Suspensus ab officio, non eo ipso censeri debet suspensus a beneficio, neque vice versa.*
114. *Occurritur geminæ instantiæ in contrarium factæ.*
115. *Suspensio gravis & proprie dicta infligi non debet, nisi ob culpam gravem.*
116. *Et ut licite feratur, debet fieri in scri-*

scriptis cum expressione causæ, saltem per se loquendo.
117. *Violans suspensionem per se loquendo graviter peccat.*
118. *Quinam possint absolvere a suspensione.*
119. *Interdictum est Censura Ecclesiastica, privans aliquibus divinis; quod communiter*
120. *Dividitur 1. in locale. 2. personale, & 3. Mixtum.*
121. *Subdividitur in generale & speciale.*
122. *Recensentur nonnullæ Regulæ pro intellectu Interdicti.*
123. *Potestas ferendi interdictum competit illis, qui gaudent potestate excommunicandi &c.*
124. *Nequit Interdictum ferri, nisi in fideles, & subditos ferenti.*
125. *Interdictum privat quibusdam Sacramentis, non tamen omnibus.*
126. *Privat Divinis Officiis, &*
127. *Sepultura Ecclesiastica: Quomodo?*
128. *Violatores interdicti per se loquendo peccant mortaliter.*
129. *A quibus, vel quomodo tolli possit Interdictum.*
130. *Describitur brevissime Cessatio a Divinis.*
131. *Item Depositio, & Degradatio.*
132. *Resolvitur Casus I. de quodam Curato, qui, non obstante suspensione baptizavit infantem:*
133. *Voluitque extra suam Diœcesin cum alio permutare suum beneficium.*
134. *Et in illo loco (extra suam scilicet Diœcesin) quotidie celebravit.*
135. *Resolvitur Casus II. de quodam Religioso, qui a suo superiore simpliciter suspensus, male egit excipiendo nonnullorum Confessiones &c.*
136. & 137. *Solvuntur duæ objectiones contra hanc resolutionem.*
138. *Resolvitur Casus III. de quodam Sacerdote, qui stante interdicto, Moribundo administravit S. Viaticum.*
139. *Quid si adfuisset alius Sacerdos non interdictus, qui hoc potuisset administrare?*
140. *An, vel quo loco defunctus tempore interdicti possit, vel debeat sepulturæ mandari.*
141. *Omnes & soli Clerici (excepto S. Pontifice) possunt incurrere censuram suspensionis.*
142. *Pro dignoscenda qualitate Censuræ attendendum bene est ad verba, seu terminos Decreti.*
143. *Ultra quos nullatenus debet extendi: Unde*
144. *Suspensus ab Ordine, non eo ipso debet censeri suspensus a jurisdictione.*
145. *Et vicissim suspensus a Jurisdictione, non debet censeri suspensus ab Ordine.*
146. *Suspensus simpliciter ab omni beneficio, privatus existit omnibus fructibus beneficii.*
147. *A quo, vel quibus mediis talis debeat sustentari.*
148. *Fideles non peccant communicando cum aliquo suspenso vel interdicto, modo talem non inducant ad violandam censuram.*
149. *Tempore Interdicti licet Fidelibus etiam interdictis contrahere Matrimonium, sine benedictione solenni.*
150. *Solvitur Instantia in contrarium facta.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de Suspensione, & Interdicto.

Quæres primo, quid sit Suspensio? & quotuplex?

111. R. ad primum. Suspensio, de qua impræsentiarum agimus, uti est quædam pœna Ecclesiastica, recte dicitur esse censura, vi cujus Clerico prohibetur usus potestatis Ecclesiasticæ. Ita re ipsa *Communiter Doctores*.

Dicitur 1. *Censura*, id est pœna spiritualis & medicinalis, in quo velut genere convenit cum excommunicatione ac interdicto: differt simul a degradatione, depsitione & irregularitate, quæ non sunt pœnæ medicinales &c. Dicitur secundo, *vi cujus Clerico prohibetur* &c. quia subjectum hujus Censuræ sunt soli Clerici, etiam prima tonsura initiati; quia soli Clerici capaces sunt potestatis Ecclesiasticæ, ordinis scilicet, vel jurisdictionis spiritualis, ac beneficii ecclesiastici. Dicitur 3. *usus potestatis ecclesiasticæ*, nam per suspensionem

sionem non aufertur simpliciter potestas ordinis vel jurisdictionis, vel beneficii ecclesiastici, sed usus tantum, & exercitium hujus impeditur: atque hic est proprius & adæquatus effectus suspensionis scilicet privare Clericum exercitio actus, seu potestatis ecclesiasticæ, ut non possit illum licite & absque peccato exercere, quamdiu manet suspensus. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 13. *dist.* 2. *num.* 76.

112. R. jam ad alteram partem quæsiti. Suspensio varie dividitur; juxta *communissimam Doctorum*, & quidem I. Alia dicitur *latæ sententiæ*, quæ scilicet ipso jure infligitur Clerico delinquenti; alia vero *ferendæ sententiæ*, quæ primum post sententiam Judicis incurritur.

II. Alia dicitur suspensio *ab Officio*, *alia a Beneficio*: ab Officio illa dicitur, qua Clerico prohibetur executio suorum Ordinum, aut aliarum functionum, ratione Ordinis, ac muneris Clericalis eidem competentium: a beneficio autem vocatur, qua Clericus prohibetur percipere fructus sui Beneficii ecclesiastici.

III. Rursus utraque hæc suspensio subdivi solet in totalem, & partialem. Suspensio totalis ab Officio dicitur, quando quis omni usu Officii ecclesiastici; partialis vero, dum quis solum aliquo usu v. g. sola celebratione Missæ, aut exceptione Confessionum &c. prohibetur. Similiter suspensio totalis a Beneficio vocari solet, per quam Clerico subtrahitur omnium fructuum perceptio; partialis vero, dum eidem solum subtrahitur certa quota v. g. tertia, aut quarta pars eorum. Porro dum quis privatur simpliciter omni usu tam Officii, quam etiam Beneficii, dicitur *Suspensio ab utroque*. Videatur Reiffenstuel *l. cit. a n.* 78.

Quæres secundo, utrum ergo suspensus ab officio, non eo ipso censeri debeat suspensus a Beneficio? aut vice versa?

113. R. Nequaquam. Ratio est: quia suspensio ab Officio est pœna omnino diversa a suspensione a Beneficio: ergo potest una separari ab alia, vel una inferri sine alia: adde, quod juxta *Reg.* 15. *Jur. in sexto odia restringi, & favores convenit ampliari*: atqui pœna suspensionis est odiosa: ergo debet, quantum proprietas verborum patitur, restringi; nam *in pœnis* semper *benignior est interpretatio facienda*, ut dicitur *Reg.* 48. *J. in sexto*.

Dices, beneficium datur propter Officium: ergo qui privatur usu Officii, pariter usu beneficii seu fructibus ex beneficio percipiendis privari debet: & e contra, qui non est privatus officio, neque beneficio est privandus.

114. R. Negando *utramque conseq.* Nam 1. privatus usu officii non est simpliciter privatus officio: & licet stante hac suspensione licite (sine necessitate) nequeat fungi officio, potest tamen, immo tenetur hoc præstare per alium: ergo etiam potest percipere fructus. 2. Quod autem non suspensus ab officio possit suspendi a beneficio seu fructibus percipiendis, minime mirandum, quia hæc privatio est separabilis ab illa, & Ecclesia vult eam separare in pœnam delicti; ideoque delinquens sibimet imputare debet talem privationem, fructuum scilicet percipiendorum. Videatur P. Khamm *de censuris in specie c.* 5. *n.* 239. *& seqq.*

Quæres tertio, quam ob causam, & quomodo ferenda sit Suspensio?

115. R. ad primam partem hujus quæsiti. Suspensio proprie dicta & gravis (qualis censetur suspensio ab officio, a beneficio, ab ordine, a jure eligendi, beneficia conferendi &c.) inferri nequit, nisi ob culpam mortalem. Filliucius *tr.* 17. *c.* 4. *n.* 63. Laymann *tr.* 5. *part.* 3. *c.* 3. *nu.* 2. Ratio est: quia pœna debet esse commensurata culpæ, & hanc nullatenus excedens: atqui non esset commensurata culpæ, sed nimium excedens, si talis suspensio inferretur ob solam culpam levem seu venialem: ergo &c.

Dixi tamen *suspensionem proprie talem & gravem* &c. Secus enim dicendum est de suspensione levi (qualis censetur privatio distributionis ordinariæ unius diei;) quæ non reputatur pœna adeo gravis, sed levis potius. Videantur de his dicta *Confer.* 1. *num.* 8. Quinam porro ferre possint suspensionem,

sionem ; colligi potest ex dictis *num.* 4. & 5.

116. R. jam ad alteram partem hujus quæsiti. Ad hoc, ut censura ab homine per sententiam particularem debite ac licite feratur, debet ferri in scriptis, expressa simul causa, ob quam fertur. Ita Babenstuber *tr.*4. *disp.* 2. *a* 2. *n.* 14. Ratio est: quia hoc expresse demandatur *c.* 1. *de sent. excomm. in sexto*, & ita quidem, ut Judex oppositum faciens per mensem ab ingressu Ecclesiæ & Divinis sit suspensus: hujus constitutionis ratio esse videtur, inquit P. Khamm *de censuris in genere n.* 161. ut reo dari possit copia, si placeat remedium appellationis, &, ne forte durius promulgetur, quam scribatur.

Quæres quarto, an, vel quomodo peccent violatores suspensionis? & quinam possint absolvere a censura?

117. R. ad primam partem hujus quæsiti. Violans Censuram per se loquendo peccat mortaliter. Ratio est: quia in materia gravi agit contra prohibitionem Ecclesiæ. Hinc suspensus ab ordine Sacro, & nihilominus in eo solenniter ministrans, incurrit irregularitatem, *per c.* 1. *de sent. excomm. in sexto* non item si violet aliam suspensionem. Hoc tamen intelligi debet de suspenso ab officio nominatim denuntiato; si enim non sit denuntiatus, adeoque toleratus, tunc ad instantiam fidelium exercendo hujusmodi actum non peccat post Concil. *Constant.* Ecclesia talibus condescendente in bonum fidelium, ideoque nec incurrit propterea aliquam pœnam. Dixi insuper talem *per se loquendo graviter peccare*; nam si suspensus ab ingressu Ecclesiæ modico duntaxat tempore commoraretur in ea, dum peraguntur divina, ob parvitatem materiæ a mortali excusandus foret, prout advertit noster Holzmann *part.* 3. *tr.* 2. *n.* 249. & alii plures.

118. R. jam ad alteram hujus quæsiti partem cum Busenbaum apud La Croix *n.* 403. Laymanno, Bonacina & aliis, a suspensione proprie dicta non reservata, possunt absolvere, qui habent auctoritatem Episcopalem: & communiter Religiosi ex privilegiis possunt absolvere ab omni suspensione in foro conscientiæ: Episcopi autem possunt absolvere ab omni suspensione juris, si Sedi Apostolicæ specialiter reservata non sit: immo etiam ab hac, si proveniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, prout habetur in Concil. *Trid. SS.* 24. *de Reform. c.* 6. Porro, ubi suspensio solum ad tempus certum, vel sub certa conditione lata fuit, elapso tempore, vel adimpleta conditione, cessat per se ipsam, absque alio actu Superioris. Suspensio vero lata per modum puræ pœnæ ob delictum mere præteritum, tollitur per dispensationem, prout cum Laymanno *Lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 4. *num.* 3. tradit Kazenberger *cit. c.* 3. *n.* 133.

Quæres quinto, quid sit Interdictum, & quotuplex?

119. R. ad primam partem hujus quæsiti. Interdictum in quantum sumitur pro censura, bene describitur, quod sit censura, privans aliquibus divinis, quatenus hæc sunt bona Ecclesiæ a fidelibus possidenda. Ita ex *communi Doctorum* noster P. Holzmann *part.* 3. *Theolog. decalog. tr.* 2. *n.* 257.

Dicitur autem hæc censura privare 1. *aliquibus Divinis*; quia solum privat usu activo & passivo Divinorum officiorum, certorumque Sacramentorum, scilicet Ordinis, Extremæ Unctionis, & Eucharistiæ (extra casum viatici dandæ) & Ecclesiasticæ Sepulturæ. Dicitur secundo: *quatenus hæc sunt bona Ecclesiæ a fidelibus possidenda*, in quo Interdictum differt, tum ab Excommunicatione, quæ privat usu bonorum spiritualium, quatenus sunt communia fidelibus, seu in quantum sunt quædam communicatio fidelium; tum etiam a suspensione, quæ solum privat usu potestatis ecclesiasticæ: e contra Interdictum privat usu rerum divinarum, quatenus hæc sunt quædam bona possidenda a fidelibus, citra aliquem respectum mutuæ communicationis, vel potestatis ecclesiasticæ.

110. R. jam ad alteram partem hujus quæsiti I. Interdictum triplex est; scilicet 1. *locale* 2. *personale* 3. *mixtum*. Locale dicitur, quando divina prohibentur solum ratione alicujus loci, non autem ratione personarum. Personale

vero

vero quando hæc prohibentur ratione perſonæ, cui hoc quodammodo adhæreret, ita, ut quocunque demum talis perſona divertat, uſu divinorum exiſtat privata. Mixtum denique (quod alio nomine deambulatorium appellatur) dicitur illud, quod non tantum afficit perſonam, ſed etiam quemcunque locum, quem talis perſona fuerit ingreſſa, ita, ut in hujus præſentia ne quidem aliis in eo loco exiſtentibus concedatur uſus divinorum. Illſung *tr.* 7. *diſp.* 1. *q.* 2. *num.* 63. Babenſtuber *l. cit.* §. 1. *n.* 2.

121. II. Rurſus tam locale quam perſonale Interdictum dividitur *in generale* ac *ſpeciale*. Generale appellatur, quando locus generaliter v. g. totum Regnum, tota Provincia vel communitas interdicitur. Speciale vero, quando interdicitur ſolum locus particularis v. g. Parochialis Eccleſia, aut particularis perſona vel plures etiam particulares v. g. Decanus, vel Capitulares &c. uſu aliquali rerum Divinarum prohibentur. III. Denique ſicut ſuſpenſio, ita & Interdrctum ſolet dividi in Totale & Partiale: prius eſt, quod fertur ſine limitatione ad quoſdam ſpeciales effectus Interdicti: poſterius, quod cum limitatione ad quoſdam v. g. ingreſſum Eccleſiæ, vel ſepulturam Eccleſiaſticam tantum.

Ergone (inquies) circa Interdictum non dantur aliquæ Regulæ obſervandæ?

122. R. Dantur, prout videre licet apud noſtrum Kazenberger *in ſupplem. decalog.* P. Sporer *c.* 3. *n.* 137. Reiffenſtuel, Maſtrium & alios. Ex quibus breviter duas ſeligimus, quarum prima contingit interdictum locale, ſecunda interdictum perſonale. Itaque

I. Sub interdicto locali generali comprehenduntur etiam Eccleſiæ Regularium, quantumvis exemptorum, idque tametſi tale interdictum non ſit emanatum a Summo Pontifice, ſed ab Ordinario loci duntaxat, prout habet Trident. *SS.* 25. *de Regular. c.* 12. Rurſus interdicta Diœceſi cenſeri debet interdicta civitas in ea ſita: interdicta civitate pariter interdicta cenſeri debent Eccleſia Cathedralis ejuſdem, ſuburbia & ædificia in ea contenta: interdicta Eccleſia pariter intelligi debent interdictæ capellæ ejuſdem, & cæmeterium contiguum, non autem viciſſim; quia acceſſorium ſequitur principale, non e contra.

II. In interdicto perſonali generali etiam comprehenduntur innocentes, item abſentes, & alii poſt latam interdicti ſententiam eidem populo aggregati, in quantum ſcilicet ſunt pars talis Communitatis nocentis: non tamen alii, qui non ſunt pars talis Communitatis, neque proprie cives, velut ſunt hoſpites, ſtudioſi extranei, ac peregrini: neque infantes doli nondum capaces, neque Epiſcopus. Rurſus: interdicto Populo non cenſetur interdictus Clerus; nec interdicto Clero interdicti Religioſi; nec viciſſim interdictis Religioſis interdicti Clerici: interdictis tamen omnibus perſonis Eccleſiaſticis alicujus Civitatis vel Provinciæ, interdicti cenſentur tam Clerici, quam Religioſi. Videatur Maſtrius *Theolog. mor. diſp.* 13. *num.* 111. Buſenbaum apud La Croix *l.* 7. *n.* 410. Herincx *diſp.* 6. *a n.* 85.

Quæres ſexto, quinam poſſint ferre Interdictum? & in quos?

123. R. ad primam partem hujus quæſiti. Interdictum ferre poſſunt omnes illi, qui jure ordinario poſſunt excommunicare, & ſuſpendere, uti ſunt Pontifex, Legatus, Nuntius, Epiſcopus, etiam non conſecratus, Capitulum ſede vacante, nec non Superiores Regulares, habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſubditos &c. hi omnes poſſunt ſubditos, vel loca ſibi ſubjecta ſupponere Interdicto. Suarez *de Cenſuris diſp.* 36. *ſect.* 1. Sylveſter *Verbo Interdictum* 3. Palao *tr.* 29. *diſp.* 5. *punct.* 3. *num.* 1. & *alii DD. communiter.* Ratio eſt: quia hi omnes habent juriſdictionem ſpiritualem in foro contentioſo reſpectu ſuorum ſubditorum &c. ergo hi omnes poſſunt ferre Cenſuram Interdicti.

124. R. jam ad alteram partem ejuſdem quæſiti. Interdictum ferri non poteſt, niſi in fideles, & ſubditos illius, a quo fertur. Ratio facile colligetur ex dictis *de Cenſuris in genere n.* 6. quia Eccleſia non judicat de iis, qui foris ſunt: ergo nec condemnat infideles. Dein juriſdictio contentioſa exerceri non

poteſt,

potest, nec debet, nisi in subditum: ergo &c. Ceterum, ut determinata persona interdicatur, videtur requiri culpa mortalis: ut autem feratur Interdictum locale, vel generale in Communitatem, requiritur peccatum valde grave cum contumacia, commissum a capite, vel præcipuis membris, licet reliqui sint inculpabiles. Busenbaum *cit. num.* 424.

Quæres septimo, quinam sint effectus Interdicti?

125. R. *Cum Communi Doctorum*. Effectus interdicti jure moderno sunt tres 1. Privatio quorumdam Sacramentorum. 2. Privatio Divinorum Officiorum. 3. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 13. *dist.* 2. *n.* 98. Explico breviter.

I. Interdictum privat duntaxat susceptione vel administratione aliquorum Sacramentorum, videlicet extremæ Unctionis, Ordinis & Eucharistiæ (extra articulum vel probabile periculum mortis) & etiam benedictione nuptiali, quamvis juxta probabilem sententiam multorum sine tali benedictione licite possit contrahi: his non obstantibus tempore interdicti administrare licet 1. Baptismum velut Sacramentum summopere necessarium. 2. item Confirmationem, quæ est quasi accessorium, & complementum baptismi. Nec non 3. Sacramentum pœnitentiæ utpote valde necessarium. Hoc tamen illicite administraretur illis vel ab illis, qui fuere specialiter interdicti, vel qui causam interdicto dederunt, nisi prius satisfecissent, vel cautionem de satisfaciendo præstitissent. Quia tamen interdictum non privat jurisdictione, hinc adhuc valide hoc Sacramentum administraretur ab interdicto.

126. II. Nomine Divinorum Officiorum (quibus interdictum privat) intelligitur non solum SS. Missæ Sacrificium, sed etiam omnis publica & solennis oratio ab Ecclesia instituta, ut a Clericis ad Dei laudem exerceatur, cujusmodi sunt solemnes benedictiones aquæ benedictæ, cinerum, Palmarum, & Candelarum, quæ nomine & auctoritate Ecclesiæ a Sacerdotibus fiunt. Item Horæ Canonicæ publice legendæ, licet Clerici ad harum recitationem obligati, teneantur eas privatim recitare, non obstante interdicto locali vel personali. Hæc tamen Divinorum Officiorum prohibitio *per cap. Alma Mater de sent. Excomm. in sexto*, fuit jam limitata in tantum, ut si civitas vel alius locus Interdicto subjaceat, *singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia Divina Officia dicantur, sicut prius (scilicet ante Interdictum) submissa tamen voce, januis clausis, Excommunicatis & Interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis.* In Festivitatibus vero Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ campanæ pulsentur, & apertis januis (exclusis duntaxat Excommunicatis & interdictis) alta voce divina officia solenniter celebrentur. De his videri possunt Reiffenstuel *l. cit. n.* 103. & 104. Laymann *Lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 2. *num.* 2. & 3.

127. III. Quantum ad privationem sepulturæ Ecclesiasticæ sciendum 1. quod, quando locus est interdictus, nulli, ne quidem infantes aut perpetuo amentes in eo sepeliri possint, exceptis duntaxat Clericis privilegio fori & Canonis gaudentibus, qui, nisi ipsi sint personaliter interdicti, vel causam Interdicti dederint, aut Interdictum violaverint, in tali loco sine pulsu campanarum & ecclesiastica solemnitate sepeliri possunt. *per cap.* 11. *de pœnitent. & remiss.* In quatuor vero Festivitatibus mox recensitis, scilicet Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis, immo & per totam octavam Corporis Christi, licet non tantum Clericos, sed etiam Laicos in tali loco solemniter sepelire; quia tunc Interdictum locale, saltem generale suspenditur.

Secundo. Personaliter interdictos non licet sepelire in Loco Sacro *per Clement.* 1. *de sepult.* quod tamen intelligendum solummodo est de interdictis nominatim denuntiatis, qui soli quo ad divinorum celebrationem sunt vitandi: si tamen pœnitentes decesserint, & post mortem saltem absoluti fuerint, possunt etiam hi sepeliri in Loco Sacro. Videatur Laymann *l. cit. n.* 4.

Quæres octavo, quomodo peccent vio-

violantes Interdictum? & quando, vel per quem hoc tollatur?

128. R. Ad primam partem hujus quæsiti. Tam Clerici, quam Laici violantes interdictum per se loquendo peccant mortaliter. Ita *ex communi Doctorum* Laymann *cit. c.* 3. *n.* 1. & 2. Ratio est: quia in materia gravi agunt contra justam prohibitionem Ecclesiæ. Hinc 2. Clerici (non item Laici) violantes Interdictum locale vel personale per aliquem actum Ordinis exercitum, fiunt irregulares *c.* 18. & 20. *de sent. Excomm. in sexto*. 3. Scienter celebrantes in loco interdicto, privantur voce activa & passiva in electione *cap.* 18. *mox cit.* & suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ *cap.* 8. *de priv. in sexto*. 4. Denique Religiosi etiam exempti non servantes Interdictum, excommunicantur. *Clem.* 1. *de sent. Excomm.* Idem fit, si interdictum denuntiatum (intellige impœnitentem, vel non absolutum) sepeliant in Loco sacro. *Clem.* 1. *de sepult.*

129. R. Jam ad alteram partem hujus quæsiti, Interdictum aliquando ferri ut puram pœnam, quando scilicet fertur ad certum tempus ob delictum mere præteritum; & tunc tale Interdictum cessat elapso tempore absque ulla absolutione; aliquando vero ut censuram, quando scilicet fertur per modum medicinæ propter contumaciam præsentem, & illius correctionem, & tunc tollitur absolutione. Itaque I. Interdicta localia & personalia generalia, quæ jure communi sunt imposita nec reservata, tolli possunt ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem in communitatem interdictam, non tamen a Religiosis privilegiatis, qui locus & communitas foro pœnitentiæ non subjiciuntur. II. Ab Interdicto autem Juris personali particulari, & non reservato, quivis approbatus Confessarius potest absolvere, post satisfactionem, vel cautionem satisfaciendi præstitam. Ita cum Suarezio *disp.* 38. *sect.* 2. *n.* 8. & Conink Laymann *cit. c.* 5. & 3.

Quæres nono, quid sit Cessatio a divinis?

130. R. Cessatio a divinis (quæ etiam suspensio organorum, laudis scilicet divinæ dicitur) est desistentia a divinis officiis, & administratione Sacramentorum, ob prohibitionem ab Ecclesia factam. Ita *in re communiter Doctores*. Solet autem hæc prohibitio ferri in detestationem sceleris, aut injuriæ, Deo vel Ecclesiæ illatæ, simulque in contestationem doloris justissimi ab Ecclesia inde concepti, unde non est proprie pœna.

Illud tamen advertendum, quod vi hujus solum prohibeantur publica officia divina, & administratio Sacramentorum in tali certo loco, quo non obstante fas est administrare Sacramentum baptismi, utpote summopere necessarium, itemque Confirmationis, & Viatici, probabiliter insuper Matrimonii. Videatur Laymann *cit. c.* 6. Reiffenstuel *Theologiæ moralis tr.* 13. *dist.* 2. *n.* 108.

Quæres tandem decimo, quid sit Depositio? & quid degradatio?

131. R. 1. Depositio, quæ etiam dici solet degradatio verbalis, est pœna Ecclesiastica, removens Personam Ecclesiasticam ob enorme crimen ab Ordine, omni Jurisdictione, & beneficio Clericali in perpetuum, retento solo Canonis, & fori privilegio. II. Degradatio vero est pœna Ecclesiastica, amovens Clericum ab omni gradu Clericali, & privilegio etiam Canonis ac fori in perpetuum, ob atrocissimum & gravissimum crimen. Ex quibus facile patet discrimen inter utramque. Accedit, quod degradatio fieri debeat cum certis quibusdam Ceremoniis, præscriptis in jure Canonico *c. Degradatio de Pœnis in sexto*. Verum cum hæc sint rarissimæ praxeos, hinc pro emergentia casus Lectorem remittimus ad Canonistas, hanc materiam ex professo tractantes, Reiffenstuel *L.* 5. *decret. tit.* 37. *num.* 22. & *seqq.* Weistner *ad eundem titulum art.* 6. *a. num.* 36.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de suspensione, & Interdicto.

CASUS PRIMUS.

T*itius Sacerdos curatus ob certa delicta auctoritate sui Episcopi fuit tam ab Offi-*

Officio, & Ordine, quam etiam a Beneficio suspensus per integrum annum, jussus interim substituere alium probatum, qui partes Officii expleret, seu administraret. Eadem vero die, qua hoc decretum suspensionis obtinuit, petebatur ad baptizandum infantem; quod & fecit, & altera adhuc die Sacrum celebravit: paulo post, substituto prius alio Sacerdote approbato, perrexit in quamdam civitatem alterius Diœcesis, animo ibidem suum Beneficium, a quo per annum integrum se suspensum sciverat, permutandi cum alio &c. & ne suspicionem hujus suspensionis cuipiam ingereret, in illa civitate alterius Diœcesis quotidie Sacrum celebravit. Quæritur jam ad hanc speciem facti. 1. *An Titius tuta conscientia, & sine nota irregularitatis incurrendæ, potuerit post obtentum jam decretum baptizare infantem, & celebrare Sacrum altero die? Secundo, an stante Suspensione hac potuerit valide saltem suum Beneficium permutare?* 3. *Denique an in illa civitate extra propriam diœcesin situata salva conscientia potuerit quotidie celebrare Sacrum?*

132. R. Ad primum quæsitum cum distinctione: Vel enim Titius habuit alium Sacerdotem ad manum v. g. Capellanum vel Cooperatorem &c. qui potuisset infantem baptizare, & altera die Sacrum celebrare &c. vel non? si habuit, tunc dicendum, quod ob violationem suspensionis peccarit mortaliter, & inciderit irregularitatem. Si autem non habuit alium, dicendum, quod nec peccaverit, neque incurrerit irregularitatem. Ratio hujus est: quia si non adfuit alius Sacerdos, tunc ipse debuit conferre Sacramentum baptismatis, nec altera die Sacrum sine periculo scandali (ut suppono) omittere potuit: ergo nec baptizando, nec altera die celebrando peccavit, certe non graviter: sed hoc ipso neque incurrit hanc irregularitatem ex abusu Ordinis, & violatæ Suspensionis, quippe quæ velut pœna gravis necessario supponit culpam gravem, *juxta Communissimam Doctorum*, quam tenent Laymann *L.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 4. Palao *tr.* 29. *disp.* 6. *p.* 6. *pu.* 6. *n.* 1. Secus tamen dicendum foret, si Titius sine omni periculo scandali potuisset altera die intermittere Sacrum; tunc enim sub gravi obligatione ab hoc debuisset abstinere, prout constare potest ex hactenus dictis.

133. R. Ad alterum quæsitum, Titium stante hac suspensione non potuisse Beneficium suum permutare, nisi Reverendissimus Ordinarius id specialiter indulgeat. Ita Pontas *in Diclionar. Casuum V. Suspensio*, *Respons. ad Casum* 15. Ratio hujus est: quia tametsi suspensus a Beneficio, per hoc non spolietur ipso Beneficio, tamen spoliatus existit usu juris, & administratione fructuum Beneficii: ergo nequit vi permutationis in alterum transferre hunc usum juris, & administrationis, prout tamen fieri deberet, supposito valore permutationis. Testatur nihilominus idem Pontas *l. cit.* in Gallia usu receptum esse, ut simpliciter suspensus a Beneficio, non tamen beneficio per sententiam juridicam spoliatus, possit beneficium transferre cui volet, aut permutare cum alio, proventus administrare, eos locare, & percipere. Verum hæc in nostris hisce partibus procul dubio non tolerarentur, neque talis permutatio unquam permitteretur sine præscitu ac consensu Patroni, vel Reverendissimi Collatoris, aut Ordinarii, a quo talis Clericus fuit suspensus.

134. R. Jam ad tertium quæsitum, Titium probabilius peccasse mortaliter toties, quoties in illo loco alterius Diœceseos celebravit, & incurrisse irregularitatem. Ratio est: quia cum unica sit Ecclesia Catholica, suspensus in Ecclesia vel Diœcesi particulari, censetur ex æquo suspensus in quavis alia; prout decisum legitur *Can. si quis* 24. *VII. q.* 1. Videatur Navarrus *Manual. c.* 87. *nu.* 151. Neque videtur subesse periculum publici scandali, aut infamiæ ex eo, quod Titius in illo loco deberet abstinere a Sacro quotidie offerendo. Si tamen de illa Titii Suspensione in ea civitate prorsus nihil constitisset ita, ut is ab omnibus fuisset habitus velut Sacerdos toleratus, proptereaque requisitus ad celebrandum &c. putarem, Titium absque nota censuræ potuisse condescendere requirentibus. Ratio est: quia etiam excommunicatus toleratus ad requisitionem fidelium (saltem ubi alius non adest) licite celebraret divina, præsertim si

propter recusationem deberet incurrere infamiam, prout jam superius *nu.* 52. insinuavimus,& communiter fatentur Doctores: ergo etiam ob hanc causam Titius in his circumstantiis fuisset excusandus. Videatur de hoc Laymann *L.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 1, *n.* 7. *fine*.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Prælatus Regularis sæpius cogebatur audire querelas de nonnullis defectibus tum moralibus tum doctrinalibus a quodam suorum subditorum in Sacro tribunali commissis, volens proin satisfacere conscientiæ suæ, animarumque obviare periculis, rem maturius examinavit, deprehenditque, Confessarium illum revera culpabilem, præsertim ob nimiam impatientiam & austeritatem &c. erga pœnitentes exhibitam, simulque in doctrina morali debilem, & vix, aut ne vix quidem sufficientem: his de causis eundem subditum coram Venerabili Communitate capitulariter congregata corripuit, & a confessionibus deinceps excipiendis suspendit, ac suspensum declaravit, sequentibus verbis: quandoquidem varias querelas de Reverentia vestra audire debui, & eandem in moralibus debillimam reperi; hinc eam usque ad ulteriorem dispositionem a confessionibus excipiendis suspendo, & hisce suspensam declaro. His non obstantibus Confessarius ille unum vel alterum sæcularem (quibus hactenus a confessionibus fuerat) hujus rei ignarum clam in Cella sua auditum absolvit: Quæritur an licite, vel saltem valide?

135. R. Certo illicite, & probabilius etiam invalide. Ratio est: quia in materia gravi egit contra strictam, & justissimam quidem prohibitionem sui Superioris; ergo illicite. Dein Confessarius jurisdictione destitutus invalide absolvit secundum omnes: atqui hic fuit destitutus jurisdictione, utpote simpliciter a suo superiore suspensus ab excipiendis confessionibus: ergo etiam invalide, nisi forte quis dicat, Ecclesiam in tali casu ob bonam fidem pœnitentium communi quasi errore existimantium, hunc confessarium adhuc esse approbatum, supplere jurisdictionem, ne animarum salus periclitetur. Videatur Kerckhove *in statut. gener. c.* 7. *§.* 3. *num.* 10.

Dices tamen contra hanc resolutionem primo. Si Prælatus solo verbo dicat Sacerdoti *suspendo te*, non videtur suspensio proprie dicta, sed simplex tantum prohibitio; prout expresse docent Salmanticenses, Babenstuber *a.* 2. *num.* 15. Busenbaum apud La-Croix *L.* 7. *num.* 395. *fin.* quia cum Suspensio debeat secundum Canones ferri in scriptis, talis Prælatus verbis tantum suspendendo subditum peccasset: nullus autem Prælatus præsumi debet, voluisse peccare: ergo præsumendum potius, quod Prælatus talem subditum non intenderit suspendere, sed solum prohibere a confessionibus excipiendis; consequenter saltem valide aget absolvendo, esto non licite.

136. R. *Disting. ant.* Videtur tantum simplex prohibitio, nisi Superior contrarium expresse intendat, seu exprimat, *con.* ubi contrarium expresse declarat, prout factum supponitur in nostro casu, *neg. ant.* Neque propterea Superior argui debet alicujus peccati; quia Bonifacius VIII. *Bulla Ad augmentum continuum &c.* indulsit Superioribus S. Ordinis nostri, & Fratribus Prædicatoribus, nec non Cisterciensibus (alii Pontifices aliis Ordinibus, ut videre est apud KercKhove *in statut. gener. c.* 6. *§.* 2. *num.* 7.) *ut ad correctiones & punitiones Fratrum .... rimulis Juris, & apicibus ejus postpositis libere procedere valeant, secundum consuetudines approbatas:* si enim in Regularium personarum correctione rimas & apices Juris observare oporteret, rigor Ordinis lentesceret, ac Religiosa disciplina multiplici læsione torperet (ait idem Pontifex) habet autem consuetudo, ut hujusmodi Confessarii culpabiles, præsertim minus habentes, suspendantur a Prælatis Majoribus sine sententia in scriptis lata. Hinc & KerKhove *cap.* 7. *§.* 3. *nu.* 9. *circa finem* sapienter ait: puto tamen, quod aliquis jam legitime approbatus, si postea reperiatur a Prælato defectu scientiæ minus idoneus, possit per simplicem prohibitionem etiam oretenus factam, cum expressa intentione auferendi illi

illi facultatem exercendi hoc spirituale munus, omni jurisdictione privari: quia Religiosus in hoc casu, velit, nolit, est subjectus suo Superiori, qui habet legitimam causam inhabilitandi illum; hactenus Kerckhove, citans pro eadem opinione Bordonum *Resolut.* 36. *numer.* 45. Hinc etiam Babenstuber & Busenbaum dicunt quidem, suspensionem a Prælatis Regularibus ferendam esse in scriptis, sed limitant *nisi Religio habeat privilegium absque scripto ferendi censuras*.

Dices secundo. Talis Religiosus supponitur ab Episcopo legitime fuisse examinatus & approbatus, a quo proin, vel a Summo Pontifice obtinuit jurisdictionem: ergo a Superiore Prælato velut longe inferiore nequit amplius hac privari; consequenter valide saltem semper absolvet; esto non licite.

137. R. *Disting. ant.* Talis Religiosus obtinuit jurisdictionem ab Episcopo, vel ipso Summo Pontifice, exercendam tamen dependenter a voluntate Superiorum Regularium, *concedo*; independenter a voluntate Superiorum *neg. ant. cum conseq.* Summi Pontifices non voluere Religiosis concedere tam amplam potestatem absolvendi &c. nisi dependenter a voluntate suorum Superiorum, prout ex Laymanno & Sporer *part.* 3. *Theolog. Sacram. nu.* 684. jam diximus; hinc consequens est, quod si Prælatus aliquem suspendat simpliciter a confessionibus excipiendis, is contra faciendo non solum illicite, sed & invalide agat. Videantur Rodriquez *QQ. RR. tom.* 1. *q.* 60. *art.* 3. Miranda *t.* 1. *Manual. Prælat. Regular. q.* 45. *art.* 13. Supponimus autem in casu, Prælatum suspendisse simpliciter suum subditum ab excipiendis Confessionibus &c. Nam secus dicendum foret, si tali Religioso solum prohibuisset excipere Confessiones, utendo termino *prohibeo: interdico &c.* Quia vi solius prohibitionis non fuisset privatus jurisdictione, adeoque saltem valide adhuc egisset absolvendo pœnitentes, licet peccaminose. La Croix *L.* 6. *p.* 2. *n.* 1546.

CASUS TERTIUS.

Cajus Sacerdos curatus ob nimiam familiaritatem, quam contraxisse videbatur cum hæreticis, quos nedum permisit in sua Ecclesia cantare &c. verum insuper plures defunctos ex ipsis in cœmeterio contiguo sepelierat, fuit interdicto subjectus, nec ipse solus, verum insuper Ecclesiæ illa Parochialis. Durante hoc interdicto petebatur ad infirmum, ut huic SS. Viaticum, & extremam unctionem administraret; & quia infirmus diem suum obierat, dubitare cœpit ac quærere ex aliquo bono suo amico. 1. an tuta conscientia potuerit administrare Sacramenta? 2. an etiam sepelire defunctum, & quidem sine omni pœna de novo incurrenda? Quid amicus ille Theologus respondere debuit?

138. R. Ad primum quæsitum ex dictis *n.* 124. Si Cajus supponatur alium non habuisse Sacerdotem, qui potuisset administrare, tunc huic licuit administrare moribundo Eucharistiam per modum Viatici (& quidem solenniter, id est, cum luminaribus, stola &c. publice eam deferendo per plateas &c.) non item extremam unctionem sine speciali privilegio, quale teste Illsung *tract.* 7. *disp.* 1. *num.* 67. habent Religiosi mendicantes. Ratio est: quia sumptio Eucharistiæ per modum Viatici in mortis articulo censetur summopere necessaria, ob id jure divino præcepta: econtra vero Extremæ Unctionis nulla est necessitas, neque præceptum divinum ad hanc percipiendam obligans: ergo juste Ecclesia potuit prohibere administrationem Extremæ Unctionis, non item sumptionem Sacri Viatici tempore interdicti. Casu quo tamen infirmus sensibus destitutus in tali articulo vel periculo mortis non posset suscipere aliud Sacramentum, liceret huic etiam Extremam conferre Unctionem, esto etiam esset specialiter interdictus. Ita cum Salmanticensibus & aliis Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 2. *ar.* 3. *num.* 12. Ratio est: quia in tali casu Extrema Unctio subiret quodammodo vices Sacramenti pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, quatenus posset facere ex attrito contritum, conferendo etiam gratiam primam: unde sufficiens censetur

adesse necessitas eam conferendi: necessitas autem gravis ab omni observatione censuræ excusat: ergo &c.

139. tamen: *Si Cajus supponatur non habuisse alium Sacerdotem* &c. Ratio hujus limitationis est: quia tempore Interdicti ne quidem pœnitentiæ vel Evcharistiæ aut baptismi Sacramenta administrare permittitur illis Sacerdotibus, qui interdicto causam dederunt, nisi urgeat vera necessitas vel periculum animæ, prout tradit Suarez *de censur. disp.* 33. *sect.* 3. eumque secutus Laymann *L.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 1. & alii plures: atqui Cajus ob nimiam cum hæreticis familiaritatem fertur dedisse causam huic Interdicto, & si alius Sacerdos adsit, nulla prorsus urget necessitas ut ipse in propria persona hæc Sacramenta administret: ergo ex hoc supposito tenetur id alteri relinquere, ni velit graviter delinquere.

140. R. jam ad alterum quæsitum, Cajo neutiquam licuit sepulturæ commendare defunctum in cæmeterio Ecclesiæ interdictæ contiguo; quippe quod velut accessorium Principali censetur pariter interdictum secundum dicta *n.* 121. Ratio est: quia hoc *cap. quod in Te* 11. *de pœnit. & remiss.* generaliter fuit prohibitum, ita, ut ne quidem infantes aut amentes, quantumvis innocentes liceat sepelire in loco interdicto. Quia tamen talis commendatio sepulturæ non est actus ordinis sed potius jurisdictionis, hinc Cajus terræ mandando corpus examine in loco inrerdicto, non incurrisset irregularitatem, velut colligi potest ex dictis *l. cit.*

Si petas, quid ergo Cajo fuerit agendum in talibus circumstantijs; respondeo, fuisse laborandum, ut tum ipse, tum etiam Ecclesia quantocyus solveretur ab Interdicto: quod, si tam brevi temporis spatio impetrare nequivit, curare debuit, ut corpus defuncti sepeliretur in alio vicino Loco sacro, & non interdicto: quod quidem licitissime fieri potuit, quandoquidem defunctus non supponitur dedisse causam Interdicto. Ita Suarez *disput.* 35. *sect.* 1. *num.* 3. Avila *disput.* 4. *sect.* 3. *dub.* 1. *concl.* 2. quos refert Laymann *cit. n.* 3. Ratio est: quia hoc Interdictum fuit locale tantum respectu defuncti, quippe qui interdictus non fuerat: atqui locale Interdictum non afficit personas, nisi præcise ratione loci Interdicti, quatenus in tali loco nequeunt sepeliri: ergo talis defunctus potuit, & consequenter de congruo saltem etiam debuit sepeliri in alio loco Sacro non Interdicto.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

141. Colliges ex hactenus dictis primo, in omnes (excepto S. Pontifice) & solos Clericos ferri posse hanc censuram suspensionis. Ratio jam *n.* 11. fuit insinuata; omnes enim Clerici, & soli Clerici capaces sunt potestatis ecclesiasticæ; ergo hujus usu privari possunt in pœnam delicti: Summus tamen Pontifex ceu Supremus Legislator ecclesiasticus hac Lege ecclesiastica pœnali stringi nequit, prout constare potest ex dictis *part.* 1. *prælim. Conferent.* 13. *n.* 352. Ex quibus liquet, neque Abbatissas posse affici hac censura, licet possint suspendi ab officio suæ œconomiæ ejusque actibus. Laymann *Lege* 1. *tract.* 5. *p.* 3. *cap.* 1. *& alii communiter*.

142. Colliges secundo, in ordine ad dignoscendam qualitatem suspensionis bene attendendum esse ad terminos decreti; enimvero ubi vi hujus fertur suspensio absolute, & sine limitatione, haberi debet pro suspensione absolute & simpliciter tali, nisi ex adjunctis vel alijs circumstantijs colligi possit aliqua limitatio. Ratio est: quia propositio indefinita: *suspendimus te* &c. æquivalet universali, nec est ratio, cur tale decretum intelligatur potius de una vel sola suspensione v. g. ab officio, & non simul de altera v. g. a beneficio. Ita *ex communi DD.* Herincx *part.* 2. *tr.* 3. *disp.* 6. *num.* 68. Laymann *Leg.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 2. Khamm *de suspens. n.* 255. Illsung *tr.* 7. *disp.* 1. *n.* 58. Hinc fit, ut simpliciter suspensus ab officio, censeatur pariter suspensus ab ordine & jurisdictione, quia officium includit utrumque, nec est major ratio de uno, quam de altero, inquit Reiffenstuel *Theologia*

mor.

mor. tr. 13. *dist.* 2. *n.* 85. Dixi tamen: *nisi ex adjunctis vel aliis circumstantiis colligi possit aliqua limitatio*. Unde.

143. Colliges tertio, quod, si suspensio vel decretum suspensionis solum loquatur de aliqua certa materia, vel aliquo certo actu v. g. excipiendis Confessionibus &c. taliter suspensus possit adhuc celebrare divina, assistere matrimonio, baptizare &c. tum quia exercendo hujusmodi actus dici nequit excipere Confessiones; tum etiam quia eo ipso, quod ab excipiendis Confessionibus tantum fuerit suspensus, tacite innuebatur, eum posse exercere reliquos actus vi officii vel ordinis sibi competentes; nam exceptio unius firmat Regulam in contrarium, *c. Nonne de Præsumpt. L. cum Prætor. ff. de Judiciis*, ut loquuntur DD. Et aliunde constat, decreta pœnalia velut odiosa restringenda potius esse, quam ultra proprietatem verborum extendenda.

144. Colliges quarto, suspensum ab ordine, non eo ipso esse suspensum a jurisdictione, nisi usus jurisdictionis includat usum Ordinis. Ita *ex communi DD.* Bonacina *de censur. disp.* 3. *pu.* 2. *n.* 4. Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 2. *a.* 2. *n.*6. Ratio est: quia ordo non solum est distinctus, sed etiam separabilis a jurisdictione: neque etiam jurisdictio necessario fundatur in ordine, sed in prima tonsura. Adde ex proxime dictis, pœnas non extendendas, sed potius quantum fieri potest restringendas esse. Hinc consequitur, suspensum ab ordine posse ferre censuras, posse ab his absolvere, posse habere suffragium in electione &c. quia hi omnes non sunt actus ordinis, sed jurisdictionis. At vero talis non posset absolvere a peccatis; quia hæc absolutio essentialiter importat actum ordinis, & non solius jurisdictionis. Videatur Babenstuber *cit. numer.* 7. *vel* Layman *L.* 1. *tract.* 5. *p.* 3. *c.* 1. *numer.* 5. Hinc

145. Colliges quinto, vicissim suspensum a jurisdictione, non eo ipso suspensum esse ab ordine. Ratio est eadem, quia hæ potestates sunt ab invicem separabiles; potest enim dari potestas ordinis sine potestate jurisdictionis, prout liquet de Sacerdotibus recens ordinatis, & nondum approbatis pro excipiendis Confessionibus. Ex quo fluit, suspensum a jurisdictione posse adhuc Missam celebrare etiam solenniter, agere Diaconum &c. Benedicere aquam lustralem, & similia, quæ ordinis præcise sunt. Illsung *tr.* 17. *disp.* 1. *n.* 58. Laymann *l. cit. n.* 5.

146. Colliges sexto, suspensum simpliciter ab omni beneficio eo ipso privari omnibus fructibus suorum beneficiorum: similiter suspensum universaliter pro omni Diœcesi, non posse accipere novum beneficium, neque in sua, neque in aliena Diœcesi. Ita cum Suarezio *Disp.* 27. *de censur. sect.* 1. *n.* 25. Panormitano *in cap. Pastoralis &c.* Sayro &c. P. Khamm *de suspens. nu.* 274. Ratio est: quia beneficium est quasi principium, & fundamentum percipiendi fructus beneficii: ergo suspensus simpliciter ab omni beneficio, a nullo beneficio; & suspensus pro omni Diœcesi, in nulla Diœcesi potest amplius percipere fructus, & hoc ipso, quod suspendatur directe & per se a percipiendis fructibus obtentorum beneficiorum, & universaliter pro omni Diœcesi, consequenter & indirecte suspenditur ab impetrando novo beneficio in quocunque loco.

Secus dicendum de eo, qui solum suspensus fuisset ab uno beneficio; quia talis adhuc posset percipere fructus ex alio, vel aliis beneficis jam actu obtentis ac possessis, vel in futurum possidendis.

Ergone, inquies, talis Sacerdos suspensus ab omni beneficio in opprobrium status Clericalis cogetur mendicare? vel a quo sustentandus erit?

R. 147. Non fore unquam constrictum ad mendicandum; si enim vere sit pauper (uti supponitur) in foro conscientiæ saltem poterit tantum participare de fructibus beneficii, quantum sibi sufficit ad congruam sustentationem; nam & alii pauperes de hujusmodi fructibus ali solent: ergo nec talis Sacerdos debet esse deterioris conditionis. Si vero non sit pauper, minime opus erit, ut mendicet. Quod vero attinet forum externum, mos Ecclesiæ ita habet, ut, si talis sit suspensus in pœnam delicti præteriti tantum, soleant ei-

dem assignari certi fructus ex ipsis beneficiis, ad se, suosque moderate sustentandos: si vero sit suspensus ob contumaciam, non solent eidem concedi fructus; & merito quidem, quia potest, modo velit, resipiscere, & ob id rursus percipere fructus. Si autem resipiscere nolit, sibimet, & non aliis hanc debet imputare indigentiam vel inopiam, uti recte arguunt Navarr. *in manual. c.* 25. *n.* 123. Laymann *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 9. Khamm *l. cit. n.* 279. Mastrius *Theolog. mor. disp.* 13. *a.* 2. *n.* 98.

148. Colliges septimo, fideles non peccare communicando cum aliquo suspenso etiam in iis, quæ huic vi suspensionis sunt prohibita, esto etiam suspensus qua talis fuisset denuntiatus. Ratio hujus deduci potest ac debet ex dictis *num.* 111. quia suspensio solum privat usu potestatis Ecclesiæ, in quantum est usus hujus potestatis, non vero in quantum est communicatio cum fidelibus: uno verbo: suspenso vi hujus censuræ non prohibetur communicatio cum fidelibus: ergo neque his cum illo. Ex quo sequitur, fideles non peccare, si absente scandalo audiant Missam alicujus Sacerdotis, etiam ab ordine suspensi, vel si huic sponte se offerenti confiteantur sua peccata: peccarent tamen, si talem quodammodo inducerent ad violandam censuram v. g. ad dicendam Missam &c. quia præbendo scandalum inducerent ad peccandum, uti cum Laymanno, & Salmanticensibus advertit Babenstuber *cit. a.* 2. *n.* 8.

149. Colliges denique octavo, non peccare fideles, etiam Interdictos, si tempore Interdicti matrimonium contrahant, & quidem in loco etiam interdicto, modo id faciant sine solenni benedictione. Illsung *tr.* 7. *disp.* 1. *nu.* 68. Sylvester *Verb. Interdictum V. n.* 9. Palao *tr.* 29. *disp.* 5. *pu.* 4. *n.* 25. Ratio est: quia prohibitio tempore Interdicti solum intelligitur de Sacramentis pure spiritualibus, id est talibus, quæ ex dispensatione ac Ministratione Ecclesiæ conferuntur: tale autem non est Sacramentum Matrimonii; non enim Ecclesia vel Sacerdos, sed ipsi contrahentes sunt Ministri hujus &c. Accedit, quod Matrimonium per se, & ex natura sua non sit, nisi contractus politicus, cui ratio Sacramenti est quid accessorium ex institutione Christi: ergo quemadmodum alii contractus tempore Interdicti non sunt prohibiti, ita nec matrimonium in ratione contractus, & consequens nec in ratione Sacramenti; permisso enim principali etiam accessorium velut minus principale censeri debet permissum.

Nec dicas cum Ugolino, Sayro, Pontas, & aliis, tempore Interdicti generaliter prohiberi administrationem Sacramentorum, aliquibus duntaxat, utputa Baptismo, Confirmatione & Eucharistia per modum Viatici &c. exceptis, prout ipsimet superius *num.* 124. fassi sumus: ergo cum Matrimonium non sit in jure exceptum, eo ipso tempore Interdicti censeri debet esse prohibitum.

150. R. Enim prohiberi administrationem Sacramentorum spiritualium, seu a Ministris Ecclesiæ dispensandorum, unde negatur conseq. hoc ipso enim, quod Sacramentum Matrimonii tale non sit, necessum minime fuit, ut cum memoratis mox Sacramentis in jure exciperetur. Quia tamen solennis Benedictio Nuptiarum reputatur inter officia divina, cum debeat fieri a Sacerdote inter Missarum solemnia: Officia vero Divina vi Interdicti prohibeantur; hinc talis Benedictio pariter debet intermitti. Kugler *de Matr. l.* 5. *n.* 1550. La Croix *L.* 7. *n.* 420. *& alii*.

CONFERENTIA QUINTA

De Irregularitate in genere.

SUMMARIUM.

151. *Nomine Irregularitatis intelligitur impedimentum Canonicum, impediens susceptionem Ordinis &c.*

152. *Hæc solet communiter dividi in Irregularitatem ex delicto, & ex defectu.*

153. *Rursus in partialem & totalem; item in temporalem & perpetuam.*

154. *Ut*

154. *Ut incurratur ob actum proprium, debet hic esse externus, & consumatus, seu perfectus.*
155. *Ferri potest a solo Summo Pontifice, vel Concilio Oecumenico.*
156. *Et quidem in solos Matres Juri Canonico subjectos.*
157. *Irregularitas tres parit effectus 1. impedit a suscipiendis Ordinibus 2. ab exercitio susceptorum, & 3. a consecutione Beneficii Ecclesiastici.*
158. *Collatio tamen talis Beneficii videtur probabilius adhuc valida.*
159. *Solvitur quædam instantia in contrarium.*
160. *A pœna Irregularitatis excusat, quidquid excusat a culpa gravi.*
161. *Probabilius tamen non excusat ignorantia solius pœnæ delicto annexæ.*
162. *Solet Irregularitas tolli tribus modis 1. per cessationem causæ 2. per professionem religiosam, & 3. per dispensationem.*
163. *Resolvitur Casus I. de quodam Infirmario, qui ut infirmus citius moreretur, fenestram aperuit &c.*
164. *Proptereaque graviter peccando, Irregularitatem contraxit; quam tamen*
165. *Phræneticus aliquem occidendo non incurrit.*
166. *Resolvitur Casus II. Cujusdam studiosi, qui puerum in Campanili sursum attrahendo, causam mortis præbuit.*
167. *Si non non advertisset periculum mortis, probabilissime nec incurrisset Irregularitatem.*
168. *Qui Mulieri prægnanti poculum dedit ad abortum, ignoratque an habuerit effectum, tenetur indagare veritatem.*
169. *Si ex tali poculo Mulier obiit, aut saltem fœtus jam animatus, procul dubio Irregularitatem incurrit.*
170. *Secus dicendum, si fœtus nondum fuit animatus, vel de animatione hujus rationabiliter dubitare liceat.*
171. *Resolvitur Casus III. Cujusdam Sacerdotis, sciscitantis, an non incurrerit Irregularitatem ex eo, quod Moribundo præbuerit aliquid confortativum, ex quo is obiit.*
172. *An, vel quomodo Clericis, ac Monachis sit prohibitum, exercere artem Medicinæ aut Chirurgiæ.*
173. *Irregularitas differt a Censuris, & reliquis pœnis Ecclesiasticis.*
174. *Non incurritur, nisi in Casibus Jure expressis.*
175. *Nec sufficit culpa mere venialis ad incurrendam Irregularitatem ex delicto.*
176. *Quandonam Medici aut Chirurgi hanc incurrant.*
177. *Projiciens infantem Moribundum in puteum animo baptizandi, per se loquendo sit obnoxius huic pœnæ.*
178. *Irregularitas nequit cadere in summum Pontificem, bene tamen in reliquos Prælatos Ecclesiæ.*
179. *Irregularis peccat mortaliter, in tali statu Ordines suscipiendo, vel exercendo &c.*
180. *Nisi necessitas avertendi scandali hoc postulet.*
181. *Invincibiliter dubitans, an non violaverit censuram, & propterea inciderit Irregularitatem, non tenetur se gerere ut talem.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de Irregularitate in genere.

QUæres primo, Quid intelligatur nomine Irregularitatis?

151. R. Nomine Irregularitatis prout vel ex sola ethimologia liquet, intelligitur aliquid a regulis devians, seu exorbitans. Verum in proposito nostro Irregularitas non nihil strictius sumitur, prout est quædam pœna vel impedimentum Sacris Canonibus introductum: hinc communiter Irregularitas describitur, quod sit impedimentum Canonicum, primo & per se impediens susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, secundario vero ac consequenter usum eorundem. Ita in re *communissime Doctores*. Explico brevissime. Dicitur 1. *impedimentum* loco generis; quia in hoc convenit cum aliis impedimentis Ordinum, quæ tamen non sunt Irregularitas, uti est defectus baptismi, vel sexus masculini &c. Dicitur secundo: *Canonicum*, id est, jure Canonico introductum, auctoritate Summorum Ponti-

tificum. Dicitur tertio : *primo & per se impediens susceptionem SS. Ordinum*; hic enim est præcipuus Irregularitatis effectus, scilicet impedire ab Ordinum susceptione, tametsi Ordo ab Irregulari baptizato susceptus adhuc esset validus: ubi insuper advertendum, sub nomine Ordinis hic intelligi etiam primam tonsuram; quia Irregularis etiam hanc suscipere prohibetur. Dicitur tandem quarto : *secundario vero ac consequenter usum eorundem*; Irregularitas enim superveniens Ordini jam suscepto hunc impedire non amplius valet, nihilominus impedit ab exercitio ejusdem. Videantur de hoc Palao *tr.* 29. *disp.* 6. *pu.* 1. *n.* 2. Filliuc. *tr.* 19. *c.* 1. *nu.* 2.

Quæres secundo, quotuplex sit Irregularitas?

152. R. Irregularitas ut sic communiter dividitur in Irregularitatem *ex delicto*, & in Irregularitatem *ex defectu*. Ita *ex communi DD.* Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 13. *dist.* 3. *n.* 3. Ratio est : quia Irregularitas dividitur propter causam, ob quam fertur : at, non fertur, nisi vel ob delictum, vel ob defectum, prout amplius patebit ex dicendis in sequentibus Conferentiis : ergo recte dividitur in illam, quæ est ex delicto, & in eam, quæ originem suam trahit ex defectu.

153. Solent a Castropalao, Filliucio & aliis fieri nonnullæ aliæ subdivisiones I. scilicet in *partialem*, quæ v. g. aliquo tantum ordine, vel ministerio ordinis privat, prout est illa, quæ ex defectu oculi canonici diacono jam ordinato supervenit, solumque privat a susceptione Ordinis majoris vel superioris, non item a Ministerio Diaconatus, similiter Sacerdos destitutus pollice seu digito canonico solum privatur ministerio celebrandi, non item diaconandi, baptizandi &c. &c.; & in *totalem*, quæ simpliciter omnium Ordinum susceptione vel executione privat. II. Rursus in *temporalem*, & *perpetuam*. Temporalis dicitur, quæ elapso tempore, pro quo statuta est, per se desinit, prout Irregularitas defectu ætatis canonicæ hac adepta cessat. Perpetua vero appellatur, quæ vi sacrorum Canonum semper manet, quamdiu non legitima auctoritate vel dispensatione tollitur. Verum hæ subdivisiones sunt minoris considerationis & negotii. Unde

Quæres jam tertio, an, vel qualis actus requiratur ad contrahendam Irregularitatem?

154. R. Ubi Irregularitas imponitur ob actum proprium sive dein sit ex delicto, sive ex defectu, debet intervenire primo actus externus, & secundo opere consumatus. Ita *ex communi DD.* Filliucius *tr.* 19. *n.* 14. & 16. Holzman *Theolog. mor. tom.* 1. *part.* 3. *tr.* 2. *nu.* 310. Ratio prioris est : quia tametsi Ecclesia absolute loquendo posset, tamen non vult punire actus mere internos, prout jam superius *Confer.* 3. *n.* 76. animadvertimus; unde Irregularitatem non incurrit, qui solum habuit voluntatem efficacem alterum occidendi, reipsa autem non occidit. Ratio autem posterioris est : quia juxta *Reg.* 15. *J. in sexto odia sunt restringenda* &c. Hinc non incurrit Irregularitatem ex delicto homicidii, qui tentavit quidem hominem sclopeto soluto trajicere, reipsa vero globo prætervolante vel aberravit omnino, vel non, nisi leviter vulneravit &c.

Quæres quarto, quisnam possit ferre Irregularitatem?

155. R. Nemo potest, nisi solus S. Pontifex, aut Concilium Generale ipsius auctoritate legitime congregatum & confirmatum. Ita Covarruv. Suarez, Laymann *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 1. *nu.* 5. & Holzmann *l. cit. n.* 306. Ratio est : quia Irregularitas est impedimentum Canonicum : ergo statui non potest, nisi ab eo, qui habet potestatem condendi jus Canonicum commune : atqui talem potestatem habet solus Pontifex, aut Concilium Generale, auctoritate Summi Pontificis congregatum, & confirmatum : ergo &c. Ex quo Laymann *l. cit.* infert hanc Regulam : *Quotiescunque in Canone præcipitur, ut pœna alicui per Judicis sententiam imponatur, non est Irregularitas, sed suspensio, vel depositio, vel excommunicatio &c.*

Quæres quinto, in quos possit ferri Irregularitas?

156. R. Irregularitas solum potest ferri in Mares ordinis capaces, & Juri Cano-

Canonico communi subjectos. Ita Mastrius *Theolog. mor. disp.* 13. *n.* 132. Palao *ubi supra pu.* 2. *nu.* 3. & alii passim. Ratio est : quia Irregularitas est aliquod impedimentum canonicum, inhabilitans hominem ad ordines suscipiendos : ergo non potest cadere in illum, qui Juri Canonico non est subjectus (uti Summus Pontifex, nec pueri nondum baptizati, aut baptizati quidem, sed nondum adepti annum septimum ætatis &c.) vel qui aliunde incapax est S.Ordinis, uti sunt fœminæ &c. Hinc fœminæ in rigore & proprie loquendo dici nequeunt irregulares; quia nunquam habuere potentiam ad Ordines recipiendos, & eo ipso privari non possunt tali potentia; cum privatio supponat aptitudinem formæ in subjecto.

Quæres sexto, quot, & quinam sint effectus Irregularitatis ut sic?

157. R. Irregularitatis effectus communiter ennmerantur, tres scilicet primus : impedire a susceptione Ordinum, etiam primæ tonsuræ. Secundus : post susceptum jam Ordinem impedire ab exercitio Ordinis, si sit Irregularitas ex delicto, vel ex defectu absolute talis, secus si esset solum partialis. Tertius: privare consecutione beneficiorum ecclesiasticorum. Ratio primi & secundi patet ex dictis supra *n.* 150. & 152. Ratio autem tertii hæc est : quia Irregularitas absoluta dejicit irregularem a statu & Ordine Clericali, consequenter dejicit etiam ab iis, quæ Ordinem Clericalem requirunt, & quæ illius sunt propria, prout colligitur *ex c.* 2. *de Clerico pugnant. in duello*, & ex Concil. Trident. *ss.* 14. *c.* 7. *de Reform.* atqui beneficium ecclesiasticum requirit & supponit Ordinem Clericalem, estque huic proprium quodammodo : ergo privat consecutione beneficii ecclesiastici, si sit absoluta. Si tamen esset partialis tantum; ordinato superveniens non ex delicto, sed ex defectu, uti est illa, quæ refertur *in c.* 2. *de Clerico ægrotant.* valide & licite posset adhuc hujusmodi irregulari conferri beneficium tale, quod non requirit usum repngnantem defectui, prout tradit Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 19. *pu.* 2. *vers.* & *dicendum*. Sayrus *lib.* 6. *thesauri c.* 2. *n.* 13. Bonacina *to.* 1. *disp.* 7. *de Irregular. pu.* 4. *n.* 3.

Quæres tamen adhuc septimo, an collatio beneficii facta Irregulari absolute, vel tali Irregulari, qui functiones beneficii exercere licite non potest, valida sit, vel solum illicita?

158. R. Hujusmodi collationem probabilius illicitam tantum esse, non item invalidam. Ita Herincx *disp.* 6. *n.* 116. Kazenberger *in supplem. decalog.* P. Sporer *c.* 3. *nu.* 154. Coninck. Laymann, & alii plures, quos sequitur Palao *tr.* 29. *disp.* 6. *punct.* 5. *nu.* 7. contra Navarrum, Bonacinam & alios plures (quorum sententia tutior quidem videtur.) Ratio hujus est : quia nulla Irregularitas incurritur, nisi in Jure clare exprimatur : ergo neque effectus eidem annexus, nisi pariter exprimatur : atqui nullo jure dicitur, talem collationem Irregulari factam esse ipso jure invalidam : ergo &c. Confir. ex eo : quia collatio beneficii nunquam censeri debet ipso jure aut facto irrita, nisi afferri possit jus aliquod expressum, quo id evincatur, prout deducitur *argum. cap. si soli de concess. Præbend. in* 6. atqui in præsenti nullum adferri potest jus expressum & clarum, vi cujus talis collatio declararetur invalida & nulla : ergo cum aliunde constet, odia esse restringenda, & in pœnis benigniorem esse interpretationem faciendam, dicendum potius quod talis collatio absolute irregulari facta illicita quidem sit & irritanda, non tamen ipso jure irrita & nulla.

Dices contra hæc : repugnat ut beneficium conferatur illi, qui est inhabilis ad officium; quia beneficium non datur nisi propter officium : atqui Irregularis absolute talis est inhabilis ad officium : ergo &c.

159. R. cum Palao *loc. cit. disting. maj.* repugnat ut beneficium tali conferatur licite, *con.* repugnat ut conferatur valide, *neg. Maj.* secus enim deberet etiam ipso facto amittere beneficium actu obtentum; quod tamen nemo facile dixerit : quemadmodum ergo in *cap. ult. de Cleric. excommunicato ministr.* dicitur excommunicatum excommunicatione minore eligi non posse, & tamen per hoc solum innuitur, talem electionem esse illicitam, non item, esse invalidam;

lidam; ita pariter ex eo, quod irregularis sit exclusus & inhabilis ad suspiciendos vel exercendos Ordines, seu officium ecclesiasticum, solum convincitur, esse exclusum & inabilem ad beneficium licite suscipiendum, non tamen ad valide recipiendum; eo vel maxime, quod Irregularis possit procurare dispensationem, & interim beneficio per alium deservire, ejusque muneri satisfacere.

Quæres octavo, quænam causæ excusent ab Irregularitate incurrenda?

160. R. Ab Irregularitate ex delicto incurrenda excusat, quidquid excusat ab ipso delicto, seu quidquid facit, ut non peccet graviter. Ratio hujus patet ex dictis supra *n.* 154. quia Irregularitas est una ex gravissimis pœnis ecclesiasticis: ergo debet supponere delictum, seu culpam gravem; hinc si vel ob imperfectionem actus, vel ob ignorantiam juris aut facti & culpam gravem non commisisti, immunis pariter eris ab Irregularitate ex delicto incurrenda. Dixi tamen: *ex delicto* &c. quia illæ, quæ ob meram indecentiam vel defectum statutæ sunt, adhuc incurruntur, tametsi nullum prorsus fuerit commissum delictum. Sic v. g. Judex aliquem condemnans ad mortem quamquam justissime, fit irregularis, tametsi nullum per hoc committat delictum: idipsum tenendum est de carnifice exequente sententiam mortis, prout DD. *communissime* tradunt, & amplius patebit ex dicendis inferius *Confer.* 7. *a n.* 227.

Sed quid, inquies, tenendum de illo, qui scivit actum lege ecclesiastica prohibitum, ideoque non delictum, sed solam pœnam Irregularitatis ecclesiastico jure statutam pro tali delicto, ignoravit?

161. Probabilius ignorantia solius pœnæ Irregularitatis annexæ non excusat ab hujus incursione. Ita *ex communi DD.* Suarez *de censur. disp.* 40. *sect.* 5. *n.* 9. Hurtado *de Irregularit. difficult.* 8. *numer.* 29. La Croix *l.* 7. *n.* 482. Corduba & alii. Ratio est: quia hæc ignorantia non excusat a culpa, uti supponitur: ergo non est, cur excuset a pœna ab Ecclesia statuta propter eandem culpam. Adde insuper, Irregularitatem non esse pœnam medicinalem, sicuti sunt censuræ; ergo ad hanc incurrendam non requiritur contumacia, consequenter nec cognitio pœnæ ab Ecclesia statutæ: oppositum nihilominus multi insignes DD. signanter Sanchez, Coninck, Sylvester & alii plures, quos citat & sequitur Palao *tr.* 29. *disp.* 6. *pu.* 6. *n.* 3. censent probabile; eo potissimum, quod hæc pœna videatur exorbitans: sed hoc insinuasse sufficiat.

Quæres tandem nono, quomodo, vel quot modis Irregularitas tollatur?

162. R. Triplici tolli modo potest Irregularitas, & quidem 1. per cessationem, seu remotionem causæ, a qua hæc in fieri & conservari dependebat. 2. Per Professionen Religiosam. 3. Per dispensationem legitimam. Ita Palao *l. cit. p.* 7. Holzmann ubi supra *n.* 323. Explico brevissime.

I. Irregularitas tollitur per cessationem causæ, si fuerit temporalis duntaxat; sic 1. v. g. Irregularis defectus ætatis Canonicæ, hac adepta fit Regularis seu habilis ad susceptionem SS. Ordinum. 2. Irregularis defectu libertatis, vel scientiæ, his adeptis fit Regularis. 3. Irregularis ob vinculum matrimonii, vel dæmonis a quo obsidetur, fit Regularis, dum solvitur a vinculo matrimonii, vel a dæmone liberatur.

II. Vi Professionis Religiosæ in Ordine ab Ecclesia approbato tollitur Irregularitas de se perpetua, orta ex defectu Natalium, in tantum, ut talis professus possit promoveri ad Ordines sacros, licet propterea vi *c.* 1. *de filiis Presbyter.* non possit promoveri etiam ad Prælaturam obtinendam, sine speciali dispensatione, quam in nostro S. Ordine impertiri possunt Generalis & Provincialis in Capitulo Generali & Provinciali etiam Intermedio respective, non item extra hæc Capitula. De quo videri possunt Kerckove *in statut. general c.* 7. §. 2. Herincx *p.* 2. *tr.* 3. *disp.* 6. *n.* 176. Portel: Kazenberger & alii.

III. Denique tollitur per dispensationem legitimam, id est auctoritate legitima, sive ordinaria, sive etiam delegata factam, non autem per absolutionem; quia Irregularitas non est culpa, neque etiam censura ecclesiastica. Quinam autem

dit

dispensare valeant, dicemus paulo inferius *Confer.* 8. *a. numer.* 264. ex professo. Mastrius & alii nonnulli superaddunt quartum modum, asserentes, Irregularitatem tolli etiam per baptismum. Verum ex dictis superius *n.* 156. liquet, ante baptismum nullam omnino contrahi posse Irregularitatem proprie dictam (esto vi cæcitatis vel alterius defectus possit quis esse naturaliter inhabilis ad SS. Ordines) hinc proprie dici nec potest nec debet, vi baptismatis Irregularitatem tolli.

§. I I.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, concernentes Irregularitatem in genere.

CASUS PRIMUS.

Titius cujusdam phrænetici calida febre extreme laborantis curæ deputatus, tandem laborum pertæsus, fenestram cubiculi, in quo infirmus decubuerat, aperuit eo fine & intentione, ut idem infirmus vel captata liberiore ac frigida aura citus consumeretur, vel se ipsum (more aliorum phræneticorum) per fenestram præcipitando enecaret, quod posterius etiam factum est. Et quia Titius jam aspirat ad statum ecclesiasticum, seu Ordines sacros, hinc sciscitatur e Confessario, an propterea non contraxerit aliquam irregularitatem, vi cujus a susceptione SS. ordinum esset prohibitus seu remotus. Quid huic Confessarius respondebit?

163. R. Titium contraxisse Irregularitatem ex delicto homicidii, quod præmediate intendit. Ratio est: quia ad hoc homicidium culpabiliter concurrit aperiendo fenestram eo fine & intentione positiva, ut infirmus calida febre consumeretur, vel certe præcipitando sese per fenestram, finem vitæ ac laboribus imponeret: quemadmodum ergo is, qui phrænetico, vel furioso gladium porrigeret eo fine, ut se ipsum vel alium interimeret, vel qui incideret arborem eo fine, ut hominem illuc transeuntem decidendo conquassaret, indubitanter incurreret pœnam irregularitatis *per cap. De cetero.* 11. *de homicid. & can. Hi qui arbores* 49. *dist.* 10. ita procul dubio Titius aperiendo fenestram ex præfato fine, & morte infirmi effective subsecuta, incidit in pœnam Irregularitatis. Videatur de hoc Pontas *in Dictionar. Casuum Verb. Irregularitas. Respons. ad casum IV.* Fagnanus *in cap. ad audientiam de homicid. n.* 44. & 46. Sporer *tr.* 5. *decalog. c.* 3. *n.* 178. & 179.

At, inquies, secundum dicta paulo superius *n.* 54. ad incurrendam hanc pœnam requiritur actus externus, consumatus, & mortaliter peccaminosus; atqui apertio fenestræ, utpote de se indifferens, non fuit actus externus mortaliter peccaminosus: & licet fuerit facta ex mala intentione, nihilominus S. Canones solam intentionem internam punire non solent, prout ipsimet fassi sumus: ergo Titius non incurrit hanc gravissimam pœnam irregularitatis.

164. R. *conceſ. Maj negando min.* Esto enim apertio fenestræ de se sit actus indifferens, fuit tamen in his circumstantiis mortaliter peccaminosa, tum quia aura frigida intrans per fenestram nata est non modice contribuere ad necem infirmi, laborantis calida febre; tum præsertim, quia fuit facta eo fine, ut infirmus sese præcipitaret per fenestram: quemadmodum ergo in exemplis proxime allatis incisio arboris, vel administratio gladii de se quidem actus sunt indifferentes, si tamen fiant eo animo & fine, ut homo per casum talis arboris occidatur, aut alium hominem &c. gladio occidat, fiunt mortaliter peccaminosæ, & secuta morte inducunt pœnam Irregularitatis ex delicto homicidii, ita pariter discurrendum est de apertione fenestræ in nostro casu.

Sed quid ais tenendum de illo Clerico, qui ex eo, quod non potuerit persuadere cuidam Parocho, ut sibi beneficium resignaret, in amentiam & furorem redactus, eundem D. Parochum occidit, pugione pectus trajiciendo: incurritne Irregularitatem?

165. R. Quod non. Ratio est: quia tale opus non est actus humanus, ad quem essentialiter requiritur dictamen rationis secundum dicta *part.* 1. *Confer.* 1. *n.* 1. at, hoc ipso, quod actus humanus non sit, non est culpabile, neque dignum pœna; prout ex *Communi DD.*

tra-

tradit Filliucius *tr.* 19.*n.*20. ergo. Potest nihilominus, immo debet talis phræneticus aut furiosus coerceri v. g. catenis &c. ne pluribus noceat. An autem consultum sit, ut talis postea recuperata mentis serenitate denuo permittatur celebrare divina &c. frequentare hominum consortia &c. altiorum judicio relinquo: mihi profecto consultum minime videtur, nec practicabile sine periculo aliorum, vel sine scandalo vulgi.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius studiosus in campanili superius constitutus, animadvertit quamdam campanulam minorem a manu infirma pulsari, ex quo collegit, esse puerulum quemdam, qui pulsaret: volens proin facere ludum, eundem funem, & cum fune puerulum septennio minorem ad se attraxit in altum usque ad primas trabes, quo dum puer pervenerat, vel trabibus vel etiam asseribus obstantibus vel viribus deficientibus (nescio) decidit ab altitudine 7. vel octo pedum, & fracto capite biduo post e vulnere accepto obiit. Quæritur jam, an Sempronius propterea incurrerit irregularitatem? vi cujus prohibeatur a suscipiendis ordinibus?

166. R. Si Sempronius animadvertit, prout sane juxta regulas prudentiæ animadvertere debuisset, ac potuisset, periculum vitæ, vel gravis nocumentis puerulo ex simili attractu, vel elevatione inferendi, procul dubio incurrit Irregularitatis pœnam. Ratio est: quia ex hac suppositione causam dedisset homicidio: ergo non est, cur a pœna Irregularitatis eximatur. Immo vero Fagnanus *in cap. ad audientiam de homic. n.* 44. testatur, eo tempore, quo ipse Secretarium Sacræ Congregationis egerat, casum hunc a quodam Clerico fuisse practicatum, & hunc ab eadem Sacra Congregatione fuisse declaratum irregularem, hac de causa: *quia dum chordam onustam trahebat, advertere poterat & debebat, aliquem illi esse appensum, & inde posse illi aliquid nocumenti contingere*. Nec dubium, quin re hac Romam delata, in foro externo Sempronius noster hodiedum a S. Congregatione declararetur irregularis. Videatur de hoc Pontas *loc. citat. Respons. ad Casum V.*

167. Dixi tamen *si Sempronius animadvertit periculum* &c. Nam secus dicendum existimarem, saltem pro foro conscientiæ, si Sempronius fateatur, se id ex mero joco, vel levitate animi, sine omni prorsus apprehensione periculi fecisse. Ratio est: quia ex hac suppositione Sempronius vel nullam omnino, vel certe non nisi levem commisisset culpam: non est autem verisimile, velle summum Pontificem in aliquem sine gravi culpa gravissima pæna animadvertere; quia hæc non esset justa, prout jam supra notavimus: Quin immo non desunt DD. nominatim Felinus, Navarrus, Panormitanus *in capit. Pastoralis §. forum de appellat.* numero 15. & alii, videndi apud Palao *tr.* 29. *dispu.* 6. *pu.* 3. *n.* 2. *in fin.* affirmantes, ad quamlibet irregularitatem ex delicto provenientem, requiri dolum, seu contemptum, qualis certe non intervenit ex hac suppositione: proin non video, cur pro foro interno cum Sempronio non posset aut deberet mitius procedi, supposito, quod nullum prorsus animadverterit periculum mortis, aut gravis nocumenti puero inferendi. Videatur Tamburinus *Libro* 10. *de Censur. tra.* 4. *cap.* 15. §. 2. *numero* 12.

Sed quid (ais) tenendum de illo, qui puellæ a se impraegnatæ dederat medicinam in ordine ad expellendum fœtum, postea vero ubi inaudiit, ipsam periclitari de vita, clam aufugit, jam ignorans, an vel sola expulsio fœtus, vel etiam mors puellæ fuerit inde effective secuta?

168. R. Ad hoc dubium imo, a tali pænitente necessario, & sub gravi culpa indagandum esse, an revera vel expulsio fœtus, vel etiam ipsa mors prægnantis fuerit subsecuta. Ratio est: quia si talis sine ulteriori indagine præsumeret, vel ordines sacros suscipere, vel in jam susceptis ministrare, evidenti periculo trasgrediendi legem Ecclesiasticam: & quidem in materia gravi, sese exponeret; enimvero si expulsio fœtus, saltem animati, vel ipsa mors prægnantis fuisset effective subsecuta, indubitanter incurrisset pœnam irregularitatis: stante autem irregularitate con-

contracta suscipiendo Ordines, aut in susceptis ministrando, graviter peccaret: ergo cum tale dubium facti aliter deponere nequeat, nisi sola indagatione veritatis, ad hanc sub gravi culpa tenetur, & interim tam a susceptione Ordinis, quam a ministerio in jam susceptis abstinere: neque ullus prudentum hoc inficias ibit. Vid. Mastrius *Theol. mor. disp.* 13. *n.* 138. Filliuc. *tr.* 19. *n.* 45.

169. R. Jam secundo ad idem quæsitum: si mors puellæ fuit secuta, habendus est irregularis, eo quod culpabiliter hominem occiderit, & quidem injuste; nam tale periculum debuit necessario prævidere. Ita Tambur. *l. cit.* §. 4. *n.* 31. Secus dicendum foret, si puella non obiisset. Ad vero si sola ejectio fœtus contigit, gnaviter attendendum erit, an fœtus jamjam fuerit animatus vel non? & dicendum I. quod si fœtus jam fuit animatus, procurans ejectionem inciderit irregularitatem, ob rationem mox datam; quia revera commisit homicidium, vel potius parricidium injustum, ut de se liquet. II. Si vero fœtus nondum fuit animatus, dicendum est, quod non incurrerit, ob rationem oppositam, quia scilicet de tali dici nequit, quod hominem occiderit, esto verum sit, quod generationem hominis impediverit. Et ita tenent satis *communiter Doctores*, signanter Herincx noster *part.* 2. *tr.* 3. *disp.* 6. *nu.* 122. Sporer *in decalog. tractat.* 5. *c.* 3. *n.* 137. Filliuc. *tr.* 20. *num.* 19. & 20. Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 3. *art.* 2. *n.* 5. Bonacina, Bardi, Tamburinus & alii plures. Nec refert, quod Sixtus V. irregularitatem extenderit ad procurantes abortum etiam fœtus inanimati, quia (ut sapienter advertit Filliuc. n. 2.) Gregorius XIV. postea eandem constitutionem moderando revocavit ad limites juris communis: in hoc autem non reperitur irregularitas constituta in procuraates abortum fœtus nondum animati: ergo &c.

Sed quid, inquies, si de hoc ipso dubium relinquatur, fueritne fœtus jamjam animatus, nec ne? & hoc dubium maneat invicibile?

170. R. In tali dubio Sanchez, Sotus, Sayrus, & alii, quos refert ac sequitur la Croix *lib.* 7. *n.* 456. Procuratorem condemnant ad pœnam irregularitatis; quia est dubium facti circa homicidium injustum; quod hic præsumitur, cum communiter eveniat: ita relati. Verum ego probabiliorem existimo opinionem Sporeri *cit. n.* 137. Tamburini *l.* 1. *in Decalog. c.* 3. §. 7. *Verb. irregularitas n.* 2. Præpositi apud Bardi de *consc. disc.* 6. *cap.* 7. §. 4. negantium, quod talis incurrat irregularitatem; quia Canones, quos recensent Sporer *loc. cit. numero* 130. & *seqq.* statuentes hanc pœnam in homicidas, supponunt homicidium fuisse perpetratum ita, ut constet de corpore delicti: at, ubi vere dubitatur, an fœtus fuerit jamjam animatus, nec ne, non constat de corpore delicti, id est, de vero homicidio perpetrato: ergo cum aliunde constet, in pœnis benigniorem interpretationem esse faciendam &c. & odiosa restringenda &c. verosimilius videtur, talem non incurrisse irregularitatis notam. Illud autem, quod Adversarii dicunt, communiter evenire, ut ejiciatur fœtus jam animatus, æque faciliter negari potest: & fortassis, sæpius ejicitur non animatus, quam animatus, eo præsertim quod tanto facilius disturbetur hujusmodi massa, quanto minus adhuc sumpsit incrementi. Vid. Tamburinus *l.c.*

CASUS TERTIUS.

Cajus Sacerdos ad moribundum vocatus, nedum partes Confessarii, sed & infirmarii agere cogebatur, eo quod infirmus, nescio ob nimiam erga Cajum confidentiam, vel vero erga alios impatientiam, noluerit admittere aliorum obsequia. Cajus proin, ut erat homo optimæ voluntatis, infirmo administraverat, quidquid demum ejusdem palato arriserat, eo præsertim quod de sanitate recuperanda etiam Medici jam pridem desperaverint, factum proin, ut infirmus postularet non nihil moveri in alterum latus, simulque refrigerari quodam electuario: præstitit Cajus utrumque, sed ecce! vix dum infirmus electuarium ore apprehendit, eodem suffocatus obiit inter manus Caji, unde hic jam dubitat, an propterea non incurrerit notam irregularitatis

171. R.

171. R. Quod non. Vel enim incurrisset irregularitatem ex delicto homicidii, vel ex defectu lenitatis? aliam enim in his circumstantiis incurrere non potuisset: atqui non primam; quia nullum prorsus delictum commisit, sed potius opus præstantissimæ charitatis, assistendo & infatigabiliter ministrando decumbenti; Officia autem charitatis non debent tam rigorosa pœna castigari. Neque secundam; tum quia per hoc ministerium mortem non acceleravit certe non notabiliter; tum etiam, quia irregularitatem ex defectu lenitatis, non incurrunt, nisi qui in mortem seu, effusionem sanguinis sponte consentiunt, seu cooperantur, velut ministri justitiæ, prout satis communiter tradunt Doctores, signanter Avila, Filliucius *tr.* 19. *n.* 27. Sayrus *de censur. L.* 7. *c.* 6. *n.* 13. Diana *part.* 3. *tr.* 5. *Resolut.* 70. Tamburinus *L.* 10. *de censur. tr.* 4. *c.* 15. §. 4. *n.* 27. *&* 28. Atqui hoc Cajus non fecit: ergo &c. Hinc sapienter infert Busenbaum apud la Croix *l.* 7. *n.* 181. *IV.* eum, qui infirmo bona fide aliquid v. g. cibum, aut potum, vel eum movet de lecto in lectum, aut aliud circa eum operatur, ex quo mors vel ejus acceleratio præter intentionem sequitur, non fieri irregularem, nisi intervenerit lata culpa. Quocirca Diana *part.* 5. *tr.* 3. *Resol.* 17. notat ex Bonacina, Sacerdotibus & Religiosis circa moribundos licere eadem, quæ laicis.

Dices tamen contra hoc. Si Clericis circa moribundos idem licet, quod laicis, cur ergo Monachis & Clericis in sacris Canonibus prohibetur exercere Chirurgiam? *cap. sententiam* 9. *Ne clerici vel Monachi*. Cur Monachus qui ulcus fœminæ inciderat, hac demortua declaratur irregularis *cap. tua nos de homicid.*

172. R. Haud immerito Clericis ac Monachis interdici exercitium Chirurgiæ, tum quia hoc alienum est ab eorum vocatione, tum etiam, quia tales incisiones semper quasi sunt periculosæ, & subin sine speciali dedecore status clericalis, vel periculo scandali non practicabiles. Et falsum omnino est, per allegatum *cap. tua nos*, Monachum declarari irregularem, supposito; quod fuerit peritus in arte Chirurgiæ, omnemque, quam debuit, diligentiam adhibere studuerit, sed solum dicitur, *quod alioqui* (si scilicet vel non intellexit artem, vel diligentiam debitam non adhibuit) *interdicenda est ei sacerdotalis ordinis executio de rigore*. Ex quo Tamburinus *l. cit. n.* 11. recte infert, quod Monachus vel Clericus in sacris constitutus, exercens etiam extra necessitatem Chirurgiam, incidendo, vel adurendo ex arte, sine culpa homicidii, non fiat irregularis, licet peccet contra dictam prohibitionem, immo licet præter intentionem accidat mors infirmi, vel ejus acceleratio: & pro eadem opinione citat Coninck *de Sacr.* 18. *disp.* 18. *dub.* 9. *n.* 87. Joann. Præpositum *d.* 5. *de Irregul. d.* 10. *n.* 86. Cujus ratio est: quia irregularitatem non parit mera inobedientia vel transgressio cujuscunque præcepti, sed actio efficiens reatum homicidii, seu doformitatis, id est mutilationis: ergo si Clericus vel Monachus ab hoc caveat, non fit irregularis, esto etiam peccet contra prohibitionem Ecclesiæ, proptereaque ab hujusmodi operationibus Chirurgicis perpetuo abstinendum sit Clericis atque Monachis

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

173. Colliges ex hactenus dictis primo, Irregularitatem differe 1. a Censuris, tum quia non omnis irregularitas est pœna, tum quia illa etiam, quæ in pœnam infligitur, non est pœna medicinalis, uti sunt censuræ. 2. differre insuper a Depositione & Degradatione; quia hæ pariter pœnæ sunt Ecclesiasticæ, non item omnis irregularitas. Deinde Depositio solum respicit actus ordinum, eorumque usum prohibet, irregularitas vero ipsam ordinum capacitatem, Degradatio porro ejicit Clericum a gradu (Ecclesiastico) ad quem admissus erat, at irregularitas non admittit. Ita Filliucius *tract.* 19. *n.* 5. *&* 6.

174. Colliges secundo, *nullam incurri irregularitatem, nisi in casibus jure Canonico, seu*

seu Pontificio expressis. Hanc velut Regulam universalem in hac materia bene ante oculos ponendam tradunt DD. communiter, signanter Salmanticenses *tr.* 10. *c.* 7. *n.* 3. Illsung *tr.* 7. *disp.* 1. *n.* 74. Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 3. *nu.* 3. Ratio hujus desumitur *ex cap. Is qui de sent. Excomm. in sexto*: ubi decernitur, eum, qui scienter in Ecclesia per sanguinis vel seminis effusionem polluta celebrat, non incurrere laqueum irregularitatis, *eo quod NB. hoc in jure non sit expressum*. Ex quo liquet, in hac materia non valere argumentum a paritate desumptum, hoc, vel simili modo: celebrans in Ecclesia interdicta fit irregularis: ergo etiam celebrans in Ecclesia polluta; negatur enim consequentia; quia prior irregularitas est in jure expressa *cap. proxime cit.* non item posterior.

175. Colliges tertio, ad incurrendam irregularitatem ex delicto non sufficere culpam mere venialem, sive hæc sit commissa ob levitatem materiæ, sive ob imperfectionem actus. Ita *communiter DD.* Præpositus *q.* 5. *de irregul. d.* 10. *n.* 75. Palao *tr.* 19. *disp.* 6. *punct.* 15. §. 4. *num.* 1. Filliuc. *l. cit. num.* 25. Tambur. *l.* 10. *tr.* 4. *c.* 15. §. 2. *num.* 12. Ratio est: quia Irregularitas est una ex gravissimis pœnis Ecclesiasticis: ergo non est æquum, ut a levi culpa pro-gignatur. Deinde actus ex indeliberatione procedens non est simpliciter humanus: ergo cum leges humanæ soleant punire actus perfecte completos, dicendum, quod hujusmodi actum imperfectum nolint plectere pœna irregularitatis; secus frequentissime incurreretur hæc irregularitas &c.

176. Colliges quarto, Medicos aut Chirurgos non incurrere notam irregularitatis, si quæ artis suæ sunt, intelligant, & juxta Regulas artis procedant, adhibendo moralem diligentiam in præscribendis vel applicandis medicamentis, incisuris, adustionibus &c. gravitati rei proportionatam (id ipsum de infirmario tenendum esse, jam audisti:) Ratio est: quia his suppositis Medicus aut Chirurgus nullam committunt culpam, certe non gravem: ergo nec debent sentire pœnam gravissimam, qualis est ista irregularitatis. Secus dicendum foret, si vel artem non intelligant, & nihilominus sese ingerere præsumant, vel si intelligentes quidem artem, nihilominus vel infirmum negligant, vel cum prævifo periculo mortis saltem notabiliter accelerandæ suo muneri non satisfaciant, medicamina nociva præbeant &c. etiam ad requisitionem infirmi &c. esto etiam id facerent ex commiseratione, ne infirmus tamdiu pati cogatur &c. in his enim & similibus casibus graviter delinquunt; quandoquidem nec infirmus, nec infirmarius, nec Medicus nec Chirurgus habent potestatem in vitam & membra corporis &c. ergo neque mirandum, quod incurrant pœnam Irregularitatis. Ita Farrinacius, Henriquez, Tamburinus *cit. num.* 25. Sporer ubi *supra num.* 178. & 179.

Sed quid, ais, tenendum de illo Clerico, qui aqua naturali destitutus infantem moriturum projecit in puteum, cum pronuntiatione formulæ baptismi, ne sine baptismo infans decederet?

177. R. Hunc Clericum per se loquendo graviter peccasse, utpote occidendo innocentem, contra quintum præceptum, & consequenter incurrisse irregularitatem: nihilominus si bona fide, & conscientia (etsi erronea) processisset (quidquid demum sit de valore talis baptismi) ego cum Tamburino, Sporer *cit. num.* 181. & aliis probabile judicarem, eum posse pro foro conscientiæ excusari; quia (ut supponitur) coram Deo non peccavit; ergo nec est pœna dignus.

178. Colliges quinto, pœnam hanc Irregularitatis equidem in Summum Pontificem, utpote Legislatorem, & Superiorem jure Canonico, cadere non posse, bene vero in alios quoscunque Summo Pontifice inferiores, utpute Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos &c. Ita aliis citatis Leander de Irregularit. *tract.* 1. *d.* 2. *quæst.* 6. Tamburinus *L.* 10. *tr.* 4. *c.* 2. *num.* 3. Ratio patet ex dictis *nu.* 156. quia hi omnes subduntur Constitutionibus Juris Canonici, ergo possunt incurrere pœnam irregularitatis, Sacris Canonibus introductam; cum nullo Juris textu excipiantur. Hinc, si Episcopus

pus aliquem occideret, vel Excommunicatione ligatus celebraret, Irregularis foret, sicut quilibet alius Clericus. Ita Suarez *de Censur. disp.* 40. *sect.* 7. *n.* 6. Bonacina *disp.* 7. *q.* 1. *pu.* 2. *n.* 8. Palao *tr.* 29. *disp.* 6. *pu.* 2. *n.* 5.

179. Colliges sexto, Irregularitate ligatum peccare mortaliter, si absque dispensatione vel ordinem suscipere, vel in jam susceptis ministrare præsumat. Ita habet *cap. Si celebrat* 10. *de Clerico excomm. ministrant.* & *communis DD.* quam etiam tradit Scotus 4. *dist.* 13. *q.* 2. Mastr. *disp.* 13. *n.* 129. Ratio liquet ex hactenus dictis: quia scilicet in materia gravi agit contra prohibitionem Ecclesiæ. Ergo peccat graviter, esto propterea non incurrat aliam, seu novam irregularitatem. Probabilius tamen acceptando in tali statu Beneficium Ecclesiasticum peccaret; quia Ecclesia non vult, ut talis admittatur ad officium Ecclesiasticum, & per consequens neque ad Beneficium, quamdiu manet irregularis. Videantur *Doctores citati*.

Quid ergo (ais) agendum Clerico, qui stante Irregularitate contracta cogitur exercere actum Ordinis?

180. R. Cum distinctione. Vel enim jam notum est, quod commiserit delictum v. g. procurationem abortus fœtus animati, propterea que irregularitatem contraxerit, vel non? Si primum, tunc debet abstinere ab omni exercitio Sacrorum Ordinum; secus enim adderet scandalum publicum. Si secundum, tunc debet omnem movere lapidem, ut quantocyus dispensationem impetret vel a summo Pontifice, seu S. Pœnitentiaria, vel ab Episcopo (qui in tanta necessitate potest dispensare juxta probabilem sententiam DD. videndam apud Sporer *tr.* 5. *cap.* 3. *num.* 254.) & interim, si possit sine infamia vel incommodo, vel sub specie negotii peragendi alio proficisci, vel sub specie infirmitatis domi se continere, & alteri officium illud committere; hoc enim postulat reverentia prohibitioni Ecclesiasticæ debita, ait recte la Croix. E contra si neutro modo possit declinare infamiam, poterit tuto exercere actus Ordinis, in quantum, & quamdiu hoc necessarium erit ad declinandam hanc infamiam. Ratio est: quia lex naturalis de defendenda fama & honore, deque declinando scandalo publico fortius obligat, quam lex humana seu ecclesiastica de non exercendo Ordine in statu Irregularitatis: ergo cum in tali casu nequeat observari utraque lex simul, oportet observare legem naturalem potius, quam Ecclesiasticam. I.a post Molin. Palao. Laymannum &c. Sporer *cit. c.* 3. *n.* 255 la Croix. *l.* 7. *n.* 437.

Dubitabis adhuc, quid ergo tenendum de illo Clerico, qui cum dubio practico, an non incurrerit censuram, seu excommunicationem, & per hoc Irregularitatem contraxerit? celebravit, postea vero pœnitentia ductus solerter indagavit, & neminem invenit, qui vel excommunicatum vel Irregularem vellet agnoscere?

181. R. In tali casu præsumendum esse pro libertate, seu pro non incursa Irregularitate. Ratio est: quia quamdiu non constat de Irregularitate certo jure expressa, tamdiu, præsertim post diligentem inquisitionem standum est pro libertate, veluti constare debet ex dictis n. 174. at, hic supponitur non constare, & quidem post diligens examen, seu inquisitionem factam: ergo. Et ita tenent Sanchez *l.* 1. *Decal. c.* 10. *n.* 46. Bonacina *de Censur. disp.* 7. *q.* 1. *pu.* 5. *n.* 5. Tamburinus *l.* 10. *de Censur. tr.* 4. *c.* 5. *§. un. n.* 29.

CONFERENTIA SEXTA.

De Irregularitatibus ex delicto.

SUMMARIUM.

182. *Irregularitas ex delicto non, nisi propria culpa incurritur, soletque dividi in quatuor classes.*

183. *Irregularitas ex abusu Baptismi quid.*

184. *Irregularitas ex abusu Ordinis incurritur ob delictum in ipsa susceptione Ordinis commissum;*

185.

185. *Vel ob abusum Ordinis cum violatione censuræ.*
186. *Recensentur delicta, ob quæ infamia, & exinde consequens Irregularitas incurritur.*
187. *Irregularitas incurritur etiam ex delicto homicidii.*
188. *Modo id scienter ac voluntarie fuerit perpetratum.*
189. *An, vel quando incurratur ex homicidio casuali.*
190. *Quid de eo, qui dubitat, an non commiserit homicidium.*
191. *Potest insuper Irregularitas incurri ob mutilationem.*
192. *Quidnam intelligatur nomine mutilationis &c.*
193. *Resolvitur Casus I. de quodam studioso, qui tempore belli prædones pecorum persecutus homicidium commisit.*
194. *Solvitur quædam objectio contra resolutionem.*
195. *An prædones vicissim occidendo suos persecutores, incurrerint notam Irregularitatis.*
196. *Resolvitur Casus II. de quodam Clerico, qui suis famulis mandaverat, ut feripetam in sylva deprehensum vehementissime verberarent.*
197. *Solvitur rursus quædam instantia.*
198. *Quid, si tales famuli non feripetam sed alium Viatorem verberassent, aut mutilassent.*
199. *Resolvitur Casus III. Cujusdam studiosi, qui alteri suo condiscipulo administravit gladium ad duellandum, quo is inimicum suum occidit.*
200. *Quid, si is inimicum solum vulnerasset.*
201. *Quid si dubitetur, an ex vulnere obiverit.*
202. *Iterans baptismum solum sub conditione, non fit irregularis propterea.*
203. *Idipsum tenendum de reiterante ex ignorantia.*
204. *Iterato suscipiens Sacramentum Confirmationis, non incurrit irregularitatem ex abusu Sacramenti.*
205. *Clericus in bello justo offensive pugnans, fit irregularis.*
206. *Quod casu quodam particulari declaratur.*
207. *Mandans vel consulens homicidium, non incurrit hanc pœnam, nisi effectu homicidii secuto.*
208. *Bene vero, si hoc vi mandati fuerit perpetratum, esto mandatum fuerit inefficaciter revocatum.*
209. *An Consulens hanc incurrat, revocato consilio.*
210. *Quando plures communi consilio aliquem aggrediuntur, omnes fiunt irregulares, tametsi unus solus occidat.*
211. *Quid, si plura eidem inflixere vulnera.*
212. *Utrum Clerici strepitosæ venationi vacantes, incurrant irregularitatem, si contingat quampiam hominem casu occidi in illa.*
213. *Non impediens homicidium fit irregularis, si illud vi sui officii debuisset impedire.*
214. *Hanc irregularitatem pariter incurrit, qui se ipsum sine necessitate mutilat aliquo membro.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos, de Irregularitatibus ex delicto incurrendis.

QUæres primo, quid, & quotuplex sit Irregularitas ex delicto?

182. R. Per Irregularitatem ex delicto illa intelligitur, quæ ex proprio, & quidem gravi delicto seu culpa incurritur, ut jam diximus conferentia proxime præcedente *n.* 152. & 175. Ceterum in modo recensendi irregularitates ex delicto, Doctores nonnihil variant, dum alii quatuor, alii 6. alii septem vel omnino octo enumerant, ut videre licet apud Felicem Potestas *in Exam. Confessar. tom.* 1. *p.* 4. *cap.* 2. *nu.* 4419. & alios. Tu ad hanc quæstionem breviter cum P. Sporer *theolog. Sacram. p.* 1. *cap.* 5. *num.* 77. dic: Irregularitas ex delicto est quadruplex, scilicet 1. ex abusu Baptismi. 2. ex abusu Sacri Ordinis. 3. ex delicto enormi, cui de jure est annexa publica infamia. 4. ex delicto homicidii voluntarii, mortaliter peccaminosi. Ad has quatuor species reliquæ omnes convenienter revocari possunt, ut patebit ex proxime dicendis.

Quæres secundo, quid intelligatur per Irregularitatem ex abusu Baptismi?

183. R. Intelligitur culpabilis reiteratio baptismi serio & scienter facta, quia cum hoc sacramentum sit initerabile, committitur magnus abusus merito punitus pœna irregularitatis tam ex parte rebaptizantis, quam ex parte culpabiliter permittentis se rebaptizari. per *cap. Ex litterarum de Apostatis* &c. *Qui in qualibet.* 1. *q.* 7. Idque tam de rebaptizatione occulta, quam de solenni intelligunt Scotus, Henriquez, Avila & alii plures, videndi apud Palao *tr.* 29. *disp.* 6. *pu.* 16. *n.* 2. tametsi idem Palao probabile putet, hanc irregularitatem non incurri, nisi delictum fuerit publicum, seu baptismus publice administratus. Videatur de hoc Sylvester *Ver. Irregularitas q.* 4. vel Laymann *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 5. *c.* 2. *n.* 1.

Quæres tertio, quidnam intelligatur per Irregularitatem ex abusu S. Ordinis?

184. R. Intelligitur illa, quæ incurritur ex delicto vel 1. in ipsa susceptione Ordinis, vel 2. ob malum usum jam suscepti cum violatione censuræ commissum. Explico breviter.

I. Delictum in susceptione Ordinis (cui est annexa hæc Irregularitas) potest multifariam committi. 1. dum quis suscipit Ordinem Sacrum (non vero quatuor minores tantum) dum est irretitus aliqua censura, utputa excommunicationis, vel Interdicti personalis &c. 2. Dum quis eum suscepit ab Episcopo excommunicato, hæretico &c. 3. dum quis Clericus solenniter & scienter exercet actum proprium ordinis Sacri, quem tamen nondum suscepit v. g. cantando Epistolam vel Evangelium cum insigni proprio diaconatus aut subdiaconatus. Sporer. Constat hæc ex variis Juribus apud Reiffenstuel videndis.

II. Abusus S. Ordinis cum violatione censuræ tunc committitur, dum quis censura innodatus exercet actum proprium Ordinis, id est, talem, qui ab alio tali Ordine non prædito exerceri non valet, ex. gr. cantando Epistolam cum manipulo, vel Evangelium cum stola transversim portata, esto sciat se actu irretitum excommunicatione majore, vel suspensione, vel interdicto personali &c. &c. Ita habetur in Jure Canon. toto titulo *De Clerico excommunicato ministr.* Ex quo fluit, hanc Irregularitatem non incurri per hoc, quod quis censura ligatus exerceat actum Ordinis minoris, utputa acolythando &c. januas Ecclesiæ claudendo vel aperiendo &c. &c. quia hujusmodi actus etiam a Laicis possunt exerceri. Neque incurritur per hoc, quod suspensus ab ordine exerceat actum jurisdictionis præcise & non Ordinis, v. g. assistendo contractui matrimoniali &c. delegando facultatem absolvendi, vel baptizandi &c. &c. Videantur de his Navarrus *Manuali cap.* 27. *n.* 242. *&* 244. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 4. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 13. *dist.* 3. *n.* 12. *&* 13.

Quæres quarto, quænam sint illa delicta enormia, habentia annexam publicam infamiam, & per hoc irregularitatem inducentia?

186. R. Sunt valde multa; singulariter per *cap. Infames VI. q.* 1. declarantur infames fures, Sacrilegi, incestuosi, Homicidæ, Perjuri, Raptores, Malefici, Adulteri &c. &c. Hi omnes ad Sacros gradus non debent admitti. Quibus pariter adnumerandi veniunt Hæretici, Apostatæ a fide, Schismatici, eorumque (in casu hæreseos) Fautores & Receptatores, ut habetur *c. Quicunque. de Hæreticis. in sexto & c. saluberrimum I. q.* 7. Quocirca tamen notandum, ad hoc ut ex criminibus mox recensitis (si homicidium excipias) Irregularitas incurratur, necessum omnino esse, ut sint publica, seu manifestata; quamdiu enim occulta sunt, poterit hujusmodi criminosus (præmissa vera pœnitentia & absolutione pro foro conscientiæ obtenta) fungi ministerio Sacrorum Ordinum susceptorum, vel ad nondum susceptos promoveri, prout habetur variis juribus. *c. Ex tenore, & c. ult. de temporibus Ordinand.* Videatur Navarrus *cit. c.* 27. *n.* 248. vel Reiffenstuel *l. cit. n.* 20.

Quæres quinto, an, vel quomodo hæc Irregularitas incurratur ex delicto Homicidii?

187. R. Incurritur ex homicidio injusto vo-

voluntarie & mortaliter peccaminose perpetrato, sive dein physice, utputa transfigendo &c. sive etiam moraliter scilicet auxilio, consilio, mandato &c. &c. immo & non impediendo, quando ex justitia debuisset impediri. Ita in re *communissime Doctores*. Valentia, Coninck, Tannerus & alii cum Diana *part.* 4. *tract.* 2. *Resol.* 10. Pichler *in Candidat. Jur. Can. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 3. Idque habetur decisum *Can.* 4. *Dist.* 50. *Can. fin. Cauf.* 23. *q.* 8. & alibi sæpius. Nec immerito; nam si Ecclesia reputat inconveniens, ut ille qui ex officio cooperatur ad justum homicidium, seu effusionem humani Sanguinis fungatur Sacro altaris Ministerio, & repræsentet Personam Christi ceu Agni mansuetissimi, quanto potiori jure ab hoc Sacro Ministerio arcetur, qui cum peccato mortali manus polluit humano sanguine? Quin immo fieri potest, ut quis in foro externo habeatur pro irregulari, qui coram Deo graviter non peccavit occidendo &c. quia sub in pro hoc foro præsumitur culpa gravis, licet probabiliter talis non intervenerit, prout eruitur ex *cap.* 8. *&* 12. *h. part.*

188. Dixi tamen, hanc irregularitatem incurri *ex homicidio injusto, voluntarie perpetrato* &c. nam ex homicidio juste & sine peccato perpetrato, non incurritur hæc irregularitas; quia ubi deficit culpa, ibi nec incurritur pœna. Hinc, si ob necessariam defensionem vitæ propriæ, vel bonorum magni momenti, ad vitæ sustentationem necessariorum, immo etiam ob defensionem necessariam vitæ aut bonorum (magni tamen momenti) alterius occidas injustum aggressorem, modo semper observes moderamen inculpatæ tutelæ, ab hac irregularitate immunis eris: secus, si moderamen inculpatæ tutelæ transgrediaris; quia tunc graviter peccabis, & per hoc pœnam Irregularitatis pariter incurres. Vide si placet, Filliucium *tr.* 20. *c.* 5. *n.* 131. *& seqq.*

Quæres sexto, an hæc Irregularitas incurratur ex homicidio mere casuali?

189. R. Ex homicidio mere casuali hæc Irregularitas non incurritur. Ita *communis* DD. & constat ex *c. Lator*, & ex *c. Dilectus de homicidio*. Ratio hujus est: quia secundum dicta *part.* 4. *conf.* 4. *num.* 86. illud homicidium dicitur casuale, quod præter omnem intentionem tam directam, quam indirectam, seu in causa datam, mere per accidens sequitur: at, hoc ipso, quod taliter accidat, vacat culpa gravi: cum nihil possit esse volitum, quin præcognitum: ergo ex tali homicidio non incurritur pœna irregularitatis. Idque verum est, tametsi actio occisoris forte fuerit illicita ex gr. dum voluit furtive occidere feram &c. quia hoc non obstante potuit contingere, quod nunquam cogitaverit de homine occidendo, neque periculum hujus ullo modo apprehenderit: hoc ipso autem homicidium manet merum casuale, & sine reatu homicidii factum, prout de se liquet: ergo nec pœna Irregularitatis habet locum. Laymann *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 10. Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 3. *a* 2. *n.* 18. Sayrus, Guttierez, & alii plures. Secus dicendum de eo, qui homicidii periculum prævidit, nec tamen sufficienter præcavit; quia tali homicidium merito imputatur, velut voluntarium in causa, prout habetur satis clare decisum *cap. Significasti* & *c. Dilectus de homicidio*.

Sed quid, ais, tenendum de illo, qui dubitat, an ex sua actione homicidium fuerit secutum, seu, an sit Auctor homicidii?

190. R. Ad hoc quæsitum cum distinctione valde notabili, & semper præ oculis habenda I. *Qui rationabiliter dubitat de ipso corpore delicti, id est, de ipso homicidio, an scilicet hoc fuerit effective secutum, nec potest deprehendere rei veritatem, non tenetur sese habere ut irregularem*. II. *Qui vero certus est de corpore delicti, & solum dubitat, an sua actione culpabili fuerit causa efficax hujus, an vero potius actione vel cooperatione alterius fuerit secutum, tenetur se habere ut irregularem, per cap.* 12. *&* 18. *de homicid.* Hanc distinctionem velut geminam Regulam tradunt Sporer *tr.* 5. *in Decalog. c.* 3. *n.* 129. *&* 137. post Dianam, Bardi, Tamburinum & alios. Wex *in Ariadne part.* 4. *decade* 5. *caf.* 2. *n.* 12.

Pichler *in Candidat. Jur. Can. l.* 5. *tit.* 12.

12. *n.* 8. Ratio prioris Regulæ est: quia non incurritur Irregularitas nisi in casibus in jure expressis secundum dicta superius *nu.* 174. Atqui non reperitur in jure expressa Irregularitas pro delicto homicidii, ubi non constat de corpore Delicti: ergo nec nos debemus statuere; præsertim cum aliunde constet, *odia esse restringenda per Reg.* 15. *Jur. in sexto*. Ratio autem posterioris Regulæ desumitur ex juribus proxime allegatis: judicarunt enim Summi Pontifices inconvenientissimum esse, ut homicida admittatur ad SS. Altaris Ministerium; quod de facili potuisset contingere in casu, ubi jam certo constat de corpore delicti: proptereaque statuere, in hoc dubio *tutiorem partem esse eligendam*, & abstinendum a Ministerio altaris. Quod tamen non est extendendum ad dubium circa mutilationem, inquit post Sanchez *l.* 1. *mor. c.* 10. *n.* 49. Pichler *l. cit.* eo quod hoc nullibi exprimatur. Insuper notandum, quod taliter dubitans debeat se gerere ut irregularem solum in ordine ad abstinendum ab exercitio SS. Ordinum, & a celebratione missæ, ut habetur decisum *c.* 12. & 18. *de homicid. jamjam citt.*

Quæres jam septimo, utrum ergo hæc Irregularitas incurratur etiam ex sola mutilatione?

191. R. Affirmative. Ita ex *communi Doctorum* Laymann *l. cit. c.* 11. *num.* 1. Ratio est: quia quantum ad irregularitatem incurrendam mutilatio, utpote valde dedecens statum Ministri Ecclesiæ, æquiparatur homicidio, veluti constat ex *c.* 1. *de Clericis pugnant. in duello c. ult. de homicid. in sexto*, & *Clement. un. eod. tit. juncta glossa. Verb. mutilat.* Pro genuino tamen intellectu hujus resolutionis.

192. Notandum, nomine mutilationis hic intelligi abscissionem seu separationem (non autem meram labefactationem) alicujus membri humani proprie dicti, id est talis, quod respectu corporis humani habet aliquam peculiarem functionem, uti sunt v. g. manus, pes, oculus, lingua, mamillæ fœminæ, membrum genitale, vel etiam uterque testiculus, non vero alteruter præcise; quia uno solo deficiente non tollitur generandi usus: tollitur autem deficiente utroque, ait Sporer mox citandus *num.* 97. &c. &c. Unde non fit irregularis, qui alteri abscindit digitum; quia non est membrum, sed pars membri, neque qui abscindit labia, dentes evellit, vel capillos, aut auriculam; quia hæc non sunt membra, sed potius ornatus membrorum, inquit Felix Potestas *Exam. Confessar. tom.* 1. *p.* 5. *num.* 4424. Nec ille, qui solum vulnerat, aut membrum aliquod frangit, vel inutile reddit, qui visum vel auditum alicui tollit &c. Ratio est: quia in jure nullibi reperitur expressa Irregularitas pro sola debilitatione, sed pro mutilatione membri. Videatur de hoc Laymann *l. cit. num.* 2. Tamburinus *l.* 10. *c.* 15. §. 16. *num.* 4. & *seqq.* Sporer *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 73. & *seqq.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Irregularitatibus ex delicto, præsertim homicidii.

CASUS PRIMUS.

Dum *Titius studiosus tempore vacantiarum ruri agebat in Patria, contigit ut quidam milites prædones (vulgo* Schnaphanen / oder *Marodeurs) inopinato irruerent, & integrum armentorum gregem abducerent: hoc damno exciti plurimi civium concurrerunt ad arma, quos inter & Titius (ne videretur imbellis vel effœminatus) inveniebatur. Persequebantur strenue prædones, quos & intempesta nocte tandem obruerant: & aliquibus interfectis, reliquis vero in fugam actis, denuo gregem recuperarunt. Jam ad nostrum propositum dubitare licet* 1. *utrum Titius noster propterea non incurrerit irregularitatem, præsertim cum moraliter certus sit, quod & ipse solutione sclopeti unum ex memoratis prædonibus interfecerit?* 2. *an illi prædones quievisse non incurrerint irregularitatem, si & ipsi unum vel alterum ex persequentibus civibus supponantur interfecisse?*

193. R. Ad primum quæsitum, nec Titium neque alios cives ob id incurrisse pœnam irregularitatis. Ratio hujus peti

ti debet ex dictis *n.* 187. & 188. quia hæc pœna solum incurritur ob homicidium injustum, cum peccato mortali perpetratum, minime vero ex homicidio justo: atqui Titius & reliqui cives non perpetrarunt homicidium injustum, sed justum, utpote factum ob necessariam defensionem bonorum temporalium magni momenti, veluti liquet ex specie facti: neque (ut suppono) excesserunt limites inculpatæ tutelæ; dum enim tempore nocturno hujusmodi hostis armatus obruitur, cavendum minime est, ne quis eorum occidatur aut lethaliter vulneretur, sed necessum omnino est, rem serio agi: secus enim hostis in fugam non verteretur relicta tam pingui præda, quin potius tanto efficacius in persecutores consurrexisset, non sine periculo gravioris stragis: ergo nec Titius, neque alii cives in hoc peccarunt, consequenter neque incurrerunt pœnam hanc irregularitatis. Secus dicendum foret, si Titius noster post recuperatam jam prædam seu gregem armentorum primum fuisset persecutus fugientes jam hostes, & sic in fuga quempiam occidisset; quia hoc modo limites inculpatæ tutelæ notabiliter transgressus fuisset: quandoquidem tale homicidium jam non ob defensionem necessariam, sed potius in vindictam ab hoste sumendam factum fuisset. Videatur la Croix *l.* 7. *num.* 453.

Dices tamen contra hanc resolutionem *cap. Petitio tua* 24. *de homicid.* expresse deciditur, eum quem remordebat conscientia de homicidio in bello justo perpetrato, censeri debere irregularem: ergo cum Titium nostrum pariter remordeat conscientia de homicidio, & quidem a se perpetrato, censeri debet irregularis, esto etiam hoc fecerit in bello justo.

194. R. *Neg. Conseq. & paritatem*; nam ille, de quo loquitur cit. capitulum, erat Presbyter, qui nequidem in bello justo debuisset pugnare propriis manibus, præsertim offensive, uti contigit in illo casu: e contra Titio nostro nullo jure fuit prohibitum pugnare propriis manibus, & pugnando defendere res temporales magni momenti: neque etiam supponitur excessisse limites inculpatæ tutelæ: ergo non est, cur habeatur irregularis. Immo vero ne quidem a Clericis vel Monachis in bello justo merum defensivo, ac necessario pro tuenda vita propria, vel Ecclesia suscepto hanc irregularitatem contrahi, diffuse, & non minus fundate tum rationibus, tum etiam Sacrorum Canonum textibus probat Pontas *in dictionar. Cas. Verb. Irregularitas. Respons. ad Casum XXIII.* quia universim omnis ille, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat aggressorem, ab hac pœna irregularitatis immunis declaratur per *Clement. un. si furiosus. de homicidio*, modo semper servetur moderamen inculpatæ tutelæ, jam toties inculcatum. Neque vero conveniens ullatenus foret, ut hujusmodi defensor, cujuscunque demum status vel conditionis supponatur, sine omni sua culpa pœna afficeretur tam gravi. Quæ contra hæc obiici possent, videri possunt dissoluta apud Doctorem *loc. prox. citato*.

195. R. Jam ad alterum quæsitum hujus Casus, illos Prædones haud quaquam immunes esse ab hac pœna irregularitatis (nisi supponantur occidisse suos persecutores ob meram & necessariam defensionem vitæ propriæ; quo casu pariter forent excusandi ab hac pœna, ob constitutionem Clementis V. mox allegatam) Ratio hujus resolutionis est: quia injustus aggressor alium occidens, gravem committit culpam, & hoc ipso juste afficitur hac pœna irregularitatis: atqui prædones illi abigendo totum armentorum gregem, injuste aggressi sunt cives pagi vel oppidi: ergo si quempiam sibi resistentem & sua defendentem vel juste vindicantem occiderunt (nisi id fecissent ob meram & necessariam defensionem vitæ propriæ) merito plectuntur hac pœna irregularitatis. Neque refert, quod forte bellum ex utraque parte formaliter fuerit justum: nam neque in bello justo privatis militibus sine legitima auctoritate licet spoliare cives, aut homicidia, vel rapinas inferre parti adversæ: at experientia constat, ab hujusmodi prædonibus Schnapphanen oder Marodeurs fuisse plurima damna illata

civibus, idque contra voluntatem sui Principis aut Belliducis: ergo graviſſime peccant agendo hujus modi injuſtas prædas, vel occidendo ſibi reſiſtentes, vel ſua bona juſte poſſeſſa defendentes. Ita colligitur ex *cap. ſicut dignum §. ult. de homicid.* & *cap. ſignificaſti* 2. *eod.* videatur Laymann *l.* 3. *tr.* 3. *part.* 3. *c.* 8. *num.* 2. Sylveſter *Verb. Bellum* 3. *quæſt.* 3.

CASUS SECUNDUS.

S*Empronius Clericus magni nominis exiſtimavit ſuum jus venandi a certis quibuſdam alterius Comitis venatoribus vel ſubditis lædi, qua re nimium exacerbatus famulis ſuis mandavit, ut ſi denuo in ſylva offenderent aliquem ex illis ſubditis venationi intentum, nedum ſclopeto & armis privarent, ſed inſuper bacillis vel ſudibus vehementiſſime verberarent, modo ab omnimoda internecione caverent: contigit proin, ut duo de famulis Sempronii aliquem famulum dicti Comitis in ſylva venationi deditum deprehenderent, quem illico armis ſpoliarunt, tamque vehementer percuſſerunt, ut poſtera die omnino obierit: quod dum reliqui famuli Comitis perceperunt, injuriæ vindicandæ cauſa unum e dictis percuſſoribus interfecerunt. Hinc jam dubitatur* 1. *Utrum Sempronius Clericus non incurrerit irregularitatem ex eo, quod juſſerit illos famulos graviſſime verberari bacillis vel ſudibus? &* 2. *an non incurrerit per hoc, quod ab aliis percuſſor ipſe fuerit occiſus?*

196. R. Sempronium probabilius vi utriuſque homicidii incurriſſe irregularitatem: ita Sylveſter *Verb. homicidium nu.* 11. *ad ſeptimo quær.* Laymann *l.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *num.* 2. *fin.* & alii ſatis communiter. Ratio eſt: quia quicunque alium inducit ſive mandando, ſive conſulendo &c. ad actionem conjunctam vel conjungi ſolitam cum periculo mortis vel mutilationis, & non ſufficienter cavet, ne mors vel mutilatio ſequeretur, incurrit pœnam irregularitatis, prout ſatis clare deciſum legitur *cap. ult. de homicid. in ſexto*, ubi additur hæc cauſalis *cum mandando in culpa fuerit, & hoc (ſcilicet* homicidium) *evenire poſſe, debuerit cogitare*: atqui Sempronius mandando induxit ſuos famulos ad actionem periculoſam, cum homicidio utraque ex parte conjungi ſolitam, potuiſſetque facile, ac debuiſſet cogitare, fore, ut excederent limites mandati, vel a ſibi reſiſtentibus occiderentur; quia in his circumſtantiis, ubi armatus armatum aggreditur in ſylva, ſæpiſſime contingunt homicidia, dum nullus vult alteri cedere, aut vinci ab alio: ergo Sempronius probabilius incurrit irregularitatem in utroque caſu. Videatur Palao *tr.* 29. *diſp.* 6. *pu.* 15. *§.* 2. *num.* 5.

Dices tamen contra hanc reſolutionem. Sempronius fertur ſuis famulis expreſſe demandaſſe, caverent ab omnimoda occiſione cujuſpiam: ergo homicidium huic eſt omnino involuntarium: & per conſequens puniri non debet tam gravi pena.

191. R. Diſtinguendo *conſequens*: ergo homicidium huic eſt involuntarium directe, *concedo*, etiam involuntarium indirecte *neg. conſequent.* Ex hoc ſolum probatur, homicidium a Sempronio non fuiſſe intentum ſeu volitum directe: quia tamen mandando poſuit cauſam periculoſam, ſeu conjungi ſolitam cum periculo mortis, neque ſufficienter vel ſatis efficaciter præcavit, ne mors ſequeretur; huic homicidium reputatur caſuale quidem, ſed mixtum, adeoque Sempronius non evadit hanc pœnam irregularitatis. Fatendum nihilominus eſt, quod ſi poſterius homicidium, percuſſoris ſcilicet, longo temporis intervallo a priori primum contigit, ita, ut hoc Sempronius nullo modo prævidèrit, multo minus intenderit, hoc eidem ad culpam & conſequenter etiam ad pœnam imputari non poſſit, veluti colligi poteſt ex dictis ſupra *num.* 167. & videre licet apud Tamburinum *lib.* 10. *de cenſur. tract.* 4. *c.* 15. *§.* 3. *num.* 2.

Sed quid, ſi Sempronius mandaſſet verberari famulos Comitis, re ipſa autem in ſylva non famuli Comitis, ſed alii feripetæ uſpue ad mortem ſeu internecionem fuiſſent verberati a mandatariis, incurriſſetne Sempronius irregularitatem latam in homicidas?

198. R. Affirmative. Ratio eſt: quia tamen ſi

metsi mandatarii erraverintin individuis personarum, non tamen in subjecto humano, Semproniusque suo mandato culpabilem causam dedit ad occisionem hominis, seu ad delictum homicidii. Confirmatur ex eo: quia si Sempronius directe mandasset occidi Petrum, famuli vero ex errore occidissent Paulum, probabilius incidisset in hanc irregularitatem, veluti tenent Convarruv. *in Cap. Alma Mater. part.* 1. §. 10. *n.* 14. & P. Placidus BocKhn *lib.* 5. *decret. tit.* 12. *num.* 17. Palao *tract.* 29. *disp.* 6. *punct.* 15. §. 5. *num.* 4. aliique plures: ergo pariter hanc incurrit in nostro casu, in quo convincitur voluisse saltem indirecte homicidium hominis, esto mandatarius errasset in persona hominis; nam hæc irregularitas ex homicidio indirecte voluntario non minus incurritur, quam ex homicidio directe voluntario. Oppositam tamen sententiam tenet P. Sporer *tract.* 5. *decalog. cap.* 3. *n.* 88. eo quod in tali casu homicidium Pauli nullo modo dici possit voluntarium, utpote nunquam prævisum, & pro hac refert declarationem Cardinalium, de anno 1587. quæ exstat in Concilio *Trid. SS.* 14. *cap.* 7. *de Reformat.*

CASUS TERTIUS.

Cajus studiosus cum aliis in hospitio vino largiori indulserat, unde contigit, ut duo verbis primo contenderent, mox vero ad duellum sese provocarent: & quia unus eorum destitutus erat gladio, hinc Cajus eidem velut amico intimo gladium suum commodavit: pergunt ocyus extra portam civitatis, Cajo, aliisque ad instar secundantium (ut vocant) utrumque comitantibus: conferunt manus magno cum fervore, sed proh dolor! ita infeliciter, ut amicus ille Caii ab adversario confossus in arena occubuerit. Jam dubitatur, an non solus homicida ille, sed etiam Cajus & alii Condiscipuli comitantes utrumque ad instar Secundantium, irregularitatem ex delicto homicidii incurrerint?

199. R. Videtur certum, quod non solus ille homicida, sed & Cajus, & reliqui omnes, qui velut secundantes comitati fuere duellantes, hanc irregularitatem incurrerint. Ita Bonacina *de censur. disp.* 7. *q.* 4. *pu.* 8. *n.* 35. Sayrus *l.* 7 *c.* 4. Hurtadus & alii, quos refert & sequitur Tamburinus *l. cit.* §. 7. *n.* 17. *& seqq.* Et de ipso homicida res omnino manet certa, atque indubitabilis (esto etiam duellum non fuerit solenne, ac proptera non incurrerint excommunicationem) De Cajo vero & reliquis Comitibus velut Secundantibus probatur hac ratione: quia præbens arma in ordine ad occidendum, vel comitans alterum in hunc finem reddit securiorem, audaciorem, & animosiorem ad pugnandum vel occidendum, & hoc ipso quodammodo influit seu cooperatur sponte ad hujusmodi homicidium injustum, & quidem proxime, atqui cooperans proxime ad homicidium injustum, incurrit irregularitatem, ut constat ex dictis hactenus, præsertim *num.* 187. ergo non solus homicida, sed etiam Cajus & reliqui comites inciderunt hanc pœnam.

Secus dicendum foret, si quis suo amico rixanti assistat ita, ut eundem nullatenus animet vel audaciorem reddat ad occidendum v. g. quia amicus ignorat eum esse præsentem &c. &c.

Sed quid juris, inquies, si supponamus unum ab altero non fuisse occisum, sed vulneratum duntaxat, & postea tandem obiisse?

200. R. In tali casu gnaviter distingendum esse, an vulnus fuerit de se lethale vel non. Et si quidem lethale fuerit, propterea que vulneratus supponatur fuisse mortuus, haud quaquam dubitandum videtur de irregularitate contracta ab omnibus iis, qui hujusmodi duello causam dedere efficacem, sive animando ad illud, sive etiam gladium vel arma administrando: secus dicendum, ubi certo constat, illud non fuisse lethale. Ceterum La Croix *lib.* 7. *num.* 492. Avila, & alii plures autumant, vulnus non fuisse lethale, si læsus post triduum potuit adhuc pedibus ambulare; quod tamen mihi universaliter verum non videtur. Unde hoc dubium Medicis ac Chirurgis decidendum relinquo. In dubio autem, an vulnus fuerit lethale, vel ex cujus ictu mors evenerit (nam si mors non eveniat, & læsus

ſus etiam per miraculum curetur, non incurritur hæc pœna ratione homicidii) jubet Pontifex, tutiorem viam eligendam, ac vulnerantem pro irregulari habendum *cap. ſignificaſti* 18. *de homicid.* quia, ut jam ſuperius inſinuavimus, in hoc puncto voluit tutiore incedi via, quamvis ceteroquin in tali dubio potius eſſet favendum Reo. Videatur P. BocKhn *cit. n.* 56.

Aſt, inquies, ponamus, certo peritorum judicio conſtare, vulnus inflictum de ſe non fuiſſe lethale, & nihilominus accedente aliqua infirmitate, vel accidente, vel etiam ex defectu medicorum, aut medicamentorum, vel ex imperitia incuriave Medici læſum obiiſſe, eritne vulnerans irregularis?

201. R. In tali caſu irregularitatem a lædente contrahi, ſi nemo adfuit, qui curare potuiſſet, tenet Laymann *lib. cit. cap.* 10. *num.* 5. aſſerens, hanc eſſe *communem DD. opinionem*: quia in his circumſtantiis adhuc manet verum quod vulnus fuerit cauſa phyſica mortis. Quin etiamſi ſupponatur, læſum potius imperitia Medici, vel incuria chirurgi, aut ipſius infirmi obiiſſe, nihilominus hanc irregularitatem contrahi authumat doctor proxime citatus; quiſquis enim per actionem ſuam culpabilem periculoſam & injurioſam, homicidii occaſionem præbet, eo ſecuto irregularis fit, *argum. cap. ſignificaſti* 2. *&* *cap. ult. de homicid. in ſexto*, atqui vulnerans in noſtro caſu per culpabilem, periculoſam & injurioſam actionem occaſionem præbuit ſecutæ mortis; propterea que non ſola Medici aut vulnerati negligentia, ſed ſimul etiam ipſa vulneratio mortis cauſa exiſtit: ergo &c. Ita Laymann, cui & ergo lubens adſtipulor, ſi vulnerans ſupponatur animadvertiſſe periculum mortis. Verum ſi vulnus leve inflixit ſine omni mala intentione, ſine periculo apprehenſo veroſimiliorem exiſtimo ſententiam BocKhn, *loc. cit.* Soti, Sylveſtri, Leſſii & aliorum, negativam tenentium; quia talis in foro conſcientiæ & coram Deo non commiſit delictum grave: ergo neque debet ſentire pœnam gravem, qualis eſt hæc irregularitas incurrenda ex delicto homicidii.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

202. COlliges ex hactenus dictis primo, irregularitatem latam in Rebaptizantes &c. non incurri ab eo, qui rebaptizat ſub conditione: *ſi non es baptizatus &c.* eſto etiam temere hoc faciat, & non ſine gravi culpa. Ratio eſt: quia talis conditio ſi revera ſubſiſtit, ſuſpendit ac impedit actum, ita, ut revera baptiſmus ſit nullus: ergo cum aliunde conſtet, leges pœnales intelligi debere cum effectu, & de delictis in ſua ſpecie conſumatis, hinc dicendum, quod talis non incurrat hanc pœnam irregularitatis. Ob eandem rationem non incurreret, hanc pœnam, qui v. g. ob metum gravem cadentem in conſtantem virum, vel ex alio motivo politico ſolum ſimularet ſe velle rebaptizare, reipſa autem non haberet intentionem, vel non adhiberet materiam validam, vel non ablueret; tum quia in his & ſimilibus caſibus non fit reiteratio baptiſmi; tum etiam quia hæc irregularitas in illos duntaxat ſtatuta eſt, qui ſerio & ex animo baptiſmum iterant. Videatur Laymann *tr.* 5. *p.* 5. *cap.* 1. vel Babenſtuber *tr.* 4. *diſp.* 3. *a.* 2. *n.* 30. *&* 31.

Sed quid, ais, tenendum de eo, qui ſerio quidem rebaptizaret, ſed cum ignorantia inculpabili facti, id eſt, ignorans hunc hominem jam eſſe legitime baptizatum; vel juris, id eſt, ignorans iterationem baptiſmi eſſe prohibitam?

203. R. Talem non incurrere pœnam irregularitatis. Ratio eſt: quia ignorantia inculpabilis excuſat a peccato ſeu culpa: ergo pariter excuſat a pœna. Secus dicendum foret de eo, qui novit hunc actum rebaptizationis ab Eccleſia eſſe graviter prohibitum, & laboraſſet ignorantia ſolius pœnæ annexæ, ob rationem jam ſuperius *num.* 161. datam.

204. Colliges ſecundo, non eſſe irregulares ex abuſu Sacramenti, 1. qui iterato ſuſcipit Sacramentum confirmationis, vel ordinis, vel 2. qui ſuſcipit ordinem ante legitimam ætatem vel abſque litte-

litteris dimissorialibus, vel 3. qui suscipit ordinem per saltum, id est, majorem, prætermisso minore &c. Ratio est: quia ubi in jure non est statuta irregularitas, nec nos debemus, aut possumus eam statuere: atqui pro casibus mox recensitis nulla reperitur statuta Irregularitas: ergo &c. Fatendum tamen est, eos, qui cum hujusmodi impedimento Canonico, scil. vel ante ætatem Canonicam, vel sine dimissorialibus, vel per saltum subdole &c. curant se ordinari, incurrant ipso facto suspensionem ab exercitio Ordinis taliter suscepti, &, si præsumant exercere actum Ordinis suscepti, prius quam ab hac censura suspensionis fuere absoluti, ipso facto incurrunt irregularitatem ex delicto violatæ censuræ, prout cum Navarro, & Pirhing *tit. de Clerico per saltum promoto n.* 2. docet Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 13. *dist.* 3. *n.* 17. & alii communiter.

205. Colliges tertio Clericum, qui etiam in bello justo pugnat propriis manibus offensive, v. g. explodendo sclopetum, Bombardam, aut tormentum bellicum in cuneum hostium, vel in arcem, ubi magna est multitudo hominum, vel subdendo ignem cuniculo ad arcem vel turrim evertendam, fieri irregularem ex delicto homicidii casualis mixti, si vel unius duntaxat hominis mors exinde fuerit secuta. Ratio est: tum quia secundum dicta *n.* 194. Clericis est prohibitum graviter, ne etiam in bello justo pugnent offensive; *c. ex multa §. fin. de Voto cap. Clerici & seqq. C.* 23. *quæst.* 8. tum etiam, quia hujusmodi actiones sunt adeo periculosæ, ut plerumque mors alicujus, vel plurium etiam inde sequatur, & ob id merito ab Ecclesia graviter prohibentur Clericis. Videatur Babenstuber *loc. cit. num.* 24. Salmanticenses *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 38. Vel Reiffenstuel *tract.* 13. *dist.* 3. *num.* 67.

Sed quid, inquies, tenendum de illo Clerico Missionario Campestri, qui ad ostendendam animi sui generositatem limites Castrorum Cæsareorum egressus Turcam sibi obviantem, & jamjam acinacem stringentem soluto feliciter sclopeto trajecit, occidit, & spoliavit, magna cum præda regressus ad castra?

206. R. Hunc Clericum indubitanter incurrisse hanc pœnam irregularitatis. Ratio est: quia hujusmodi egressus habetur pro exercita provocatione hostis ad pugnam particularem, Clericis etiam in bello justo graviter prohibitam. Nec refert, quod necessariæ defensionis causa id fecisse supponatur, secus a suo adversario capite minuendus; nam sponte se contra Sacros Canones hujusmodi periculo exposuit, & adversarium suum quodammodo provocavit ad duellum. Hinc Suarez *disp.* 46. *Sect.* 1. *nu.* 12. Laymann *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 10. *n.* 2. Tamburinus *l.* 10. *tract.* 4. *cap.* 15. *§.* 5. *n.* 1. Palao *cit. pu.* 15. *§.* 5. *nu.* 1. & alii communiter bene docent, adulterum, qui temere accedendo ad alienam, Maritum ejus vel occidit, vel mutilavit necessariæ defensionis causa, fieri irregularem, eo quod per hujusmodi temeritatem sese exposuerit periculo excitandæ rixæ, & indirecte præbuerit causam secuti homicidii: quanto potiori jure igitur possumus dicere irregularem Clericum, qui solius ostentationis causa provocavit hostem, & occidit?

207. Colliges quarto, Eum, qui quantumvis efficaciter, immo efficacissime mandavit vel consuluit homicidium, non incurrere irregularitatem, si homicidium ipsum effective non fuit perpetratum, vel perpetratum quidem, sed non vi hujus mandati aut consilii. Ratio jam fuit insinuata *n.* 202. quia scil. leges pœnales debent intelligi cum effectu, & de actu consumato: ergo ubi homicidium effective non fuit perpetratum, vel certe non ob tale mandatum aut consilium, non incurritur hæc irregularitas. Ob eandem rationem non incurres hanc irregularitatem, si mandatum tuum serio & efficaciter revocasti, ita, ut tua revocatio serio innotuerit mandatario, & hic nihilominus ex propria malitia vel passione occidat hominem; quia tale homicidium jam non amplius tuo mandato, sed solius mandatarii malitiæ adscribendum venit. Ita ex communi ac certa sententia tradit Tamburinus *loc. cit. §.* 8. *num.* 9. Sporer *tr.* 5. *cap.* 3. *num.* 86. Palao *pu.* 15. *§.* 2. *n.* 4. Avila & alii.

208. Colliges e contrario quinto, te irregu-

regularitatem incursurum, si vi tui mandati aut consilii homicidium effective sequatur, esto etiam mandatarius non observaverit modum occidendi a te præscriptum: ex. gr. jussisti tuum inimicum occidi in sylva, vel sclopeti solutione, vel veneni propinatione &c. mandatarius vero occidit in domo, vel in agro, occidit gladio, vel percutiendo &c. &c. Idipsum dic, si mandatum tuum revocasti, sed non pervenit revocatio ad aures mandatarii &c. &c. Ratio est: quia in his ac similibus casibus homicidium vi tui mandati fuit effective secutum; Sacri Canones autem infligunt hanc pœnam irregularitatis non propter hunc vel illum modum occidendi, sed propter ipsam substantiam homicidii. Videatur Lugo *disp.* 19. *de Just. Sect.* 2. *a. n.* 25. Sporer *tr.* 5. *c.* 3. *a. n.* 88. Tambur. *l. cit. n.* 7.

Sed quid, ais, si dedi consilium v. g. ad homicidium, vel ad procurandum abortum &c. postea pœnitens revocavi illud, & dissuasi quantum potui, nihilominus mulier sumpto pharmaco procuravit effective abortum, & quidem fœtus jamjam animati, erone ergo irregularis?

209. R. Si talis mulier ipsa utilitate consilii tui, v. g. quia illud apprehendit conducibile ad evadendam infamiam, vel alias calamitates &c. fuit inducta ad patrandum infanticidium, certo eris irregularis; quia verum manet, quod tuo consilio, tuis rationibus semel impressis permoveris eam, & hoc ipso exstiteris moraliter causa hujus homicidii injusti, non obstante tua revocatione; quippe quæ non amplius potuit mulieri eximere persuasionem utilitatis, aut bonitatis semel impressæ: e contra tamen si talis mulier (vel alius quicunque demum) post revocationem consilii tui serio & efficaciter factam, non jam rationibus, vel utilitate consilii eidem semel impressa, sed potius propria malitia, passione, fuit inducta &c. jam non tibi, sed illi soli adscribendum erit homicidium, tu & consequenter immunis eris ab hac pœna irregularitatis.

Porro si omnibus pensatis relinquatur dubium, an abortus, vel tale homicidium vi tui consilii aut mandati, an vero potius ex propria alterius malitia fuerit secutum, teneberis te habere ut irregularem, vi Regulæ mox supra *nu.* 190. traditæ juxta *cap. significasti* 18. *de homicidio.* Videatur Herincx *part.* 2. *tr.* 3. *disp.* 6. *n.* 142. vel P. Placidus Bockhn. *l.* 5. *decret. tit.* 12. *n.* 19.

210. Colliges sexto. Casu quo plures communi consilio aliquem aggrediuntur, omnes fieri irregulares, tametsi unus tantum occidat, vel mutilet. Ratio est: quia omnes moraliter influunt in tale homicidium, vel tacite se animando, vel impediendo alterum, ne se defendat. Hac eadem ratione Barbosa *in c.* 18. *de homicid. n.* 9. Palao *cit. pu.* 15. §. 6. *n.* 4. Filliucius *tr.* 20. *n.* 111. Holzmann *tom.* 1. *punct.* 3. *tractat.* 2. *numero* 396. sapienter resolvunt, studiosos, qui tempore nocturno per plateas armati incedentes, inciderunt in milites, eosque primo contumeliosis verbis, postea armis & verberibus aggressi, tandem unum ex illis lethali vulnere sauciarunt, paulo post vita functum, omnes incidisse hanc pœnam irregularitatis; quia scilicet omnes moraliter influxerunt, & ad homicidium injustum cooperati sunt: ergo omnes incurrunt hanc pœnam irregularitatis per Sacros Canones latam, esto per *L. u.* §. 2. *ff. ad L. Aquil.* in foro civili solus ille, qui occidit vel lethaliter vulneravit, puniretur ut homicida.

211. Porro si citra commune consilium aut consensum plures inflixerint alteri vulnera, ille quidem solus evadet irregularis, de quo constat, inflixisse vulnus lethale. Verum, si discerni nequeat, ex cujus ictu occubuerit, omnes debent se gerere ut irregulares, juxta Regulam proxime inculcatam, & supra *n.* 190. traditam; quia supponitur constare de corpore delicti. Idipsum tenendum est in casu, quo plures vulnera infixerunt, quæ quidem non singula bene tamen simul sumpta fuerunt causa sufficiens mortis; quia in tali casu singula moraliter coalescunt in unam causam totalem & sufficientem. Ita Herincx *part.* 2. *tr.* 3. *disp.* 6. *n.* 142. Sporer ubi supra *c.* 3. *n.* 101. & alii DD *communiter*.

212. Col-

212. Colliges septimo, quid tenendum de casu, quo vel unicus Clericus solus, vel plures omnino venationi dediti jaculati sunt plures vulpes, ac lepores, postea vero animadverterunt unum e pueris, qui vulpes ac feras e latibulis suis ejecerant, fuisse globulo petitum, nemine prorsus sciente, quisnam illum tetigerit; vel enim adhibuerunt moralem & sufficientem diligentiam, ne quis mortalium læderetur vel occideretur, vel non? si non, erunt omnes irregulares; quia tunc tale homicidium merito reputaretur casuale mixtum. Si vero adhibuere diligentiam, seu cautelam sufficientem, prout regulariter loquendo in hujusmodi venationibus (Nobilium præsertim) per venationum Præpositos fieri assolet, tunc homicidium reputabitur merum casuale, & nullus irregularis. Videantur Salmanticenses ubi supra *n.* 38. vel Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 3. *a.* 2. *n.* 24. Laymann *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *n.* 3. Palao *pu.* 15. §. 4. *n.* 7. Kreslinger *in addit. VI. post. n.* 67. *tr.* 13. *dist.* 3. *Theolog. mor. R. P. Reiffenstuel.*

Sed quid, inquies adhuc, tenendum de illis, qui homicidium injustum non impediunt, tametsi possent, vel tenerentur?

213. R. Cum distinctione. Vel enim tenebantur impedire solum ex charitate, vel simul etiam ex justitia, uti tenentur Principes ac Magistratus respectu subditorum, Servi respectu Dominorum, Milites respectu Ducum, Medici ære conducti respectu infirmorum? Si prius, dicendum, quod non incurrant irregularitatem in homicidas latam; eo quod non committant homicidium proprie dictum, quippe quod secundum dicta *part.* 4. *decalog. Confer.* 1. *n.* 3. necessario opponitur virtuti justitiæ, & non solius charitatis. Si autem posterius: multi Doctores existimant quidem probabile, etiam tales esse eximendos ab hac pœna, eo quod jura videantur loqui de positive influentibus, non autem de negative influentibus, seu non impedientibus; longe tamen probabilius videtur, eos incurrere hanc pœnam; quia tales censentur moraliter ac interpretative fecisse homicidium, *l. qui non facit.* 121. *ff. de Reg. Jur.* Et ita tenent Doctores *communissime* signanter Herincx *cit. n.* 142. BocKhn *l. cit. n.* 20. Filliuc. *tr.* 20. *n.* 28. Palao *tr.* 29. *disp.* 6. *pu.* 15. §. 7. *n.* 3.

214. Colliges tandem octavo, Eum, qui seipsum mutilat aliquo membro (sine necessitate) non minus fieri obnoxium pœnæ irregularitatis, quam qui mutilat alium.

Quin immo sibimet cum gravi culpa inferens vim, ac se mutilans, etiamsi digitum duntaxat, vel partem digiti sibi resecet, fit irregularis, ob singularem crudelitatem in se ipsum exercitam, & contumeliam Creatori suo illatam. *Cap. Qui partem.* 6. *dist.* 55. & *cap.* 1. *de corpor. Vitiat. ordinandis, vel non.* P. BocKhn ubi supra *n.* 14. Secus dicendum probabiliter putat Castro Palao jam sæpius *cit. disp.* 6. *pu.* 12. *n.* 4. de eo, qui vocis retinendæ causa sibi facit abscindi testiculos, vel qui culpa sua causam præbuit Judici, vel alteri v. g. Marito, ut sibi abscinderentur virilia, vel aliud membrum. Ratio est: quia secundum dicta irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis: atqui jura irregularitatis pœnam exprimentia solum loquuntur de eo, qui sibi *ex indignatione vel Zelo indiscreto castitatis membrum amputaverit per se, vel per alium*, nullus autem textus loquitur de eo, qui amputationi causam dedit: ergo &c. Ita Palao *l. cit.* referens pro eadem sententia Toletum, Garziam, Coninch, & Caspar. Hurtado.

CONFERENTIA
SEPTIMA
De Irregularitatibus ex defectu.

SUMMARIUM.

215. *Irregularitates ex defectu enumerantur octo.*
216. *Amentes sunt irregulares ex defectu.*
217. *Quibus: merito accensentur Neophyti.*
218. *Recensentur breviter defectus corporis,*

ris, qui hominem solent reddere irregularem.
219. *Bigami sunt irregulares ex defectu Sacramenti.*
220. *Declaratur breviter triplex Bigamia.*
221. *Quinam censeantur irregulares ex defectu famæ.*
222. *Et quinam ex defectu Natalium.*
223. *Nati ex fornicatione vel stupro per subsequens Matrimonium legitimari possunt.*
224. *Infantes expositi, an irregulares censendi.*
225. *Quinam sint irregulares defectu ætatis.*
226. *Et quinam defectu libertatis.*
227. *Quinam denique ex defectu lenitatis.*
228. *Resolvitur Casus I. de quodam Sacerdote, qui ob fatalem lapsum perdidit alterum pedem.*
229. *Quo sensu intelligendum, dum communiter dicitur, claudum esse irregularem.*
230. *Quid tenendum de eo, qui perdidit oculum sinistrum, seu canonicum.*
231. *Resolvitur Casus II. de quodam Parocho, qui intempesta nocte a Prædonibus obrutus, unum eorum solutione sclopeti occidit.*
232. *Postea vero coram Judice eos accusando, postulavit sibi satisfieri pro injuria.*
233. *Quidsi talis Clericus saltem intra se vindictam desideret.*
234. *Resolvitur Casus III. de quodam studioso, qui sæpius scribam egerat, ubi agebatur de causa sanguinis.*
235. *Quid, si talis dicat, se invitum hæc egisse.*
236. *Qui reum accusat, vel contra eum necessitate compulsus, agit testem, non fit irregularis.*
237. *Epileptici Irregularibus haud immerito annumerantur.*
238. *Carens aliquo membro occulto citra culpam propriam, non est irregularis.*
239. *Qui successive duxit duas Virgines, & unam illarum tantum cognovit carnaliter, non est Bigamus.*
240. *Sicut nec Maritus, qui suam Uxorem cognoscit, posteaquam hæc occulto adulterio fuit polluta.*
241. *Ob hæresin mere occultam non incurritur infamia, consequenter neque irregularitas.*
242. *Pugnans in Bello justo offensive, & occidens aliquem, fit irregularis defectu lenitatis.*
243. *Non item ille, qui ob necessariam vitæ defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ.*
244. *Secus tenendum de eo, qui aliquem occidit ob defensionem solius famæ, vel honoris.*
245. *Quid possit Confessarius Malefactoris sine nota irregularitatis incurrendæ.*
246. *Professores vel Theologi, explicando leges justitiæ vindicativæ non incurrunt irregularitatem.*
247. *Sicut nec Principes Ecclesiastici, qui jus gladii alteri delegant in causa sanguinis.*
248. *Solvitur quædam instantia contra hanc resolutionem.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de Irregularitatibus ex defectu.

QUæres primo, quid, & quotuplex sit irregularitas ex defectu?

215. R. Nomine irregularitatis ex defectu intelligitur impedimentum Canonicum ad suscipiendos ordines &c. ortum ex aliquo defectu, inducente quandam indecentiam respectu Ministri Ecclesiæ.

Porro irregularitates ex defectu communiter enumerantur octo sequentes 1. Irregularitas ex defectu animæ. 2. ex defectu corporis. 3. ex defectu Sacramenti. 4. ex defectu famæ. 5. ex defectu Natalium. 6. ex defectu ætatis. 7. ex defectu libertatis. 8. denique ex defectu lenitatis. Ita in re *DD. communiter*, licet in modo recensendi non nihil varient.

Quæres jam secundo, quidnam intelligatur per irregularitatem ex defectu animæ, & quinam ex hoc defectu censeantur irregulares?

216. R.

216. R. Per irregularitatem ex defectu animæ (vel animi, ut alii loquuntur) intelligitur defectus scientiæ, & defectus usus rationis, ut proin 1. non solum amentes seu stulti & usu rationis penitus destituti, sed etiam infantes, & alii. 2. necessaria scientia carentes, haud immerito reputentur irregulares. Ratio hujus desumitur tam ex *c. Illiteratos dist.* 36. ubi dicitur tales non esse ad ordines promovendos, sicut corpore vitiatos; tum ex eo etiam, quia lumen naturale dictat, non esse admittendos ad S. ordines, qui vel ex natura sua, vel certe ex defectu sufficientis litteraturæ sunt inepti ad hoc munus exercendum: tales autem sunt amentes, & ignorantes &c. ergo. Quanta vero scientia opus sit respectu cujusvis Ordinis, diximus jam *in Theolog. Sacram. part.* 1. *Confer.* 22. *n.* 46. Hæc tamen irregularitas tolli potest sine omni dispensatione, per solam sublationem causæ seu ignorantiæ, & comparationem sufficientis scientiæ vel usus rationis, prout notat Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 13. *dist* 3. *n.* 26. & alii *DD. communiter.*

217. Ad hanc classem irregularium recenseri solent Neophyti, id est, ex lege Judaica, vel Machometica, vel Paganismo conversi, & recenter baptizati, prout habetur *cap.* 1. & 2. *dist.* 84. Hos voluit Ecclesia irregulares, *ne in superbiam elati, in judicium incidant Diaboli*, prout loquitur Apostolus 1. *Tim.* 3. Nihilominus post elapsum decennium talis promoveri potest de iure communi, æque ac alij, nisi aliunde sit inhabilis; quia post tantum temporis lapsum non amplius reputari aut dici debet neophytus, sive recenter conversus ad fidem. Ita cum Bonacina & aliis Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 3. *art.* 3. *n.* 10.

Quæres tertio, quid sit irregularitas ex defectu corporis, & quinam veniant sub hoc nomine?

218. R. Irregularitas ex defectu corporis est talis defectus aut vitium corporis, quod vel impedit exercitium ordinis, vel notabilem gignit deformitatem aut horrorem personæ. Hanc velut Regulam communem colligunt DD. ex *tit. decret. de corpore vitiatis*, tum etiam ex *cap. Presbyterum de Cleric. ægrot.* Ratio redditur eadem, quæ mox *n.* 216. data fuit: quia scilicet lumen naturale prudentiæ dictat, non esse ad S. ordines, eorumve usum promovendos illos, qui vel nequeunt ordinem exercere, vel exercendo hominibus horrorem incutiunt. Ex quo fluit I. irregularem esse ex dectu corporis 1. cæcum. 2. surdum. 3. mutum. 4. claudum seu claudicantem ita, ut sine baculo nequeat ire ad altare. 5. mutilatum ita, ut careat manu, brachio, pollice, vel indice aut oculo sinistro seu canonico, penitus deperdito seu eruto &c. Fluit insuper II. irregularem defectu corporis esse 1. qui caret nasu: vel labiis. 2. qui caret auribus. 3. qui est deformiter gibbosus, vel leprosus, aut paralyticus, vel arreptitius, seu a diabolo obsessus, item 4. qui habet digitos aut membra superflua cum notabili deformitate. 5. Hermaphroditum, id est, utroque sexu præditum. Videantur de hoc Castropalao *tr.* 29. *disp.* 6. *pu.* 11. *nn.* 3. Tamburinus *l.* 10. *tr.* 4. *c.* 8. §. 1. Filliuc. *tract.* 19. *c.* 6. *per totum.*

Quæres quarto, quidnam veniat nomine irregularitatis ex defectu Sacramenti?

219. R. Hujus nomine venit irregularitas orta ex Bigamia, quæ prognasci solet ex usu matrimonii, dum conjux commiscetur pluribus, & per hujusmodi commixtionem carnem quodam modo dividit. Dicitur autem hæc irregularitas oriri ex defectu Sacramenti, ideo, quia matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, juxta illud Apostoli *ad Ephes. c.* 5. *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico, in Christo & Ecclesia:* hanc autem conjunctionem significare non potest Bigamus, quippe qui in foro Ecclesiæ carnem suam jamjam supponitur divisisse in plures, & matrimonium contraxisse ac consummasse jam non cum una, sed cum pluribus, vel cum vidua, aut ab alio corrupta: Christus autem non plures, sed unam sibi copulavit Ecclesiam, ab alio non assumptam: ergo non sine causa

tales reputantur irregulares prout & Apostolus 1. Timoth. 3. innuit, dicens: oportet Episcopum unius uxoris Virum esse, Diaconi sint unius uxoris viri. Videatur de hoc Laymann *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 6. n. 2. & 3.* ubi hanc irregularitatem diffusius probat ex Conciliis & Patribus antiquissimis. Pro hujus tamen pleniori intelligentia.

220. Notandum hic venit, triplicem a Doctoribus communiter recenseri Bigamiam, scilicet 1. veram ac propriam. 2. interpretativam, & 3. similitudinariam. Bigamia vera ac propria est, quando quis valide contraxit matrimonium cum duabus successive, & consummavit. Interpretativa dicitur, dum quis quadam juris interpretatione reputatur habuisse duas uxores, esto illas revera non habuerit: id quod tripliciter contingere potest 1. si quis duxit viduam, quæ prius matrimonium consummaverat. 2. si quis ducat ab alio corruptam, vel 3. si quis cognoscat uxorem propriam post adulterium ab ea commissum, de quibus exstant diversi textus juris Can. ut *cap. Maritum dist. 33. cap. si cujus* & *cap. si Laici dist. 34.* Denique Bigamia similitudinaria appellari solet, quando quis vel post susceptum Ordinem Sacrum, vel post solenne votum castitatis in professione Religionis approbatæ emissum, contrahit, vel potius attentat contrahere matrimonium invalidum, illudque consummat. Talis enim quodammodo assimilatur contrahentibus duplex matrimonium, quatenus post connubium spirituale cum Christo initum ab eo deficit, & contrahit cum sponsa terrestri matrimonium Sacrilegum, illudque consummat, sicque incurrit Bigamiam similitudinariam. *argum. cap. quicunque* & *cap. Monacho 27. q. 1.*

Quæres quinto, quinam censeantur irregulares ex defectu famæ, & quinam ex defectu Natalium?

221. R. Ad primum membrum hujus quæsiti, quod, quemadmodum secundum dicta *de Restitut. Conf. 9. n. 231.* fama consistit in bona existimatione hominum de virtutibus vel excellentia alicujus; ita e contra infamia consistit in privatione hujus bonæ existimationis; hinc defectu famæ irregulares reputantur illi omnes, qui infamiam, sive juris (quæ vel ex delicto proprio, vel Parentum, vel vili conditione personæ nascitur) sive facti contraxere, modo crimen publicum sit: ex occulto enim crimine (homicidio injusto, & violatione censuræ exceptis) non oritur, juxta sententiam probabilem Laymanni, Navarri, Busenbaum, & aliorum. Quocirca tamen cum Suarezio *d. 48. sect. 1. & 2.* advertit la Croix *l. 7. num. 513.* ad inducendam proprie dictam irregularitatem non sufficere infamiam popularem, etiam publicam; sed requiri legalem & canonicam, quæ scilicet ex jure canonico, vel alio per canones approbato, vel ex sententia Judicis Ecclesiastici orta, effectus morales stabiliter inducat, ita, ut non per vitæ emendationem, sed per solam Ecclesiæ dispensationem tollatur. Unde tametsi quis de crimine infami fuerit accusatus, non tamen ideo infamis censeri debet, nisi apud viros honestos & probos famam perdidisse sciatur.

Immo nullus censeri debet civiliter infamis, donec condemnatus sit *l. 2. ff. de his, qui notantur*. Videatur Suarez *l. cit. nu. 22.* Tamburinus *l. 10. tr. 4. c. 10. per totum*.

222. R. Ad alterum membrum ejusdem quæsiti. Irregulares ex defectu Natalium appellantur illi, qui sunt orti ex fornicatione vel stupro, ideoque non ex legitimo matrimonio, saltem bona fide putato, neque per subsequens matrimonium legitimati. Ita habetur *cap. 1. & 2. de Filiis Presbyt. & c. 1. eod. tit. in sexto*. Statuere autem jura hanc irregularitatem partim in detestationem sceleris paterni; partim ob notam turpitudinis, quam filius ex tali nativitate in hominum existimatione contrahere reputatur; partim denique, quia timendum, ne Filius paternam incontinentiam imitetur cum probro status Ecclesiastici. Nihilominus si talis fuerit ingressus ac professus Sacram Religionem, poterit promoveri ad S. Ordines, non tamen ad Prælaturam, nisi cum eo fuerit dispensatum, prout habetur *c. ut Filii de Filiis Presbyt.* Videatur de

de hac Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 13. *dist.* 3. *n.* 35. Herincx *part.* 2. *tract.* 3. *disp.* 6. *num.* 176. Quantum vero quoad hanc dispensationem valeant Prælati nostri S. Ordinis, videri potest apud Herincx *cit.* vel apud Rodriquez *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 13. *art.* 6. & 11. Portel *Verb. Illegitimus n.* 9.

223. Dixi: *neque per subsequens matrimonium legitimati*. Nam si inter parentes tempore conceptionis, vel saltem (juxta probabilem opinionem Sanchezii *l.* 8. *de matr. disp.* 7. *n.* 10. & aliorum) tempore nativitatis inter parentes nullum exstitit impedimentum dirimens, & postea in facie Ecclesiæ contrahant matrimonium, hujusmodi proles legitimantur per hujusmodi contractum, idque non solum in ordine ad suscipiendos ordines, verum etiam in ordine ad alia officia tum sæcularia tum Ecclesiastica, nec non ad succedendum in hæreditate, *cap. conquestus*, *cap. tanta*, *Qui Filii sint legit.* & §. *fin. Instit. de Nuptiis.*

Ratio: quia fictiones juris matrimonium subsequens quasi retrotrahitur ad tempus conceptionis, vel nativitatis in ordine ad præfatos effectus, prout notant DD. mox citati, & alii plures.

Sed quid (ais) tenendum de infantibus expositis?

224. R. Tales esse habendos ut irregulares censent Sayrus, Ugolinus, Vasquez, Pignatelli *tom.* 7. *consul.* 34. & alii plures hac ratione ducti: quia qui exponuntur, communiter sunt illegitimi: res autem dijudicanda est secundum communiter contingentia.

Nihilominus oppositam sententiam, quam teste Herincx tenent Menochius, Rodriquez, Barbosa, & alii, censeo probabilem; quia coitus est quid facti, ideoque præsumendum potius est factum honestum quam turpe; & consequenter taliter expositi pie supponuntur ex matrimonio nati, etsi frequentius exponantur illegitimi: præsumptio enim apta excludere delictum, debet hic præferri, præsertim in re favorabili. Accedit, quod dubius Natalium defectus nullo jure expresso inducat irregularitatem: at, ubi jura non exprimunt, nec nos debemus asserere: ergo &c. Securius tamen est, inquit sapienter Herincx *l. cit. n.* 179. pro tali casu petere dispensationem, quam in tali dubio potest impertiri Episcopus, juxta Suarez, Bonacinam, & alios. Videatur R. P. Stanislaus Karg in *Manuali Canon. part.* 1. §. 2. *n.* 61.

Quæres sexto, quinam sint irregulares ex defectu ætatis, & quinam ex defectu libertatis?

225. R. Ad primam partem hujus quæsiti, defectu ætatis irregulares censeri illos, qui nondum habent ætatem canonicam, id est, per Sacros canones requisitam ad susceptionem singulorum: pro prima antem Tonsura & minoribus requiritur saltem septennium completum: pro Subdiaconatu annus vigesimus secundus, pro Diaconatu vigesimus tertius, pro Sacerdotio vigesimus quintus, omnes incœpti: pro Episcopatu annus trigesimus completus. Ex quibus facile liquet, quinam defectu ætatis sint censendi irregulares. Hæc tamen irregularitas solum durat, quamdiu durat defectus ætatis, prout habetur *cap. ult. de tempore Ordinand.* ac proin adveniente legitimo termino ætatis de se cessat, absque omni dispensatione, prout habet communis DD.

226. R. Jam ad alteram partem ejusdem quæsiti. Defectu libertatis irregulares sunt 1. Mancipia proprie dicta *c. de Servorum*, & *cap. consuluit. de servis non ordinand.* 2. Servi adscriptitij atque originarij, qui certæ glebæ seu prædio colendo sunt perpetuo adstricti, propterea que sine consensu Dominorum ordinari non possunt. *can. Generalis* & *can. admittuntur dist.* 54. 3. Irregulares sunt conjugati, in tantum, ut sine consensu seu licentia uxoris votum continentiæ emittentis ordinari non possint per *cap. uxoratus*, *de convers. Conjugat.* His accensentur 4. obligati ad Ratiocinia, quales censentur Procuratores, Actores, Executores seu Curatores pupillorum &c. qui ordinari non possunt, nisi deposito onere, atque reddita prius ratione, prout habetur *cap. un. de obligatis ad Ratiocinia.*

Quæres denique septimo, quid sit irregularitas ex defectu lenitatis, & quinam tales habeantur?

227. R. Irregularitas ex defectu lenitatis

dicitur, quæ proficiscitur ex mutilatione, vel occisione hominis facta in bello quantumvis justo, vel auctoritate Judicis; tametsi nulla intervenerit culpa ex parte occidentium vel condemnantium ad mortem, modo id faciant ex officio, prout facere solent Judex, Assessor, Accusator, Denunciator, testis, tabellio, satellites, Lictores, & quotquot proxime & efficaciter cooperantur ad causam sanguinis, dummodo mors vel mutilatio fuerit effective secuta. Ita *communis DD.* & habetur decisum *can. si quis Viduam dist.* 50. & *can. Aliquantos*, *dist.* 51. cum concordantiis ibidem a Glossa relatis. Hi igitur omnes fiunt irregulares judicio Ecclesiæ, eo quod inconveniens videatur ut tales repræsentent personam Christi (prout quivis sacerdos repræsentare debet) qui, utpote lenissimus, & mansuetissimus, neminem unquam læsit. Videantur de his Sporer, *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 40. *& seqq.* Filliuc. *tract.* 19. *c.* 9. Reiffenstuel *ubi supra a n.* 57.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Irregularitatibus ex defectu lenitatis.

CASUS PRIMUS.

Titius Clericus curatus dum iter egit, equis in furorem subito actis e curru delapsus fuit: unde contigit ut & crus fregerit, & faciem non sine notabili macula gravissime alliserit. Accedente paulo post gangrena pes alter debuit ascindi omnino, ita ut de facto utcunque demum restitutus, non nisi pede ligneo & baculo suffultus incedere valeat. Quærit proin e suo Confessario, an his non obstantibus liceat sibi litare ad aram, an vero teneatur postulare dispensationem specialem velut irregularis ex defectu corporis? Quid ad hæc Confessarius respondebit?

228. R. Confessarius respondeat, Titio licitum esse litare ad aram. Ratio est: quia dum vitium corporis primum supervenit jam ordinato, tunc solum impedit illum usum S. Ordinis, qui sine magna deformitate, vel scandalo aut periculo irreverentiæ ob hujusmodi defectum non amplius potest exerceri: atqui SS. altaris Ministerium a Sacerdote altero pede ligneo proviso adhuc potest exerceri sine magna deformitate; neque enim est, cur Parochiani vel alii fideles inde scandalizari, sed potius ad compassionem moveri deberent, præsertim si talis defectus aut vitium corporis obvenit sine culpa Clerici jamjam ordinati: ergo &c.

Unde a fortiori absque omni scrupulo talis Clericus curatus licite adhuc retineret suum beneficium, licite prædicaret Verbum Dei, exciperet confessiones, assisteret matrimonio, baptizaret, mandaret sepulturæ: quia hæc omnia exercere potest sine scandalo, sine magna inconvenientia, aut dedecore, prout aliis pluribus relatis tradunt Suarez *disp.* 51. *Sect.* 2. *n.* 13. *&* 18. Molina *tr.* 3. *disp.* 70. *n.* 14. Castropalao *tract.* 29. *disp.* 6. *pu.* 11. *nu.* 5. Pichler, Bockhn *l.* 1. *decret. tit.* 20. noster Holzmann & alii, conformiter ad *cap.* 2. *de Clerico ægrotante* & ad *Can. siquis in infirmitate. dist.* 55.

Ast, inquies, cur ergo diximus *num.* 218. irregularem esse Claudum, vel Claudicantem ita ut sine baculo nequeat accedere ad Altare?

229. Illam doctrinam solum esse intelligendam de primum ordinandis, vel nondum ordinatis, minime vero de Clerico jamjam ordinato, prout Doctores communiter intelligunt. Et ratio disparitatis inter istos est, inquit Reiffenstuel *lib* 1. *decret. tit.* 20. *num.* 12. tum quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. *C. ad Apostolicam de Regular.* ac proin non mirandum, quod superveniente corporis vitio (præsertim sine culpa vitiati) post susceptos jam ordines, ministrare permittatur, quantum fieri potest, non autem tali Ordine primum initiati; tum quia *turpius ejicitur, quam non admittitur hospes*, ut habet vulgatum axioma, & notatur *c. quemadmodum* 25. *de Jurejurando*: tum denique, quia afflicto non est addenda afflictio, *c. ex parte* 5. *de Clerico ægrot.* Ita Reiffenstuel *l. cit.*

Sed quid, inquies, si talis Clericus omni-

omnino privetur oculo sinistro, (dicto communiter *Canonico*; eo quod per hunc Canon principaliter debeat legi) vel si potentia visiva ita debilitetur, ut vix amplius aliquid videat?

230. R. Neque talem esse privandum ministerio altaris, modo id peragere valeat sine periculo effundendi SS. Sanguinem, vel alterius irreverentiæ Venerabili Sacramento irrogandæ; ad quod evitandum necessum omnino erit, ut nunquam litet ad Aram sine alio Sacerdote sibi assistente, & pericula solicite præcavente. Oportebit insuper, ut talis potius privatim celebret, quam publice, ne fortassis populo inspicienti fiat ludibrio.

Major tamen controversia est inter DD. utrum non quidem oculo, bene tamen visu seu potentia visiva oculi sinistri privatus admittendus sit ad Ordinem Presbyteratus: quocirca Suarez *disp.* 51. *de Censur. Sect.* 3. *n.* 15. Garcias & alii plures negativam sustinent, eo quod careat oculo Canonico. Verum Navarrus *man. c.* 27. *n.* 199. Diana, Barbosa, La Croix *l.* 7. *n.* 500. id limitandum existimant, asserentes, tunc solum censendum esse irregularem, si absque notabili deformitate seu indecentia Canonem legere nequeat: putat tamen huic deformitati de facili præcaveri posse, attrahendo Missale ad medium altaris prope calicem. Quin immo Laymann *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 6. Avila, Toleto, Soto & alii velut Regulam volunt hanc: *quamvis aliquis defectum habeat, si tamen neque notabilem deformitatem contineat, ita, ut scandalum in celebratione non causet, neque exercitium celebrationis impediat, non facere irregularem*. Videatur La Croix *l. cit.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Parochus intempesta nocte a quibusdam prædonibus fuit obrutus & spoliatus tum ære, tum aliis etiam mobilibus; dum hæc agebantur, Sempronius expergefactus cæpit clamare, unde & prædones cum spoliis in fugam se dederunt, quos Sempronius Sclopeto petiit, & unum lethaliter vulneravit, qui dein a Parochianis supervenientibus captus & examinatus, reliquos complices prodidit; Quapropter Sempronius apud Judicem sæcularem quærelam instituit, postulans non quidem vindictam vel sanguinem delinquentium, sed restitutionem spolii. Judex malefactores comprehendit, & delicti hujus, aliorumque plurium reos, convictos ac confessos, capitis damnavit. Unde jam dubitatur, an Sempronius non incurrerit irregularitatem 1. *ex eo, quod fugientes Sclopeto petierit, & unum eorum lethaliter vulneravit, paulo post mortuum ex hoc vulnere?* 2. *an non ex eo, quod reliquos complices apud Judicem accusaverit, qui etiam supponuntur supplicio mortis affecti?*

231. R. Ad primum quæsitum hujus casus. Sempronius probabiliter non incurrit irregularitatem ex eo, quod sclopeto petierit & occiderit injustum raptorem nocturnum.

Ratio hujus est: quia non incurrit irregularitatem ex delicto; cum nullum per hoc delictum commiserit, prout constare potest ex dictis *p.* 4. *Confer.* 3. *n.* 64. Enimvero ob justam defensionem bonorum temporalium magni momenti, fas est occidere aggressorem injustum seu furem, præsertim nocturnum: ergo Sempronius utpote immunis a delicto, non incurrit irregularitatem ob delictum homicidii injusti latam.

Atqui neque incurrit illam ex defectu lenitatis; quia juxta probabilissimam sententiam, & Regulam quasi universalem a Recentioribus statutam, videndam apud Dianam *part.* 11. *tr.* 2. *Resolut.* 63. Tambur. *l.* 10. *tr.* 4. *c.* 15. §. 13. *n.* 7. & *seqq.* Sporer *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 73. Vasquez, Lugonem & alios, irregularitatem ex defectu lenitatis illi duntaxat contrahunt, qui velut Ministri justitiæ, aut ex officio concurrunt proxime & efficaciter ad mutilationem, mortem, vel notabilem mortis accelerationem, non vero illi, qui non ut Ministri justitiæ, neque ex officio, sed pro libitu quomodolibet, sine peccato concurrunt (nam pro talibus non reperirur irregularitas in jure expressa, ideoque nec a nobis est statuenda) atqui Sempronius concurrit sine peccato, neque concurrit ut Minister justitiæ, vel ex officio: ergo Sempronius probabiliter non incurrit irregularitatem ex hoc

homicidio, licet multi DD. videndi apud Reiffenstuel *tr.* 13. *dist.* 3. *n.* 65. oppositum probabiliter teneant, propterea que talis Sacerdos melius ageret, si dispensationem peteret Roma: quod tamen non puto necessarium. Videatur Pichler *in Candidat. J. C. l.* 5. *tit.* 12. *n.* 11. La Croix *l.* 7. *n.* 526.

232. R. Jam ad alterum quæsitum ejusdem Casus. Si Sempronius nil aliud postulavit, nisi restitutionem vel resarcitionem damni, & contra sententiam mortis expresse fuit protestatus, tunc dicendum, quod neque ex hoc capite irregularitatem incurrerit. Ita *communis DD.* videnda apud Ugolinum *de irregul. c.* 6. *n.* 1. Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 13. *dist.* 3. *n.* 60. Tambur. *l. cit.* §. 11. *n.* 32. & alios passim. Et ita habetur decisum a Bonifacio VIII. *cap. Prælatis de homicid. in sexto*. Ratio hujus decisionis fuit; quia si hujusmodi homines maligni scirent, Clericis nequaquam licitum esse, quempiam accusare, aut prætendere satisfactionem a Judice &c. procul dubio tanto impudentius & audacius invaderent Clericorum bona, quanto securiores forent ab omni periculo pœnæ, vel satisfactionis præstandæ. Hæc tamen protestatio omnino necessaria est; secus enim talis Clericus velut accusator in causa Sanguinis merito judicaretur fuisse transgressus limites mansuetudinis Christi seu lenitatis.

Neque refert, quod Judex fortassis non attendat hujusmodi protestationem, sed secundum jura procedat ad vindictam criminis, & capitis reum condemnet; quia supposita protestatione Clericus censetur se merum permissive habere in ordine ad supplicium mortis; id, quod innuitur *cap. cit.* adeoque Clerico imputari nullatenus potest aut debet.

Sed quid, ais, si talis Clericus protestaretur quidem, expresse coram, se nec petere vindictam, nec Sanguinem, sed solam satisfactionem &c. reipsa autem in animo ob enormitatem injuriæ sibi illatæ intendat pœnam mortis, ne talis malefactor vel sibi vel aliis deinceps amplius nocere possit; incurretne propterea hanc irregularitatem ex defectu lenitatis?

233. R. In tali casu adhuc incurri irregularitatem saltem in foro conscientiæ censent, S. Antoninus, Navarrus, Vivaldus, & alii, quorum opinionem amplectitur Pontas *in Dictionar. Casum Verb. Irregularitas, Respons. ad Casum* 52. hac ratione potissimum ducti, quod talis protestatio utpote sine animo facta, reipsa non sit protestatio. Verum opposita sententia mihi videtur longe verosimilior; tum quia Ecclesia non judicat de internis; tum quia jura nullibi innuunt, protestationem hanc debere procedere ex animo &c. tum quia præcepto Ecclesiæ per solum actum externum etiam in foro conscientiæ satisfieri potest, quando ad substantiam seu valorem actus externi non requiritur actus internus, prout liquet de eo, qui v. g. jejunat sine animo jejunandi, aut carnem macerandi, aut qui solvit debitum, vel peragit pœnitentiam injunctam ab Ecclesia sine animo satisfaciendi præcepto Ecclesiæ &c. &c. atqui ad substantiam vel valorem protestationis externæ in facie Ecclesiæ nullatenus requiritur animus internus protestandi contra vindictam &c. ergo Ecclesiæ satisfit per solam protestationem externam. Denique non est asserenda irregularitas, nisi in jure exprimatur: atqui nullibi exprimitur in jure irregularitas contra eum, qui exterius duntaxat, non item interius seu animo pariter protestatur contra vindictam sanguinis. Potest insuper talis Clericus habere justam causam optandi mortem hujusmodi malefactoribus, ne scilicet a Judice absoluti postea vel sibi vel aliis in vindictam accusationis justissime factæ denuo graviora damna inferant, prout de talibus haud immerito timeri potest: ergo non est, cur talis in conscientia fiat obnoxius irregularitati. Et ita tenent ConincK *de Sacram. disput.* 8. *dub.* 10. *num.* 93. Hurtado *de Irregul. distinct.* 11. *num.* 141. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *Resol.* 75. Tambur. *l.* 10. *tract.* 4. *c.* 15. §. 11. *num.* 38.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus post absoluta studia, & susceptos jam quatuor minores defectu tituli Mensæ ne-*

sæ necessarii longo tempore egerat scribam apud quendam Judicem vel Cancellarium, unde non semel tantum, sed sæpius interfuit examinibus Malefactorum, annotavit Responsa, eorumque Confessiones loco sui Principalis transcripsit ad supremum Judicium seu Dicasterium aulicum, Sententias mortis descripsit, vel expedivit &c. &c. aliquando insuper (licet invitus agere debuit testem, contra aliquem malefactorem qui pariter fuit capite plexus. Jam vero ab aliquo Patrono beneficium Ecclesiasticum eidem fuit oblatum; unde sciscitatur e Confessario, an propter actus mox enumeratos, scilicet quod 1. egerit Notarium vel scribam, & 2. quod egerit testem in causa sanguinis, non incurrerit irregularitatem, saltem ex defectu lenitatis? Quid ad hæc Confessarius?

234. R. Ad hunc casum primo. Cajus ex eo, quod velut Assessor & Notarius aut scriba ex officio, & quidem propinque cooperatus fuerit ad mortem & effusionem sanguinis, incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, prout constat ex proxime dictis *num.* 227. & satis clare decisum legitur *Cap. aliquantos dist.* 51. Ita etiam *communissime* tenent Doctores, signanter Sporer, Reiffenstuel, Tamburinus, Pichler *in Candidat. Jur. Can. l.* 5. *tit.* 19. *num.* 9. Ratio est: quia indecens videtur, ut ii, qui propinque & efficaciter velut Ministri justitiæ ad effusionem humani Sanguinis, vel potius ad mortem cooperati sunt, in altari repræsentent personam Christi mansuetissimi. Verum in Gallia (ait Pontas *in suo Dictionar. Casuum Verb. Irregularitas. Respons. ad Cas.* 60.) causam proximam mortis Rei, Doctores & Jurisperiti tantum agnoscunt *Actorem criminalem, Judicem, & Carnificem*: reliqui omnes habentur velut causa remota; unde scriba talis in Parlamentis Galliæ non habetur ut irregularis, ac proin Cajus noster ibidem posset absque Scrupulo acceptare Beneficium ecclesiasticum, & Sacris ordinibus imbui. Idipsum testatur Doctor Sorbonicus de sainte-Beuve *tom.* 1. *Resolution. ad casum* 227. *folio mihi* 572. Id quod saltem insinuandum duxi, tametsi hæc praxis in nostra Germania, & alibi locum non habeat, licet etiam nostri DD. fateantur, remote duntaxat cooperantes ad mortem non incurrere irregularitatem ex defectu; nomine tamen remote cooperantium solum intelligunt v. g. artifices construentes Patibulum, rotas, vel enses Carnificum &c. aut alia id genus instrumenta, quibus Rei vel torqueri, vel omnino occidi solent.

335. R. Jam ad alterum quæsitum hujus Casus, ex eo præcise, quod Cajus dicat se invitum egisse testem contra Malefactorem capite minutum minime eximendus est ab irregularitate ex defectu lenitatis; quia jura non excipiunt testem invitum in causa criminali: nec dubium, quin subin vel Judex vel Carnifex invitus occidant hujusmodi Reum: & quis propterea hos excusabit ab irregularitate defectu lenitatis incursa? Sunt nihilominus DD. nominatim Pichler *ad tit. de homicid. n.* 31. & P. Bockhn *l.* 5. *decret. tit.* 12. *n.* 45. satis probabile existimantes, eos, qui non voluntarie, sed absoluto Judicis mandato coacti testimonium in causa sanguinis ferunt, irregularitatem hanc non contrahere; quia cum tales se non exhibeant severos contra Reum, dici non possunt deficere a lenitate, adde, quod ita coactus ad ferendum testimonium, dici non possit agere ex officio, nec desideret mortem &c. & hanc esse praxin in Gallia receptam, testatur Mr. sainte Beuve *cit. tom.* 1. *Resolut. ad Casum* 233. *folio* 581. Opposita tamen sententia, quam tenent Avila, Hurtadus, Diana *part.* 4. *tr.* 2. *Resol.* 31. Sporer ubi supra *n.* 63. Tamburinus & alii communiter, videtur nedum tutior, sed & probabilior: tum quia metus non tollit voluntarium simpliciter; tum etiam quia hujusmodi testis proxime, & efficacissime cooperatur ad mortem. Unde citatus P. Bockhn sapienter ait, aspirantibus ad statum Ecclesiasticum parcendum esse a Judicibus, ne cogantur in causa sanguinis ferre testimonium, præsertim si deprecentur, & alii testes sufficientes adsint.

Sed quid (ais) tenendum de illo, qui Reum accusat, vel denuntiat, vel testem contra eundem agit, compulsus non

non mero timore extrinseco, sed lege justitiæ vel charitatis aut præcepto Judicis, obligante in conscientia, utputa ne scilicet proximus vel tota Communitas vel Ecclesia cogatur subire gravissimum damnum, aliter non evitabile, nisi per punitionem hujusmodi Rei aut criminosi?

236. R. Tales non incurrere hanc irregularitatem. Ita ex *communi DD.* Sayrus, Tamburinus, Sporer *l. cit. n.* 61.

Ratio est: quia hæc lex Ecclesiastica inferens irregularitatem, non potest obligare cum tanto damno innocentium, vel totius Reipublicæ aut Ecclesiæ &c. &c. neque potest obligare contra legem naturæ, charitatis scilicet aut justitiæ, vi cujus unusquisque tenetur ad præcavendum, & hoc ipso etiam ad prodendum vel impediendum damnum imminens Reipublicæ, vel Ecclesiæ, aut proximo innocenti ex iniqua machinatione facinorosorum. Neque in tali casu necessaria est protestatio, quod quis non petat vindictam, aut sanguinis effusionem, prout bene docent Molina *tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 109. *n.* 9. Avila *part.* 7. *de censur. disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 12. Cavendum tamen est, ne Actor vel testis agat plus, quam oportet, aut necessarium est ad avertendum damnum; nam, si hoc possit aliter averti v. g. per fraternam admonitionem, dehortationem aut minas intentatas &c. & actor hac via relicta criminaliter accuset &c. secuta morte aut mutilatione indubitanter incurret irregularitatem ex defectu lenitatis.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

237. COlliges ex hactenus dictis primo, irregularibus ex defectu animi accensendos esse epilepticos, id est morbo caduco laborantes, ut habetur *c. in tuis litteris* & *c. Nuper* 7. *q.* 2. Unde tales prohibentur ordinari *cap. Maritum* & *c. communiter dist.* 33. Si quis tamen jamjam sit ordinatus, & raro v. g. semel in mense soleat cadere absque notabili corporis agitatione, spumatione vel clamore, poterit quidem celebrare, sed non, nisi assistente vel præsente alio Sacerdote jejuno, qui si forte ob irruentem morbum post Canonem jamjam inchoatum, celebrans infirmus non amplius possit, illico valeat supplere defectum, & inchoatum SS. Missæ Sacrificium perficere. Videatur Busenbaum apud la Croix *l.* 7. *n.* 493. Suarez *de cens. disp.* 51. *sect.* 1. Herincx *p.* 2. *tr.* 3. *disp.* 6. *n.* 172.

238. Colliges secundo, non esse irregularem ex defectu corporis, qui citra propriam culpam caret aliquo membro occulto v. g. genitalibus, vel testiculis &c. Ita cum *communi DD.* Laymann *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *cap.* 7. *num.* 5. Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 3. *a.* 3. *num.* 7. Covarruv. & alii. Ratio est: quia privatio membri occulti neque impedit exercitium Ordinum, uti supponitur, neque inducit aliquam specialem deformitatem vel horrorem talis personæ. Secus dicendum de eo, qui sibimet ex crudelitate vel indiscreto Zelo abscinderet aliquod membrum etiam occultnm v. g. genitale &c. talis enim incurreret irregularitatem ex delicto mutilationis &c. prout jam superius num. 214. innuimus, & statuitur expresse *c. qui partem* & *c. si quis absciderit dist.* 55. Ceterum in dubio, an defectus vel quæcunque demum deformitas corporis irregularitatem inducat, ad Episcopum vel Ordinarium Prælatum pertinet arbitrari *Argum. cap.* 2. *de corpore vitiat.* prout Laymann *loc. cit. num.* 6. aliique *DD. communiter* monent.

239. Colliges tertio, non incurrere irregularitatem Bigamiæ illum, qui cum duabus quidem successive matrimonium contraxit, sed cum una tantum, & non cum altera, consummavit. Ratio hujus est: quia matrimonium seu viri seu fœminæ nunquam affert causam Bigamiæ vel irregularitatis, nisi consummatum sit, prout notat Laymann *l.* 2. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 6. *n.* 2. conformiter ad *cap. debitum. de bigamis non ordinand.* ergo alerum matrimonium, utpote non consummatum, nihil obstat.

Neque hanc irregularitatem incurrit Maritus, qui ante matrimonium suam uxorem modernam cognovit carnaliter, vel qui habuit plures concubinas extra

tra matrimonium & cognovit &c. quia tale matrimonium adhuc potest significare seu repræsentare mystica significationem Christi cum Ecclesia velut unica Sponsa; nam ubi reperitur maritalis conjunctio viri cum unica ab alio carnaliter non cognita, consistit perfecta significatio Sacramenti, ait Laymann *l. cit. num.* 3. Secus, si vir ducat viduam jam ab alio corruptam, vel si accedat ad uxorem propriam, posteaquam hæc ab alio tempore matrimonii sive volens, sive per vim cognita fuit, prout statuitur *cap. si cujus uxorem* & *c. si laici dist.* 34. hac ratione: quia talis maritalis conjunctio desinit habere perfectam similitudinem Christi cum Ecclesia. Nec refert, quod forte Maritus ignoraverit, hanc suam uxorem jam fuisse ab alio cognitam &c. quia hæc irregularitas non oritur ex delicto, sed ex defectu Sacramenti: talis autem intervenire potest stante ignorantia Mariti: ergo &c. Vid. Busenbaum apud la Croix *l.* 7. *num.* 493.

Sed quid ais: si Maritus agnoscat uxorem posteaquam hæc adulterium commisit, sed ita occultum, ut de hoc nemini præterquam solis complicibus & Marito innocenti constet, evadetne innocens cornutus irregularis?

240. R. Juxta Communem sententiam adhuc evadet irregularis: Nonnulli tamen DD. teste Herincx *part.* 2. *tr.* 3. *disp.* 6. *num.* 186. requirunt, ut adulterium sit notorium, vel saltem in judicio probabile. *Argum. cap. si cujus dist.* 34. Et hæc sententia posset fortassis Confessario vel ipsi pœnitenti servire, si talis Maritus uxore adultera mortua jam fuisset bona fide ad ordines S. promotus.

241. Colliges quarto, Vi hæreseos aut apostasiæ a fide non incurri infamiam, quamdiu hæc delicta manent merum occulta, & consequenter neque incurritur irregularitas. Quo fit, ut tales post veram ac seriam pœnitentiam & absolutionem obtentam valeant imbui Sacris ordinibus. Ita probabiliter tenent Sayrus *l.* 7. *c.* 12. *num.* 16. Avila *p.* 7. *disp.* 4. *dub.* 2. Ratio est: quia hæc irregularitas non est statuta propter hæresim secundum se, sed propter infamiam inde consequentem: Atqui infamia nulla consequitur, quamdiu hæresis manet mere occulta: ergo neque irregularitas. At vero ubi hæresis vel Apostasia semel innotuerit, nedum hæretici ipsi, sed etiam ipsorum filii (saltem post hæresin amplexam suscepti) fiunt, & manent irregulares, in tantum, ut ad S. Ordines & beneficia Ecclesiastica (nisi cum ipsis misericorditer dispensatum fuerit) promoveri non valeant, esto etiam ex postfacto pœnituerint vel absoluti fuerint. Ita habetur diversis juribus *cap. Presbyteros dist.* 50. *c. Saluberrimum* I. *quæst.* 7. *c.* 2. §. *hæretici de hæreticis in sexto*. Notat tamen Henriquez *lib.* 14. *c.* 5. *num.* 4. Laymann *cit. num.* 12. *fin.* Navarrus, Reiffenstuel & alii plures DD. hæreticorum filios irregulares non esse in illis Regionibus, in quibus hæresis impune toleratur, seu in quibus ob hæresin nulla ipsis aspergitur infamia, prout in hisce partibus nostris contigit. Quare ob hanc causam probabiliter defenditur consuetudo quarundam septentrionalium Regionum, in quibus Episcopi ordinare solent ex hæresi ad fidem Catholicam conversos & absolutos; eo quod tales neque in civili foro a publicis dignitatibus & officiis repellantur. Videantur *DD. cit.* Vel Karg. *ubi supra part.* 1. §. 2. *num.* 86.

242. Colliges quinto, irregularitatem ex defectu lenitatis incurri ab iis omnibus, qui in bello etiam justo offensivo pugnantes per se ipsos occidunt. Ita communis & certa sententia, velut constat ex *can.* 1. *dist.* 51. & *cap.* 24. *de homicid.* ubi hoc etiam extenditur ad eos, qui rationabiliter dubitant, utrum propria manu aliquem occiderint vel mutilaverint. Diximus autem *bello offensivo* &c. aliter enim discurrendum esse de iis, qui merum defensive se habent ad tuendam scilicet vitam propriam, vel bona temporalia magni momenti &c. jam constat ex dictis *num.* 230. id, quod etiam habetur *c.* 2. *de immunit. Ecclesiast.* & *Clement. un. de hom.* Aliter insuper discurrendum est de iis, qui non pugnant propriis manibus, neque per se ipsos quempiam occidunt, esto etiam milites pugnantes hortentur ad

fortiter dimicandum. Unde nec Duces, neque etiam Clerici vel Missionarii Campestres irregularitatem incurrunt ex eo præcise, quod milites cohortentur ad fortiter pugnandum, modo non jubeant vel hortentur ad hunc vel illum in particulari occidendum, prout habet *communis DD.* Pichler *l. cit. n.* 10. Laymann *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 8. *n.* 2. Dixi insuper: *in bello justo*; nam si bellum foret injustum, & vel unicus in tali bello fuisset occisus aut mutilatus, tunc omnes, non solum pugnantes, sed etiam cooperantes, arma subministrantes, adhortantes &c. evaderent irregulares, non quidem ex defectu lenitatis, sed ex delicto homicidii, prout habetur *can.* 4. *dist.* 51. & *c.* 6. *§. fin. de homicid.*

243. Colliges sexto, Non incurri hanc irregularitatem ab eo, qui ob necessariam propriæ vitæ vel corporis defensionem hominem mutilat vel occidit. Ratio est: quia lege naturali unusquisque tenetur conservare ac defendere corpus, ac vitam propriam: ergo qui ob hujus defensionem occidit vel mutilat aggressorem suum non agit contra lenitatem.

Neque est verosimile, quod Ecclesia voluerit aliquem excludere a S. Ordinibus vel a Ministerio Ecclesiæ, eo quod extrema necessitate quasi compulsus, vitam, corpusque suum defenderit. Et hoc habetur clare decisum in *Clement. si furiosus de homicid.*

Sed quid (ais) de eo, qui ad defensionem famæ vel honoris occidit iniquum aggressorem?

244. R. Neque talem fieri obnoxium irregularitati censet Filliuc., Bonacina, Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 3. *a.* 3. *n.* 5. & alii plures; eo quod talis occisio non tam homicidium, quam defensio videatur &c. Verum opposita sententia, quam expresse tenent Sylvester, *Verb. Excommunicatio* 6. *q.* 9. Covarruv. Navarrus & alii, mihi videtur probabilior; eo quod secundum dicta *part.* 4. *Conf.* 3. *n.* 62. ob defensionem solius famæ vel honoris (utpote alia via conservabilis &c.) non liceat occidere iniquum aggressorem: ergo taliter occidens peccat mortaliter, & per consequens incurrit irregularitatem ex defectu homicidii; secus discurrendum est de eo, qui occidit injustum aggressorem ob necessariam defensionem bonorum temporalium, velut constare potest ex dictis *n.* 230.

245. Colliges septimo, hanc irregularitatem non incurri a Clerico, vel Confessario, qui Reum educens ad extremum supplicium admonet ad ulterius procedendum, vel ut Scalas ascendat, manus ligandas præbeat Carnifici, caput supponat &c. vel qui funes aut ensem benedicit Carnifici, ne maleficio impediatur ab executione sententiæ, item, qui rogat carnificem ut aliquid aptet, quo citius reus moriatur v. g. appendendo ad pectus comburendi Malefactoris pulverem sulphureum &c. vel fauces laqueo constringat &c. ne tantum sentiat &c.

Ratio similium est: tum quia hoc modo non concurrit velut Minister justitiæ &c. tum etiam, quia hæc non suadet ex alio fine, nisi ut tormenta Rei minuantur, seu mitigentur quodammodo: consequenter nil agit contra, sed potius juxta lenitatem Christianam. Videantur de hoc Pichler *l.* 5. *tit.* 12. *n.* 9. *in Candidat. J. C.* Tamburinus *l.* 10. *tr.* 4. *c.* 15. *n.* 17. *&* 24. Sporer *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 51. Busenbaum apud La Croix *l.* 7. *n.* 493.

246. Colliges octavo, Neque irregulares fieri Professores (aut Confessarios vel Doctores) qui in scholis explicant leges pœnam mortis inferentes, vel qui privatim interrogati de aliquo Reo in particulari, an promeritus sit mortem, generatim respondent, ac docent, quidnam leges in tali casu statuant, modo non suadeant, hunc vel illum in particulari puniri morte, seu occidi. Ita rursus Pichler *l. cit.* Bockhn. *l.* 5. *tit.* 12. *n.* 48. Laymann, Molina, Sporer, & alii *communiter*.

Ratio est: quia tales non sunt causa moralis mortis, neque auctoritate publica concurrunt ad mortem; enim vero simplex interpretatio seu declaratio nil aliud præstat, quam ejusdem legis cognitionem: ut vero Judex secundum eandem legem procedat, aliunde movetur, scilicet vi officii sui, & obligationis sibi incumbentis.

247. Colliges tandem nono, quod, tametsi nonnullis Principibus Ecclesiasticis, Archi-Episcopis, Episcopis, vel aliis Prælatis, qui fortassis sunt status Imperii &c. competat jurisdictio criminalis, hanc tamen per se ipsos (sine speciali dispensatione a Summo Pontifice in hunc finem obtenta) exercere nec possint, nec debeant sine periculo incidendi irregularitatem ex defectu lenitatis. Ut igitur hanc evitent, debent juxta *cap. ult. Ne Clerici, vel Monachi in sexto* hanc jurisdictionem suam delegare laicis, sive dein in *genere*, & ut dici solet, *ad universitatem talium causarum*, sive in *specie*, & quavis *causa particulari*: nunquam vero prorsus debent per se ipsos de tali causa Sanguinis cognoscere, sententiam ferre, vel mandare, ut Malefactor occidatur, hoc vel illo genere mortis afficiatur. Ita *communiter* Doctores. Avila *de Irregular. disp. 6. Sect. 2. dub. 4. conclus. 3.* Henriquez *lib. 14. c. 12. n. 6.* Palao *tr. 29. disp. 6. pu. 14. n. 3.* Similiter si Judices Ecclesiastici Reum suo in judicio convictum Judici tradant sæculari, prout in quibusdam delictis etiam Clericorum fieri debet, per *cap. Novimus 27. de Verb. signif.* non debent mandare ut mors eidem inferatur; (secus enim agerent contra lenitatem Christi) sed potius quantum est ex sua parte protestari & intercedere, ne reus in vita aut membris puniatur. Et licet talis protestatio vel intercessio attendi non debeat a Judice sæculari (secluso speciali pacto vel juramento &c.) facit tamen, ne Judex Ecclesiasticus particeps fiat Sententiæ mortis.

Dices tamen: *qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum*, ut dicitur *Reg. 77. J. in sexto*: atqui Princeps Ecclesiasticus delegando Judici suam jurisdictionem in causa Sanguinis, facit per alium: ergo perinde est: &c. &c. consequenter ex hac minime effugiet hanc irregularitatem.

348. *Permiss. Maj. disting. min.* Princeps Ecclesiasticus facit per alium, quantum ad exercitium justitiæ præcise, *concedo*, quantum attinet defectum lenitatis, *neg. min. cum conseq.* Nam eo ipso, quod nolit per se ipsum exercere judicium Sanguinis, sed potius alteri committere, idque solum urgente necessitate justitiæ, morali hominum existimatione dici non valet agere contra lenitatem, præsertim cum hujusmodi delegationem jura expresse concedant ob publicam utilitatem, ne scilicet in talibus locis delinquendi licentia ob impunitatem criminum invalescat. Videatur Placidus Bockhn ubi supra *n. 43.*

CONFERENTIA
OCTAVA.
De absolutione a Censuris, & dispensatione in irregularitatibus.

SUMMARIUM.

249. *Quænam sit differentia inter absolutionem, & dispensationem.*
250. *Quomodo Censura tollatur.*
251. *Quinam ordinarie loquendo valeant absolvere a censuris.*
252. *Et quinam extraordinarie.*
253. *Quantum valeant Episcopi quoad censuras S. Pontifici reservatas, præsertim in casibus occultis.*
254. *Quandonam Casus censeatur occultus.*
255. *Et quid sit, absolvi pro foro interno duntaxt: quid pro interno, & externo simul.*
256. *Quantum quoad hoc valeant Prælati Regularium;*
257. *Et quantum Confessarii Mendicantium;*
258. *Saltem quoad casus extra Bullam Cœnæ.*
259. *Absolutio quadrupliciter dari potest.*
260. *Ad validam absolutionem a censura non requiritur certa verborum formula.*
261. *Quænam ad hanc requirantur ex parte absolventis.*
262. *Et quænam ex parte absolvendi.*
263. *Nihil obstat, quo minus aliquis valeat absolvi ab una, non item ab alia censura, etiam ejusdem speciei.*
264. *Utrum Episcopi dispensare valeant in irregularitatibus ex delicto occulto ortis.*

265. *An*

265. *An Superiores Regulares valeant dispensare in irregularitatibus.*
266. *Resolvitur Casus I. cujusdam Clerici, qui posteaquam percusserat alium Clericum illico postulavit absolvi ab aliquo Privilegiato.*
267. *Quid, si talis casus jamjam innotuisset aliis.*
268. *Talis Clericus post absolutionem obtentam celebrando non incurrit irregularitatem ex violatione censuræ.*
269. *An Episcopus cum tali dispensare posset, dato etiam, quod incurrisset Irregularitatem.*
270. *Resolvitur casus II. de duobus studiosis, qui tempore nocturno Clericum spoliarunt, & a militibus supervenientibus mutilati, aspirant ad statum Ecclesiasticum.*
271. *An propterea incurrerint irregularitatem infamiæ.*
272. *Vel irregularitatem ex defectu lenitatis.*
273. *Resolvitur Casus III. de quodam Religioso, qui Castra secutus unum, vel alterum occidit.*
274. *Prælatus Regularis probabiliter potuit cum tali dispensare.*
275. *Solvitur quædam instantia in contrarium.*
276. *Gaudens potestate absolvendi a censuris jure communi latis, non eo ipso potest absolvere a censuris per sententiam particularem inflictis.*
277. *Potens absolvere a Censuris Episcopo reservatis, nequit propterea absolvere a Censuris Papæ reservatis.*
278. *Confessariis vel maxime cavendum, ne in hoc excedant limites suæ potestatis.*
279. *Quid agendum Confessario, volenti absolvere in mortis articulo.*
280. *Negligens procurare absolutionem a censura, potest graviter peccare;*
281. *Hinc probabilius non valet absolutio, si quis mendaciter dicat, se jamjam satisfecisse parti læsæ, & tamen non satisfecit.*
282. *Episcopi dispensare valent in irregularitate ex homicidio imperfecte voluntario, modo hoc sit occultum.*
283. *Secus, si jam supponatur notorium, vel deductum ad forum contentiosum*
284. *Possunt insuper Episcopi dispensare in irregularitate orta ex injusta mutilatione occulta tamen.*
285. *Idipsum valent in multis casibus, quando periculum est in mora, & rationabiliter timetur scandalum, nisi irretitus vinculo irregularitatis celebret divina.*

§. I.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos circa absolutionem a censuris, & dispensationem in Irregularitatibus.

QUæres primo, quid sit absolutio a Censuris, & quomodo differat a dispensatione?

249. R. Absolutio est Sententia a legitimo Judice prolata, vi cujus remittitur delictum aut pæna: dispensatio vero idem est, ac exemptio alicujus ab obligatione legis. Ita in re La Croix *l. 7. nu.* 13. & alii plures. Hinc fit, ut censura velut pœna spiritualis & medicinalis secundum dicta superius non tollatur, nisi per absolutionem potestate legitima factam: e contra Irregularitas, quæ contrahi potest absque omni delicto, veluti constat ex Conferentia mox præcedente, tolli debet mediante dispensatione.

Quæres secundò, an ergo censura aliter tolli nequeat, nisi per absolutionem?

250. R. Quod non (nisi fuerit lata ad certum duntaxat tempus &c. quo elapso exspiret) Ratio desumitur ex *cap. cum desideres* 15. & *cap. Sacris* 38. *de sent. Excomm.* quibus declaratur, ad tollendam censuram non esse satis, quod causa illius sit sublata, vel desierit contumacia, sed præterea requiri absolutionem. Quod ulterius patet ex eo: quia Alexander VII. damnavit sequentem (*num.* 44.) propositionem: *quoad forum conscientiæ Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

Nec dicas, causam censuræ esse contumaciam delinquentis, consequenter hac cessante pariter cessare effectum &c. Nam causa proxima censuræ est voluntas Superioris: delictum vero est solum causa remota; hinc quemadmodum subla-

sublata culpa sæpe remanet adhuc pœna, ita etiam sublata contumacia delinquentis potest perseverare voluntas Superioris censuram ceu justam pœnam infligentis. Vid. Castropalao *tr.* 29. *disp.* 1. *pu.* 11. *num.* 2.

Quæres tertio, quinam ergo generatim loquendo absolvere valeant a Censuris?

251. R. A Censura lata per Sententiam particularem 1. ordinarie is tantum potest absolvere, qui eam tulit, vel 2. hujus pleno jure Superior, aut in jurisdictione successor, vel 3. ab his delegatus. At vero a censura lata per jus commune, vel ab homine quidem, sed per sententiam generalem, (nisi sit specialiter reservata,) potest absolvere quivis approbatus confessarius, potens censuratum absolvere a mortalibus: si vero sit reservata, ordinarie & per se potest tantum ab ipso Auctore censuræ; vel ejus Successore aut delegato. Ita rursus *DD. communiter*. Ratio horum jam fuit insinuata superius *Confer.* 1. *num.* 17. quia scilicet ejusdem est absolvere (ordinarie loquendo) cujus est ligare. Si tamen Superior ferens censuram hanc sibi specialiter non reservet, censetur potestatem ab ea absolvendi etiam aliis Confessariis approbatis concedere, veluti colligitur ex *cap. Nuper.* 29. *de Sent. excomm.* Videantur dicta *loc. citato*.

252. Dixi autem, a censura ab homine lata *ordinarie* illum solum, qui tulit, posse absolvere &c. &c. nam 1. in articulo mortis (ubi cessat omnis reservatio propter periculum salutis) per accidens quasi & extraordinarie potest absolvere quilibet Sacerdos. Secundo in casu, ubi censuratus nequit adire summum Pontificem, vel Auctorem censuræ, potest absolvere Episcopus, & alii privilegiati, cum certis tamen conditionibus &c. prout proxime, *num.* 261. videbimus, perpetuo autem impediri censentur. 1. Regulares utriusque Sexus. 2. Senes. 3. mulieres quæcunque. 4. Pueri. 5. valde Pauperes. 6. Claudi. 7. Cæci. 8. Valetudinarii. 9. valde debiles &c. &c. Unde.

Quæres quarto, quantum valeant Episcopi in ordine ad absolvendum a censuris vel casibus Summo Pontifici reservatis?

253. R. Concilium Tridentinum Episcopis amplam concessit facultatem *SS.* 24. *c.* 6. *de Reform.* ubi sic habet: *liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscunque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari &c.* Ita Tridentinum *loc. cit.* Ex quibus liquet 1. hanc facultatem Episcopis vi officii, adeoque jure ordinario competere. 2. liquet insuper eam competere solum respectu suorum subditorum, & quidem 3. in Casibus occultis pro foro conscientiæ tantum. Ergone, inquies, Episcopi vi hujus possunt etiam absolvere ab hæresi formali & completa, nec non ab aliis Casibus Summo Pontifici reservatis in Bulla Cœnæ?

R. Breviter ad hoc dubium ex dictis *in part.* 2. *Theolog. Decalog. Conf.* 5. *num.* 146. Episcopos extra Italiam, velut remotiores ab Urbe, uti sunt Episcopi Germaniæ, Belgii &c. posse suos subditos ab his etiam Casibus absolvere ratione impedimenti perpetui, vi cujus tales moraliter loquendo reputantur non posse accedere S. Pontificem. Utrum vero id etiam possint per se, vi Tridentini, multum controvertitur hodiedum inter Doctores. Quocirca ego opinionem negativam nedum tutiorem, sed longe etiam probabiliorem judico; tum quia per Bullam Cœnæ, etiam post Concilium Tridentinum quotannis in Cœna Domini promulgari solitam, facultas absolvendi ab his Casibus absolute aufertur omnibus cujuscunque gradus aut dignitatis, etiam Episcopalis, vel alterius majoris, stantibus etiam, & non obstantibus, vel potius nil juvantibus *cujuscunque Concilii decretis &c.* ergo nec vi Concilii Tridentini id possunt; id, quod amplius confirmatur ex sequenti propositione *Ord.*

tertia

tertia inter damnatas ab Alexandro VII. *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno* 1629. *die* 18. *Julii in Consistorio S. Congregationis Eminent. Cardinalium visa, & tolerata est.* Ex quo sequens conficitur argumentum. Tametsi laudatus Pontifex vi hujus damnationis directe solum intenderit damnare & ferire illa ultima verba, quod scilicet *hæc sententia in Consistorio Cardinalium fuerit visa & tolerata*, certo tamen saltem indirecte damnasse censendus est verba præcedentia, seu doctrinam, vi cujus asseritur, *Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini &c. &c.* Ut proin mens & intentio Pontificis fuerit, declarare, hanc doctrinam non esse talem, quæ in dicto Consistorio visa, tolerari potuerit; secus enim S. Pontifex eam non damnasset tanquam scandalosam, prout cum P. Reiffenstuel, & Viva aliisque notat noster P. Holzmann *part.* 3. *tr.* 2. *n.* 218.

At, si Pontifex doctrinam hanc velut scandalosam voluit proscribere, eo ipso minus probabilis, nec satis tuta dici potest: ergo &c. Verum pro meliori intellectu dictorum.

254. Recolendum est ex dict. *in Theologia decal. part.* 2. *Confer.* 5. *n.* 144. Illud delictum dici occultum, quod, tametsi uni vel alteri, vel etiam pluribus constet, ita, ut etiam per testes probari posset, non tamen fama in aliquo collegio, communitate aut civitate percrebuit, aut certe ad judicium delatum nondum fuit: e contra illud appellatur publicum, de quo majori parti viciniæ vel alicujus communitatis jam constat: alii Doctores, nominatim Palao *tr.* 4. *disp.* 4. *pun.* 3. §. 1. *n.* 15. Busenbaum apud la Croix *l.* 7. *n.* 126. *&c.* probabiliter existimant illud delictum duntaxat dici debere publicum, quod nedum ad judicem delatum, sed etiam in judicio probatum fuit: e contra si delatum quidem, non tamen probatum fuit, reputari adhuc debere occultum; eo quod hic versemur in materia adiosa: consequenter putant talem adhuc posse absolvi ab Episcopo aut alio Privilegiato, quibus solum concessa fuit facultas absolvendi a Casibus occultis. Videatur la Croix *l. cit. n.* 145.

255. Recolendum insuper est secundo ex dictis *l. cit. n.* 145. absolutionem a Censura dupliciter dari posse, scil. 1. pro solo foro interno tantum, & secundo pro foro interno, & externo simul. Pro foro interno duntaxat datur, quando quis *coram Deo* reconciliatur Ecclesiæ in ordine ad recuperandam participationem bonorum spiritualium, quibus vi censuræ seu excommunicationis exstitit privatus: quo non obstante in foro externo seu Ecclesiæ posset a Judice puniri. Econtra pro foro in & externo simul datur absolutio, quando quis a Judice legitimo vi absolutionis nedum coram Deo, sed etiam coram Ecclesia reconciliatur Ecclesiæ, in ordine ad recuperandam cum hac communicationem externam, tam publicam, quam privatam, immunitatemque a pœnis in foro Ecclesiastico externo infligendis. Porro secundum dicta *loc. cit.* forum internum a Doctoribus distingui *in forum pœnitentiæ*, & in *forum conscientiæ:* forum pœnitentiæ est ipsum forum Sacramentale, primario ac per se institutum a Christo ad absolutionem a peccatis: in hoc proin solus Sacerdos potest agere Judicem; quia non Sacerdos nequit absolvere a peccatis. Forum conscientiæ autem est illud, in quo præcise in bonum animarum sine strepitu judiciali exercetur spiritualis potestas, sive absolvendi, sive etiam dispensandi, ita, ut hæc valeat coram Deo, sive dein id fiat intra, sive extra Confessionem, sive publice coram aliis, sive privatim.

Quæres quinto, quantum quo ad absolutionem a censuris valeant Prælati Regulares?

256. R. Prælati Regulares, id est, Generales, Provinciales, Abbates, Priores, Guardiani &c. possunt vi privilegiorum suorum absolvere suos subditos (etiam Novitios) ab omnibus peccatis, censurisque a jure, vel ab homine latis, etiam Papalibus: intellige tamen, par-

particulatim non inflictis &c. Ita tenent quamplures insignes ac probati DD. Tamburinus *lib.5. de Casib. reservat. c. 11. §. 1. n.* 1. citans pro eadem opinione Suarez *tom. 4. de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 19. *a. num.* 16. Peyrinum *tom.* 2. *in Constit.* 4. *Sixti IV. num.* 22. Portel. Rodriquez apud Pellizarium *tr.* 8. *cap.* 2. *num.* 33. Leandrum *disp.* 17. *de excomm. q.* 72. id ipsum tenent alii DD. Ratio autem tam amplæ potestatis (inquit Tamburinus *l. cit.*) desumitur tum ex jure ordinario, quod dictis superioribus competit; tum ex variis privilegiis, prædictis Mendicantibus concessis, videndis apud Peyrinum *loc. cit.* Rodriquez, Hyacinthum Donati *tom.*1. *p.*1. *tr.* 13. *q.*101. & *tom.* 2. *tr.* 11. *q.* 17. & 18. & alios. Si petas an etiam possint suos subditos absolvere ab hæresi formali & completa, aliisque Casibus Bullæ Cœnæ? Respondeo, idipsum esse asserendum de superioribus Regularibus, quoad hos Casus respectu suorum subditorum, quod proxime diximus de Episcopis respectu suorum subditorum; est enim utrinque par ratio: & sicuti vi Bullæ Cœnæ derogatur quo ad hoc facultatibus vi cujuscunque Concilii concessis Episcopis, ita & derogatur facultatibus ac Privilegiis quibuscunque Regularibus concessis: ergo quod tenendum de Episcopis in hoc puncto, idipsum pariter tenendum est de superioribus Regularibus respectu suorum subditorum. Videantur quæ de hoc diximus *part.* 2. *Confer.* 5. *n.* 256.

Ergone, inquies, etiam Confessarii Mendicantium possunt absolvere a censuris, & Casibus Summo Pontifici reservatis?

257. R. Ad hoc quæsitum primo. Confessarii Mendicantium (& qui horum privilegiis gaudent, vi communicationis Privilegiorum) possunt vi privilegiorum absolvere quosvis fideles NB. (sæculares) ab omnibus Casibus & censuris particulatim non inflictis, neque ad forum contentiosum deductis (exceptis Casibus Bullæ Cœnæ, & iis, quos Episcopi sibi specialiter reservant) sed hoc pro foro conscientiæ tantum. Ita allegatis variis Bullis ac privilegiis tenent Palao *tr.* 29. *disp.* 1. *pu.* 11. *§.* 5. *num.* 5. Reiffenstuel *l.* 5. *decret. tit.* 7. *§.* 9. *num.* 430. Kazenberger *in supplem. Theolog. mor.* P. Sporer *c.* 3. *lect.* 2. *§.* 2. *a num.* 111.

Dixi autem 1. *Sæculares*, ut excluderentur Religiosi, in quos nihil possunt, ne quidem quoad Casus de jure communi extra Bullam Cœnæ reservatos Summo Pontifici, nisi obtineant specialem potestatem ab eorum Superioribus, quibus quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ seu absolutionis manent plene subiecti. Dixi secundo *ad forum contentiosum nondum* deductis; hoc enim semel facto nullatenus debent sese ingerere, vel præsumere absolutionem delinquentis; secus, si res vel delictum nondum fuit devolutum ad legitimum Judicem, seu forum contentiosum.

258. R. Jam secundo ad idem quæsitum. Religiosi Mendicantes extra Italiam possunt etiam absolvere quosvis sæculares ab illis quinque Casibus extra Bullam Cœnæ in jure communi Summo Pontifici specialiter reservatis, qui sunt sequentes. I. Extractio Reorum ex Ecclesia vel Cœmeterio. II. Violatio clausuræ Monialium, ad malum finem castitati oppositum. III. Duellum in forma Tridentini susceptum. IV. Gravis percussio Clerici. V. Simonia realis vel confidentialis. Ita noster A. R. P. Kazenberger *in supplem. Decalog.* P. Sporer *cap.* 3. *sect.* 2. *num.* 110. ubi pro eadem opinione refert in terminis Decretum Urbani VIII. Videatur de his Sporer *Theolog. Sacr. part.* 3. *cap.* 6. *num.* 740. Kreslinger *in additione II. ad quæst.* 5. *tract.* 3. *distinct.* 2. *post. num.* 89 *R. P. Reiffenstuel*.

Quæres sexto, quis modus, vel quæ verborum formula sit observanda volenti absolvere a Censura?

259. Ante Responsionem animadvertendum est, absolutionem a Censuris quadruplici modo dari posse, Primo *absolute*, ut si absolvens dicat: Ego te absolvo a vinculo excommunicationis, quam incurristi v. g. propter hæresin: secundo *sub conditione*: ut si dicat: ego te absolvo, si res ita se habet &c. vel si intra mensem satisfeceris &c. qui

tamen

tamen modus hodie rarior est in Ecclesia. 3. *Ad cautelam* &c. ad tollendos scil. omnes scrupulos, vel omne periculum v.g. in casu dubiæ excommunicationis &c. unde absolvens dicere solet: *absolvo te ab excommunicatione, si quam incurristi &c.* hoc modo Ordinandi ante susceptionem ordinis, & Electores ante actum electionis absolvi solent. Quarto denique dari solet absolutio *ad reincidentiam*, idque duplici modo: primo ad certum duntaxat effectum v. g. ut taliter absolutus possit & valeat testari &c. eligere &c. &c. secundo cum certa conditione, quam, nisi absolutus intra certum tempus adimpleverit, reincidet in eandem sententiam. Sic Clemens IV. indulsit Superioribus nostris, ut volentes nostro aggregari consortio Candidatos possent absolvere ab omnibus censuris & sententiis &c. Si tamen Religionem, posteaquam fuerint absoluti, non illico ingrediantur, eo ipso in pristinas sententias, a quibus eos absolvi contigerit, relabantur. Et hæc proprissime dici potest ac debet absolutio ad reincidentiam. Videantur de hoc Filliucius *tract.* 11. *de censur. c.* 10. *n.* 307. *& seqq.* Laymann. *l.* 1. *tr.* 5. *part.* 1. *c.* 7. *n.* 8. His notatis.

260. R. Jam ad quæstionem: ad absolutionem a censuris ex natura rei non requiritur certa verborum formula, sed sufficiunt ea signa, quibus Minister legitima potestate præditus significet, se censuratum liberare a vinculo censuræ v. g. hæc aut similia verba: *Ego te absolvo a vinculo excommunicationis, vel suspensionis, quam (vel, si quam) incurristi v. g. propter hæresin, & (si fuerit excommunicatus) restituo te communioni fidelium, ac Sacramentis Ecclesiæ, vel (si fuerit suspensus) executioni tuorum Ordinum, vel officiorum, Beneficiorum &c. in nomine Patris &c.* In praxi autem (ait la Croix *lib.* 7. *n.* 156.) *communiter* volens quempiam absolvere pro foro externo, induitur superpelliceo, & stola violacea: Reus humiliter petit absolutionem, promittens, se mandatis Ecclesiæ obtemperaturum. Quodsi censura fuerit contracta ob, vel cum detrimento alterius, præstatur satisfactio a Reo, cujus humeri nonnihil denudati virga, fune aut flagello cœduntur: Veniale est, omittere hos ritus, nisi excuset urgens causa, vel contraria consuetudo. Ita la Croix *l. cit.* referens pro eadem P. Krimer *n.* 1844.

Quæres septimo, quænam requirantur ad validam absolutionem ex parte absolventis, & quænam ex parte absolvendi?

261. R. Ad priorem partem hujus quæsti. Ex parte absolventis tria requiruntur 1. ut sit Clericus jurisdictione debita præditus 2. Ut absolutionem impertiatur citra gravem vim vel metum, aut ab ipso Reo, aut ab alio sibi illatam. 3. Ne erret in causa principali, existimando Reum satisfecisse parti læsæ, vel habere propositum satisfaciendi, cum tamen non habeat. Ita Babenstuber *tr.*4. *disp.* 1. *art.* 4. *n.* 8. Ratio primi est: quia potestas absolvendi, & potestas ligandi servant inter se quandam æqualitatem: ergo sicut ligare non potest, nisi Clericus, ita nec solvere: & quemadmodum ad ligandum sufficit potestas seu status Clericalis, ita & ad solvendum, modo talis sit præditus jurisdictione, eaque non impedita. Ratio secundi desumitur ex *cap. un. de iis, quæ vi &c. in sexto* ubi declaratur *absolutio vi extorta nullius esse valoris*. Ratio tertii est: quia absolvens sicut non potest, ita nec debet præsumi voluisse irrationabiliter procedere: procederet autem irrationabiliter, si vellet remittere censuram Reo nolenti satisfacere parti læsæ &c. &c. ergo merito præsumitur, nolle in tali casu absolvere. Hinc maximopere cavendum est Confessario, cui potestas absolvendi fuit delegata cum hac clausula *ut absolvat satisfacta* prius parte, ne unquam præsumat absolvere, nisi Reus prius satisfecerit, utputa si læsit in ære vel pecunia &c. hanc prius restituendo; vel ad manus tertii, vel ipsius Confessarii deponendo &c. vel si læsit in honore &c. prius hunc compensando &c. putatque Dicastillo *disp.* 3. *n.* 699. apud La Croix *l.* 7. *n.* 167. Judicem etiam ordinarium sub mortali teneri adigere Reum ad prius satisfaciendum.

262. R. Jam ad alteram partem ejusdem quæsiti: ex parte absolvendi ad valorem

rem aliud non requiritur, nisi ut ponat conditionem v. g. satisfactionis, si sub tali, non aliter fuit absolutus. De cetero, quemadmodum absens & invitus potest censura ferri, ita similiter absens, immo & invitus potest absolvi a censura; cum talis absolutio non sit aliud, quam auctoritativa declaratio, qua legitimus superior sive per se, sive per alium substitutum declarat, hunc vel illum esse vinculo absolutum. Insuper pluribus censuris, etiam ejusdem speciei v. g. excommunicationis irretitus, potest absolvi ab una, non item ab alia; quia nulla habet cum altera necessariam connexionem. Ita Babenstuber *l. cit.* Illsung *tr.* 7. *disp.* 1. *n.* 19. Holzmann *tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 142.

Dices fortassis: vel talis esset reconciliatus Ecclesiæ, cum facultate participandi communibus suffragiis, & Sacramentis vel non? si non: ergo non est absolutus a censura: sin autem: ergo est simpliciter absolutus ab omni censura.

263. R. Taliter absolutum nondum fore simpliciter reconciliatum, sed secundum quid duntaxat, in quantum ratione unius censuræ aut excommunicationis non esset prohibitus communicare cum aliis fidelibus: quia tamen adhuc supponitur irretitus alia excommunicatione, hinc teneretur abstinere a communicatione fidelium. Et licet unum peccatum mortale nequeat dimitti sine alio, potest tamen dimitti una censura seu excommunicatio sine alia. Disparitas est: quia quodlibet peccatum mortale involvit simplicem aversionem hominis a Deo: quæ aversio tolli nequit, nisi per simplicem conversionem: talis autem conversio stare nequit cum quolibet peccato mortali: e contra excommunicatio major importat separationem ab Ecclesia & privationem spiritualium bonorum dependenter ab Ecclesia tantum, & voluntate Superioris ecclesiastici: qui ob rationabiles causas potest velle, ut talis maneat adhuc privatus communicatione fidelium ob certum aliquod delictum, licet non amplius ob aliud pro quo v. g. præstitit parti læsæ satisfactionem. Videatur P. Khamm *de censuris in Genere part.* 2. *n.* 63. vel Holzmann *loc. cit.*

Quæres denique octavo, quinam dispensare valeant in irregularitatibus contractis?

264. R. Ad hoc quæsitum primo. Summus Pontifex potest dispensare in omni irregularitate. Et ratio est clara: quia omnis irregularitas proprie dicta fundatur in lege pontificia: ergo quemadmodum S. Pontifex hanc legem sancivit, ita potest in eadem dispensare, licet non nisi difficilime soleat dispensare 1. in irregularitate orta ex Bigamia vera, 2. in ea, quæ ortum trahit ex homicidio voluntario publice, vel probabili coram Judice, & 3. in ea, quæ oritur ex deformitate corporis ita enormi, ut in populo scandalum generare soleat.

Porro Episcopi dispensare possunt *cum suis subditis pro foro conscientiæ in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum*. Ita Concilium Trident. *ss.* 24. *c.* 6. Ex quo Barbosa, Navarrus, Pirhing & alii Doctores communiter inferunt, non posse Episcopum dispensare in irregularitate orta ex homicidio *voluntario injusto directe intento*, bene tamen in ea, quæ ortum trahit ex homicidio *casuali*, vel etiam *causa defensionis facto*, esto cum excessu moderaminis inculpatæ tutelæ, & cum peccato mortali, modo delictum supponatur occultum, vel non deductum ad forum contentiosum. Ratio est: quia tale homicidium non censetur directe & per se intentum aut voluntarium: constitutio autem Tridentina mox allegata, utpote odiosa & auferens Episcopis potestatem dispensandi in homicidio voluntario, debet intelligi de voluntario proprie dicto, ac per se intento. Videantur de hoc Barbosa *in cit. loc. Concil. Trid. c.6. n.* 30. *& seqq* Pirhing *l.* 5. *decret. tit.* 12. *num.* 128. Molina *de J. & Just. disp.* 79. *num.* 8. Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 12. *a. numer.* 214.

265. R. Jam secundo ad idem quæstum. Prælati Regulares possunt cum suis Subditis dispensare in omni ferme irregularitate, excepta illa, quæ orta est ex homicidio voluntario, Bigamia, & mu-

mutilatione, Ita tenent Reiffenstuel *in Theolog. mor. tract.* 13. *dist.* 3. *num.* 73. Sannig *tom.* 3. *Theologic. tr. de Privileg. dist.* 3. *q. ult. n.* 4. Miranda *in Manuali tom.* 2. *q.* 8. *art.* 8. *circa fin.* Pellizarius *tom.* 2. *Man. Præl. tr.* 9. *c.* 3. *n.* 102. Hyacinthus Donatus *tom.* 2. *tr.* 11. *q.* 11. Rodriquez *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 24. *art.* 8. & alii quamplures.

Ratio est: quia ita Generalibus & Provincialibus Ordinum mendicantium concessisse refertur Sixtus IV. prout habetur *in Compendio Privileg. FF. Min. Verb. Dispensatio n.* 9. & 12. Eandem facultatem concessit idem Pontifex Prioribus Conventualibus Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicariis Bulla, *Regimini universalis*, videnda *in Bullario Romano, tom.* 1. *Constitut.* 7. *dicti Pontificis* §. 4. Ex quo citati DD. recte inferunt, quod Prælati seu superiores locales Regularium communicationem Privilegiorum habentes valeant cum suis subditis dispensare in irregularitatibus fere omnibus, exceptis tribus mox relatis.

Dixi tamen; *fere in omnibus*; nam excipiendæ veniunt aliquæ, scil. 1. irregularitas ex defectu animi proveniens, ut si quis sit amens, furiosus, vel defectum necessariæ scientiæ patiens. Item 2. ea, quæ oritur ex defectu corporis, ætatis &c. Videantur *DD. citati*, vel Cassaing *de Privileg. Regul. tr.* 5. *l.* 4. *proposit. I.* aut Kresslinger *in addit. post n.* 75. *ad. tr.* 13. *dist.* 3. *Theolog. mor.* R. P. *Reiffenstuel.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, circa absolutionem a Censuris, & dispensationem in Irregularitatibus.

CASUS PRIMUS.

T*Itius Clericus alium quemdam Clericum jam a longo tempore sinistris aspexerat oculis; hinc dum nuper nescio qua de causa ab eodem fuisset offensus, subito excandescens violentas manus injecit, eundem percutiendo, & graviter prosternendo in terram, & quidem in præsentia duorum, aut plurium sæcularium: altero die pœnitentia facti ductus, confessus & absolutus fuit ab aliquo Confessario privilegiato, propterea quc necdum eadem, sed & tertia die celebravit Sacrum. Verum factum hoc innotuit R. D. Decano, is Titium commonefecit, ne præsumeret amplius celebrare divina, usque dum a Reverendissimo officio causa hæc fuisset decisa. Cæptum proin fuit dubitare ad hanc speciem facti* 1. *an Titius incurrerit excommunicationem Canon. si quis suadente &c. & si hoc, an ab illo privilegiato Confessario potuerit valide absolvi?* 2. *an non incurrerit irregularitatem ob violatam censuram excommunicationis?* 3. *Et si supponatur talem incurrisse, quisnam cum eo in hac irregularitate potuisset dispensare?*

266. R. Ad primum dubium hujus Casus, Titium procul dubio incurrisse excommunicationem Canonis *si quis &c.* quia violentas manus alteri injiciendo, & terræ graviter allidendo, insignem intulit injuriam statui Clericali: neque excusandus videtur (saltem in foro externo) ob imperfectionem actus, seu præcipitantiam iræ, & indeliberationem facti; quia cum feratur jam a longo tempore alterum sinistris aspexisse oculis, minime dubitandum, quin apprehenderit enormitatem facti hujus, idque in ipso flagranti percussionis, utpote graviter repugnantis reverentiæ statui Clericali debitæ. Nihilominus cum hoc factum altero die nondum fuerit publicum, aut ad forum contentiosum devolutum (esto etiam ob præsentiam plurium testium in hoc foro probari potuisset) hinc dicendum, quod ab illo Confessario privilegiato potuerit pro foro conscientiæ absolvi. Ratio hujus colligi potest ex dictis *supra num.* 257. quia Confessarii Mendicantium gaudent hoc privilegio seu potestate absolvendi ab omnibus casibus etiam Summo Pontifici reservatis, illis duntaxat, qui in Bulla Cœnæ, & qui ab Episcopo specialiter reservati fuere, exceptis, prout constat ex decreto Clement. VIII. emanato 17. Novembris 1628. & ex speciali Bulla Pauli III. *Cum inter cunctas*, *data* 3. *Junii* 1545. videnda in Bullario Rodriquez, & apud nostrum Kazenberger *in supplem. Theol. decal. P. Sporer* c. 3.

c. 3. *sect.* 2. *n.* 110. *&* 111. atqui violenta manuum injectio in Clericum, non est Casus Bullæ Cœnæ, neque in hac Diæcesi Augustana Casus reservatus Episcopo: neque etiam illa die, quo Titius Confessarium privilegiatum convenit, hic casus fuerat devolutus ad forum contentiosum, esto postea id contigerit: ergo nil obstitit, quo minus Titius pro foro conscientiæ potuerit absolvi ab illo casu &c. &c. & per consequens licite celebrare.

267. Quin immo, nec desunt Auctores, signanter Sbogar *tr.* 140. *n.* 50. Moya *tr.* 3. *de Sacrament. pœnit. disp.* 8. *q.* 6. *n.* 18. & alii plures, videndi apud nostrum Kazenberger *loc. cit.* qui existimant, vi constitutionis mox allegatæ, utpote generaliter & indistincte loquentis, Confessarios privilegiatos posse valide absolvere a casibus mox relatis, tametsi jam fuissent devoluti ad forum contentiosum: in eandem opinionem inclinant Avila, loquens in specie de percussione Clerici *part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 10. Gobat *in Quinar. tr.* 3. *de Jubilæo c.* 33. *n.* 252. sapienter tamen admonentes, ne Confessarii privilegiati id de facili præsumant, propter offensiones Reverendissimorum Ordinariorum, quæ inde communiter enasci solent: idipsum & nos jam superius *n.* 257. admonuimus. Ex his fluit

268. R. Ad secundum quæsitum, scilicet Titium nullam propterea incurrisse irregularitatem. Ratio est: quia jam fuit valide & legitime absolutus (saltem pro foro conscientiæ) a censura: sed hoc ipso, quod fuerit absolutus a Censura, non potuit amplius violare censuram celebrando Sacrum, & per consequens non amplius incurrere irregularitatem ratione violatæ censuræ: ergo &c. Hinc bene docet La Croix *l.* 7. *n.* 154. quod absolutus in foro interno a censura (nisi fuerit nominatim excommunicatus) non teneatur se gerere tanquam excommunicatum, præsertim si constet, ita absolutum fuisse.

Prudenter nihilominus fecit Titius noster, post admonitionem a R. D. Decano factam, abstinendo a celebratione divinorum; tum quia contrafaciendo potuisset argui contemptor potestatis altioris legitimi Superioris, non sine periculo scandali, tum vel maxime; quia tametsi Judex Ecclesiasticus inaudiens delinquentem pro foro conscientiæ jamjam fuisse legitime absolutum, prudenter possit acquiescere & dissimulare rem, nihilominus absolute loquendo non tenetur pro foro externo attendere hujusmodi absolutionem, sed potest adhuc contra eum procedere, pœnam promeritam infligendo; quia in foro externo non attenditur præcise ad animæ salutem, vel compensationem divini honoris, sed vel maxime ad publicam vindictam, & satisfactionem Reipublicæ Christianæ, quam hujusmodi delinquentes pravo suo exemplo solent offendere, & scandalizare. Videantur Henriquez *lib.* 13. *cap.* 27. *num.* 5. Avila *part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 12. §. *ex dictis sequitur*. Laymann *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 1. *c.* 7. *n.* 7.

Sed ponamus (inquies fortassis) Titium sine omni confessione præmissa vel absolutione percepta præsumpsisse celebrare divina, & per hoc ob violationem censuræ incurrisse irregularitatem, quis cum eodem dispensare posset?

269. R. Conformiter ad dicta *n.* 253. posse in hoc casu, quamdiu occultus, vel saltem non deductus ad forum contentiosum manet, dispensare Episcopum, vel Vicarium Generalem nomine & auctoritate Episcopi. Ratio patet ex indulto Concilii Tridentini ibidem adducto, vi cujus Episcopi possunt dispensare *in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum*: atqui irregularitas in nostro casu non supponitur contracta ex homicidio occulto, sed ex abusu ordinis, cum violatione censuræ: ergo quamdiu hæc manet occulta, vel saltem non deducta ad forum contentiosum, potest Episcopus cum tali dispensare.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Cujusdam celeberrimæ Universitatis in nostra Germania Studiosus, stipatus alio haud sibi absimili (quem Cajum appellamus) tempore nocturno vagando hinc inde per

per plateas civitatis, incidit in Clericum, quem adorsi marsupio ac pecunia spoliarunt. Mox supervenientibus militibus ob excitatum tumultum, Cajus uni ex illis manum amputavit, & feliciter evasit. Sempronius vero captus, & altero die Rectori Magnifico præsentatus fuit, secundum demerita puniendus. Hic examinatus desuper fassus fuit suum delictum non tamen complicem criminis, propтereaque sine testimoniis mox exclusus, & in perpetuum relegatus fuit.

Rediit uterque in suam Patriam, ubi de hoc delicto nihil prorsus constat. Jam vero cuperent sacris initiari ordinibus; propterea que non sine remorsu conscientiæ quærunt ex Confessario primo, an incurrerint excommunicationem ratione injuriæ Clerico illatæ, & si hoc: a quo possint vel debeant absolvi? Secundo dubitant insuper, an non incurrerint irregularitatem ob rapinam attentatam, & 3. præcipue ob mutilationem seu amputationem manus? Quid ad hæc Confessarius respondebit?

270. R. Ad primum quæsitum, tam Sempronium, quam Cajum indubitanter incurrisse excommunicationem Canonis ratione violentæ manuum injectionis in Clericum (nisi supponantur id fecisse ex ignorantia personæ clericalis, secundum dicta superius *Confer.* 3. *num.* 106.) Ratione absolutionis autem breviter distinguendum est, atque dicendum, quod si petant absolvi in loco nativitatis ubi Casus supponitur prorsus occultus & incognitus, uterque possit absolvi vel ab Episcopo aut Ejus in Spiritualibus Vicario Generali, vel a quolibet Confessario Privilegiato, quippe qui secundum dicta *num.* 257. possunt absolvere ab omnibus censuris & Casibus extra Bullam Cœnæ: violenta autem hæc injectio manus in personam Clericalem, non est Casus Bullæ Cœnæ: ergo &c. At vero in loco ubi contigit, posset quidem ab hoc casu & excommunicatione per Episcopum vel Vicarium hujus, aut alium Privilegiatum absolvi Cajus, non item Sempronius. Ratio disparitatis est: quia delictum respectu Caji adhuc supponitur occultum, respectu vero Sempronii minime, quippe qui supponitur nedum coram Judice accusatus, sed & confessus: ergo per se loquendo ab hoc casu & excommunicatione a nemine (extra articulum mortis) præterquam ab ipso Summo Pontifice potest absolvi. Videantur dicta *num.* 257. vel Doctores ibidem citati.

271. R. Jam ad secundum quæsitum, Sempronium ob rapinam incurrisse irregularitatem, non item Cajum. Ratio disparitatis est: quia rapina est tale delictum, quod post se trahit infamiam, & consequenter etiam irregularitatem, si fuerit notorium, seu deductum ad forum contentiosum: atqui respectu Sempronii est notorium; quia hic nedum coram Judice fuit accusatus, sed & confessus hoc delictum: e contra respectu Caji non est notorium: ergo hic non incurrit infamiam, bene vero ille. Nihilominus in Patria, ubi delictum prorsus supponitur occultum respectu utriusque, nullum reddit infamem. Ratio est: quia, ut sapienter advertit P. Stanislaus Karg. ex commissione delicti infamia solum fundamentaliter, ex publicatione autem hujus infamia (idest, privatio bonæ famæ,) formaliter incurritur: ergo cum in Patria supponatur delictum prorsus occultum, respectu utriusque, nullum proterea dici potest infamis, ac per consequens quantum est ex hoc capite, uterque posset ordinari, modo supponatur, nullum etiam ibi subesse periculum publicationis. Videatur P. Karg *in manuali part.* 1. §. 2. *numer.* 94. ubi pro eadem opinione citat R. P. Reiffenstuel *tit. de pœnitent. numer.* 57. Wiestner *eodem tit. numer.* 55. Schmalzgruber *numer.* 166. Sanchez *libr.* 2. *mor. cap.* 26. *numer.* 1. & alios plures. Dixi tamen *quantum est ex hoc capite.* Unde

272. R. Jam ad tertium quæsitum: Cajus indubitanter incurrit irregularitatem amputando militi manum: probabilius tamen Sempronius hanc non incurrit. Ratio prioris colligi debet ex dictis supra *Confer.* 6. *n.* 191. quia non solum injuste occidens, sed etiam injuste & voluntarie aliquem mutilans membro corporis proprie tali, incurrit irregularitatem ex delicto: atqui Cajus supponitur voluntarie, & injustissime quidem ampu-

amputasse militi manum, nec dici valet, quod hoc fecerit titulo justæ, & necessariæ defensionis contra aggressorem; nam milites juste, utpote vi officii sui, voluerunt Raptores capere: contra justum autem aggressorem non datur locus justæ defensionis; veluti probatum fuit *part.* 4. *Confer.* 2. *n.* 35. secus enim malefactori pariter liceret se defendere contra carnificem; quod tamen falsum est: ergo &c.

Ratio autem posterioris est: quia Sempronius non mutilavit militem, nec physice (ut certum est) neque moraliter; quia hanc nunquam intendit, nec consuluit aut mandavit &c. immo probabilissime neutiquam hanc prævidit, ut proin respectu Sempronii hæc mutilatio utpote in rixa improvise orta, potius debeat dici casualis, quam voluntaria, prout bene animadvertit Palao *tract.* 29. *disp.* 6. *punct.* 15. *num.* 10. Covarruvias & alii &c. Secus dicendum foret, si Sempronius mandasset, ut Cajus mutilaret, vel omnino occideret aggressorem militem. Ceterum quisnam in his irregularitatibus dispensare valeat, colligi potest ex jam dictis *num.* 264. Videatur P. Sporer *tract.* 5. *cap.* 3. *num.* 244.

CASUS TERTIUS.

Cajus per decennium castra secutus pluribus interfuit præliis, & uni vel alteri obsidioni, in quibus & ipse sclopetum suum solvere cogebatur in hostes, multis ex utraque parte cadentibus, nec dubium, quin & ipse non unum duntaxat, sed plures occiderit. Tandem laborum pertæsus relictis castris loco terrestris Principis soli Deo in Sacra Religione militare constituerat, paulo post cucullum indutus, ignorante prorsus Prælato qui eundem suscepit, quod Cajus fuerit olim miles. Anxius propterea ante professionem rem aperuit suo Instructori, & hoc mediante ipsi superiori. Unde ceptum fuit dubitari 1. an Cajus unquam incurrerit irregularitatem? secundo an superior seu Prælatus Regularis cum Cajo dispensare potuisset, casu quo is aliquam incurrisset. Quid ad hæc Theologo vel Confessario respondendum?

273. R. Ad primum quæsitum, Cajus indubitanter incurrit irregularitatem, non quidem ex delicto homicidii, si bellum ex parte sui Principis supponatur fuisse justum, sed ex defectu lenitatis. Ratio hujus patet ex dictis *n.* 227. & *n.* 242. quia quicunque in bello justo offensive pugnat, & occidit, incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis: atqui hoc fecit Cajus: ergo &c. Neque illi duntaxat, qui certo sciunt, sed & qui rationabiliter dubitant, an non aliquem occiderint, se velut irregulares gerere debent, prout habetur *cap. petitio tua* 24. *de homicid.* de clerico dubitante decisum &c. Dixi autem: *in bello justo offensive pugnant &c.* Secus enim dicendum foret si Cajus noster merum defensive pugnasset, & propter defensionem vitæ suæ, vel Reipublicæ, Ecclesiæ &c. quempiam occidisset, prout ex *communi* aliorum docet Sporer *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 128. & nos supra *n.* 243.

274. R. Jam ad alterum quæsitum. Cum tali subdito posset Provincialis dispensare in hac irregularitate. Ita Rodriquez Q. Q. R. R. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 8. Herincx & alii plures. Ratio est: quia Sixtus IV. *Bulla Regimini Universalis* videnda *in tom.* 1. *Bullarii Rom. constitut.* 70. *dicti Pontificis*, concessit Generalibus & Provincialibus Ordinis Minorum & Prædicatorum, *ut possint dispensare cum suis subditis in omni irregularitate, excepta ea, quæ procedit ex homicidio voluntario, Bigamia, & mutilatione membrorum*: atqui homicidium factum in Bello justo, vel necessariæ defensionis causa, non censetur homicidium voluntarium: ergo possunt Prælati Regulares dispensare &c. &c. Exstant insuper diversa privilegia Superioribus Regularibus concessa, secundum dicta superius *n.* 265.

Dices tamen contra hanc resolutionem. Qui sponte dat nomen militiæ, censetur se voluntarie obligare ad bellandum, vel occidendum inimicum &c. ergo si dein pugnans in Bello quantumvis justo quempiam occidat, censeri debet voluntarie occidisse: in homicidio autem voluntario, præsertim publico, neque Episcopus, neque Prælati Regulares possunt dispensare: ergo neque in nostro casu.

275. R. *Distinguendo illatum*: ergo pugnans in bello justo &c. censeri debet voluntarie occidisse homicidio improprie & minus rigorose sumpto, *concedo*; homicidio proprie ac rigorose accepto, *nego illatum*. Versamur hic in materia odiosa, utpote pœnali, ideoque dum Episcopis & Prælatis Regularibus interdicitur potestas dispensandi in irregularitate contracta ex homicidio voluntario, nomine homicidii intelligi debet exanimatio hominis *injusta*, seu contra quintum præceptum decalogi facta, prout sapienter advertunt Cajetanus *Verb. Irregularitas*, Covarruvias, Navarrus, Rodriquez *loc. cit. art.* 8. & alii plures: esto igitur negari non possit, quin pugnans in bello juste, præsertim offensive, voluntarie occidat, id est, exanimet hominem; quia tamen tale homicidium non pugnat contra quintum præceptum; hinc dici non debet *homicidium rigorose sumptum*, prout jam notavimus *parte* 4. *Confer.* 1. *num.* 3. Videatur Laymann *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 12. *n.* 4.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

276. COlliges ex hactenus dictis primo, eos, qui solum habent potestatem absolvendi a Censuris vi juris communis vel generaliter tantum inflictis, neutiquam posse absolvere a Censuris vel sententiis ab homine v. g. Summo Pontifice, vel Episcopo specialiter inflictis; unde si Episcopus aliquem subditum ob quodcunque demum delictum excommunicet, vel suspendat &c. nullus Privilegiatus talem potest valide absolvere. Ratio hujus jam superius *num.* 251. fuit insinuata: nemo enim valet excedere limites suæ potestatis: atqui Privilegiatus id attentando excederet; nam Episcopus reservando sibi absolutionem Censuræ, aliis eo ipso facto censetur adimere vel restringere potestatem absolvendi; nec immerito; nam secus potestas Ordinariorum a Contumacibus facile contemneretur. Insuper turbaretur tribunal ferentis censuram; quia cum censuræ per specialem sententiam non ferantur, nisi reo nominatim citato a ferente; hinc congruum omnino est, ut non ab alio, nec in alio tribunali causa finiatur, nisi ab eo, vel in illo, ubi cœpta fuit: ergo in similibus Casibus Privilegiati nullatenus debent sese immiscere, vel quidpiam præsumere &c. La Croix *l.* 6. *part.* 2. *num.* 1628. & 1629. Kazenberger *in supplemento Theologiæ Decalog.* *P. Sporer. cap.* 3. *sect.* 2. *num.* 111.

277. Colliges secundo, eum qui habet potestatem absolvendi a Censuris reservatis Episcopo, vi hujus non posse absolvere a Censuris Papæ reservatis; cum Episcopus velut inferior non habeat potestatem vel jurisdictionem in Papam ceu Superiorem. Quin immo & ille, cui competit potestas absolvendi a censuris Papæ reservatis, non eo ipso habet potestatem absolvendi a Casibus vel Censuris in Bulla Cœnæ contentis; quippe quæ velut majores non comprehenduntur in concessione generali, prout bene notarunt Suarez, Diana *part.* 5. *tr.* 12. *Resolut.* 54. Busenbaum apud la Croix *l.* 7. *n.* 126. Unde

278. Colliges tertio, Confessario, cui potestas absolvendi a Censuris fuit solum delegata, accurate observandam esse voluntatem delegantis; secus enim vel omnino invalide, vel saltem illicite aget absolvendo; invalide si in concessione facultatis delegato facta exprimatur, vel ponatur conditio sine qua non; ut si delegans dicat: *concedo tibi potestatem absolvendi v. g. Titium ab excommunicatione, ea tamen conditione, ut si parti læsæ prius non satisfecerit, absolutio nulla sit &c.* vel sic: *ut absolvas in actu confessionis, secus non valeat &c.*

Quo casu secus agendo, invalide ageret, utpote destitutus potestate aliter absolvendi &c.

Illicite vero aget, si delegans non adjecit conditionem sine qua non; ut si dixit: *concedimus facultatem absolvendi Titium satisfacta parte, aut præmissa Confessione Sacramentali &c.* Ratio est: quia delegans facultatem absolvendi sub his præcise terminis, non exprimit, quod absolutio aliter data sit nulla: ergo censeri debet valida, esto adhuc illicita; quia contra modum a delegante

gante præscriptum. Videantur Diana *part.* 5. *tr.* 9. *Resol.* 12. Filliuc. *tr.* 11. *de Censuris c.* 9. *n.* 295. Khamm *de Censur. in Genere part.* 2. *c.* 3. *n.* 45.

279. Colliges quarto, quod tametsi secundum dicta *n.* 252. Episcopi valeant absolvere a Casibus & Censuris Summo Pontifici reservatis quoslibet impeditos adire Papam, id tamen aliter non possint, nisi cum onore & impositione obligationis, ut tales postea (cessante legitimo impedimento, & ubi moraliter loquendo potuerint) sese repræsentent S. Pontifici, licet in hisce nostris Partibus, utpote remotioribus ab Urbe, rarius hoc fieri possit, & nunquam fortassis a mulieribus, vel aliis infirmioribus, aut pauperibus &c.

Ob eandem rationem in mortis articulo constitutum quilibet Sacerdos potest quemlibet absolvere ab omni censura sive a jure sive ab homine lata, nihilominus taliter absolutus debet jurato, vel certe sanctissime ac serio adpromittere (hoc enim pro foro conscientiæ sufficit) quod, si reconvaluerit, velit postea, cum primum moraliter potuerit, satisfacere parti læsæ; & sese præsentare illi, ad quem potestas absolvendi de jure spectat. Ita in re *DD. communiter*. Et ratio est: quia delegatus plus non valet in ordine ad absolvendum, quam sibi a Superiore delegante fuit permissum: atqui Summus Pontifex aliter non permittit potestatem absolvendi, nisi cum præfatis oneribus: ergo &c. Videatur de hoc Palao *part.* 6. *tract.* 29. *disp.* 3. *pu.* 22. *num.* 3. vel Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 1. *art.* 4. *n.* 5. Holzmann *tom.* 1. *part.* 3. *tra.* 2. *num.* 126. loquimur vero hic de absolutione *a Censura*; nam pro Casibus simpliciter & sine censura reservatis, non erit opus, ut pœnitens postea remittatur ad Superiorem, qui reservavit, prout diximus *p.* 3. *Theolog. Sacrament. Conf.* 14. *n.* 371.

280. Colliges quinto, Censuratum graviter peccare 1. si diu negligat petere absolutionem a Censura, vel 2. si culpabiliter omittat parti læsæ ante absolutionem præstare satisfactionem. Ratio prioris est: quia differendo postulationem absolutionis, convincitur contemnere potestatem Ecclesiæ, immo & Thesaurum Sacramentorum Ecclesiæ ac bonorum spiritualium, quibus voluntarie existit privatus: hinc si ultra annum non petat absolutionem, sique in censura insordescat, se ipsum reddit suspectum de hæresi, & inquisitioni hæreticæ pravitatis (ubi hæc viget) obnoxium, prout habetur ex Tridentino *SS.* 25. *c.* 3. *de Reformat.* & nos supra *Confer.* 1. *num.* 22. jamjam innuimus. Ratio autem posterioris hæc est: quia culpabiliter non satisfaciendo parti læsæ, transgreditur præceptivam ordinationem juris, immo contravenit juri naturali in materia gravi: ergo graviter peccat. Secus dicendum foret, si moraliter loquendo satisfacere non posset, utpote destitutus mediis ad recompensandum v. g. damnum illatum &c. tum quia talis dilatio contingit involuntarie; tum etiam quia impossibilium (quamdiu talia manent) nulla est obligatio. Hac de causa satis probabiliter tenent Laymann, Navarrus, Henriquez & alii relati a nostro V. P. Holzmann *part.* 3. *tract.* 2. *num.* 121. non reincidere in Censuram, qui ad reincidentiam fuit absolutus sub onere præstandæ satisfactionis, si hanc postea ob physicam vel moralem impossibilitatem non præstet; quemadmodum enim Censura primo non fuit contracta sine culpa; ita nec secundo contrahi debet sine nova culpa.

Sed quid, si Censuratus mendaciter dicat, se jam satisfecisse parti læsæ, nec tamen id fecit, esto potuisset, sicque a Judice vel delegato absolvatur, valebitne hæc absolutio?

281. R. Quod non, nisi de contraria intentione Judicis expresse constet. Ita la Croix *l.* 7. *n.* 171. Khamm *ubi supra n.* 49. referens pro eadem opinione Covarruv. & Salmanticenses. Holzmann *l. cit. num.* 138. Ratio est: quia præsumi non debet, quod Judex velit agere quidpiam illicitum, aut fovere fraudem censurati in detrimentum partis læsæ: at, hoc necessario fieret, si Judex in tali casu vellet absolvere: ergo censendum potius, quod nolit absolvere, nisi de opposito expresse constet.

282. Colliges sexto, posse Episcopum dispensare in irregularitate orta ex delicto homicidii non perfecte voluntarii, vel non

non injusti, dummodo hoc nondum sit deductum ad forum contentiosum. Ratio est: quia dum in facultate dispensandi vi Tridentini supra allegati excipitur irregularitas illa, quæ ortum trahit ex homicidio &c. intelligi hoc debet de homicidio *directe volito*, atque *injusto* ait Laymann. *l.* 1. *tr.* 5. *part.* 5. *cap.* 9. *num.* 7. id quod etiam deduci videtur ex verbis Concilii Tridentini, quippe quod semper loquitur de homicidio *per industriam, per insidias, ex proposito &c.* facto: hæc autem verba excludunt omne homicidium casuale, quod utique non fit *ex voluntate, ex proposito &c.* excludunt insuper homicidium juridice seu a Judice secundum leges factum, hoc enim nec injuste fit, neque per industriam, vel insidias &c. sed coper industriam, vel insidias &c. sed cogentibus legibus per probata & allegata &c. prout sapienter advertit Rodriquez *tom.* 1. *Q. Q. Reg. quæst.* 24. *art.* 8. ergo per Tridentinum non excipitur irregularitas ex tali homicidio orta. Videatur de hac re Barbosa *de Offic. & potest. Episcoporum l.* 1. *cap.* 11. *§.* 4. *a num.* 148.

283. Econtra tamen, ubi irregularitas fuit orta ex homicidio injusto cum culpa mortali &c. simulque tale delictum est publicum ac notorium, vel ad forum contentiosum jam deductum, Episcopus non habet facultatem dispensandi, inquit P. BocKhn. *lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 52. vetante scilicet Concilio hujusmodi dispensationem, ne judiciarius processus impediatur, vel imminuatur: ad forum autem contentiosum intelligitur deductum per litis contestationem juxta Barbosam *in Collectaneis ad cit. loc. Concil. Trid. n.* 41.

284. Colliges septimo, posse Episcopum dispensare in irregularitate proveniente ex mutilatione etiam perfecte voluntaria, modo sit occulta, nec deducta ad forum contentiosum. Ita pluribus citatis Barbosa *l. c. n.* 154. Rodriquez *l. cit. art.* 10. BocKhn. *num.* 55. Ratio est: quia hæc irregularitas non provenit ex delicto homicidii, sed mutilationis tantum: ergo cum decretum Tridentini solum excipiat irregularitatem ortam ex delicto *homicidii*, velut odiosum nullatenus debet extendi ad eam, quæ oritur ex delicto mutilationis occulto. Et licet in jure quoad incurrendam irregularitatem mutilatio & homicidium æquiparentur, non tamen æquiparari debent quoad dispensationem; quia difficilius dispensatur in irregularitate ex delicto homicidii, quam ex mulitione contracta.

Sed quid, inquies, agendum in casu, quo Clericus post contractam irregularitatem v. g. ex delicto occulto homicidii voluntarie perpetrati, nequit recurrere Romam, aut tamdiu abstinere a celebratione divinorum, ob periculum scandali incurrendi &c.?

285. R. Cum Barbosa *l. cit. n.* 160. in similibus Casibus, ubi periculum est in mora, & timendum scandalum &c. posse Episcopum dispensare, prout desumitur *ex Argum. Cap. ut constitueretur* 25. *dist.* 50. Charitas enim suadet, ut Ecclesia velut pia Mater in similibus Casibus condescendat, & Episcopis velut delegatis sedis Apostolicæ, facultatem hanc concedat. Hinc idem Barbosa *cit. num.* 161. mox subjungit: *propter Ecclesiæ utilitatem, & meritorum prærogativam dispensant Episcopi, in irregularitate, quæ non provenit ex delicto, quod sit gravius adulterio.* Videantur de hoc quæ diximus *part.* 1. *Theolog. decalog. Conf.* 16. *n.* 442.

CONFERENTIA
NONA

De statu Ecclesiastico, præsertim de beneficiis, eorumque collatione.

SUMMARIUM

286. *Nomine Clerici intelligitur Persona, ad DEI cultum in Ecclesia Christi debite deputata.*

287. *A Clericis generaliter requiritur duplex vitæ honestas.*

288. *Nomine Beneficii ut sic venit quælibet actio benevola.*

289. *Nomine Beneficii Ecclesiastici autem intel-*

intelligitur jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis.
290. Beneficium aliud dicitur Regulare, aliud sæculare.
291. Aliud simplex, aliud duplex.
292. Aliud collativum, Patronatum & aliud Electivum.
293. Aliud Patrimoniale, aliud non patrimoniale.
294. Insinuatur differentia inter Beneficium, Canonicatum, & Præbendam.
295. Beneficia Ecclesiastica regulariter tribus modis solent conferri.
296. Quænam requirantur ad hoc, ut Beneficium conferatur per Electionem.
297. Quænam, ut conferatur per Præsentationem.
298. Quænam denique, ut conferatur per liberam collationem.
299. Summus Pontifex habet amplissimam potestatem conferendi Beneficia Ecclesiastica.
300. Quantam habeant Archi-Episcopi, & Episcopi.
301. An hæc etiam competat inferioribus Prælatis.
302. Quinam dicatur dignior, dignus, vel indignus Beneficio Ecclesiastico.
303. Recensentur breviter decem conditiones, in Clerico ad hoc Ministerium requisitæ.
304. Potest idem Clericus obtinere plura beneficia compatibilia, non tamen incompatibilia sine dispensatione.
305. Alia dicuntur incumpatibilia ex sua natura, alia ex dispositione juris duntaxat; unde
306. In his Summus Pontifex potest dispensare.
307. Beneficia curata per se loquendo debent conferri dignioribus.
308. Non ita Beneficia simplicia.
309. Immo nec semper curata Patrimonialia.
310. Resolvitur Casus I. Cujusdam Principis, qui ad Beneficium curatum promovere voluit quemdam Nobilem sed idiotam.
311. Quid, si talis Nobilis habet saltem sufficientia talenta, ut possit se perficere ad curam animarum.
312. Probabilius nedum Patronus Ecclesiasticus, sed etiam sæcularis tenetur præsentare digniorem, postposito minus digno.
313. Nisi Beneficium supponatur simplex duntaxat.
314. Resolvitur Casus II. de quodam Clerico, qui, ut ad Beneficium præsentaretur, varia promisit gratitudinis ergo.
315. Unde Simoniæ labem, ac pœnas incurrit.
316. Et quid, si ficte duntaxat, & sine animo promisisset.
317. Resolvitur Casus III. de quodam studioso, qui post homicidium injustum occulte perpetratum, debuisset præsentari ad Beneficium.
318. Cui ignorantia Irregularitatis nihil suffragabatur.
319. Qui obtento jam Beneficio incurrit Irregularitatem, propterea non amittit suum Beneficium.
320. Non solus Clericus inducens Patronum ad simoniacam præsentationem incurrit pœnas Simoniacorum, sed & ipse Patronus.
321. Nisi is ignorantia inculpabili excusetur.
322. Hinc, quemadmodum Clericus tale Beneficium dimittere, ita etiam Patronus simoniace accepta tenetur restituere.
323. Neque potest Episcopus cum tali dispensare.
324. Præferens dignum alteri non notabiliter digniori, non peccat graviter.
325. Neque peccat Clericus supplicando, vel etiam acceptando Beneficium curatum in concursu alterius, quem putat, aut credit se digniorem.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos, circa beneficia Ecclesiastica, eorumque collationem.

QUæres primo, quidnam intelligatur nomine Clerici, vel Personæ Ecclesiasticæ?

286. R. Nomine Clerici intelligitur Persona ad Dei cultum ac servitium in Ecclesia Christi debite, ac specialiter deputata. Dupliciter autem fieri potest hæc deputatio. Primo per certa vota seu professionem religiosam; quo modo etiam fratres laici seu *Conversi*, immo & Moniales deputantur, proptereaque dici pos-

possunt personæ Ecclesiasticæ : & licet ob id dici non valeant Clerici, nihilominus in favorabilibus (non item in odiosis) veniunt nomine Clericorum ; quia juxta notissimam *Reg. XV. Jur. in sexto odia restringi, favores ampliari convenit*. Secundo fieri solet hæc deputatio per collationem Ordinis ecclesiastici, immo etiam solius primæ tonsuræ, & hi vocantur Clerici proprie dicti, id est, *homines signaculo tonsuræ ab Ecclesia instituto insigniti, ac in sortem Domini deputati, ut sint capaces Sacrorum Ordinum, Beneficii, ac jurisdictionis ecclesiasticæ*, prout cum aliis describit P. Sporer *Theolog. Sacr. part. 1. c.6. n.* 157. Unde jam

Quæres secundo, quænam generaliter a Clericis requirantur?

287. R. A Clericis requiritur generaliter duplex vitæ honestas, *interna* scil. & *externa*. Ita *omnes DD.* & habetur in Concilio Tridentino mox citando. Explico breviter. Interna honestas Clericorum consistit in puritate conscientiæ, recta ac Sancta intentione, & variarum virtutum exercitio interno ; hæc enim maximopere decent statum clericalem.

Externa honestas tria requirit 1. *abstinentiam* non modo a peccatis in actum externum prodeuntibus, utpote a quibus etiam laici abhorrere debent, sed etiam a quibusdam aliis actibus etiam licitis, utpute a lusu alearum, a mercatura, chirurgia, aliisque negotiis sæcularibus multum impedientibus, seu retractivis a spiritualibus exercitiis &c. 2. *Integritatem vitæ*, quæ vel maxime elucere debet in studio castitatis, sobrietate, mansuetudine, & sedula Sacri officii administratione. 3. *Decentiam habitus*, & vestitus clericalis, juxta præscriptum SS. Canonum, & ordinationes Episcoporum &c. quo etiam spectat tonsura clericalis, seu corona, abrasis per modum circuli capillis, juxta modernum Ecclesiæ morem. Ita deducitur ex iis, quæ præscribit Concilium Tridentinum *ss. 22. cap. 1. de Reform.* sequentibus omnino verbis: *quapropter sic decet omnino Clericos, in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone nil, nisi grave, moderatum, ac Religione plenum præseferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Hactenus Trident.*

Quæres secundo, quidnam importet Beneficium Ecclesiasticum?

288. Ante responsionem notandum hic venit, nomine Beneficii generatim sumpti intelligi benevolam actionem, tribuentem gaudium capientibus ; quo sensu comprehenditur quodlibet beneficium tam laicale, quam Ecclesiasticum ; nam & ille, qui alium invitat ad mensam vel lautum Convivium, aut qui pauperi præstat eleemosynam, exercet benevolam actionem, tribuentem gaudium capienti. Verum, in proposito quæstio solum instituitur de beneficio Ecclesiastico proprie dicto, cujusmodi solent Ecclesiæ auctoritate institui, atque conferri Clericis propter officia spiritualia ad honestam eorundem sustentationem ; dignum quippe est, ut ii, *qui altari deserviunt, cum altari participent* 1. *cor.* 9. h. not.

289. R. Jam ad quæstionem. Beneficium Ecclesiasticum importat jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale, Personæ Ecclesiasticæ auctoritate Ecclesiæ constitutum. Ita *in re communissime Doctores*. Et habetur *Can. 2. dist.* 70. & alibi. Explico breviter. Dicitur 1. *jus perpetuum* ; quia de natura beneficii Ecclesiastici proprie dicti est, ut perpetuo duret, & non ad certum duntaxat tempus, neque exspiret cum morte Beneficiati ; hac de causa *cit. can. Sanctorum dist.* 70. dicitur : *in qua Ecclesia quilibet titulatus est, in ea perpetuo perseveret*. Dicitur secundo *percipiendi fructus*, temporales scilicet v. g. frumentum, vinum, pecuniam &c. & in hoc jure reali, fundato in bonis Ecclesiæ, proprie consistit beneficium Ecclesiasticum. Tametsi vero non solum fructus temporales, sed etiam hoc ipsum jus percipiendi tales fructus sit aliquid ex se temporale ; quia tamen datur propter spirituale officium seu ministerium, hinc quodammodo spiritualizatur, & ob id communiter appellari solet *jus spirituali annexum*. Dicitur tertio. *Ex bonis Ecclesiasticis*, id est, ex bonis

Ecclesiæ donatis, & Deo dicatis ad promovendum cultum divinum. Dicitur quarto, *propter aliquod officium spirituale*, id est, propter onus & obligationem præstandi functionem spiritualem, quales sunt: recitatio breviarii, decantatio horarum Canonicarum, prædicatio Verbi divini, celebratio Missæ, administratio Sacramentorum &c. ob hæc enim & similia constituuntur Clerici; hinc etiam communiter dicitur *beneficium dari propter officium*. Dicitur quinto. *Personæ Ecclesiasticæ auctoritate Ecclesiæ constitutum*; tum quia Personæ merum laicales sunt incapaces Beneficii Ecclesiastici; tum etiam quia Beneficia Ecclesiastica non, nisi auctoritate Ecclesiastica erigi possunt; hinc si quis sibi constituat Capellanum, qui singulis diebus dicat Missam, vel siquis fundet certas Missas, aut anniversaria in perpetuum dicenda, nondum dici potest fundasse Beneficium, sed tantum piam donationem vel legatum fecisse, nisi accedat approbatio Episcopi & auctoritas Ecclesiæ instituentis, & ratificantis hujusmodi fundationem. Ita ex *communi D. D.* Barbosa *l.* 3. *Jur. Ecclesiast. universi c.* 4. *n.* 16. Pichler, Engel, Reiffenstuel & alii.

Quæres tertio. Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?

290. R. Beneficium Ecclesiasticum varie dividitur, & quidem

I. In Regulare, & sæculare. Regulare dicitur, quod pro solis Regularibus institutum fuit; uti sunt Abbatia, Prioratus &c. Sæculare e contra, quod pro sæcularibus Clericis, id est, talibus, qui nullam Regulam ex Ordinibus ab Ecclesia approbatis sunt professi, sed in sæculo existentes serviunt Deo sub statu Clericali. Unde & sine dispensatione nec sæculare Regulari, nec vicissim Regulare sæculari conferri potest, juxta illud inter Canonistas receptum, fundatum tum in Concilio Trident. *ss.* 14. *de Reform. c.* 10. tum etiam in jure Canon. *Cap. cum ad nostram & c. officii de Elect. Sæcularia Beneficia Sæcularibus, & Regularibus Regularia sunt conferenda.*

291. II. Beneficium aliud dicitur *duplex*, aliud *simplex*. Duplex dicitur, quod habet adjunctam administrationem; uti sunt Papatus, Episcopatus, & omnia, quæ dicuntur *Dignitates*, id est, quæ habent præeminentiam cum jurisdictione in foro externo; uti sunt Præpositura, Decanatus, Archi-Diaconatus, Abbatia, Prioratus &c. item *Personatus*, qui importat Eminentiam in Ecclesia sine jurisdictione, v. g. locum honorificum in Choro, in Processionibus, In suffragiis ferendis &c. Item illa Beneficia, quæ dicuntur *Officia*; eo quod importent administrationem Rerum Ecclesiasticarum sine jurisdictione; uti est Custos, Thesaurarius Ecclesiæ, Primicerius &c. Denique *duplicia* dicuntur omnia Beneficia curata, quippe quæ præter recitationem divini officii vel aliarum precum insuper annexam habent animarum Curam. *Beneficia simplicia* dicuntur reliqua omnia, quæ neque administrationem, neque eminentiam singularem habent, sed tantum instituta sunt ad preces Deo solvendas, aliaque divina officia obeunda: uti sunt Canonicatus, etiam Ecclesiarum Cathedralium; item Canonicatus Regulares, Capellæ, Sacella, Altaria &c. nec non Præstimonia, seu beneficia vel pro studiosis, ut sua studia prosequi possint, vel in subsidium terræ Sanctæ &c. De quibus videri possunt Laymann *lib.* 4. *tr.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. Lessius *lib.* 2. *de J. & Just. c.* 34. *dub.* 2.

292. III. Dividi solent Beneficia juxta triplicem modum, quo communiter conferri solent 1. in *collativa* seu *libera* 2. in *Patronata*, & 3. *in Electiva*. Collativa dicuntur, quæ per liberam Superioris collationem, sine prævia capitulari electione vel alterius præsentatione conferuntur. Patronata dicuntur, quæ ad Patroni præsentationem conferuntur, seu quæ subsunt juri Patronatus. Electiva denique appellantur, quæ conferuntur per electionem legitime celebratam, & a Superiore confirmatam.

293. IV. Rursus alia dici solent beneficia *Patrimonialia* alia *non Patrimonialia*. Patrimonialia dicuntur non ex eo, quod habeant se ad instar Patrimonii; successiones enim in Beneficiis Ecclesiasticis semper iniquæ, detestabiles, & Sacris Canonibus contrariæ habentur, veluti constat ex *cap.*

Acce-

Accepimus de Pactis, & *Cap. ad extirpandas successiones de Filiis Presbyter*. Sed quia juxta fundatoris institutionem non possunt conferri aliis, nisi Clericis ex tali Patria, loco, vel Parochia ortis. Non patrimonialia appellari solent, quæ cuilibet digno, undeunde demum oriundo, conferri possunt. Aliæ nonnullæ divisiones minus celebres videri possunt apud Palao *tom.* 2. *tr.* 13. *disp.* 1. *pu.* 2.

Quænam ergo est differentia, inquies, inter Beneficium, Canonicatum, & Præbendam?

294. R. Breviter cum P. La Croix *l.* 4. *nu.* 215. Leurenio & aliis, hæc tria differre inter se; nam 1. Beneficium secundum dicta *n.* 289. importat jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale, sive talis Beneficiatus spectet ad Capitulum, sive non 2. Canonicatus vero importat jus spirituale, quod quis ad Capitulum spectans habet ad stallum, sive sedem in choro, & (si quidem in Sacris sit constitutus) ad vocem in capitulo; hinc potest aliquis esse Canonicus, quin tamen habeat Beneficium, seu jus percipiendi fructus. 3. Præbenda denique est jus percipiendi fructus provenientes e Canonicatu; hinc Canonicus tamdiu est sine præbenda, quamdiu non habet jus percipiendi fructus ex suo Canonicatu.

Quæres quarto, quot, vel quibus modis conferri soleant Beneficia Ecclesiastica?

295. R. Beneficia Ecclesiastica regulariter & ordinarie tribus modis conferri solent, scilicet 1. per Electionem. 2. per præsentationem. 3. per liberam collationem. Ita *communis Doctorum*, signanter Reiffenstuel *Theolog. moralis tr.* 11. *dist.* 1. *n.* 18. Ratio hujus colligi potest ex jam dictis *n.* 292. Quia regulariter hujusmodi Beneficia conferri solent per Institutionem, seu *provisionem Canonicam*, id est, secundum Canones factam. Atqui hæc fit vel per Electionem, vel 2. per præsentationem, vel 3. per collationem liberam: ergo &c.

Dixi tamen, *regulariter & ordinarie* ita fieri institutionem seu provisionem; nam extraordinarie fieri etiam potest per postulationem, vel translationem v. g. Episcopi ab uno ad alterum Episcopatum; vel per Resignationem factam in favorem tertii ad manus Episcopi &c. &c.

Quæres jam quinto, quænam sint necessaria quando provisio fit per Electionem, Præsentationem, aut liberam collationem?

296. R. Ad hoc quæsitum primo. Ad hoc, ut Beneficium conferatur per viam Electionis, necessum est, ut talis electio fiat canonice, ita scil. ut major & sanior pars Electorum libere consentiat. Ita habetur *cap. Quia propter* & *Cap. in Genesi de Elect.* sufficit tamen ad majorem partem constituendam quicunque excessus ultra medietatem, etiamsi esset unius medii voti v. g. si Vocales eligentes sint numero tredecim, sufficiet ad canonicam electionem, quod septem consenserint. Si sint viginti & unus, sufficit, consensisse undecim. Tametsi vero ea censeatur sanior pars, quæ est justior, & majori ratione & auctoritate nititur, prout habet glossa *in cit. c. in Genesi*, si tamen oriatur dubium, quænam sit pars sanior, præsumitur ea esse, quæ est major, præsertim si nihil opponatur. Fatendum nihilominus est, Beneficium potius conferri per admissionem seu confirmationem Electionis, quam per electionem ipsam; quia per hanc solum confertur *jus ad rem*, seu ad Beneficium, per illam vero confertur *jus in re*. Verum hæc ad Canonistas potius pertinent, quam ad Moralistas.

297. R. secundo ad idem quæsitum: ad hoc, ut Beneficium conferatur per præsentationem, necessum omnino est, ut accedat institutio facienda a Prælato Ecclesiastico v. g. Episcopo, Abbate &c. Etenim illius qui habet jus Patronatus, proptereaque Patronus appellari consuevit, potestque esse laicus, est, solum præsentare Clericum aptum seu idoneum ad hujusmodi Beneficium aut officium: & licet Prælatus talem vere idoneum nequeat recusare aut repellere, ut habetur *Cap. Nobis, de Jure Patronatus*. Nihilominus per Institutionem suam, sive dein verbalem, scil. ore aut scripto factam, sive corporalem & realem (quæ alio nomine Investitura, Installatio, vel Missio in actualem possessionem dicitur

citur) primum confertur effective , & cum jure in re Beneficium . Videatur de his Engel *tit. de Elect. num.* 4. Covarruvias *lib.* 5. *variar. Resolut. c.* 16. *n.* 7. *& seqq.*

298. R. Jam tertio ad idem quæsitum . Ad hoc , ut beneficium conferatur per liberam collationem , plus non requiritur, quam, ut Collator seu Prælatus Ecclesiasticus libere conferre velit subjecto apto ad hujusmodi beneficium; neque enim ad hoc opus est ulla prævia electione , vel præsentatione ab aliquo Patrono facta . Unde Barbosa *l.* 3. *Jur. Ecclesiast. c.* 13. *n.* 3. recte ait , quod collatio Beneficii sit *a superiore gratuito facta concessio* ; quæ etiam alio nomine solet appellari Provisio, vel quia is, cui est facta collatio , beneficio est provisus , vel quia ipsi Beneficio de persona apta fuit provisum.

Quæres sexto , penes quos stet potestas conferendi Beneficia Ecclesiastica ?

299. R. Ad hanc quæstionem primo. Summus Pontifex habet amplissimam potestatem conferendi Beneficia Ecclesiastica . Ita *communissime Orthodoxi* & habetur clare *c.* 2. *de Præbend. & dig. in sexto*. Ratio est : quia Summus Pontifex habet universalem Jurisdictionem in Ecclesiam , & est Ordinarius Ordinariorum, cui proin primario incumbit cura pascendi gregem Dominicum, & de congruis Pastoribus huic providendi . Nihilominus ad conservandam pacem & unionem in Ecclesia , hoc tam amplo jure summi Pontifices in Germania non solent amplius uti , idque ob concordata Germaniæ inter sedem Apostolicam & Fridericum Imperatorem, per constitutionem Nicolai V. quæ incipit : *ad Sacram*, vi cujus , teste Laymanno *l.* 4. *tract.* 2. *c.* 10. *n.* 3. alterni menses Pontificiæ collationi reservantur, videlicet Januarius , Martius , Majus, Julius , September , November , in quibus mensibus si contingat vacare Beneficium, sive curatum, sive non curatum &c. solet conferri a sede Apostolica , prout praxis docet , & multorum experientia.

300. R. secundo ad idem quæsitum . Episcopi (a fortiori Archi-Episcopi & Patriarchæ) semel confirmati de jure communi habent potestatem conferendi omnia Beneficia suarum respective Dioecæsium, S. Pontifici non reservata. Ita rursus *communiter DD.* & habetur variis juribus, *can.* 10. & 11. *Caus.* 16. *q.* 7. item *Cap.* 12. *cum ex injuncto §. fin. de Hæreticis*, ubi dicitur : *ad officium Episcopi tam institutio, quam destitutio Sacerdotum noscitur pertinere*. *Dixi* 1. *Episcopi confirmati* ; quia cum collatio Beneficiorum non sit actus Ordinis , sed jurisdictionis Episcopalis , hinc potest Episcopus hunc exercere vi solius Confirmationis , esto nondum sit consecratus. Dixi insuper *de jure communi*; negari enim minime potest , quin de jure speciali, v.g. Privilegii, consuetudinis, Præscriptionis &c. huic potestati in multis locis fuerit derogatum ; de quo ipsimet viderint. Unde

301. R. Jam tertio ad idem quæsitum. Hæc potestas conferendi Beneficia etiam potest competere inferioribus Prælatis, si habeant proprium Territorium, & jurisdictionem quasi Episcopalem ; aut si forte ex Privilegio, fundatione , consuetudine , vel præscriptione jus hoc obtinuerint . Ita ex *cap. auditis* 15. & *cap. cum olim* 18. *de præscript.* Bockhn *lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 29. Addens , quandoque etiam Capitulis talium Prælatorum singulari jure collationem Beneficiorum competere; attamen quoad Beneficia ad Episcopi collationem pertinentia nihil posse Capitulum etiam sede vacante. Verum fusiorem horum tractationem Canonistis relinquamus . Ad nostrum forum

Quæres septimo , quibus Beneficia conferri debeant, an scilicet dignioribus, vel dignis duntaxat ?

302. Ante responsionem notandum hic venit , primo , illum dici *Dignum* ad beneficium Ecclesiasticum , qui habet sufficientiam , & omnes qualitates jure requisitas ad ejus ministerium . *Dignior* vero appellatur , qui comparative ad alios majori sufficientia , aptitudineque ad tale ministerium subeundum noscitur præditus, ita , ut hæc major dignitas , vel major sufficientia non sit præcise desumenda aut metienda ex majori doctrina , vel majori probitate vitæ , vel etiam majori nobilitate, sed conjunctim

ex

ex omnibus animæ & corporis dotibus, ipsaque utilitate ad procurandam animæ salutem, & Ecclesiæ vel Prælaturæ, cui præficitur, promovendam utilitatem; unde liquet, fieri posse, ut ille qui est minus doctus, tamen ad regendam, tuendam vel gubernandam Ecclesiam magis idoneus, & hoc ipso utilior, sit dignior alio magis docto, minus tamen experimentato &c. Denique *indignus* beneficio Ecclesiastico censetur, qui est destitutus una, vel pluribus qualitatibus ad ministerium beneficiale de jure requisitis. Unde

303. Ad pleniorem hujus materiæ intellectum notandum est secundo, conditiones ad tale ministerium requiri decem sequentes. 1. ut sit legitime natus. 2. ut sit Clericus, id est, prima saltem tonsura initiatus. 3. ut habeat ætatem canonicam. 4. ut sit cælebs. 5. ut non sit irretitus aliqua censura vel irregularitate. 6. ut sit præditus bonis seu probis moribus. 7. ut habeat competentem scientiam. 8. habilitatem corporis, & 9. intentionem amplectendi statum Ecclesiasticum. 10. denique, ut non sit jam provisus alio beneficio incompatibili. Ita passim DD. signanter Lessius *l. 2. de J. & J. cap. 34. dubit. 17. & seqq.* Reiffenstuel *ubi supra dist. 1. n. 53.* Ratio primi est: quia illegitime nati sunt incapaces & indigni ad obtinendas vel exercendas functiones Ecclesiasticas, nisi cum iisdem misericorditer fuerit dispensatum; quinam autem cum iisdem dispensare valeant, videri potest apud Lessium *cit. dubit.* 18. Ratio secundi est: quia prima tonsura est quasi janua ad obtinenda beneficia Ecclesiastica, prout habetur ex *cap. cum adeo de Rescriptis & cap. Ex litteris de transactionibus*. Quin immo, ubi beneficium tale est, quod requirit certum ordinem, v. g. Sacerdotii, carens tali ordine, pariter est incapax ad ipsum Beneficium, nisi eundem ordinem intra tempus a jure præscriptum valeat obtinere: sic adeptus Ecclesiam Parochialem amittit Beneficium, *nisi infra annum a sibi commissi regiminis tempore numerandum, se faciat ad Sacerdotium promoveri c. Licet Canon. de Elect. in sexto*. Ratio Tertii desumitur ex variis juribus: inconveniens quippe videbatur Ecclesiæ, ut sine distinctione ætatis aut discretione judicii quilibet passim admitteretur. Hinc in Episcopo requirit ætatem 30. annorum *c. cum in Cunctis de Elect.* in Parocho 25. annos, saltem inchoatos *cap. licet canon. de Elect. in sexto*. In promovendis ad Dignitates & Personatus, quibus nulla animarum cura subest, juxta decretum Concilii Trident. *SS. 24. c. 12. de Reform.* requiritur annus secundus, saltem inchoatus.

Pro aliis quibuscunque beneficiis requiritur annus decimus quartus, saltem inchoatus, per Trident. *SS. 23. c. 6. de Reform.* Ceterum quod promovendus ad beneficium debeat esse cœlebs, non censuratus, bonis moribus, scientia &c. præditus, habetur ex diversis constitutionibus juris, videndis apud DD. proxime citatos; nam singulas referre nimis tædiosum foret, ac prolixum. Ratio autem horum omnium est: quia tales conditiones videbatur exigere. Ratio status Ecclesiastici, vel officii, ad quod talis Beneficiatus assumitur. Videantur de hoc Castro Palao *part. 2. tr. 13. disp. 14. per tot.* Laymann *lib. 4. tr. 2. c. 14. h. n.*

304. R. Jam ad quæsitum. Beneficia præsertim curata per se loquendo conferenda sunt dignioribus, seu Ecclesiæ utilioribus, & magis meritis, ita, ut si Electores, Patroni vel collatores Beneficiorum secus faciant, valide quidem, certo tamen illicite agant. Ita cum D. Thoma *2. 2. q. 63. art. 2. & q. 185. art. 5.* Doctores *communissime*. Idque satis clare colligitur ex *cap. Metropolitano. dist. 64. & c. licet VIII. q. 1.* Ratio est: quia Dispensationes Beneficiorum Ecclesiasticorum ex primæva sua institutione principalius ordinantur ad utilitatem communem Ecclesiæ: atqui hæc utilitas communiter non observatur, ubi prætermisso digniore Beneficium, præsertim curatum, confertur minus digno: hac de causa Concilium Tridentinum *SS. 24. c. 1. de Reform.* ait: *alienis peccatis communicantes mortaliter peccant, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent*. Et, quod Ecclesia *per digniores*, quos præcipit præferendos, intellexerit simpliciter digniores, non solum comparative ad indi-

indignos, sed ad alios etiam dignos, liquet satis ex eo, quod Innocentius XI. damnaverit sequentem *n.* 47. propositionem: *cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promoverint, Concilium vel primo videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria, ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.* Videatur de hoc Cardenas *ad hanc propositionem*, vel la Croix *l.* 4. *n.* 579.

309. Dixi tamen rursus primo, *Beneficia præsertim curata &c.* Enimvero Concilium loco cit. agebat solum de Pastoribus Ecclesiarum, ideoque de Beneficiis curatis, quæ præcepit conferri dignioribus, ne ex promotione minus dignorum animarum salus periclitaretur; hinc Soto, Lessius, Lugo *de Just. & Jur. disp.* 35. *sect.* 2. *num.* 10. Laymann *lib.* 4. *tr.* 2. *cap.* 15. *num.* 8. Cardenas *l. cit.* & alii non pauci existimant, Beneficia simplicia absque gravi peccato conferri posse minus dignis, prætermissis dignioribus; eo quod nec Ecclesia, neque animarum salus ex hoc ullum patiatur detrimentum aut periculum.

306. Dixi tamen rursus 2. *per se loquendo;* secus enim dicendum est de Beneficiis Patrimonialibus, quæ ex primæva fundatione, vel statuto aut consuetudine non nisi certo Personarum generi v. g. ex tali familia, tali loco vel Patria oriundo conferenda sunt, quo casu, cum tale Beneficium non absolute substet liberæ dispositioni, Collator satisfaciet suæ obligationi, illud conferendo vere digno, ex tali familia aut loco oriundo, prætermissis aliis dignioribus, aliunde originem trahentibus, prout Laymannn, Reiffenstuel, aliique communiter notant.

Ergone inquies idem Clericus non potest habere duo simul, vel adhuc plura Beneficia?

307. R. Potest quidem idem Clericus habere primo Beneficia compatibilia; non tamen secundo duo vel plura incompatibilia sine dispensatione. Ita Pichler *in Candidat. Jur. Can. l.* 3. *tit.* 5. *num.* 4. & 5. Holzmann *part.* 3. *tr.* 3. *num.* 417. & *alii DD. communissime* ..... Ratio est: quia ubi Beneficia sunt compatibilia, nec ratio obstat, neque jus: e contra ubi sunt incompatibilia, obstant jura, scil. *cap.* 5. 7. 14. & alia plura *tit. de Præbend. & dignit.* obstat insuper Trident. *SS.* 7. *c.* 4. & *SS.* 24. *cap.* 17. *de Reformat.* ergo nil obstat, quo minus idem Clericus possideat plura Beneficia compatibilia, multum vero per omnem modum, quo minus possideat plura incompatibilia. Pro meliori tamen captu hujus resolutionis

308. Notandum hic rursus venit, alia beneficia esse incompatibilia *ex sua natura*, alia *ex dispositione juris tantum*. Ex natura sua incompatibilia sunt duo Beneficia curata, duo Canonicatus, requirentes residentiam 9. mensium, item duæ capellaniæ ejusdem obligationis in eodem altari; nam ex natura rei repugnat, ut unus idemque simul in duobus locis agat curam animarum, vel simul in duobus locis resideat, aut simul duo Sacra dicat &c. &c. Ex dispositione juris vero incompatibilia censentur illa, quorum quodlibet præbet congruam sustentationem Clerico, talem scilicet, qua Clericus pro status sui conditione se, suamque familiam (fortassis etiam Parentes, vel consanguineos pauperes) honeste sustentare (non tamen augere) valeat &c.

Porro ex dispositione juris incompatibilia sunt duplicis generis, aliqua ita, ut plene, (id est, quoad possessionem pacificam & frugiferam) obtento secundo, ipso jure amittatur, & vacet primum, adeo, ut nisi talis statim in manibus superiorum dimittat primum, ipso jure etiam amittat secundum, saltem quoad titulum, licet non quoad possessionem, prout statuitur in Tridentino *SS.* 24. *c.* 17. Item *Extravag. Joannis XXII. Execrabilis de Præbend. & Dignit.*

Alia ita, ut simul quidem retineri non possint, nihilominus obtento secundo non illico vacet primum, licet retinens utrumque per sententiam esset cogendus, ut alterutrum dimittat, prout habetur in Concil. Trident. mox allegato, nec non *cap. consuetudinem* 1. *de consuet. in sexto &c.*

309. Di-

309. Diximus insuper *sine dispensatione obtineri non posse* plura incompatibilia &c. ut innueremus, fieri posse dispensatione seu auctoritate Pontificia, ut quis simul obtineat ac possideat plura beneficia, vel etiam Episcopatus, modo adsit justa & gravis causa dispensandi. Ita enim habetur *c. de Multa* 28. *de Præbend. & dignit.* id, quod experientia & frequentissima praxis confirmat. Justæ autem causæ dispensandi possunt esse sequentes 1. necessitas Ecclesiæ, casu quo pro singulis beneficiis non reperirentur idonei Ministri: hæc tamen causa raro locum inveniet. 2. Utilitas Ecclesiæ (non Beneficiati, ait Pichler) si nempe unus credatur sua prudentia, industria, potentia &c. plus profuturus Ecclesiæ, quam alii plures singulis Beneficiis provisi. Hac de causa in nostra Germania plures Episcopatus videmus collatos Principibus, aut Principum Filiis; quia hi Ecclesiam possunt efficacius defendere contra insolentiam hæreticorum. Tertia causa possunt esse singularia alicujus merita in Ecclesiam, vel singularis doctrina, aut generis nobilitas; *qui enim præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* 1. *Timoth.* 5. Videatur hac de re Pontas *in Dictionar. Casuum Verb. Beneficiarius. Respons. ad Casum* 27.

§. II.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de præsentatione, & Collatione Beneficiorum.

CASUS PRIMUS.

T*Itius haud ignobili stemmate natus magnum quendam Principem rogaverat, quatenus suum Germanum fratrem dignaretur præsentare ad quoddam pinguissimum beneficium curatum proxime vacaturum; id quod Princeps adpromiserat, tum ob insignia Titii merita in Rempublicam, tum etiam ob respectum familiæ haud ignobilis. Verum paulo post inaudiit, Germanum Titii non minus simplicem esse, quam nobilem, primo idiotam, ad animarum curam defectu scientiæ ac talentorum prorsus incapacem; unde e Confessario suo sciscitabatur, an pro tali beneficio tuta conscientia posset Germanum Titii præsentare, postpositis aliis longe dignioribus, & optime meritis de Republica Christiana, tum ob doctrinæ ac pietatis præstantiam, tum ob indefessum animarum Zelum jam a multis annis probatum. Quid ad hæc Confessarius respondebit Principi?*

310. R. Confessarius respondebit Principi, præsentationem Germani Titii in talibus circumstantiis nedum illicitam, sed & invalidam fore, juxta *communissimam DD.* videndam apud Pichler *in Candidat. Jur. Can. lib. 3. tit. 38. num. 7.* Reiffenstuel *l. 3. Decret. tit. 38. n. 71.* Castropalao *tr. 13. Disp. 2. pu. 7. num. 1.* la Croix *l. 4. n. 322.* Ratio horum facile deduci potest ex proxime dictis *num.* 304. quia non solum Concilium Trident. *SS.* 24. *c.* 1. & 18. sed etiam ipsum jus naturale exigit, ut modo, quo fieri potest, meliori consulatur animarum saluti, & avertantur pericula, quæ ex promotione minus dignorum, & a fortiori omnino indignorum & incapacium timeri possent. Et licet consuetudo, qua passim videmus præsentari dignos & simpliciter idoneos, postpositis minus dignis, derogare potuerit Tridentino, non tamen potuit præjudicare juri naturali. Unde Patroni graviter vel leviter peccant, præsentando minus dignum ad beneficium curatum, prout grave aut leve periculum animabus, aut Ecclesiis prævidente mersurum. Certissime vero peccabit graviter talis Princeps, præsentando ex mero respectu humano hominem incapacem ad animarum curam. Hac de causa juxta probabilem multorum sententiam, videndam apud la Croix *lib. cit. num.* 317. Patronus laicus (a fortiori Ecclesiasticus) scienter præsentans indignum, pro tali vice privandus est jure præsentandi, ita ut Instituens possit tale Beneficium conferre alteri.

Dices. Esto talis Clericus supponatur idiota vel incapax ad curam animarum, fortassis tamen hæc incapacitas non provenit ex defectu talentorum, sed ex solo defectu applicationis, prout persæpe contingit cum similibus: ergo poterit sese perficere, & interim substituere

Vicarium, prout multi alii v. g. senio confecti, vel aliis infirmitatibus detenti faciunt: consequenter Princeps talem licite præsentabit, eo vel maxime, quod sine qualicunque demum prostitutione honoris promissum semel factum nequeat amplius revocare.

311. R. In primis, in hoc casu præsentandum supponi nedum defectu scientiæ, sed etiam defectu talentorum incapacem. Deinde esto, quod esset incapax defectu solius scientiæ vel applicationis, nihilominus manet verum, quod actu non habeat qualitates de jure requisitas: atqui præsentandus debet actu esse provisus omnibus qualitatibus secundum communiorem DD. quam tenent non solum la Croix, Reiffenstuel &c. proxime relati, sed etiam Lessius, Laymann & alii plures. Et ratio est: quia in beneficiis attendi debet capacitas temporis præsentis, cum per talem præsentationem statim aquiratur jus ad rem. Unde in Concilio Trident. SS. 22. c. 4. *de Reform. dicitur: nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integre habere dignoscantur: aliter irrita sit provisio* de quo tamen videri potest Lessius *l. 2. de I. & I.* 34. *n.* 129. Aliud longe est de Clerico jam proviso, & postea primum ægrotante; quia cum *afflicto non sit addenda afflictio*, hinc jura expresse statuere, ut talis Clericus non privetur suo Beneficio, sed ei detur coadjutor &c. prout habetur *cap.* 3. *& seqq. de Clerico ægrot.*

Dices adhuc: quid si autem talis Patronus relicto & postposito digniore præsentet alium minus dignum, sufficientem tamen ad curam animarum, vel ad tale officium?

312. R. Probabilius non solum Patronus Ecclesiasticus, sed etiam laicus tenetur præsentare digniorem, si Beneficium sit curatum: consequenter præsentando minus dignum probabilius peccant. Ita cum Lessio, Guttierez, Covarruvia, Sanchez, Cardena & aliis Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 38. *num.* 78. Ratio est: quia obligatio promovendi digniores ad hujusmodi Beneficia curata, a quorum administratione tantopere dependet animarum salus, non solum in jure positivo, sed etiam in divino ac naturali fundatur; atqui jure naturali ac divino omnes, tam Ecclesiastici, quam laici tenentur: ergo &c. Unde Concilium Tridentinum *SS.* 24. *c.* 1. *de Reform.* circa hanc obligationem *nihil innovando*, nihilominus *omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque jus* NB. *quacunque ratione habent, monet & hortatur, meminerint &c. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.* Et licet idem Concilium *cit. SS. c.* 18. dicat, ut, si Patronus laicus repræsentet *dignum*, Eum Ordinarius admittat; ex hoc tamen plus non sequitur, nisi quod hujusmodi præsentatio valida sit, non vero quod etiam sit licita. Fatendum nihilominus est, opinionem contrariam, quæ asserit Patronum laicum satisfacere suæ obligationi præsentando dignum postposito digniore, esse probabilem, & ut talem defendi a Garcia, Pet. Navarra, Palao *lib. cit. pun.* 7. *num.* 6. Laymanno *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 15. *num.* 7. & aliis. Quæ sententia Confessario ad tollendos scrupulos poterit deservire.

313. Dixi etiam in resolutione: *si Beneficium sit curatum*. Nam nec Patroni Ecclesiastici, neque etiam laici sub gravi culpa tenentur præsentare digniorem ad *Beneficia simplicia duntaxat*, seu non curata, prout post Cardenam, Lessium, Navarrum & alios tenet Reiffenstuel *l. cit. n.* 82. Ratio est: quia Concilium Tridentinum solum loquitur de Beneficiis curatis, non vero de simplicibus; tum quia nullum occurrit periculum animarum ex eo, quod ad beneficia simplicia non promoveantur digniores, modo tamen vere dignis hæc conferantur.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Clericus ut pinguem obtineret Parochiam, singulos consules ejusdem Magistratus (cui competebat jus præsentandi) accessit, rogans humiliter, dignarentur sibi potius quam alteri cuicunque demum favere ac præsentare; & quia ani-

animadvertit, unum vel alterum e consulibus potius inclinare in alium se digniorem; hinc ut & horum affectum vel animum lucraretur, sancte adpromisit, se obtenta semel Parochia certissime fore gratum, immo vero uni eorum adpromisit, quod gratitudinis ergo filium ejusdem quamdiu is vacaret studiis, vellet alere, cuidam vero alteri condixit certam pecuniæ Summam gratis, seu sine interesse mutuandam ad decennium. Quæritur jam, an Sempronius hæc tuta conscientia, & sine labe Simoniæ potuerit facere?

314. R. Quod non. Ita Cardenas *in* 2. *Crisi dissert.* 27. *n.* 66. Leurenius *p.* 3. *q.* 745. *n.* 4. la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 102. & nos *in parte* 2. *Theolog. Decalog. Conf.* 19. *n.* 596. Ratio est: quia ubi intervenit pactum determinatum dandi aliquid temporale pro Beneficio Ecclesiastico, vel pro præsentatione &c. &c. ibi intervenit Simonia: at hic intervenit tale pactum, & quidem determinatum, veluti consideranti patebit: ergo &c. Ceterum quid tali Beneficiato post obtentum simoniace beneficium agendum sit, diximus jam eadem *parte* 2. *Theologiæ decalog. Confer.* 20. *n.* 650. *& seqq.*

Dices tamen contra mox datam resolutionem. Sempronius post acceptam tam pinguem Parochiam jure naturali ac divino tenebatur suis Benefactoribus se exhibere gratum: ergo etiam poterat antecedenter hoc promittere; quia nemo prohibetur promittere aut pacisci de eo, ad quod jure naturali ac divino adstringitur; consequenter nullatenus peccavit promittendo.

315. R. *Dist. consequens*. Ergo poterat antecedenter promittere, quod velit se exhibere gratum, suscepta in se obligatione merum antidorali, id est, tali, vi cujus ad nil determinatum obligaretur, & cui posset satisfacere quodcunque demum Officium, Beneficium aut obsequium etiam spirituale exhibendo, *concedo*. Suscepta in se obligatione justitiæ, seu tali, vi cujus obligaretur ad hoc temporale determinate exhibendum, scil. expensas pro alendo studioso, vel pecuniam gratis mutuandam, *nego consequent*. Nam ad hoc nullatenus tenetur jure naturali aut divino, quippe quod vetat hujusmodi pacta velut simoniaca. Bene proin Cardenas & La Croix *ll. citt.* dicunt, esse cavendum ab hujusmodi promissis determinatis, de retribuendo temporali pro spirituali Beneficio, immo etiam ab illis duntaxat verbis: *ero certissime gratus &c. &c.* præsertim ubi hujusmodi verba ex consuetudine & intellectu plebis acceptantur tanquam obligatoria ad aliquid determinatum, uti fere ubique fit hisce temporibus: nec immerito sapientissimus Lessius *in Auctar. V. Simonia Cas.* 3. ait, *esse difficile credere, tantas Summas postea dari ex pura gratitudine.*

Sed quid, inquies, si Sempronius ficte duntaxat, & sine animo promisisset alere studiosum illum, vel dare mutuo pecuniam sine interesse?

316. R. Minime dubitandum, quin etiam in hoc casu graviter peccasset, tum quia simulasset saltem, se velle dare temporale pro spirituali; tum etiam quia promissarium quodammodo induxisset ad hujusmodi pactum simoniacum & graviter peccaminosum, non sine peccato scandali. Nihilominus si talis obtento beneficio postea non adimpleat promissum fictitium, probabiliter Beneficium retinere valebit, & nullas pœnas contra Simoniacos in jure statutas incurret, prout tenent P. Karg *in Manuali part.* 1. §. 4. *n.* 24. Reiffenstuel *l.* 5. *tit.* 3. *de Simon. n.* 239. Guttierez, Gonzalez, & alii plures. Ratio est: quia tametsi collatio, provisio, vel acquisitio Beneficii Ecclesiastici simoniace facta ipso jure irrita sit, ac nulla, proptereaque tale Beneficium ante omnem sententiam sit dimittendum *Extravag. cum detestabile de Simonia c. Matthæus eod. tit. Can. siquis neque Caus.* I. *q.* 1. hoc tamen intelligendum duntaxat est pro casu, quo Simonia ex utraque parte paciscentium completa fuerit; quia teste P. Karg *cit.* nullibi in jure reperitur aliqua pœna clare expressa contra simoniam solum mentalem, vel etiam conventionalem mixtam, seu utrinque non completam, adeoque in dubio non est asserenda, secundum *Reg.* 30. & 49. *J. in sexto* & *l.* 42. *ff. de pœnis*. Accedit stylus Curiæ Romanæ, vi cujus (teste Navarro, Gonzalez & aliis) præfatæ pœnæ non censentur contrahi, nisi simonia realis utrin-

utrinque completa habeatur; qui stylus pro lege habetur *arg. Cap.* 10. *de constit.* & *cap.* 6. *de crim. falsi*. Videatur Karg. *loc. cit.* vel ea, quæ diximus *part.* 2. *Theolog. decalog. Conf.* 20. *n.* 628.

CASUS TERTIUS.

Cajus fatetur, se tempore studiorum præmeditate commisisse homicidium injustum, sed ita occulte, ut in hodiernum usque diem homicidii auctor nulli prorsus mortalium innotuerit, nec etiam in foro fori ullo unquam tempore probari queat. Jam vacante pingui Beneficio quidam Patronus rei hujus prorsus ignarus vult Cajum præsentare, qui propterea sciscitatur, an tuta conscientia possit acceptare hujusmodi præsentationem aut Beneficium, causam dubitandi allegat, quod illo tempore, quo delictum homicidii perpetravit, nihil prorsus sciverit aut cogitaverit vel de irregularitate ex homicidio contrahenda, vel de statu Ecclesiastico unquam amplectendo. Quid Confessarius Cajo respondebit?

317. R. Confessarius respondeat Cajo, eum sine speciali dispensatione a Summo Pontifice vel Pœnitentiaria obtinenda non posse tuta conscientia acceptare hujusmodi Beneficium, esto etiam supponatur simplex duntaxat, & non curatum. Ita ex communi DD. Corduba *in quæst. Theolog. l.* 2. *q.* 35. Vega *in Summa V. Beneficium Resp. ad Cas.* 13. Ratio hujus desumitur ex variis Constitutionibus juris. *Cap. Henricus de Cler. pug. in duello*, *cap. ex litteris de Excess. Prælat.* & clarissime ex Concilio Trident. *ss.* 14. *cap.* 7. *de Reform.* ubi dicitur: quod, *qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi id crimen neque ordine judiciario probatum, neque alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros ordines promoveri possit; nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni ordine ac Beneficio & Officio Ecclesiastico perpetuo careat. Hactenus* Concilium *l. cit.* e quibus liquet ratio resolutionis datæ.

318. Neque vero excusari potest Cajus ab hac irregularitate ex eo, quod tunc temporis ignoraverit huic crimini esse statutam hanc pœnam per sacros Canones; nam ut bene observant Bonacina *de censur. disp.* 7. *q.* 1. *pu.* 3. *n.* 4. Tamburinus *l.* 10. *tr.* 4. *c.* 4. §. 5. *n.* 13. Sporer *tr.* 15. *c.* 3. *n.* 72. & alii plures, contra Castropalao & alios nonnullos irregularitas hæc ex delicto, maxime homicidii, non est tamen pœna (sicut excommunicatio, aliæque censuræ, a quibus propterea ignorantia excusare potest) sed etiam est quædam indecentia, inhabilitas & impedimentum canonicum, quo, qui est affectus, nequit licite suscipere Sacros Ordines: atqui impedimentum canonicum etiam in pœnam institutum incurritur, tametsi a delinquente ignoretur, veluti liquet de impedimentis matrimonii v. g. ex copula fornicaria cum consanguinea sponsæ in primo aut secundo gradu exercita &c. ergo etiam hæc irregularitas. Non ergo superest, nisi ut Cajus a Sacra Pœnitentiaria (cum casus sit occultus) postulet dispensationem, tum vero primum poterit licite ac valide ad S. Ordines promoveri, atque præsentari, & acceptare Beneficium.

Sed quid, ais, si Clericus jamjam beneficiatus perpetret hujusmodi occultum homicidium v. g. procurando abortum post animatum jam fœtum, sicque hanc irregularitatem incurrat, amittetne propterea suum Beneficium hactenus possessum?

319. R. Cum P. Vega & aliis proxime *n.* 317. citt. quod non. Ratio est: quia jura solum loquuntur de beneficiis *primum obtinendis*, non vero de *jam obtentis*, veluti liquet ex verbis Concilii Trident. proxime allegatis, dum ait: *nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, neque illi aliqua Ecclesiastica Beneficia conferri liceat &c.* ergo hæc constitutio velut odiosa ac pœnalis, non debet extendi ad beneficia jamjam obtenta, & actu possessa. Et licet talis velut irregularis (sine necessitate) nequeat administrare suum officium per se, potest tamen hoc per alium; consequenter justo titulo, & tuta conscientia percipere fructus; dummodo non sit in mora culpabili petendi dispensationem a Summo Pontifice, vel S. Pœnitentiaria, ait Corduda *cit. lib.* 1. *q.* 36. Verum tamen est, quod talis Clericus non posset de

de novo obtinére aliquod Beneficium Ecclesiasticum, nisi obtenta prius dispensatione, veluti liquet ex verbis Concilii Tridentini proxime recitatis.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

310. Colliges ex hactenus dictis primo, non solum Clericum, qui Patronum simoniace inducit ad se præsentandum, sed etiam ipsum Patronum (nisi ignorantia invincibilis excuset) mortaliter peccare peccato Sacrilegii, indigne tractando rem spiritualem, dum eam pro temporali quodammodo vendit, contra gravissimas prohibitiones sacrorum Canonum, qui propterea hujusmodi simoniacas præsentationes, collationes, provisiones &c. Beneficiorum damnant, cassant, & annullant, inhabilitando hujusmodi Clericum non solum ad tale beneficium simoniace procuratum, sed etiam ad alia in posterum obtinenda, veluti constat tum ex dictis *n.* 316. tum etiam *ex Bulla Pii V. Quamprimum*. Insuper tales incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, ut habetur locis allegatis.

321. Dixi tamen: *nisi ignorantia invincibilis excuset*; quia cum hæc excuset a culpa, pariter debet excusare a pœna, præsertim censuræ, secundum dicta superius *Confer.* 1. *n.* 14. id, quod clare habetur *Reg.* 23. *J. in sexto* & *l. Sancimus* 22. *C. de Pœnis*.

Ceterum tametsi in laicis vel aliis minus doctis procul dubio non raro possit intervenire ignorantia invincibilis in puncto Simoniæ, in Clericis tamen, qui vi officii ac status sui similia nosse debent, rationabiliter talis vix præsumi potest, aut unquam debet: profecto hi coram Deo minime excusabuntur ex eo, quod similia nunquam legerint, aut si legerunt, vel audierunt ab aliis, parum curaverint, vel omnino irriserint aut contempserint, utpote scientes contrarium ab aliis practicari; regula quippe actionum humanarum non sunt praxes perversorum, sed leges tum divinæ, tum etiam humanæ. Hinc

322. Colliges secundo, quod quemadmodum Clericus nedum Beneficium ipsum simoniace procuratum tenetur illico ante omnem etiam sententiam Judicis dimittere, quam primum moraliter potest, & insuper fructus hactenus, utpote sine justo titulo perceptos, Ecclesiæ restituere; ita & talis Patronus tenetur restituere ea, quæ sive ante, sive post præsentationem intuitu simoniacæ præsentationis accepit; cum etiam hoc sine legitimo titulo possideat, utpote non gratis, sed eo duntaxat fine acceptum, ut Clericum ad Beneficium præsentaret.

Quocirca tamen sapienter notat R. P. Stanislaus Karg *cit. n.* 16. hanc restitutionem post sententiam Judicis esse faciendam Ecclesiæ vel pauperibus, ante sententiam vero probabilius ipsi Clerico offerenti, nisi is sponte remittere velit hujusmodi obligationem restituendi.

323. Colliges tertio, cum hujusmodi Clerico Episcopum nec pro foro interno, & multo minus pro externo dispensare posse, ut hujusmodi Beneficium retinere valeat, vel etiam aliud obtinere; quia hanc facultatem reliquis omnibus ademit Summus Pontifex: quin immo ipse Summus Pontifex non nisi admodum difficulter dispensare solet, idque in detestationem hujus perniciosi criminis. Porro ubi de tali simonia commissa publice constat, pro dispensatione recurri debet ad *Datariam Apostolicam*, specificatis fructibus, ex Beneficio simoniace obtento, perceptis. Quando vero simonia est occulta, tunc pro dispensatione pro foro interno duntaxat obtinenda recurri debet *ad S. Pœnitentiariam*, dimisso prius Beneficio simoniace obtento, & fructibus inde perceptis Ecclesiæ ipsius Beneficii restitutis; nisi unum, vel utrumque esset moraliter impossibile; de quo proin in supplicatione necessario facienda est mentio. Ita P. Karg. *cit. n.* 14. Videantur de hoc, quæ diximus *part.* 2. *Theolog. decalog. Confer.* 20. *num.* 645.

324. Colliges quarto, nomine dignioris, qui sub mortali dicitur præferendus in ordine ad Beneficia Ecclesiastica, intelligendum esse notabiliter digniorem, id est, talem, qui notabiliter melius

altero possit Ecclesiam instruere, defendere, & pacifice gubernare, ut loquitur Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 185. Unde si præferas unum alteri, in quo parvus solum videtur excessus dignitatis, juxta probabilem opinionem Valentiæ, Lessi, Filliucii, Lugonis *de Just. Tom.* 2. *disp.* 35. *n.* 21. non peccabis graviter; quia parum pro nihilo reputandum est respectu utilitatis Ecclesiæ procurandæ.

Denique si omnibus pensatis videatur esse æqualitas inter plures, aut dubium relinquatur, quisnam eorum sit dignior, liberum erit præferre, quem voles, inquit la Croix *l.* 4. *n.* 593. Et hac ratione crediderim, multos Patronos, eos præsertim, qui minus docti nequeunt discernere inter majorem dignitatem, excusari a peccato, tametsi re ipsa minus dignum præsentent, modo bona fide procedant.

Sed quid (inquies fortassis) si sciam alios me digniores supplicare pro Beneficio, licebitne mihi nihilominus sollicitare Patronum aut Collatorem, ut mihi potius, quam aliis favere dignetur?

325. R. Cum Azorio, Lessio, Diana *part.* 3. *tr.* 5. *Resol.* 110. & La Croix *cit. num.*590. affirmative; nam quemadmodum Advocatus potest defendere causam, quam credit vel judicat infirmioribus fundamentis nixam, relinquendo ceteroquin sententiam Judici, cui forte fundamenta videbuntur graviora; ita & tu tuta conscientia potes te offerre ad Beneficium, relinquendo totum judicium de tua majori vel minori dignitate Examinatoribus, vel Collatoribus. Si tamen clare cognosceres ac scires, te esse minus dignum, ne putares te compensaturum defectum per specialem diligentiam, juxta opinionem Castropalai non posses petere absolute, quia peteres aliquid a Collatore, quod is licite præstare non posset: ergo petendo peccares. Si tamen bona fide tentares aleam, & præferaris aliis, potes acceptare, sequendo judicium aliorum. Videantur de hoc Azorius 2. *p. Inst. mor. l.* 6. *c.* 15. *q.* 13. & 14. Lessius *l.* 2. *de J. & J. c.*34. *n.* 129. Palao *tr.* 13. *disp.* 2. *pu.* 11. §. 5. *num.* 1.

CONFERENTIA DECIMA.

De Renunciatione Beneficiorum, præcipue per Resignationem, ac permutationem.

SUMMARIUM.

326. *Renunciatio Beneficii est, spontanea hujus dimissio, facta coram legitimo superiore acceptante.*

327. *Alia dicitur tacita, alia expressa.*

328. *Expressa rursus subdividitur in absolutam, & conditionatam.*

329. *Recensentur breviter sex causæ, ob quas Episcopis permitti solet resignatio Episcopatus.*

330. *Clericis inferioribus facilius indulgetur resignatio.*

331. *Resignatio Beneficii, facta coram Episcopo in favorem tertii cum clausula:* non aliter, *nulla est.*

332. *Nomine pensionis intelligitur jus, percipiendi partem fructuum ex Beneficio Ecclesiastico.*

333. *Regulariter non valet resignatio Beneficii facta coram Episcopo cum reservatione pensionis.*

334. *Ob necessitatem tamen Resignantis, potest Episcopus constituere hujusmodi pensionem.*

335. *Permutatio Beneficiorum fieri nequit auctoritate privata, bene tamen auctoritate superioris legitimi.*

336. *Debita forma resignandi postulat duas conditiones.*

337. *Resolvitur Casus I. Cujusdam Canonici, qui intuitu infirmitatis suo fratri resignavit Canonicatum cum clancularia reservatione pensionis annuæ.*

338. *Resolvitur quædam Instantia in contrarium.*

339. *Si infirmus Resignans intra spatium 20. dierum decedat, resignatio nulla est.*

340. *Resolvitur Casus II. de quodam Clerico, qui suum Beneficium fraudulen-*

lenter resignare tentavit suo ex fratre Nepoti.

341. *Solvitur rursus quædam instantia in contrarium.*

342. *Nihil tamen obstat, quo minus absolute & simpliciter suum Beneficium resignans, possit humiliter rogare, ut huic potius, quam alteri conferatur.*

343. *Resolvitur Casus III. de quodam Clerico, qui suum Beneficium permutavit pro alio minus pingui, annexo tamen gemino onere.*

344. *&* 345. *Occurritur duabus objectionibus contra resolutionem hujus Casus factis.*

346. *Ad quem fructus tam naturales, quam industriales spectent post resignatum Beneficium.*

347. *Resignans suum Beneficium consanguineo intuitu consanguinitatis, propterea non committit simoniam.*

348. *Probabilius tamen in Supplica ad S. Pontificem exprimi debet hæc circumstantia.*

349. *Probabilius valet resignatio, quando infirmus intra spatium* 20. *dierum post resignationem decedit ob aliam infirmitatem supervenientem &c.*

350. *Pensio Beneficiario ob infirmitatem resignanti legitime constituta, a Successore etiam pro foro conscientiæ solvi debet.*

351. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*

352. *Si tamen talis infirmus postea obtineat aliud Beneficium ad congruam sufficiens, cessabit obligatio pensionis.*

353. *Resignatio facta ab eo, qui ipso jure exstitit privatus suo Beneficio, nulla est.*

354. *Secus dicendum, si priusquam privaretur, resignavit suum Beneficium.*

355. *Qui Parochiam suscepit cum onere suscipiendi Presbyteratum intra anni spatium, potest adhuc resignare ante ultimum anni diem complete elapsum.*

§. I.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos, tangentes Renunciationem Beneficiorum per resignationem, ac permutationem.

QUæres primo, quid sit Renunciatio Beneficii?

326. R. Renunciatio Beneficii est spontanea hujus dimissio facta coram legitimo superiore id acceptante. Ita Reiffenstuel *Theologiæ mor. tr.* 11. *dist.* 2. *num.* 28. & in re *communiter DD.* Explico breviter. Dicitur 1. *spontanea dimissio*; tum quia jure suo nemo invitus (sine justa causa) privari potest vel debet; tum quia si quis invitus amoveatur superioris auctoritate, jam non renunciasse, sed privatus fuisse dicitur. Debet porro talis Renunciatio fieri sine dolo ac metu; secus enim Renunciatio seu etiam Resignatio irritanda, & resignans in Beneficium restituendus erit, *cap.* 3. *&* 4. *de his, quæ vi.* Dicitur secundo: *facta coram legitimo Superiore id acceptante*; quia Beneficia Ecclesiastica non, nisi in manibus Ordinarii, id est, hujus auctoritate interveniente resignari debent; *cap. si qui vero* & *cap. si quis Presbyter* 7. *q.* 1. Ita ut Renunciatio aut Resignatio aliter facta sit nulla, & dimittens possit ad illud reassumendum compelli per censuras Ecclesiasticas, *cap. Non oportet* 7. *q.* 1. & *cap. admonet de Renunc.* Nec immerito; nam si cuilibet instante tribulatione ad instar Mercenarii liceret aufugere, profecto Ovibus male consultum foret. Hinc ad validam Renunciationem requiritur Consensus superioris, ad licitam vero etiam rationabilis causa, prout observant P. Pichler & alii.

Quæres secundo, quotuplex sit Renunciatio?

327. R. Renunciatio hæc dupliciter fieri potest, scilicet vel 1. *tacite*, vel 2. *expresse*. Explico rursus breviter. Tacite renunciatio fieri dicitur, dum sit facto aliquo, renunciationem significante, vel ex dispositione juris importante. Sic dum Clericus Beneficiatus in

Minoribus constitutus contrahit matrimonium, ipso facto, seu tacite censetur renunciare suo Beneficio, per *c.* 1. *de Clericis Conjug.* Similiter renunciare censetur ille Beneficiarius, qui Religionem ingreditur, eamque profitetur; *cap. Beneficium de Regular. in sexto*. *Expressa* Renunciatio appellatur, quæ fit verbis, aut scriptis, voluntatem renunciandi aperte declarantibus, & quidem coram legitimo Superiore eam acceptante.

328. Porro hæc expressa Renunciatio rursus duplex est, scil. *absoluta*, seu *simplex* ac *pura*, & *conditionalis*. Absoluta vocatur, quæ fit sine adjectione ullius conditionis, modi aut pacti. Conditionalis vero dicitur, quæ fit duntaxat sub certa conditione, modo aut pacto, ut si quis renunciet aut resignet suum beneficium ea lege aut conditione, ut hoc conferatur Titio consanguineo suo, aliter vero nolit resignare; quod idem est, ac *resignare in favorem tertii* sub clausula: *non aliter*; vel fieri potest sub conditione, ut solvatur v. g. quotannis certa pensio resignanti, aut alteri; & hæc appellatur *reservatio fructuum* vel denique fieri potest sub eo onere, ut alter vicissim resignet suum beneficium; & hæc vocatur resignatio *ex causa permutationis*. Ita Pichler *in Candidat. Jur. Can l.* 1. *tit.* 9. *n.* 1. Engel & alii.

Quæres tertio, quas ob causas soleant fieri, aut permitti hujusmodi Renunciationes?

329. R. Primo, sex sunt causæ, ob quas Episcopo permittitur Renunciatio, vel resignatio, 1. *conscientia criminis*, non quidem cujuscunque, sed talis, quod etiam post actam pœnitentiam impedit executionem officii, utputa homicidii, simoniæ, vel alterius, ex quo consequitur infamia juris. 2. *Imbecilititas* seu *debilitas corporis* ad exequendum officium pastorale. 3. *Defectus scientiæ* competentis. 4. *Malitia Plebis*, ob quam subin etiam bonus Pastor cogitur declinare Regimen Pastorale. 5. *Grave Scandalum*, quod aliter sedari nequit. 6. *Irregularitas Personæ*. Ita habetur *cap. Nisi cum pridem. de Renunc.* in cujus Summario omnes prædictæ causæ exprimuntur sequentibus duobus versibus.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans Scandala, cedere possit.

330. R. Jam secundo ad idem quæsitum. Ut alii inferiores Clerici suis respective beneficiis valeant renunciare, non solum sufficiunt causæ mox allegatæ, sed insuper aliæ minus ponderosæ, videndæ in Bulla B. Pii V. *Quanta Ecclesiæ*, quæ est *n.* 58. inter constitutiones altefati Pontificis in Bullario Romano; veluti si resignans sit senio confectus, valetudinarius, aut corpore vitiatus, seu etiam impeditus, vel si velit ingredi S. Religionem, aut ducere Conjugem &c. aut si ob capitales inimicitias non audeat amplius residere in loco beneficii; immo fere quælibet causa sufficit, teste experientia in Germania, ait Pichler.

Quæres quarto, sitne licita Resignatio Beneficii in favorem tertii cum clausula *non aliter*: ut si dicat Titius: volo meum beneficium resignare, sed ea lege, ut Cajo hoc conferatur, & non aliter?

331. R. Talem resignationem non solum illicitam, sed etiam invalidam esse ac nullam, nisi supponatur fieri coram summo Pontifice. Ita habetur decisum in Bulla Pii V. *Quanta Ecclesiæ Dei*, mox allegata, ubi dicitur; *præcipimus, ne Episcopi, aut alii collatores de Beneficiis & Officiis resignandis, aut suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere, quod si secus, ac etiam quidquid contraformam prædictorum fuerit a quocunque temere attentatum, id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere*. Ita S. Pontifex: atqui si vires aut effectum non habet, provisio, & a fortiori resignatio est nulla: ergo. Nec immerito hoc statuit Sanctissimus Pontifex; quia resignationes Beneficiorum in favorem tertii præsefeVrunt quandam speciem hæreditariæ successionis, quam sacri Canones semper detestantur; eo quod Beneficia Ecclesiastica non secundum inclinationem sanguinis aut carnis, sed secundum merita personarum, & dignioribus quidem sint conferenda. Accedit, quod ejus-

ejusmodi Resignationes cum clausula : *Non aliter* (si fiat in manus Episcopi , out alterius Papa inferioris) involvant , vel certe videantur involvere Simoniam juris Ecclesiastici , vi cujus in spiritualibus omnis pactio , omnisque conventio debet omnino cessare; *cap. ult. de Pactis*. Et *c. Quæsitum de Rerum permut.* ubi dicitur : *pactio præmissa circa spiritualia , vel connexa spiritualibus , labem semper continet simoniæ*.

Quæres quinto , sitne licita Resignatio Beneficii cum reservatione Pensionis annuæ ?

332. Ante responsionem supponendum est , atque notandum , nomine pensionis intelligi jus percipiendi partem fructuum ex Beneficio alieno , auctoritate superioris (puta S. Pontificis aut Episcopi) cuipiam constitutum justa de causa v. g. ut Parochus , qui ob senium aut aliam infirmitatem non potuit amplius fungi suo munere pastorali , per hujusmodi fructus congrue sustentetur. Hoc supposito

333. R. Regulariter loquendo talis resignatio coram Episcopo vel alio Collatore Pontifice inferiore , fieri licite non potest . Ita Engel *l.* 1. *tit.* 9. *n.*10. Reiffenstuel ubi supra *num.* 40. & alii *communiter* . Ratio est quia Beneficia Ecclesiastica conferri debent *sine diminutione* , idest , sine impositione cujusvis novi oneris : hoc autem non fit in tali casu : ergo &c. tum etiam , quia talis resignatio in rei veritate esset potius permutatio Beneficii pro fructibus a Beneficio separatis , annuatim recipiendis : atqui fructus & redditus a beneficio separati (prout hic fit ; nam resignans non habet amplius Beneficium , neque jus ad illud) sunt res temporalis : ergo fieret permutatio rei spiritualis pro temporali , consequenter simoniaca .

334. Dixi : *regulariter loquendo talem resignationem fieri non posse* ; cum enim Episcopo incumbat providere etiam talibus Pastoribus emeritis , vel infirmis, aut debilibus &c. hinc nil obstat , quo minus Episcopus sua auctoritate (non vero ob meram resignationem) hujusmodi Beneficiario simpliciter & pure resignanti talem pensionem annuam constituere possit ad dies vitæ eidem a Beneficiato consignandam : immo vero resignans non peccabit , si ob hanc causam ante resignationem pro majori securitate supplicet Episcopo , quatenus velit sibi in futurum prospicere de pensione , ad congruam sustentationem sibi necessaria. Videantur Suarez *de Simonia lib.* 4. *cap.* 35. *nu.* 21. *& seqq.* vel Laymann *Theolog. mor. lib.* 4. *tract.* 10. *cap. ult.* §. 5. *a num.* 52.

Quæres sexto , an , vel cujus auctoritate fieri possit permutatio Beneficiorum Ecclesiasticorum ?

335. R. Permutatio Beneficiorum inter personas Ecclesiasticas (accedente præsertim rationabili causa) honeste ac licite fieri potest 1. auctoritate Episcopi vel alterius superioris legitimi , non tamen 2. auctoritate merum privata . Ita *communis* ac certa DD. sententia . Ratio utriusque constat ex *cap. Quæsitum de Rerum permut.* ubi dicitur : *generaliter teneas , quod commutationes præbendarum de jure fieri non possint , præsertim cum pactione præmissa , quæ circa spiritualia , vel connexa spiritualibus labem continet semper simoniæ . Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam , licite poterit de uno loco ad alium transferre personas , ut quæ in uno loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere .* Id ipsum habetur *in Clement. unica de Rer. permut.* ubi insuper additur , quod , si quæ beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata fuerint , ea aliis , quam ipsis permutare volentibus conferri nequeant (auctoritate scil. Episcopi) alioquin collatio nullius sit firmitatis . Ex quibus liquet ratio resolutionis nostræ , posse scilicet auctoritate superioris legitimi , scil. summi Pontificis , vel Episcopi , permutari beneficia , non tamen auctoritate propria . Tametsi vero spectata rei natura simoniacum non sit , beneficium cum beneficio permutare , cum utrumque spirituale sit , & hoc ipso non detur spirituale pro temporali, vel vice versa , nihilominus Ecclesia justissime prohibuit hujusmodi permutationes privata auctoritate faciendas , eo quod semper subsit periculum simoniacæ intentionis ; ne scil. permutans oculos suos ad temporales uberes redditus convertat , eos pro tradito suo spirituali

li beneficio aut dignitate emere, vel vice versa, pro tradendo sibi spirituali aliquo officio vendere intendat, prout sapienter notavit Navarrus *Manual. cap.* 23. *n.* 100. *V. tertio* & Laymann *lib.* 4. *tr.* 10. *c. ult.* §. 5. *n.* 50.

Quæres jam septimo, quænam igitur forma, vel quis modus observandus sit in permutatione Beneficiorum?

336. R. Forma vel modus legitimus resignandi postulat I. ut talis resignatio fiat in manus legitimi Superioris, illius scilicet, ad quem beneficiorum institutio aut collatio pertinet. II. Ut fiat cum consensu illorum, qui alias habent jus conferendi, eligendi, vel præsentandi. Ita Reiffenstuel *ubi supra n.* 47. BocKhn *lib.* 3. *tit.* 19. *num.* 5. & in re *communiter alii* DD. Ratio prioris desumitur ex *cap. Quæsitum* & *c. cum olim* 7. *de Rer. permut.* Hinc si Clerici propria auctoritate præsumant permutare beneficia, committunt simoniam juris Ecclesiastici, & incurrunt excommunicationem latæ sententiæ *in Extrav.* 2. *de Simonia inter Commun.* & beneficiis sunt spoliandi. Quin immo ubi beneficia diversis Ordinariis subjecta sunt, utriusque consensus accedat, necessum est.

Ratio autem posterioris est: quia non solius Ordinarii, sed illorum etiam, qui habent jus conferendi aut præsentandi seu etiam eligendi &c. interest, cuinam hujusmodi beneficia conferantur: ergo si per viam permutationis sint transferenda in alium, etiam horum consensum ac voluntatem intervenire, necessum est; secus enim suo privarentur jure, & quidem sine causa. Ceterum, an talis permutatio vel Resignatio permittenda sit, pertinet ad arbitrium Ordinarii, qui perpensis pro sua pietate ac maturitate rationibus ac circumstantiis in eamdem consentiet, vel non. Videatur Leurenius *q.* 829. vel la Croix *l.* 4. *a n.* 1092.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de Resignatione, vel etiam permutatione beneficiorum Ecclesiasticorum.

CASUS PRIMUS.

Titius Canonicus adversa valetudine pressus animadvertit, se pedetentim appropinquare ad finem vitæ suæ; quare fecit ad se vocari fratrem suum, cui mox comparenti dixit: charissime frater, mihi exigua spes diutius protrahendi vitam apparet: cupio tamen tibi vel maxime post meam mortem provisum, unde me resolvi, quod tibi velim resignare meum Canonicatum, ea tamen conditione ac lege, ut si diutius superviverem, tu mihi ad dies vitæ pensionem summæ 300. *florenorum (quam mihi expresse reservo) quotannis pro mea congrua sustentatione præstes. Hanc si præstare velis, meo nomine hanc Renuntiationem deferas quantocius ad Reverendissimum Ordinarium. Caveas tamen vel maxime, ne de hac nostra conventione aut pacto cuipiam mortalium quidpiam manifestes. Frater Titii id inaudiens, gratanter acceptavit, & re ad Ordinarium delata, Canonica-um obtinuit feliciter. Vixdum mensis effluxerat, Titius diem suum obiit; unde jam a Confessario petitur resolutio, an hæc Renunciatio vel resignatio licita, vel saltem valida fuerit. Quid ad hoc Confessarius?*

337. R. Confessarius resolvet, hanc resignationem non solum illicitam, sed & invalidam fuisse, adeoque nullam. Ratio hujus desumi debet *ex cap. Quæsitum de Rer. permut.* mox supra *n.* 331. allegato, ubi expresse dicitur, quod *pactio præmissa circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ*: atqui in nostro hoc casu supponitur hujusmodi pactum fuisse præmissum: ergo. Haud equidem diffiteor posse inter partes volentes resignare aut permutare beneficia &c. absque labe simoniæ præmitti quosdam Tractatus, vel Conventiones de permutatione vel resignatione facienda, non tamen tales, quibus pro spirituali temporale tribuatur, neque etiam tales, quæ sine con-

senſu vel auctoritate Epiſcopi in effectum deducantur, ſed cum conſenſu hujus duntaxat. Unde Gloſſa *in Clement. un. de Rer. permut. Verb. valentibus*, ait: *Tractatus de Rerum permutatione inter partes præcedere poteſt, tamen ipſa permutatio expeditur judicis officio*: in noſtro autem caſu tractatio illa non ſolum minime fuit relata ad conſenſum Epiſcopi, ſed potius eidem poſitive occultata, fortaſſis ne videantur voluiſſe quidpiam ſimoniacum attentaſſe: ergo talis reſignatio, eſto in foro Eccleſiæ, ubi nil conſtat de conventione, habeatur valida, a parte rei tamen, & coram Deo nulla eſt; conſequenter a fratre Titii Beneficium adiri non poteſt ſine diſpenſatione a Pœnitentiaria obtinenda. Vid. la Croix. *l.* 4. *n.* 1063.

Dices tamen: Titius reſignans pro ſua ſuſtentatione congrua ac neceſſaria ſolum reſervavit ſibi fructus, vel potius jus quoddam partiale percipiendi hujuſmodi fructus, aut Summam pecuniæ ex Beneficio: atqui hoc jus percipiendi fructus eſt quid ſpirituale, utpote ſpirituali Beneficio annexum: ergo Titius non prætendit intuitu ſui Beneficii, aut reſignationis aliquid temporale, ſed aliquid ſpirituale; conſequenter immunis eſt a labe ſimoniæ: quidni ergo talis reſignatio ſit valida, ac licita, utpote ex optima & ſanctiſſima intentione facta Germano, fortaſſis ſummopere indigenti.

336. R. Negando ſuppoſitum, quod ſit in poteſtate Beneficiarii reſignare Beneficium, & ſimul ſibi reſervare fructus, vel ſaltem jus partiale percipiendi fructus ex eodem Beneficio; cum enim fructus Beneficii, vel jus percipiendi hujuſmodi fructus non detur niſi propter officium, & hæc ſint de jure Eccleſiaſtico quaſi inſeparabiliter connexa; conſequens eſt, quod is, qui vult reſignare Beneficium, pariter debeat reſignare fructus, vel jus percipiendi fructus ex eodem Beneficio, & quidem jus integrum, prout conſtat ex toto titulo Juris Canon. *Ut Beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur*. Unde ex eo, quod Titius intuitu ſuæ reſignationis nil temporale, ſed potius ſpirituale, vel ſpirituali annexum a ſuo fratre ſupponatur prætendiſſe, ſolum ſequitur, quod evitaverit Simoniam jure naturali aut Divino prohibitam, minime vero, quod pariter evitaverit ſimoniam jure humano jam ſupra *cap. Quæſitum c. olim &c.* allegato, interdictam. Videatur la Croix *l.* 4. *n.* 671. vel Laymann *cit. n.* 58.

Sed quid (ais) tenendum in caſu, quo talis infirmus ſuo fratri, aut Conſanguineo &c. reſignat Beneficium, poſt exiguum vero temporis ſpatium moritur?

339. R. Ad hoc quæſitum *cum communi DD.* quod ſi talis reſignans poſt ſignatam reſignationem infra ſpatium 20. dierum moriatur, reſignatio taliter facta ſit nulla: ſecus ſi poſt 20. dies primum decedat. Ia habetur expreſſum *in Regula* 19. *Cancellariæ*, ibi: *item voluit, quod ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignarit, & poſtea infra* 20. *dies, a die per ipſum reſignantem præſtandi conſenſus computandos de ipſa infirmitate deceſſerit; & ipſum Beneficium quavis auctoritate conferatur per reſignationem ſic factam, collatio hujuſmodi ſit nulla, ipſum Beneficium nihilominus cenſeatur per obitum vacare*. Fuit autem hoc ſapienter omnino ordinatum eo fine, ut excluderentur reſignationes ab infirmis factæ, aut faciendæ ad favorem certarum perſonarum v. g. conſanguineorum in fraudem ordinariorum Collatorum, quibus hac via tolleretur libera collatio. Item ne hujuſmodi infirmi diſponerent de beneficiis, ſicut de bonis hæreditariis in favorem conſanguineorum. De quo diffuſius agit Pariſius *de Reſignat. Beneficior. lib.* 12. *per totum*.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Parochus ætate grandævus poſt multas amicorum & conſanguineorum ſuorum inſtantias tandem ſe reſolvit, quod velit ſuum beneficium Patronatum reſignare ſuo ex fratre Nepoti. Verum cum bene agnoverit id fieri non poſſe ſine conſenſu Patroni, & Epiſcopi ceu Collatoris, ſimulque ſciverit nec Patronum poſſe promittere præſentationem ad beneficium actu non vacans, neque talem reſignationem in favorem tertii, præſertim cum clauſula:

Non

Non aliter, ab Episcopo recipi posse &c. alio astu utendum ratus, in primis supplici libello Patronum rogavit, ut in eventum futuræ resignationis spem faceret suo Nepoti, hunc scilicet, & non alium præsentandi; qua spe in scriptis obtenta mox coram Episcopo nulla facta mentione de suo Nepote, dimisit ac resignavit suum Beneficium, addens tamen, se humillime supplicare, quatenus idem Reverendissimus Ordinarius non alium, quam illum, quem Patronus præsentaverit, instituere dignaretur, nec sibi aliter resignandi animum esse. Jam quæritur, quid de valore hujus resignationis censendum sit?

340. R. Cum P. Bokhn. *lib.* 1. *tit.* 9. *n.* 8. hanc resignationem seu Renuntiationem Beneficii probabilius nullius esse valoris. Ratio est: quia tametsi videatur fieri libere & sine pacto aut conditione, reipsa tamen non fit nisi cum onere & conditione, utique satis limpide ac liquido expressa *non aliter*, *nisi suo Nepoti resignandi*: cum supponatur expresse protestatus fuisse, *non sibi esse animum aliter resignandi*, *nisi institueretur ille, quem Patronus præsentaret*: atqui simul jam erat assecuratus, quod Patronus non alium, quam suum ex fratre Nepotem præsentaret: ergo in rei veritate nulli alteri, quam suo Nepoti voluit resignare beneficium: atqui resignationes cum clausula *non aliter* ob speciem simoniæ, quam involvunt, juxta stylum Curiæ non possunt fieri, nisi in manus summi Pontificis, teste Navarro, Rebusso, Lessio *lib.* 2. *de J. & J. c.* 35. *dubit.* 14. & aliis: ergo hæc resignatio fuit illicita & simul invalida &c. Unde & Pius V. in sua Bulla *Quanta Ecclesiæ* mox supra *num.* 331. allegata §. *Caveant* districte præcipit: *Caveant Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes Electores, Præsentatores & Patroni, tam Ecclesiastici, quam laici, quicunque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo futuri in hujusmodi beneficiis & officiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat.*

Dices. Illa solum resignatio in favorem tertii prohibetur, qua Collatori per pactum imponitur obligatio conferendi beneficium certæ personæ: atqui Sempronius Episcopo Collatori non imposuit pactum conferendi beneficium suo Nepoti; quia solum rogavit, quatenus Episcopus nulli alteri, quam illi, quem Patronus præsentaret, dignaretur conferre suum beneficium, quod in manus Episcopi resignavit: ergo hæc resignatio nec illicita est, neque invalida.

341. R. Transmissa Majore (quæ ob constitutiones mox allegatas merito posset negari, aut certe vocari in dubium) negando minorem; quia Sempronius Episcopo imposuit pactum saltem implicitum & palliatum, protestando expresse, quod non intendat aliter resignare, quam ut conferatur beneficium illi, quem Patronus præsentaverit, suo scil. Nepoti, quem solum & non alium a Patrono præsentandum jam prius effecerat: ergo imposuit Episcopo pactum saltem implicitum, esto videatur per verba illa præmissa solum voluisse intercedere; id quod confirmatur ex eo; nam si duo velint permutare invicem sua beneficia, & Episcopus talem permutationem censuerit admittendam, nulli alteri sed præcise ipsis permutare volentibus hujusmodi beneficia resignata conferre potest ac debet, veluti tenent Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 9. *dist.* 2. *n.* 45. Engel *lib.* 3. *Decret. tit.* 19. *n.* 5. & Pichler *in Candid. J. Can. eod. tit. nu.* 3. Schmier Jurisprud. *l.* 1. *tr.* 3. *cap.* 6. *sect.* 1. §. 6. *n.* 96. conformiter *ad Clement. un. de Rer. permut.* eo scil. quod tales non resignent absolute, sed conditionate: ergo cum etiam noster Sempronius non habeat animum resignandi alteri, quam illi, quem Patronus præsentaverit, imponit quodammodo onus Episcopo, ut hoc beneficium non alteri, quam suo ex fratre Nepoti a Patrono præsentando conferre possit, ac debeat.

342. Illud tamen fatendum est, quod, si quis suum Beneficium absolute & simpliciter resignet, & per modum intercessionis, aut simplicis recommendationis duntaxat sine ulla obligatione, Episcopo aliquam certam personam nominet, Ordinarius pro suo arbitrio ac discretione judicii tali personæ recommendatæ, si hæc ceteroquin idonea fuerit, ejusque qualitates mereantur, tale

bene-

beneficium sine nævo peccati conferre valeat; id, quod Zœsius *tit. de Simon. num.* 72. Covarruv. *lib.* 1. *var. Resolut. c.* 5. *n.* 5. Reiffenstuel & alii deducunt ex *c. cum Universorum de Rer. permut.* & *c. ex parte N. de Offic. Jud. deleg.* ubi similes resignationes leguntur, nec tamen ex hoc capite reprobantur, esto ex aliis rationibus non tenuerint.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus Vir magnorum meritorum Beneficium curatum satis pingue obtinuit, sed quia cum suis Parochianis pacifice convenire non potuit; hinc ad evitanda Scandala & animarum pericula statuit illud permutare cum alio Parocho, quem Titium appellamus, & quidem de consensu Reverendissimi Ordinarii. Quia tamen illud alterum beneficium fuit notabiliter minus pingue; hinc convenit cum Titio, ut in primis omnes expensas, quas Cajus intuitu Beneficii adipiscendi, sive in itinere, sive in Cancellaria & alibi &c. fecerat, sibi refunderet, & insuper pensionis loco quotannis certam quotam frumenti ac hordei sibi (Cajo scil.) refunderet: obtenta jam possessione Titius incæpit dubitare, an teneretur, vel saltem tuta conscientia posset stare promissis, solvendo scilicet expensas, & simul quotannis refundendo illam quotam frumenti: quid Confessarius hac super re interrogatus respondebit?*

343. R. Confessarius respondeat, Titium nec teneri, neque posse tuta conscientia solvere expensas a Cajo intuitu Beneficii adipiscendi factas, neque etiam illam quotam frumenti promissam refundere. Ratio est quia neque onus solvendi expensas, neque onus quotannis refundendi, & quodammodo compensandi illam quotam frumenti, est quid Beneficio a Cajo resignato intrinsecum, aut per se annexum, sed potius quid extrinsecum & ab eo penitus separatum: neque aliam ob causam fuit a Cajo impositum, nisi ob resignationem beneficii, vel potius ob resignationem juris spiritualis pinguiores fructus recipiendi: atqui hoc est simoniacum, veluti constat ex *c.* 5. *de Renun.* & *c.* 4. *de Pactis*: ergo hoc ipso nec fieri debet, neque etiam tuta conscientia fieri potest. Neque ullatenus credendum est, quod Resignantes has conditiones vel pacta onerosa coram Reverendissimo Ordinario expresserint, esto fortassis permutatio ipsa cum illius consensu fuerit facta; nam Episcopus hujusmodi permutationem, utpote simoniacam, procul dubio reprobasset.

Secus dicendum foret, si resignans solum postulasset refusionem illarum expensarum, quas in bonum ipsius Ecclesiæ aut Beneficii fecisset, ut si Beneficium suis sumptibus nomine Ecclesiæ ab hæreticis recuperasset, vel pretio redemisset; tales enim expensas sine omni simonia ac injustitia potuisset repetere, saltem coram legitimo superiore. Videantur Pirhing *tit. de Renunc. num.* 91. Leuren. *in for. Benefic. part.* 3. *Sect.* 1. *q.* 738. vel R. P. Stanislaus Karg. *part.* 1. *Man.* §. 4. *numer.* 38. Laymann *cit. num.* 53.

Dices tamen contra hanc resolutionem. Cajus non tenetur illum excessum Beneficii vel expensas intuitu Beneficii adipiscendi factas Titio gratis exhibere, immo Titius vi hujus resignationis ob Beneficium longe pinguius sentit magnum adhuc favorem: ergo Cajus tuta conscientia potuit prætendere expensas, nec non aliqualem refusionem illius excessus &c. &c. consequenter Titius tenetur stare suis promissis.

344. R. *Distng. Anteced.* Cajus non tenetur illum excessum &c. Titio gratis absolute, *conced.* non tenetur gratis conditionate vel potius ex suppositione, quod velit suum Beneficium permutare, *nego antec. cum conseq.* Beneficia enim secundum dicta *n.* 338. conferenda sunt *sine diminutione*, consequenter & sine onere extrinseco, quale esset illa solutio expensarum, vel refusio frumenti &c. ergo si velit illud resignare Titio, necessum est juxta sacros Canones, ut illud faciat gratis, seu sine novo onere. Et certe nullum habet Titulum hæc & similia prætendendi, nisi quod voluerit Beneficium suum transferre in Titium: atqui intuitu hujus translationis, utpote juris mere spiritualis, nil temporale potest prætendere sine vitio simoniæ: ergo &c.

Dices iterum. Si duo Abbates habeant

duas

duas Ecclesias, quarum una ditior altera, possunt Ecclesiæ permutari cum obligatione, ut Abbas, cujus erat Ecclesia pauperior, suppleat defectum, & in ære refundat alteri, in quantum pinguior est hujus Ecclesia: ergo similiter si duo Parochi habeant beneficia inæqualia, possunt hæc ad invicem permutare, ea conditione vel onere, ut qui habuit beneficium minus pingue, alteri refundat saltem ad dies vitæ hunc defectum, pendendo frumentum in singulos annos.

345. R. Ad hanc instantiam *negando consequent. & paritatem*. Disparitas in eo sita est, quod bona temporalia v. g. agri, prædia &c. sint separabilia ab Ecclesia, & quod ille excessus pretii detur pro bono temporali qua tali, veluti constat, si duo permutent ad invicem duos calices, aut duas Monstrantias, ubi suppleri potest pecunia pro auro, & argento, aut gemmis alterius pretiosioris, non vero pro re sacra qua tali, vel qua spirituali annexa: e contra vero jus percipiendi fructus ex beneficio, non est separabile ab ipso beneficio, neque est aliquid temporale, sed spirituale, beneficio inseparabiliter annexum auctoritate Ecclesiæ: ergo qui suppleret pecuniam, aut frumentum &c. pro tali jure, daret rem vel pretium temporale pro spirituali; quod semper est simoniacum, saltem si hoc fiat auctoritate privata &c. Nec dici valet, hunc excessum solum peti aut dari pro fructibus, quos Cajus potuisset percipere, nisi suum beneficium pinguius Titio resignasset, vel certe pro illo incommodo temporali, quo se privat resignando suum beneficium pinguius pro minus pingui.

Contra enim est, quod fructus percipiendi, vel spes percipiendorum habeat necessariam connexionem ac dependentiam cum beneficio velut quid accessorium ad principale: ergo qui beneficium resignat alteri, debet pariter resignare fructus ac spem fructuum percipiendorum; nam facta semel resignatione nullum amplius potest prætendere jus ad fructus percipiendos, aut sibi refundendos, quemadmodum nec amplius potest prætendere jus ad ipsum beneficium.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

346. Colliges ex hactenus dictis primo, fructus naturales & industriales a solo separatos usque ad diem admissæ resignationis pertinere ad resignantem: idque verum est, tametsi prædia frugifera fuissent locata, & dies solutionis nondum advenisset; quia sufficit, fructus, quorum causa solutio facienda est, jam fuisse collectos tempore resignationis: e contra vero fructus civiles, qui proveniunt ex re naturaliter non fructificante, utputa ex locatione ædium &c. quorum dies solutionis tempore acceptatæ resignationis nondum advenit, sicut & fructus naturales a solo pendentes, qui censentur pars fundi, deberi Resignatario, seu successori in beneficio. Ita Engel *lib. 1. decret. tit. 9. n. 16.* referens pro eadem opinione Joann. Honorium *tit. de Renunciat. n. 14. vers. fructus*. Ratio horum facile colligi potest ex hactenus dictis; quia illius sunt fructus, cujus est beneficium, a quo proveniunt: atqui ante resignationem acceptatam beneficium pertinet ad resignantem, post resignationem autem acceptatam ad resignatarium vel successorem: ergo & fructus &c. &c.

347. Colliges secundo, nihil obstare, quo minus Parochus vel alius Beneficiarius suum Beneficium etiam curatum possit resignare in favorem sui consanguinei, etiam intuitu consanguinitatis, & ita quidem animo comparatus, ut non resignaret huic, aut tali tempore, nisi esset consanguineus, modo talis resignatio fiat simpliciter, & absolute in manus Papæ (coram quo solo fieri potest resignatio in favorem tertii; nam hæc prohibetur *cap. 1. de concess. Præbend.* ut notat P. Pichler *cit. num. 5.*) & sine præcedentibus particularibus tractatibus simoniacis. Ratio est: quia taliter resignando nil temporale pro spirituali recipit: & licet consanguinitas sit quid temporale, hanc tamen resignans non recipit a suo consanguineo in compensationem resignationis aut beneficii resignati. Nec obstat *cap. unic. ut Ec-*

cle-

clesiast. Benefic. sine diminut. conf. item c. 14. de Simon. ubi improbari videntur resignationes vel collationes Beneficiorum ex motivo consanguinitatis &c. hoc etiam non ideo fit, quia tales resignationes de se sunt malæ aut simoniacæ, sed ideo, quia si consanguineus præfertur alteri digniori (prout fieri amat) violatur justitia distributiva, immo & legalis; in quantum utilitas Ecclesiæ privato affectui cedere cogitur, nepotismus introducitur, & quasi hæreditaria successio, sæpe non sine scandalo. De cetero, si consanguineus supponatur æque dignus, vel omnino dignior aliis, nec aliunde scandalum esse timendum, absque omni peccato ac scrupulo potest præferri consanguineus; neque enim talis propter conjunctionem Sanguinis debet esse deterioris conditionis, quam alius fortassis minus dignus: & sicut ob solam consanguinitatem nullus debet promoveri ad hujusmodi officia vel beneficia; ita pariter ob solam consanguinitatem non debet excludi ab illis, prout bene advertit P. Stanislaus Karg loc. cit. n. 38. cum Zoesio, Suarezio, & aliis.

Sed quid, ais, si resignans in favorem sui consanguinei in supplica ad Summum Pontificem directa nullam prorsus faciat mentionem de hoc, quod sit consanguineus?

348. R. In hoc casu Resignationem & facultatem a summa sede impetratam velut subreptitiam prorsus nullam esse, tenet idem P. Karg l. cit. n. 35. quia, inquit, tunc Rescriptum censeri debet subreptitium, ac ipso jure nullum c. ult. de Filiis Presbyt. in sexto, quando in supplica vel litteris resignationis taceatur aliquid, quod, si fuisset narratum, difficiliorem reddidisset Summum Pontificem ad conferendum: atqui circumstantia consanguinitatis est talis, quæ longe difficiliorem reddidisset S. Pontificem; velut constat ex Bulla Pii V. *Quanta Ecclesiæ* jam supra allegata, vi cuius gravissime prohibetur, ne Ordinarii permittant resignationem Consanguineis faciendam, idque ad excludendam speciem hæreditariæ successionis in similibus Beneficiis, & ad excludenda scandala: ergo si hæc non fuit expressa in supplica (esto etiam ex ignorantia) Rescriptum probabilius fuit nullum, consequenter etiam Resignatio. Ita Doctor *cit.* omnino probabiliter. Nihilominus si consanguineus ille non solum supponatur vere dignus, sed ceteris omnino dignior, non video, cur Summus Pontifex ob solam consanguinitatem deberet huic dare exclusivam, vel negare gratiam: atqui ubi veritas occulta seu non expressa est talis, ut, quamvis fuisset expressa, nihilominus S. Pontifex dedisset Rescriptum gratiosum, nihil obstat quo minus possit executioni mandari, veluti clare exprimitur in *cap. Super litteris* 20. *de Rescriptis*: Ergo &c. Hæc tamen, non nisi salvo meliore judicio dicta sunto. Videantur Luca *disp.* 40. *num.* 15. item *disp.* 56. *num.* 5. vel la Croix *l.* 4. *num.* 1103.

349. Colliges tertio, casu quo Resignans infra spatium 20. dierum a die signatæ Resignationis decedit quidem ex hac vita, non tamen de infirmitate in qua resignavit, sed ex alio accidente, v. g. ob imperitiam Medici, vel quia casu fuit occisus &c. talem Resignationem nihilominus esse validam. Ita contra Azorium, Castrop. Pirhing. & alios nonnullos Engel, Rebuffus *in part.* 3. *prax. Benefic. de resig. Infirm. benef. glossa* 11. Pontas *in Diction. Cas. Verbo Resignatio. Respons. ad Casum III.* Ratio est: quia Regula illa Cancellariæ *de viginti* dicta expresse ait: *si quis in infirmitate constitutus resignaverit - -* & *de ipsa infirmitate decesserit &c. collatio ejusmodi sit nulla &c.* ergo si quis *non in infirmitate* resignaverit, vel certe *de infirmitate*, in qua resignaverit, non decesserit, sed ex alio accidente, vel morte etiam violenta &c. talis resignatio adhuc tenet; nam in odiosis, prout est hæc Regula, extensio de casu expresso ad non expressam facienda non est. *Reg.* 195. *ff. de divers. Reg. Jur.* Videantur de hoc Leurenius *q.* 341. vel La Croix *l.* 4. *n.* 999.

350. Colliges quarto, Pensionem auctoritate Episcopi Beneficiario ob infirmitatem resignanti constitutam, esse solvendam a successore, etiam in foro conscientiæ. Ratio patet ex dictis *n.* 334. quia talis constitutio Episcopi fuit justa,

juxta, & conformis, nedum sacris Canonibus, verum insuper praxi receptæ; nam *c. de cetero* 5. *de transact.* dicitur, quod census vel pensio imposita ex causa transactionis sine consensu Episcopi, non excedat vitam ejus, qui pensionem solvit: ergo a contrario per consensum Episcopi potest excedere vitam beneficiati solventis, & transire ad successorem. Unde *glossa fin. ibidem* ait, talem compositionem esse personalem, nec transire ad successorem illius qui solvit, *nisi facta fuerit auctoritate Episcopi*. Concordat *cap.* 3. *de collusion. deteg.* ubi aperte supponitur, per viam transactionis, quæ arbitrio Episcopi fieri solet, posse ita imponi, ut Pensionario sit solvenda, etiamsi Beneficiarius, qui solvit, sit mortuus, ut notat Suarez *l.* 4. *de Simon. cap.* 51. *n.* 18. neque etiam conveniens foret, ut talis vir Emeritus mendicare cogeretur, sed convenit potius, ut is, qui tamdiu altari deserviit, ulterius de altari vivat. Ob hanc eandem rationem non solus successor immediatus, sed & mediatus tenebitur præstare pensionem, quamdiu infirmus vixerit & indiguerit. Haud equidem ignoro, Azorium, Sanchez, Bockhn, aliosque insignes Doctores tenere contrarium, quod scilicet Episcopus nequeat imponere talem pensionem, quæ transeat ad successorem Beneficiati: quibus subscribit Fagnanus in *c. Nisi essent de præbend. n.* 40. *& pluribus seqq.* Verum non plus probare videntur (ait Pirhing. *l.* 3. *decret. tit.* 12. *n.* 10.) quam, quod ordinarie & regulariter non possit Episcopus ipsis Beneficiis in perpetuum, vel quæ ad successores in Beneficio transeat, pensionem imponere sine licentia Papæ, non autem, quod id non possit ex justa, & necessaria causa v. g. sustentationis infirmi, prout fieri supponimus. Et quidquid sit de jure stricto, saltem usu videtur esse recepta sententia affirmativa in quibusdam casibus, & usus videtur ita declarasse jura mox allegata, ait Suarez *l. c.* Videatur Leurenius *part.* 3. *for. benefic. q.* 444. *n.* 4. Laymann *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 3. Wiestner *l.* 3. *decret. tit.* 12. *n.* 18.

Dices contra hoc. Episcopus non habet facultatem imponendi Beneficio Ecclesiastico pensionem per modum alicujus oneris realis, prout habetur *c. Prohibemus* 7. *de censib.* atqui talis pensio foret utique onus reale, præsertim si deberet transire ad successorem etiam mediatum: ergo &c.

351. R. *Disting. & explicando cit. textum*. Episcopus non habet facultatem Beneficio imponendi pensionem per modum oneris realis perpetui, *concedo*, temporalis duntaxat, quod scilicet solum duret ad dies vitæ alicujus infirmi aut Emeriti Pastori, *nego major*. Ex quo patet distinctio *ad min.* Neque huic obstat, quod Innocentius XII. prohibuerit omnes prorsus resignationes Parochialium Beneficiorum cum reservatione Pensionum, sub quocunque titulo, etiam præstationis alimentorum &c. Nam hoc intelligi debet de pensionibus *absque Episcopali auctoritate* imponendis, prout colligi potest ex *cit. c.* 5. *de transact.* Vel certe de pensionibus perpetuis ad instar census imponendis, vel de pensionibus temporaneis sine sufficienti causa factis. Videantur de hoc Filliuc. *tr.* 42. *de Pension. c.* 2. *n.* 5. Reiffenstuel *l.* 3. *decret. tit.* 12. *n.* 103. Pichler *in Candidat. J. C. eod. tit. n.* 3.

Sed quid, si talis Clericus, qui ob infirmitatem resignavit &c. postea convalescat, & obtineat beneficium saltem simplex: ex quo congruam habet sustentationem, poteritne hoc non obstante prætendere pensionem illam ab Episcopo tempore infirmitatis constitutam, & solvendam a Beneficiario?

352. R. Quod non. Ratio est: quia illa pensio non potuit constitui ab Episcopo, neque aliter constituta censeri debet, nisi ob necessitatem, seu congruam sustentationem Infirmi; nam si nulla urgeat necessitas, beneficia Ecclesiastica conferri debent sine diminutione, veluti liquet ex hactenus dictis: at, si talis Clericus sanitati restitutus ex alio Beneficio habeat congruam sustentationem, eo ipso cessat hæc causa: ergo & effectus. Unde hic locum invenit receptum illud axioma Theologicum, *dum dispensatio conceditur propter necessitatem, tamdiu durat, quamdiu durat ipsa necessitas*.

353. Colliges quinto, Resignationem Beneficii factam ab eo, qui ipso jure privatus exstitit beneficio, nullius prorsus esse

valo-

valoris. Ita ex communi DD. Leurenius q. 312. La Croix l. 4. n. 986. idque verum est, tametsi ante sententiam declaratoriam fieret, vel si quis per sententiam hominis, quæ jam transiit in rem judicatam, fuisset privatus suo Beneficio. Ratio horum desumitur ex illa notissima Reg. 79. J. in sexto *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*: ergo etiam nemo potest resignare Beneficium, quod non habet: atqui privatus beneficio, non amplius habet illud, ergo nec potest resignare.

Idipsum tenendum est de eo, qui ad beneficium pervenit, sed nulliter ac invalide v. g. per crimen simoniæ &c. nam tales resignare non possunt beneficia taliter adepta, licet ea teneantur jure naturali dimittere, utpote non sua, sed aliena.

354. Colliges e contra sexto, Eum qui prævidet, se ob commissum delictum etiam notorium esse privandum suo beneficio, posse illud resignare etiam in favorem (ad manus scil. S. Pontificis,) etiam cum reservatione pensionis; immo etiam post latam sententiam perpetui carceris, aut privationis, si ab hac appellarit; quia tunc privatio non habebit effectum, nisi post tres conformes: neque opus est, in resignatione fieri mentionem criminis, aut privationis; cum id (teste Pirhing & Garcia) nullibi in jure caveatur. Ratio autem est: quia talis Beneficiatus adhuc habet jus in beneficio, quod non prohibetur abdicare, nisi aliud exprimatur in rescripto impetrationis. Putant tamen Pirhing, La Croix *num.* 985. & alii, talem resignationem posse postea post latam sententiam rescindi per Judicem; quod vel maxime verum est de rescissione pensionis, secundum Leurenium *part.* 3. q. 310.

Ergone, inquies, ille etiam, qui suscepit Parochiam cum onere, ut intra anni spatium se faciat promoveri ad Presbyteratum &c. poterit adhuc ultima die ante annum complete elapsum resignare Parochiam, si fortassis se ad alium statum resolverit?

355. R. Poterit absolute loquendo: & ratio est: quia pœna privationis non incurritur, nisi tempus ex toto labatur. Nihilominus talis resignatio difficulter admittetur; quia stylus curiæ habet, ut, si tantum brevi tempore possederit, rejiciatur cessio, teste Leurenio *cit. quæst.* 313. Immo in simplicibus beneficiis requirentibus residentiam, stylus Datariæ requirit, ut resignans exprimat, se possedisse per annos saltem tres, ideoque debet declarari in supplica, a quo tempore resignare volens obtinuerit, aut possederit suum beneficium. Videantur de hoc La Croix *loc. cit. num.* 988. Castropalao *tract.* 13. *disp.* 6. *pu.* 2. §. 5. *num.* 9. vel Flamin. *de Resignat. l.* 3. *q.* 2. *n.* 21.

CONFERENTIA UNDECIMA.

De Obligationibus Beneficiatorum, Eorumque Emolumentis.

SUMMARIUM

356. *Obligationes Beneficiatorum præcipue sunt duæ, scilicet* 1. *recitare horas Canonicas, &* 2. *residere.*

357. *Obligationes vero particulares possunt esse diversæ, pro diversitate fundationum.*

358. *Nomine Residentiæ intelligitur commoratio Beneficiati in loco Beneficii.*

359. *Ad hanc, per se loquendo, tenentur omnes, tam curatum, quam simplex Beneficium possidentes.*

360. *Quanto tempore liceat Episcopis abesse a suis Ecclesiis.*

361. *Quanto tempore Canonicis;*

362. *Et quanto tempore Parochi possint abesse a suis.*

363. *Causæ excusantes a Residentia generaliter loquendo dantur quatuor.*

364. *Emolumenta vero Beneficiatorum sunt duo scilicet* 1. *Redditus annui, &* 2. *distributiones quotidianæ.*

365. *Recensentur breviter pœnæ Beneficiatorum, non residentium sine legitima causa.*

366. No-

366. *Notatur differentia inter Residentiam, & Interessentiam in divinis.*

367. *Qui ex legitima causa non resident, fructus annuos, seu grossos, ut vocant, nihilominus faciunt suos.*

368. *Qui vero resident, sed ex legitima causa non intersunt divinis, possunt gaudere distributionibus quotidianis.*

369. *Quibusnam debeantur distributiones Absentium.*

370. *Resolvitur Casus I. Cujusdam Pastoris, qui tempore pestis, relictis ovibus suis, ad instar Mercenarii aufugit.*

371. *Hinc incurrit privationem fructuum, tempore absentiæ suæ currentium.*

372. *Solvitur quædam instantia in contrarium.*

373. *Resolvitur Casus II. duorum Beneficiatorum, dubitantium, an Sacra septimanalia tenerentur etiam applicare ad intentionem Fundatorum.*

374. *Refertur quædam opinio circa hoc dubium, sed oppositum suadetur.*

375. *Et quid de eo, qui scit, se teneri ad aliquot Sacra hebdomadatim quidem legenda, dubitat tamen, ad quot?*

376. *Non tantum fructus annui, sed etiam distributiones quotidianæ debentur legitime absentibus ob infirmitatem.*

377. *Resolvitur Casus III. de quodam Beneficiato, qui ob simulatam duntaxat infirmitatem consuevit emanere ex choro.*

378. *Unde talis tenetur in conscientia ad restitutionem distributionum quotidianarum.*

379. *Quidnam agendum Parocho, qui necessitate improvisa cogitur abesse a loco sui Beneficii.*

380. *Beneficiatus tenetur interesse divinis.*

381. *An habendus sit pro præsente, qui durante Officio D. celebrat.*

382. *Vel qui eo durante administrat Sacramenta.*

383. *Parochus tempore pestis non tenetur per se ipsum omnibus administrare Sacramenta.*

384. *Nonnullæ cautelæ, tempore pestis observandæ.*

385. *An Beneficiatus peccet, legendo Missam fundatam in alio altari, quam assignato a Fundatore.*

386. *An Beneficiatus ad quotidianum Sacrum obligatus, nunquam possit pro se, vel alio applicare Sacrum.*

387. *Quidnam quoad Residentiam observandum ab iis, qui simul habent duo, vel plura Beneficia.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de Obligationibus Beneficiatorum &c. &c.

QUæres primo, quæ, & quot generaliter loquendo sint obligationes Beneficiatorum?

356. R. Obligationes Beneficiatorum præcipuæ sunt duæ, scil. 1. Recitare quotidie horas canonicas, & 2. Residere in loco Beneficii. Prior obligatio incumbit omnibus Beneficiatis, esto nondum supponantur constituti in Sacris Ordinibus: posterior vero hodiedum præcipue incumbit Beneficium curatum possidentibus: & licet etiam Beneficium simplex de jure postulet Residentiam, ex consuetudine tamen quamplura sunt libera ab hoc onere, teste Palao *tract.* 13. *disp.* 5. *de Benefic. oneribus*. De hac Residentia præcipue agemus in præsenti Conferentia: de obligatione vero recitandi horas canonicas agemus in duabus proxime secuturis.

357. Dixi etiam, *obligationes præcipuas Beneficiatorum esse duas &c.* ut per hoc innuerem, secundum diversitatem Beneficiorum & diversarum fundationum dari posse plures obligationes particulares.

Nam aliqui vi fundationis tenentur ad dicendas singulis septimanis aliquot Missas; alii ad quotidianam. Aliqui tenentur in choro cantare, vel cantantibus interesse, dum horæ minores vel laudes divinæ persolvuntur; alii e contra a choro sunt omnino exempti. Hinc pro dignoscendis hisce particularibus oneribus vel obligationibus unusquisque tenebitur litteras suæ fundationis sæpius, & considerate quidem legere, earumque tenorem ad amussim exequi, prout sapienter monet R. P. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 11. *dist.* 1. *n.* 65.

Quæ-

Quæres jam secundo, quidnam ergo intellgiatur nomine Residentiæ.

358. R. Nomine Residentiæ intelligitur commoratio Beneficiati moraliter saltem continua, in loco Beneficii, ad præstandum ibi personaliter servitium Ecclesiasticum; cum enim Beneficium detur propter officium, hinc non sufficit, ut Beneficiatus merum materialiter & quasi otiose in loco Beneficii resideat, aut omnia per alium a se substitutum peragat, sed tenetur regulariter loquendo, & cessante legitimo impedimento per se ipsum personaliter ovium suarum providere saluti spiritualibus obsequiis, prout habetur *cap. Relatum* 4. *de Clerico non resident*. Porro alia dicitur Residentia *præcisa*, alia *causativa*. Præcisa appellatur, quæ est inseparabilis a Beneficio, ita ut Beneficiatum obliget sub pœna amittendi titulum. Causativa autem ea dicitur, sine qua adhuc retineri potest Beneficium, ita scilicet, ut solum obliget sub pœna amittendi fructus. Videatur la Croix *l.* 4. *n.* 864.

Quæres tertio, quinam ergo Beneficiati teneantur ad Residentiam?

359. R. Regulariter tenentur omnes Beneficiati 1. non solum illi qui possident Prælaturam, Dignitatem, Personatum, Canonicatum, aut Beneficium curatum, sed etiam 2. qui possident Beneficium simplex quodcunque. Illud prius habetur decisum variis juribus *c.* 1. 6. & 10. *de Cleric. non resident.* item *cap.* 13. & 30. *de Præbend.* & expresse in Concil. Trid. *SS.* 23. *c.* 1. & *SS.* 24. *c.* 12. *de Reform.* Hoc posterius de Beneficiis simplicibus pariter habetur decisum *can. fin. dist.* 92. Nec immerito; quia beneficium datur propter officium personaliter præstandum. Nihilominus cum Beneficium simplex plerumque non importet aliam obligationem, nisi recitationem horarum canonicarum, & hæ ubivis locorum recitari possint; hinc accedente præsertim longæva consuetudine obligatio residendi respectu talium plerisque in locis extincta fuit, nisi forte vi fundationis teneatur specialiter residere v. g. ob Sacrum celebrandum &c. Illi insuper, qui Canonicatum aut Præbendas Ecclesiarum Cathedralium aut collegiatarum possident, esto nullam habeant curam animarum, nihilominus tenentur ad residendum, id est, ad perseverandum in illo loco aut civitate, ubi beneficium est fundatum, aut Ecclesia Cathedralis vel collegiata consistit. Videantur de hoc Fran. Schmier *l.* 3. *tr.* 1. *p.* 2. *c.* 3. *num.* 335. Vel Holzmann *part.* 3. *tr.* 3. *n.* 425.

Quæres quarto, an ergo Episcopis, aut Canonicis Ecclesiarum Cathedralium vel Collegiatarum nunquam liceat abesse a suis Ecclesiis?

360. R. Ad hoc quæsitum primo. Episcopi extra tempus Adventus, quadragesimæ & alia solemniora festa, utputa Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi &c. possunt abesse ab Ecclesia sua per duos, vel ad summum per tres menses, sive continuos, sive interpolatos, idque sine alia Superioris approbatione, v. g. ex causa visitandi amicos, relaxandi animum &c. Ita indulgetur in Concilio Trident. *SS.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* & *ex communi* DD. tradunt Barbosa *in Collectaneis num.* 15. & 16. Pichler *in Candid. Jur. Can. lib.* 3. *tit.* 4. *n.* 4. Ratio hujus redditur ab ipso Concilio *cit.* quoniam qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse; quia statim reversuri sunt. Hinc non debent tres menses unius anni connectere cum tribus mensibus alterius, ita scil. ut quis hoc anno non resideat per mensem Octobris, Novembris, ac Decembris, & proxime sequenti anno per mensem Januarii, Februarii, Martii, quia talis absentia jam non esset brevis (qualem indulget Tridentinum) sed longa nimis. Ubi vero Episcopus diutius abesse vult, idem Tridentinum requirit causam gravem, & licentiam vel a Summo Pontifice, vel ab Episcopo Suffraganeo antiquiore residente in scriptis dandam.

361. R. Jam ad idem quæsitum secundo, Canonici Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum quolibet anno possunt abesse a suis respective Ecclesiis per tres menses, nisi ex particularibus constitutionibus aliud exigatur. Ita Concilium *Trident. SS.* 24. *cap.* 12. *de Refor.* Hoc tamen ita intelligendum venit, ut semper tantus remaneat numerus Canonicorum, quantus ad congruum

Ecclesiæ servitium est necessarius, proindeque non debent omnes simul eodem tempore sese absentare; quia præfatum Concilium solum indulsit tres menses absentiæ toti Capitulo, seu Canonicis, sed singulis per vices, prout notat Fagnanus *in c. licet num.* 55. *de Præbendis.* Reiffenstuel, aliique plures.

Quæres quinto, an, vel quantum temporis Parochis liceat abesse a suis Ecclesiis?

362. R. Etiam Parochis licet abesse, sed non nisi cum certis conditionibus ac limitationibus, scil. ut hoc non fiat, nisi de consensu Episcopi in scriptis obtento, nec ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa. En tibi verba Concilii Trident. *SS.* 23. *c.* 1. *Eadem omnia, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuscunque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens obtinent, SS. Synodus declarat & decernit, ita tamen, ut quandocunque eos, causa prius per Episcopum cognita, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant.* Hactenus Concilium. Et licet Azorius, Navarrus & alii quidam existiment, Parochum posse abesse per duos menses (sed non ultra) absque licentia: si tamen velimus ponderare verba Concilii mox recitata, patebit, hanc opinionem vix esse probabilem; quia Concilium expresse vult, ut *quandocunque eos abesse contigerit, causa prius per Episcopum cognoscatur, qui licentiam in scriptis det, sed non ultra bimestre &c. &c.* Hinc Garcias *de Benefic. p.* 3. *c.* 2. *n.* 23. & alii nonnulli referunt a S. Congregatione Cardinalium decisum, non posse Parochum per hebdomadam abesse, non petita prius, vel non obtenta licentia, esto etiam relinqueret idoneum Vicarium ab Ordinario approbatum. Nihilominus quantum ad hanc residendi obligationem attendi debent consuetudines, aut Constitutiones particulares singularium Diœcesium, prout sapienter monent Lessius, Reiffenstuel *tr.* 11. *dist.* 1. *n.* 77. & alii plures.

Quæres sexto, an dentur, & quænam sint causæ excusantes a Residentia?

363. R. Dantur, & præcipue quatuor sequentes 1. *Christiana charitas*; ut si talis Beneficiarius laboret in vinea Domini Sabbaoth, operam dans vel convertendis peccatoribus, vel paci, præsertim publicæ restituendæ. 2. *Urgens necessitas* salutis corporalis; ut si ex præscripto Medicorum debeat mutare auram, uti balneo vel acidulis. 3. *Debita obedientia*; ut si Episcopus vel alius superior vel avocet, vel mittat hujusmodi Clericum ad peragendum quoddam negotium pro bono Ecclesiæ aut Reipublicæ. 4. *Evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas*; ut si talis alibi v. g. Romæ defendat jura suæ Ecclesiæ, aliudve negotium pro bono Regni, vel Diœceseos &c. expediat &c. In his tamen Casibus semper necessum erit, ut vel auctoritate superioris mittentis, vel Beneficiarii sedulitate substituatur alius æque aptus, vel sufficiens ad agendam animarum curam.

Quæres septimo, quænam sint emolumenta Beneficiatorum?

364. R. Duo sunt emolumenta (temporalia intellige) Beneficiatiorum debito tempore, & modo residentium, scilicet 1. Redditus annui, seu fixi, & 2. Distributiones quotidianæ, quæ alio nomine vocantur Præsentiæ. Ita noster P. Holzmann ubi supra *n.* 243. a quo accipe sequentem explicationem. Redditus annui seu fixi sunt fructus, qui residentibus dantur annuatim absque respectu ad singulas interessentias, seu præsentias in choro, vel divino Officio.

Distributiones vero quotidianæ seu præsentiæ sunt illi fructus v. g. pecunia, frumentum, vinum &c. &c. qui dantur intuitu cujuslibet interessentiæ seu præsentiæ personalis (sive *veræ* sive *fictæ*, de qua mox) in choro, vel officio divino. Porro fructus annui immo etiam quotidiani, qui consistunt in frumento, vino, aliisve victualibus, vocari solent *fructus grossi* seu *victualia*; de quibus videri potest P. Pichler *Candidat. J. Can. lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 7.

Quæres octavo, quænam sint pœnæ Clericorum, seu Beneficiatiorum non

non Residentium, & quidem sine legitima causa?

365. R. Ad hoc I. Pœna non residentium in Beneficiis curatis est privatio fructuum pro rata absentiæ, ita scil. ut si talis Beneficiarius ultra tempus a jure permissum sine justa causa & licentia sit absens, v. g. per unum mensem, fructus eo mense currentes non faciat suos, sed teneatur eos erogare in fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes, & quidem ante omnem sententiam, juxta Constitut. *Trident. SS.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* II. Pœna vero non residentium, vel ultra tres menses absentium in Beneficiis non curatis, utputa Cononicorum, & aliorum, qui in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Dignitatem, Præbendam vel portionem obtinent, est privatio dimidiæ partis frctuum pro primo anno neglectæ residentiæ. Pro secundo anno privandi sunt omnibus fructibus, quos illo anno lucrati sunt; sed hoc per sententiam Judicis, quia hæc pœna non est latæ, sed ferendæ sententiæ, ut constat ex Trident. *SS.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* Tandem crescente contumacia jubente Concilio citato, contra eos procedendum est juxta SS. Canonum constitutiones, hoc est: citandi sunt, & si fuerint contumaces, vel per censuras ad residendum cogendi, vel statim privandi sunt Canonicatibus, ut habetur *cap.* 4. 8. & 11. *de Cler. non resident.* exspectatis tamen post ultimam citationem sex mensibus. Videantur de his Castropal. *tract.* 13. *disp.* 4. *pu.* 3. vel Bockhn *lib.* 3. *Decret. tit.* 4. *n.* 22. & *seqq.*

Quæres nono, an præfatas pœnas etiam illi Beneficiati incurrant, qui ultra tempus jure ordinario concessum non resident, vel saltem non intersunt divinis &c. sed hoc ex justa causa?

366. Ante responsionem notandum est, aliud longe esse *residere* in loco Beneficii, & aliud *interesse* Divinis; nam sæpesæpius contingit, ut Beneficiatus aut Canonicus in loco Beneficii, vel Ecclesiæ Cathedralis aut collegiatæ resideat, qui tamen divinis non interest: certum insuper est, dari posse nonnullas causas, quæ non solum a residentia in loco, verum insuper ab interessentia in divinis excusent, prout colligere licet ex proxime dictis *n.* 363. Unde jam dubitatur, an etiam illi qui ex justa causa non resident, vel non intersunt divino officio, mox recensitas pœnas incurrant, an vero non solum fructus annuos, sed etiam distributiones quotidianas lucrentur, aut faciant suos? hoc not.

367. R. Ad quæsitum primo. Qui justa ex causa non resident in loco Beneficii, sed ultra tempus jure communi concessum absunt, nihilominus fructus annuos faciunt suos, ideoque non incurrunt præfatas pœnas. Ita *DD. communiter*. Ratio est: tum quia tales non committunt culpam, eo ipso, quod justa de causa non resideant: ergo nec debent sentire pœnam; tum præsertim, quia absentes ex justa causa fictione juris censentur præsentes in ordine ad effectum percipiendi redditus annuos, pro ut habetur *c.* 15. *de Cleric. non resident.* Justas vero causas non residendi mox supra *num.* 363. enumeravimus. Dixi insuper, quod non residentes in loco &c. *fructus annuos* faciant suos; secus quippe discurrendum est de distributionibus quotidianis, licet enim etiam hæ in sustentationem congruam Beneficiariorum sint deputatæ, quia tamen hæc deputatio facta fuit, a fundatoribus ex alio titulo, scilicet pro singulis interessentiis, & quidem ad acuendam diligentiam hominum quo ad frequentationem Chori, hinc omnino absentibus seu non residentibus non debentur, prout cum aliis DD. tradit Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 4. *a n.* 165. Laymann *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 3.

368. R. Jam secundo ad idem quæsitum. Qui in loco beneficii resident, esto absentes sint a choro, modo id fiat ex justa causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ, & de licentia Ordinarii, seu Prælati, non solum lucrantur fructus annuos, sed etiam quotidianas distributiones. Ita Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 186. & *seqq. ex communi DD.* Ratio est: quia tales in loco vel urbe præsentes fictione iuris censentur etiam præsentes in choro, prout habetur *c. un. de Cler. non resident. in* 6. Hac de

causa

causa Engel *l.* 3. *tit.* 4. *n.*30. recte infert, omnes illos, quos infirmitas, senium, injusta captivas, aut injusta excommunicatio vel alia corporalis necessitas, vel Ecclesiæ utilitas procuranda impedit, frui debere nedum fructibus grossis seu annuis, sed etiam distributionibus quotidianis, dummodo alias consueverint chorum frequentare; nam si sani non frequentassent, non censeretur infirmitas dare causam absentiæ. Dixi insuper: modo id faciat *ex causa utilitatis Ecclesiæ*, utpote ob defendenda jura Ecclesiæ vel sui Canonicatus &c. juxta *c. ex parte* 13. *de Cleric. non resideat*. Nam si solum abesset ob utilitatem privatam v. g. ad dirigendam vel instituendam æconomiam suam &c. non propterea haberetur pro præsente, neque lucraretur distributiones quotidianas, neque simpliciter fructus grossos.

Cui ergo (inquies fortassis) obvenire debent, vel ad quem finem applicandæ sunt illæ distributiones, si absentibus non debeantur?

369. R. Cum necessaria distinctione. Vel enim supponitur a fundatore assignata certa quantitas pro omnibus, idest, pro toto Capitulo, eo tamen onere, ut præsentibus duntaxat distribuatur; vel supponitur assignata singulis interessentibus certa quantitas v. g. hoc modo, ut quisquis tali officio divino, vel tali vigiliæ &c. &c. interfuerit, obtineat dugatum, vel florenum &c. &c. si prius, tunc absentium portiones accrescunt præsentibus, ut de se liquet, & colligi potest ex Concilio Trid. *SS.* 21. *cap.* 3. *de Reform.* si secundum, tunc vel nihil restabit dividendum, vel si quid restet, illud remanebit in massa Ecclesiæ, ideoque Ecclesiæ erit applicandum. Monet tamen sapienter P. Engel *lib. cit. num.* 35. quo ad hoc punctum, utpote in jure non satis clare decisum, attendendum esse ad consuetudines laudabiles in singulis locis receptas. Videantur de hoc Reiffenstuel *lib. cit. num.* 183. Garcias *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 443. & 444. Laymann ubi supra *num.* 5. Barbosa *lib.* 3. *J. E. V. cap.* 18. *num.* 79. & *seqq.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de obligationibus, & emolumentis Beneficiatorum.

CASUS PRIMUS.

Titius animarum Pastor sedulus pluribus infirmis Sacramenta fidelissime administraverat, ingravescente vero & in dies crescente infirmantium calamitate, ac re per Medicos examinata, inaudit, luem esse pestiferam & infectivam, hinc timens pelli suæ sub prætextu alterius, & quidem urgentissimi negotii pertractandi, se in alium locum tutum longe dissitum recepit, substituto tamen prius Vicario viro zeloso ac probo, qui suo nomine ageret curam animarum, & infirmis assisteret: tum vero primum ex illo loco dissito Episcopo suo per Epistolam insinuavit discessum, & hujus, nescio quam fictam causam. Post aliquot septimanas, dum inaudiit sopitam, vel omnino extinctam esse luem pestiferam, pœnitentia facti ductus, fatetur suam culpam, simulque consilium postulat denuo revertendi ad propria &c. &c.

Quæritur jam 1. *quomodo peccaverit Titius* 2. *an vel quas pœnas propterea incurrerit?*

370. R. Ad primum quæsitum hujus Casus Titium deserendo suas oviculas ac fugiendo ad instar mercenarii, & quidem sine licentia ab Episcopo petita vel obtenta, procul dubio peccasse mortaliter; quia in re gravi egit contra suam obligationem, fortassis non sine scandalo, & gravissima offensa suorum Parochianorum; enim vero quod Parochus etiam tempore pestis teneatur in loco beneficii residere, & suis subditis baptismi ac pœnitentiæ Sacramenta vel per se, vel per alium ministrare, instante S. Carolo Borromæo Archi-Episcopo Mediolanensi & S. R. E. Cardinale 1576. 11. Octobris exstitit declaratum a S. Congregatione Concilii Tridentini; nec immerito; nam sicut Parochiani in tam calamitoso statu ex præsentia proprii Parochi magnam procul dubio sentiunt consolationem, ita pariter ex hu-

jus absentia & turpi fuga non minorem sentirent afflictionem: & quomadmodum Parochus supponitur majorem habere notitiam suarum ovium; ita & noverit iisdem melius providere: nec oportet curare periculum salutis: *boni quippe Pastoris est, animam suam ponere pro ovibus suis*, juxta effatum Christi Domini *Joann.* 10. *cap.*

371. R. Jam ad alterum quæsitum. Titius noster ob vitium fugæ incidit pœnam privationis fructuum pro rata temporis, ita scilicet, ut fructus tempori absentiæ culpabilis correspondentes non faciat suos: neque eos tuta conscientia retinere valeat, idque ante omnem sententiam declaratoriam criminis. Ita cum Fagnano *in Cap. Relatum n.* 41. Reiffenstuel. *lib.* 3. *Decret. tit.* 4. *num.* 59. Ratio est: quia hoc statuit Concilium Trident. *SS.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* de Episcopis, quibus quo ad culpam, ac amissionem fructuum & pœnas æquiparavit Prælatos inferiores. Aliqui insuper existimant, Parochum non residentem, ipso facto existere privatum beneficio; eo quia *in Cap. Extirpanda* 30. §. *qui vero de Præbend.* expresse dicitur: *alioquin* (non residens) illa (Ecclesia scilicet parochiali) *se sciat auctoritate hujus Decreti privatum &c.*

Castropalao tamen *tr.* 13. *Disp.* 5. *pu.* 3. *num.* 9. Garcias & alii asserunt, hanc pœnam privationis ipso jure incurrendam per desuetudinem fuisse abrogatam; immo teste R. P. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 104. Sacra Congregatio Concilii declaravit, Parochos contumaces non ideo statim privandos esse suis beneficiis, quod tempore pestis absint a suis Ecclesiis, sed agendum prius bonis verbis, & piis cohortationibus, atque admonitionibus, his vero nihil fructificantibus primum contra eos procedendum esse censuris, subtractione fructuum, aliisque juris remediis, juxta præscriptum Concilii Tridentini *SS.* 23. *c.* 1. *de Reform.*

Dices contra resolutionem mox datam. Fas est Parocho de licentia Episcopi discedere a loco beneficii (substituto prius idoneo Vicario) causa recuperandæ sanitatis: cur ergo sine pœna non liceret tempore pestis (substituto prius idoneo Vicario, ut noster Casus fert) discedere causa fugiendæ, ut declinandæ contagionis pestiferæ?

372. R. Disparitatem in eo sitam esse, quod in priore casu supponatur solus Parochus de vita periclitari absque ullo alio periculo subditorum; hinc prudenter eidem condescenditur: e contra vero in posteriori casu non solus Parochus, seu tota Communitas vel plebs supponitur periclitari de vita corporis ratione pestis, nec non de vita animæ ratione pastoris discedentis, non sine scandalo: cum ergo constet, bonum commune animarum longe præferendum esse bono privato vitæ corporalis, hinc merito prohibitum fuit, ne in tali discrimine Pastor trepidantes relinqueret oves &c. Accedit, quod Parochus sine omni prævia licentia Episcopi feratur discessisse in Regionem longe dissitam; quod utique sicut summe periculosum ac scandalosum, ita & jure merito gravissime interdictum est: & hac fortassis de causa idem D. Parochus, de quo Casus noster (quantum audivi) fuit suo privatus beneficio.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius Princeps insignem capellam suis sumptibus construi fecit, addita fundatione aliquod millium florenorum, ut ex censu annuo 300. florenorum duo Sacerdotes alerentur, qui singulis diebus sacrum dicerent statutis horis, tum ut subditis pariter esset provisum de spiritualibus obsequiis, deque occasione quotidie audiendi sacrum, tum prefertim ut Dei, illiusque Sancti, in Cujus honorem Ecclesia fuerat constructa, cultus promoveretur. Jam vero dubitant iidem Sacerdotes, an non solum teneantur ad sacrum quotidie statuta hora legendum, sed etiam ad illud applicandum, an vero sibi liceat eadem Sacra pro stipendio ad alterius intentionem applicare. Rationem dubitandi allegant geminam, 1. quia centum taleri pro annua sustentatione unius Sacerdotis non sufficiunt, ideoque non videntur stipendium congruum; tum præsertim, quia facta diligentissima inquisitione

nec

nec ex litteris fundationis, neque etiam ex aliorum relatione, quo cum fundatore olim familiariter egerant, ejusdemque arcana noverant, possunt colligere, quod fundator voluerit eos obligare ad applicandum sacrum; cum de hac intentione nec verbulum habetur in litteris, sed solum de sacris quotidie certis horis persolvendis. Quid ad hoc dubium respondebit Confessarius?

372. R. Confessarius respondeat, nedum tutius, sed & probabilius videri, quod dicti sacerdotes teneantur nedum ad sacrum quotidie statuta hora legendum, sed & ad illud applicandum ad intentionem fundatoris. Ita Sylvius *p. 2. V. Missa C. 4.* Et alii mox citandi. Ratio est: quia usus fundantium habet, ut quamvis Missa talis sit etiam ad devotionem & commoditatem populi, nihilominus velint eam sibi & familiæ prodesse. Hinc si constet, Missas v. g. tres in septimana esse legendas, & nesciatur ad quam intentionem, pariter præsumendum est, fieri debere pro anima vel familia fundatoris; quia in dubio quisque præsumitur sibi, vel suis voluisse optime consulere. Bonacina, Pasqualigo *q.* 908. Gobat *Theolog. experim. tr. 3. num.* 494. testaturque Pignatelli *tom. 1. consult.* 139. *n.* 14. *fin.* Sacram Congregationem Concilii in una Mediolanensi *die 18. Aprilis* 1654. declarasse *Missam semper esse applicandam pro fundatore Capellaniæ, quando ille se non declaravit, relinquere applicationem sacrificii in libertate celebrantis*; qui enim vult, & obligat ad sacrificium, non immerito reputatur velle fructum, ceu aliquid accessorium ad ipsum, id, quod amplius.

Confirmatur: quia si Moniales dato stipendio vocent sacerdotem ad legendam Missam, ut eam audire possint, tenetur sacerdos vocatus eandem applicare pro iisdem Monialibus, nec potest pro eadem Missa ultra stipendium a Monialibus acceptum aliud accipere ab alio quocunque demum, velut deducitur ex decreto S. Congreg. Illustr. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum de *die 6. Febr.* 1627. videndo apud Gobat *l. cit. num.* 551.

374. Dixi: nedum tutius (uti dc

scilicet) sed et longe probabilius videri &c. Quod enim talis Cappellanus non teneatur ad applicandum sacrum, nisi expresserit fundator, probabile censent varii Doctores, etiam insignes, Lugo, Pellizarius *in manual. Regul. tom. 2. tr. 6. cap. 3. num.* 20. Bordonus *conf. reg. tom. 1. resolut.* 25. *num.* 6. & ipse Pignatelli *loc. cit. num.* 1. probabile censet; tum quia 1. a diversis, inter quæ non datur necessaria aliqua connexio, non fit illatio *l. Papinianus, ff. de Minor.* atqui longe diversa sunt tali die vel hora *audire sacrum*, & *applicare* illud ad certam intentionem: ergo ex eo, quod talis sacerdos teneatur certa hora vel die dicere sacrum, non bene infertur, quod teneatur illud applicare; tum quia 2. si fundator intendisset obligare sacerdotem etiam ad applicationem sacrificii quo ad fructum specialem, illud verosimilius expressisset: regulariter namque & communiter solent hoc exprimere fundatores: ergo cum hoc fundator non fecerit in nostro casu, & ex regulariter vel communiter contingentibus fiat prudens præsumptio, videtur potius præsumendum, quod noluerit Capellanos obligatos ad applicandum sacrum, sed potius in eorundem arbitrio relinquere, pro quibus illud quo ad fructum ministerialem etiam pro stipendio velint applicare, eo præsertim, cum salarium annuum a fundatore assignatum (scilicet pro singulis 150. floreni) non videatur sufficiens stipendium pro honesta ac congrua sustentatione sacerdotis, & pro tali onere perpetuo seu stabiliter portando. Denique huic illationi ait, Pignatelli *cit. numer. 5. fin.* favent, quod, sicut in regibus solemus earum obligationem interpretari juxta finem in iis a legislatore expressum, ita pariter talis fundatio, utpote habens vim legis privatæ, videtur interpretanda juxta finem fundatoris ceu legislatoris: atqui finis hujus fuit Gloriam Dei ac Sancti, in cujus honorem Cappella fuit constructa, promovere, simulque populo prospicere de commoditate in tali Capella noviter erecta audiendi sacrum; qui uterque obtineri potest absque ap-

applicatione fructus ministerialis: ergo probabile videtur, posse tale Sacrum applicari pro alio, qui offert stipendium. His tamen non obstantibus Pignatelli *cit. loc. n.* 11. putat, oppositam seu priorem opinionem *n.* 373. traditam esse tenendam, & practicandam: id, quod & ego censeo ob declarationes jam allegatas.

Sed quid, inquies, respondendum illi Beneficiato, qui fatetur 1. se gaudere beneficio sat pingui. 2. insuper sibi constare, quod singulis septimanis in certa Ecclesia teneatur celebrare sacrum, ignorare tamen inculpabiliter, an teneatur ad sacrum quotidianum, an vero solum ad aliquot sacra per hebdomadam &c. eo quod litteræ fundationis sive bellorum injuria, sive antecessorum suorum incuria deperierint.

375. R. In tali casu attendendum & diligentissime indagandum esse 1. quid fecerint antecessores, si (ut suppponi debet) fuerunt viri probi: secundo, attendendum est ad consuetudinem loci vel Regionis, in qua situm est Beneficium, & secundum illam more aliorum pinguia beneficia possidentium erit procedendum: quod si ille mos est varius circa frequentiam sacrorum pro similibus beneficiis pinguibus, poterit sequi quod minimum, & sibi favorabilius est. Denique si neque ex antecessorum praxi, neque ex consuetudine loci certi quidpiam colligi possit, & beneficium supponatur valde pingue, nec aliunde oneratum, censeo cum Tamburino, Gobato *Theolog. exper. tr.* 3. *n.* 478. la Croix *l.* 4. *n.* 831. & aliis, præsumendum esse pro celebratione & applicatione sacri quotidiani; quia in obscuris inspicimus quod plerumque fieri assolet *c. Inspicimus* 45. *de R. J. in sexto*, atqui plerumque in particularibus Ecclesiis totius Orbis fieri solet, ut pingues Capellaniæ habeant annexum onus quotidie celebrandi, & applicandi sacrum ad intentionem fundatoris: ergo &c. Videantur *Doctores citati*.

CASUS TERTIUS.

Cajus Beneficiatus ad chorum obligatus nil magis, quam chorum odisse fatetur; hinc ne eundem frequentare cogatur, simulat (nescio quem) diutinum languorem, & impetrato a quodam Medico bono suo amico attestato probat, se ob infirmitatem cogi exesse divinis in Choro persolvendis, proptereaque nedum fructus grossos seu annuos, verum insuper distributiones quotidianas percipit, licet non sine remorsu conscientiæ. Jam ad hanc speciem facti dubitatur 1. *an Cajus peccet, vel quomodo? &* 2. *an non teneatur ad restitutionem fructuum, vel saltem distributionum quotidianarum pro interessentibus deputatarum ex intentione Ecclesiæ vel Benefactorum?*

376. Ante resolutionem notandum & supponendum, quod tametsi distributiones quotidianæ per se loquendo ex intentione Ecclesiæ ac fundatorum non debeantur, nisi præsentibus seu interessentibus officio divino in Ecclesia, eo scilicet fine, ut homines animentur ad majorem diligentiam interessendi, ac promovendi cultum divinum; veluti constat *ex C. de cetero* 7. *de Cleric. non resident.* nihilominus non fructus annui tantum, sed etiam eædem distributiones debeantur Beneficiatis, seu etiam Canonicis vere infirmis; tum quia afflicto non est addenda afflictio, ut dicitur *cap. Ex parte* 4. *de Cleric. ægrotant.* tum etiam quia si Clericus ob infirmitatem supervenientem privaretur victualibus vel distributionibus quotidianis ad congruam sustentationem necessariis, ob hujus timorem forte non posset reperiri, qui militaret Ecclesiæ, prout dicitur *Cap.* 1. *eodem tit.* hinc merito infirmatas realis excusat ab interessentia divinorum officiorum, absque amissione distributionum quotidianarum, prout constat ex jam dictis *num.* 364. idque verum est, tametsi Clericus ex propria culpa v. g. intemperantia aut inordinato modo vivendi &c. incidisset in talem infirmitatem; quia *cap. un. de Cler. ægrot. in sexto* indistincte excipitur infirmitas &c. modo talis Canonicus aut Beneficiatus tempore sanitatis assueverint frequentare chorum; nam

nam si nequidem tali tempore consuevisset frequentare divina, merito præsumeretur non ex infirmitate, sed ex inolita negligentia abesse divinis, propterea; privaretur distributionibus quotidianis, veluti notant Fagnanus, & alii apud Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.*4. *n.* 192. Bockhn. *eod. tit. n.* 46. hoc notato.

377. R. Ad primum dubium, Cajum non comparendo in choro ob simulatam infirmitatem probabilius mortaliter peccare, saltem si per duos vel plures menses chorum negligat, & nihilominus de distributionibus quotidianis more aliorum præsentium participare præsumat: immo vero, si absque legitima causa absit pluribus diebus, etiamsi distributiones remittat, mortaliter peccare censent Castropalao *tr.* 7. *disput.* 3. *pu.* 2. *num.* 3. Vasquez *de benef. cap.* 4. *art.* 2. *dubio* 1. *num.* 182. Suarez & alii plures. Ratio est: tum quia obligatio interessendi in tali Beneficiato oritur ex justitia, & est de se gravis; hinc *cap. fin. dist.* 92. dicitur: *si quis Presbyter aut Diaconus, vel quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus - - ad quotidianum psallendi officium matutinis, vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenerit, deponatur a Clero &c. &c.* tum præsertim quia talis reliquis interessentibus infert injuriam; cum sine legitima causa præsumat participare de distributionibus non sibi, sed illis duntaxat debitis; simulata enim infirmitas sicut a parte rei nulla est; ita nullum coram Deo tribuit titulum, neque ullatenus ambigendum, quin hujusmodi injusta participatione per duos, tres, vel plures menses continuata, reliquis DD. Canonicis aut beneficiatis interessentibus damnum notabile inferat; atqui hoc fieri nequit sine gravi peccato: ergo &c.

378. R. Jam ad alterum dubium ejusdem Casus, Cajum teneri in conscientia ad restitutionem distributionum quotidianarum, si quas illo tempore simulatæ infirmitatis percepit, idque etiam ante omnem sententiam. Ratio est: quia tales fructus præsentiales, utpote destitutus legitimo titulo, nunquam fecit suos; sed eos velut alienos injuste usurpavit aut consumpsit: atqui injustus rei alienæ aggressor &c. vel damnificator ante omnem sententiam tenetur ad restitutionem illius, quod injuste consumpsit vel usurpavit: ergo &c. Nec dici valet quod reliqui non sint inviti, præsertim cum credant Cajum revera esse valetudinarium; nam hoc irrationabiliter & sine fundamento asseritur: quin potius credendum est, eos nolle, ut hujusmodi portiones obveniant hujusmodi negligentibus, & Ecclesiæ turpiter imponentibus. Quin immo, tametsi Episcopus, vel Capitulum, aut illi ipsi, quibus deberent accrescere, vellent remittere, talis tamen remissio esset invalida per *Concil. Trident. ss.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* prout bene animadvertunt Castropalao *tr.* 7. *disp.* 3. *pu.* 2. *num.* 1. & *pu.* 6. *num.* 3. Lugo *de Just. disp.* 21. *num.* 51. La Croix *lib.* 4. *n.* 877. Leurenius, & alii plures. Quod vero attinet fructus annuos seu grossos, tametsi ante sententiam Judicis eos restituere non teneatur, potest tamen (si constiterit, quod solum ob simulatam infirmitatem emanere soleat) per sententiam Judicis iisdem privari, sin minus ex toto, saltem ex parte, secundum dicta *num.* 365. Ratio hujus est: quia tametsi Clericus in loco sui Beneficii moretur, si tamen Officium suum non præstet v. g. si Canonicus nunquam ad Chorum, aut ad Capitulum veniat, non censetur residere; residentia enim sine effectu aut fructu, reputatur nulla & frustranea. Quia tamen aliud est *residere*, & aliud *interesse*, ut notat Navarr. *lib.* 3. *Consil.* 13. *de Cleric. non resid. edit.* 2. hinc licet talis Canonicus interdum non sine culpa sua a divinis absit, proptereaque carere debeat fructibus, qui præsentibus seu interessentibus divino officio deputati sunt, non tamen illico amittit fructus residentiæ. Ita post Navarrum *loc. cit.* cum Covarruv. Laymann *lib.* 4. *tr.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. Videatur Lessius *lib.* 2. *de J. & Just. cap.* 34. *dub.* 29. *n.* 153. *& seqq.* Fagnanus *in c. Licet, de Præbend. num.* 25.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

379. COlliges ex hactenus dictis primo, quod, tametsi Parochi & alii possidentes Beneficia curata teneantur ad residentiam, ita ut ad longiusculum tempus v. g. unius vel alterius septimanæ sine licentia Episcopi nefas sit alio divertere; nihilominus pro casu occurrentis inopinatæ necessitatis impune possit abesse sine expressa licentia ad breve tempus, modo ad interim suis subditis provideat de aliquo idoneo & probato Vicario seu vices supplente: Ita Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 11. *dist.* 1. *n.* 78. & alii DD. communiter. Ratio est: quia cum juxta vulgare Proverbium necessitas non habeat legem, hinc merito supponitur Episcopus non esse invitus. Monet tamen sapienter Garcias *de Beneficiis par.* 3. *cap.* 2. *num.* 34. & Engel *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 14. ut Parochus post suum discessum quam primum potest, Episcopum de causa absentiæ certiorem reddat, quatenus is de justitia causæ cognoscere, & tempus revertendi determinare possit, præsertim si ad longiusculum tempus emanere cogatur.

380. Colliges secundo, non satis esse quod Beneficiatus aut Canonicus sit præsens in loco Beneficii, sed teneri etiam statis temporibus ad interessendum divinis; quia beneficia non dantur solum propter residentiam in civitate vel loco Beneficii, sed vel maxime propter officia, quæ per se, & non per alios substitutos debent peragere, juxta declarationem Concilii Tridentini *ss.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* Censet nihilominus Zypæus *in annal. Juris Pontif. ad tit. de Cleric. non resident. num.* 28. consuetudinem illam, qua passim videmus in Ecclesiis Cathedralibus psalmodiam non a Canonicis Capitularibus, sed ab Eorum substitutis Chori-Vicariis decantari, non esse irrationabilem; forsassis quia in arte cantandi solent esse minus periti, vel talis complexionis, quæ hujusmodi cantum sufferre non valeat.

381. Colliges tertio, Etiam illum habendum esse pro absente, qui durante Choro & aliis Canonicis psallentibus aut cantantibus celebrat Missam, esto in eodem templo, nisi id faciat ex imperio Superioris, aut nisi esset officians sub tali hora; idque a S. Congregatione Cardinalium declaratum testatur Garcias apud Engel *cit. num.* 33. Quia tamen hæc declaratio potissimum fundatur in illa lege, quod Canonici non per alios, sed per seipsos teneantur canere &c. hinc in locis, ubi consuetudo de canendo vel psallendo per alium, invaluit, etiam hanc consuetudinem de celebrando inter psallendum tolerari posse, existimat idem Engel *loc. cit.*

382. Colliges e contra quarto, Canonicum, cujus dignitati vel Canonicatui incumbit animarum cura, habendum esse pro moraliter, vel potius fictione juris præsente in ordine ad gaudendum distributionibus quotidianis, dum durante Choro occupatur in animarum Cura, administrando scilicet Sacramenta v. g. baptizando, S. Viaticum tribuendo &c. Idem tenendum est de Pœnitentiario, eo tempore Confessiones excipiente. Ita habetur ex Concil. Trident. *ss.* 24. *c.* 8. *de Reform.* pro quo etiam Garcias *part.* 5. *de Benefic. c.* 4. *n.* 123. 124. *& seqq.* refert diversas S. Congregationis Cardinalium declarationes. Ratio est: quia secundum dicta superius *num.* 363. qui a Choro vel divinis abest ob evidentem Ecclesiæ utilitatem, fictione juris censetur præsens in ordine ad percipiendos fructus, & distributiones quotidianas: atqui Canonici in nostro casu administrantes Sacramenta id faciunt ob evidentem Ecclesiæ utilitatem: ergo &c. Videatur Reiffenstuel *l.* 3. *tit.* 4. *num.* 222. *&* 223.

383. Colliges quinto, quod tametsi Parochus teneatur etiam tempore pestis residere secundum dicta *num.* 370. non tamen teneatur propterea per se ipsum pestiferis omnibus administrare Sacramenta, sed possit etiam pluribus co-

eorum id præstare per alium idoneum cooperatorem, vel vicarium. Ratio est: quia cum tempore contagionis plurimi soleant infirmari; hinc nimis foret durum providere omnes, præsertim cum hoc fine evidentissimo infectionis periculo fieri non possit.

Adde, quod etiam extra tempus contagionis satisfaciat, administrando Sacramenta necessaria per alium cooperatorem: quidni ergo etiam tempore contagionis? Casu quo tamen Parochus non inveniret alium, qui tam periculoso tempore vellet supplere vices, tenebitur per se ipsum hoc præstare, & velut Pastor bonus exemplo Christi Servatoris nostri animam suam, id est, vitam corporalem, ponere pro ovibus suis, salute scilicet spirituali earum. Ne tamen ex hujus præmatura morte contingat plurium salutem periclitari, necessum omnino erit, ut SS. Ecclesiæ Sacramenta, pœnitentiam scilicet & Eucharistiam &c. ac Baptismum tali tempore non administret, nisi cum certis quibusdam cautelis.

Sed quænam illæ? inquies fortassis.

384. En! nonnullas in compendio 1. utatur nonnullis præservativis ex præscripto Medicorum. 2. non visitet ægrotos mane, vel certe non jejuno stomacho, sed sumpto saltem prius jentaculo. 3. Paululum theriacæ imponat naribus, vel teneat sub lingua. 4. dum alicujus pestiferi confessionem excipit, strophiolum aceto tinctum, vel alio præservativo munitum aut unctum apponat ad os vel nares. 5. Confessiones ægrotorum non tam prope, sed quantum fieri potest, remote audiat, & quidem facie aversa ab ægroto, ac naribus bene munitis. 6. quamdiu apud ægrum moratur, quam diligentissime sese custodiat, ne unquam salivam (velut vehiculum veneni) deglutiat, sed semper exspuat; 7. moneat etiam ægrotum, ne lecti tegumenta moveat, quando illum propius accedere cogitur, & ubi occasio fert, curet super lapides aut lateres in cubiculo ignem accendi, & acetum superinfundi ad fumum excitandum: caveat autem ne unquam stet inter ignem & ægrotum, sed semper ignis mediatorem agat. 8. Ubi ægrotus non potest altius loqui, ut proin Confessarius debeat eum (non sine majori periculo) propius accedere, moneat, ut æger unum duntaxat vel alterum peccatum exponat in particulari, de reliquis vero in genere duntaxat sese accuset; quia in tali occasione materialis integritas censetur moraliter impossibilis; & ob hanc causam 9. ubi plures simul decumbunt in eodem cubiculo, & ob instans periculum mortis, vel ob periculum publicandi peccata &c. singuli audiri non possunt, sufficiet singulos edere signa doloris, vel de peccatis in genere se accusare, & tunc (sicut & in periculo naufragii vel conflictus subeundi) possunt omnes simul absolvi cum hac formula: *Ego vos absolvo a peccatis vestris in nomine &c. &c.* Qui plura hujusmodi remedia cupit nosse, adeat Henricum Manigart *in suis floribus selectis ad fin.* Engel *l.* 3. *tit.* 4. *num.* 19. Reiffenstuel *l.* 3. *decret. eod. tit. num.* 106.

385. Colliges sexto Beneficiatum dicendo Missas sine causa urgente in alio loco vel altari contra voluntatem fundatoris 1. peccare quidem per se loquendo, non tamen 2. illico condemnandum esse gravis noxæ, nisi 3. fortassis Sacrum debuisset legere in altari privilegiato, vel in tali loco, ubi populus assuevit audire Sacrum, nec aliam habet commoditatem &c. Ratio primi est: quia alibi celebrando contravenire supponitur suæ obligationi a fundatore impositæ, ideoque agit quasi contra legem particularem justam. Ratio autem secundi est: quia supponitur applicare sacrum ad intentionem fundatoris, ideoque satisfacit substantiæ obligationis suæ, unde nec tenetur ad aliquam restitutionem. Ratio tertii est: quia si non celebret in altari privilegiato, defraudabit animam thesauro indulgentiæ plenariæ; quæ haud immerito reputatur magni momenti: & si alibi

cele-

celebrando subtrahat populo occasionem audiendi Sacrum (saltem die festivo aut dominico) omissio hujus eidem moraliter imputabitur, nisi in eodem loco ab alio Sacrum dicatur. Videantur de hoc Castropalao *tract.* 13. *disput.* 1. *pu.* 6. *num.* 26. Burghaber *centur.* 3. *Cas.* 98.

Ergone (inquies) Beneficiatus obligatus ad legendum & applicandum Sacrum quotidianum, nullo unquam tempore poterit pro se, aut alio bono amico Sacrum applicare?

386. R. Cum P. Gobat *tract.* 3. *n.* 585. posse probabiliter per annum quinquies, aut sexies, vel etiam sæpius celebrare pro se, suis cognatis vel etiam aliis Benefactoribus suis. Ratio est: quia nimis durum videretur, si nunquam prorsus posset hoc applicare pro se vel alio bono amico; unde de benignitate fundatoris, pie præsumere licet, quod noluerit cum tanto rigore obligare, ut nunquam prorsus fas esset pro alio celebrare: idipsum tenendum, si talis Beneficiatus aliquoties propter infirmitatem non posset celebrare Sacrum; aliud foret, si hoc vellet applicare aliis pro stipendio; quia fundator merito præsumeretur invitus, nisi in fundatione fuisset expressum, ut si per se ipsum non valeat, id per alium suppleat; quippe qui supponitur legasse competens stipendium. Videantur de hoc La Croix *l.* 4. *n.* 830. Pasqualigo *de Sacrificio a. q.* 1116.

387. Colliges septimo, jure ordinario impossibile esse, ut aliquis Canonicus gaudeat integris fructibus duorum, vel plurium adhuc Beneficiorum sine speciali dispensatione. Ratio est: quia volens fructibus integris gaudere, debet de jure ordinario novem mensibus residere: at repugnat, ut quis eodem anno in duobus diversis locis & quolibet eorum resideat novem mensibus: ergo sine dispensatione hoc fieri nequit. Si quis vero hanc obtinuerit, tunc erit attendendum ad particularia locorum statuta ac consuetudines; nam in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus quatuor, in aliis quinque, vel sex menses pro residentia desiderantur. Videatur Rebuff. *in praxi Benefic. tit. dispensat. de non residendo*, *n.* 60. Engel *l.* 3. *tit.* 4. *n.* 29.

CONFERENTIA DUODECIMA.

De Horis Canonicis, earumque obligatione.

SUMMARIUM.

388. *Nomine horarum Canonicarum intelliguntur preces, &c.*

389. *Sunt septem Horæ Canonicæ.*

390. *Ad has obligantur omnes Clerici in Sacris constituti.*

391. *Non item in Minoribus, nisi habeant Beneficium.*

392. *Et præter titulum insuper fructus inde percipiant.*

393. *Ad horas Canonicas etiam tenentur omnes Religiosi choro adstricti.*

394. *Non item alii, quorum Institutum non ad Chorum, sed ad alia opera misericordiæ tendit.*

395. *Neque Novitii, aut Laici, seu conversi, uti vocant.*

396. *Omittens culpabiliter Officium Canonicum, vel notabilem partem hujus, peccat mortaliter.*

397. *Pars autem notabilis communiter reputatur integra hora.*

398. *Omittens integrum Officium unius diei, unicum duntaxat peccatum mortale committit.*

399. *Beneficiatus culpabiliter negligens horas Canonicas, tenetur ad restiutionem.*

400. *Attentio ad horas Canonicas est duplex, externa, & interna;*

401. *Et hæc potest esse vel materialis, vel litteralis, vel spiritualis.*

402. *Attentio externa, sicut & intentio orandi certo est necessaria.*

403. *Immo & attentio interna, quæ in praxi semper est suadenda, exceptis scrupulosis.*

404. *Speculative tamen probabile est, intentionem internam non esse necessariam ad substantiam orationis.*

405.

405. *Respondetur breviter ad principalia fundamenta adversæ sententiæ.*

406. *Resolvitur breviter Casus I. de quodam Religioso, qui Antiphonis, & lectionibus novis prætermissis, solet legere antiquas, vel de Communi, in suo Breviario contentas.*

407. *In Choro publico hujusmodi lectiones nullatenus intermittendæ sunt.*

408. *Utrum frater Minor satisfaciat, recitando officium alterius Ordinis.*

409. *Resolvitur Casus II. Cujusdam Confessarii, qui Canonico assueto negligere Breviarium, nō injunxit onus restitutionis.*

410. *Unde talis Canonicus proprio motu tenebatur restituere fructus;*

411. *Illos saltem, quos intuitu pensi Canonici percepit.*

412. *Non tamen alios, intuitu aliarum functionum, vel spiritualium laborum fortassis perceptos.*

413. *Resolvitur Casus III. de quodam Religioso scrupuloso, assueto continuis repetitionibus sui Breviarii.*

414. *Recensentur nonnulla media, talibus præscribenda.*

415. *Occurritur objectioni principali scrupulosorum.*

416. *Ad recitationem Officii divini tenentur etiam Excommunicati, & suspensi &c.*

417. *Omittens solum aliquam partem v. g. psalmum horæ minoris, non tenetur quidpiam restituere.*

418. *Qui culpabiliter neglexit officium unius diei, in confessione satisfacit sese accusando, quod graviter peccaverit omissione officii divini.*

419. *Obligatio restituendi fructus ratione omissi Breviarii, solum incumbit Clericis benficiatis.*

420. *Quodnam Beneficium appellari possit tenue.*

421. *Utrum ad restitutionem fructuum teneantur, qui possident Beneficium tenue duntaxat.*

422. *Qui totum Officium recitavit cum voluntariis distractionibus, probabiliter nihil tenetur restituere.*

423. *Hujusmodi Sententiæ bene sunt notandæ Confessariis, & cur?*

424. *Ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ de recitandis horis Canonicis, sufficit attentio superficialis.*

425. *Deliberate fovens cogitationes alienas, non tamen advertens, se per illas deficere a debita attentione, non peccat graviter, neque tenetur ad restitutionem.*

426. *Suggeruntur breviter nonnulla media contra distractiones, & ad devote recitandum officium divinum.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de horis Canonicis, earumque obligatione.

QUæres primo, quid intelligatur per horas Canonicas, & quot sint?

388. R. Ad primam partem hujus quæsiti. Nomine horarum canonicarum intelliguntur certæ preces vocales, quæ ex præcepto SS. Canonum (unde & *canonicæ* appellantur) ab Ecclesiasticis personis nomine Ecclesiæ Deo persolvuntur. Ita in re *communis DD.* Eædem horæ Canonicæ alio nomine dicuntur *officium divinum*, & *officium Ecclesiasticum*, eo quod ad laudandum Deum apprime deserviant, & a personis Ecclesiasticis plerumque in Ecclesia vel recitari, vel decantari solent. Rursus appellari consueverunt *pensum Canonicum*, eo quod ab iisdem personis Ecclesiasticis quasi per modum tributi pendi soleant, ac debeant.

389. R. Jam ad secundam partem hujus quæsiti. *Horæ Canonicæ* sunt septem, scil. 1. *Matutinum cum laudibus*. 2. *Prima* 3. *Tertia*. 4. *Sexta*. 5. *Nona*. 6. *Vespera*, & 7. *Completorium*. In his quippe totum seu integrum officium unius diei consistit; quod Ecclesia in Dei gloriam adornavit juxta illud Regii Psaltis *Ps.* 118. *septies in die laudem dixi tibi*: & quia plerumque diversis horis persolvi debent ac solent; hinc etiam *Horæ* dicuntur.

Ratio autem hujus septenarii numeri solet assignari mystica, scil. septem præcipua dominicæ passionis Mysteria, in quorum memoriam horæ Canonicæ sunt ordinatæ, juxta vulgares illos versiculos *in Glossa c.* 1. *de celebrat. Miss.* relatos.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.

Prima repelet sputis; causam dat *tertia* mortis.
Sexta cruci nectit: latus Ejus *Nona* bipertit.
Vespera deponit: tumulo *Completa* reponit.

Ceterum tametsi obligatio hæc recitandi horas non sit juris divini, sed Ecclesiastici tantum, juxta probabiliorem sententiam Azorii & aliorum, usus tamen recitandi est antiquissimus in Ecclesia, & jam a tempore Apostolorum inchoatus. Hinc Clemens Papa I. *lib.* 8. *Constitut. Apostolicarum Can.* 34. ait: *precationes facite mane hora tertia, sexta, & nona, vespere, & atque ad Galli cantum*. Licet Azorius *tom.* 1. *Instit. moral. l.* 10. *c.* 1. *q.* 6. Filliuc. & alii nonnulli probabiliter autument, a Gelasio Papa I. vel II. primum fuisse sancitam legem publicam, vi cujus Personæ Ecclesiasticæ fuere obligatæ ad persolvendas hujusmodi horas canonicas?

Quæres jam secundo, quinam igitur teneantur ad recitandas horas Canonicas?

390. R. Ad hoc quæsitum primo. Omnes Clerici sæculares in sacris Ordinibus constituti, sive Beneficium possideant, sive non, tenentur ad recitandas horas canonicas, & quidem sub reatu peccati mortalis. Ita *Communissime omnes Doctores orthodoxi*.

Ratio horum desumitur ex jure Can. *cap. Presbyter* & *c. Dolentes*, *de celebrat. Miss.* quibus in locis hoc expresse mandatur Presbyteris. Tametsi vero nulla in jure fiat mentio de Diaconorum vel Sudiaconorum obligatione, nihilominus consuetudo, *quæ est optima legum interpres*, *cap. cum dilectus*, *de consuet.* immo vim legis habet juxta *communiorem DD.* apud la Croix *l.* 1. *n.* 570. jamjam obtinuit, ut & hi teneantur ad persolvendum pensum canonicum sub eodem reatu gravis peccati; qua de causa Ordinandis subdiaconis communiter in examinibus proponi, & inculcari solet hæc obligatio. Hæc tamen responsio solum procedit de Clericis sæcularibus; quid de Religiosis tenendum, patebit proxime.

392. Dixi etiam: *in sacris Ordinibus constituti*; nam reliqui Clerici sæculares in minoribus duntaxat Ordinibus constituti non tenentur recitare horas canonicas, veluti liquet ex receptissima consuetudine Ecclesiæ, & unanimi Doctorum consensu. Si tamen possideant Beneficium Ecclesiasticum, tenentur ad horas Canonicas recitandas, tametsi nullo ordine sacro sint insigniti, veluti habetur ex *c. Dolentes* mox allegato, aliisque Summorum Pontificum constitutionibus; beneficium namque datur propter officium, velut dicitur *c. ult. de Rescriptis in sexto*.

391. Excipiendi tamen hic veniunt illi Clerici in minoribus duntaxat constituti, qui quidem titulum possident, nullum tamen vitulum, id est nullos exinde percipiunt fructus, neque per se, neque per alios a se substitutos: nam tales nondum tenentur ad recitandas horas Canonicas. Idipsum tenendum est de aliis quibusdam Clericis, possidentibus tale beneficium, Præposituram, aut Personatum, cui ex speciali institutione solum fuit annexa obligatio recitandi officium parvum B. Virginis, aut Psalmos pœnitentiales, aut Rosarium &c. vel quid simile. Videantur de hoc Laymann *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.*3. & *seq.* vel Herincx *part.* 3. *tract.* 2. *disput.* 7. *num.* 58. Navarrus *de Orat. c.* 7. *n.* 28.

393. R. Jam secundo ad idem quæsitum. Omnes Religiosi (utriusque sexus) ad Chorum adstricti exceptis tamen Novitiis, & laicis conversis &c. tenentur sub mortali ad persolvendum divinum officium saltem privatim recitandum, esto nullum adhuc Ordinem susceperint. Ita Doctores orthodoxi *Communissime*. Ratio hujus desumitur ex antiquissima consuetudine, quæ jam obtinuit vim legis, & in omnibus Religionibus ad chorum allegatis cum eo onere noscitur recepta, prout bene notat Laymann *l.* 4. *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 2. Rodriquez *tom.* 2. *qq. Reg. q.* 100. *art.* 8. & alii. Quin immo nos fratres Minores speciali S. Regulæ præcepto tenemur ad recitandum *divinum Officium secundum Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ*, prout dicitur *c.* 3. *S. Regulæ nostræ*.

394. Dixi tamen rursus 1. *omnes Religiosi ad Chorum adstricti &c.* Ab hac enim Regula eximendi sunt nonnulli Ordines sacri, seu Religiones, quarum institutum non tendit ad chorum, sed ad alia opera misericordiæ sive corporalia sive spiritualia v. g. ad instituendam juventutem, ad serviendum infirmis, ad gerendum bellum adversus infideles &c. &c. qua ratione PP. Societatis Jesu in Sacris nondum constituti, item Religiosi Militares & Hospitalarii eximuntur ab hoc onere. Similiter multa Monasteria Monialium reperiuntur hodie, in quibus præter officium B. Virginis seu Cursum Marianum nullum aliud officium divinum recitant, neque recitare tenentur; eo quod neque ex vi instituti aut regulæ, neque etiam ex aliqua consuetudine (vi cujus hæc obligatio potissimum inolevit, ut dictum est) ad hoc teneantur.

395. Dixi secundo. *Exceptis Novitiis, & laicis conversis etiam professis.* Nam quod laicos etiam professos nec lex aliqua, neque consuetudo legitima vim legis habens exstat: immo in sacra Regula nostra laicis expresse præcipitur, ut loco Breviarii dicant certa *Pater noster.* Quod autem Novitios attinet, pariter nulla exstat lex obligans. Et licet consuetudo in Sacris Religionibus communiter habeat, quod chorum diu noctuque frequentare jubeantur, hæc tamen consuetudo non imponitur obligatorie, sed potius ut discant persolvere laudes divinas; & choro sit provisum. Esto etiam Novitii veniant nomine Religiosorum in favorabilibus, non tamen sub hoc nomine veniunt in odiosis, uti est hæc obligatio sub culpa gravi recitandi horas Canonicas: quemadmodum ergo ad alia Regulæ præcepta v. g. jejunia &c. &c. nondum obligantur sub reatu culpæ, quamdiu sacræ Professionis vinculo ad hæc sese nondum adstrinxerunt, ita nec tenentur ad recitandum Breviarium sub aliqua culpa, sed possunt libere exire seu reverti ad sæculum sine ulla prorsus obligatione &c. &c. Videatur de hoc Bonacina *Disp. 1. de horis Canon. q. 2. p. 2. n. 1.* vel Azorius ubi supra *c. 6. q. 3. & 4.*

Quæres tertio, quomodo peccet, qui horas Canonicas unius diei, vel saltem partem notabilem ejusdem officii voluntarie ac culpabiliter intermittit?

396. R. Peccare mortaliter. Ita *ex communi ac certa DD. sententia* Reiffenstuel *Theolog. mor. tr. 6. dist. 1. n. 27.* Ratio est: quia obligatio recitandi officium divinum est æque gravis respectu Clerici, quam obligatio audiendi sacrum respectu laici; utrumque enim præceptum ex virtute Religionis procedit: ergo quemadmodum laicus culpabiliter negligendo sacrum, vel notabilem hujus partem peccat graviter; ita & Clericus culpabiliter negligendo totum officium unius diei, vel saltem notabilem hujus partem.

Quæres autem jam quarto, quænam igitur pars respectu totius officii divini censenda sit notabilis, & quænam non?

397. R. Ad hanc quæstionem breviter Comissis aliorum placitis vel nimis rigorosis, vel nimis laxis) partem notabilem respectu totius officii divini, ad peccandum mortaliter sufficientem non immerito reputari integram horam minorem, vel aliquid æquivalens integræ horæ minori, utputa vel unum nocturnum cum tribus lectionibus, vel laudes &c. &c. Ita *cum communiori* ac verosimiliori DD. sententia la Croix *l. 4. n. 1202.* Gobat *tr. 5. Theolog. exper. n. 608.* & *609.* Herincx *part. 3. tr. 4. disp. 2. n. 7.* Holzmann *part. 3. tr. 3. num.* 455. Ratio hujus opinionis est: quia cum recitatio septem horarum Canonicarum ab Ecclesia fuerit ordinata in memoriam septem principalium Mysteriorum passionis Dominicæ secundum dicta *num.* 389. hinc recitatio unius horæ minoris integræ, vel huic æquivalentis censetur notabiliter conducere ad hunc finem ab Ecclesia intentum, & consequenter omissio unius horæ notabiliter ab eo deficere, ac per hoc graviter peccare eum, qui culpabiliter omittit seu negligit recitare integram horam minorem. Excipiunt tamen Doctores nonnulli haud immerito vesperas Sabbathi sancti ob brevitatem earum, ut videre licet apud Gobat *l. cit. n. 609.*

Er-

Ergone, inquies, omittens omnes septem horas Canonicas, committet septem peccata mortalia?

398. Esto multi existiment, committi septem peccata mortalia, nihilominus probabilius videtur, comitti unum duntaxat peccatum mortale, licet tanto gravius, quanto plures horæ culpabiliter omittuntur. Ita Filliucius *tr.* 23. *c.* 7. *n.* 248. Bonacina ubi supra *disp.* 7. *q.* 5. *pu.* 1. *n.* 8. Holzmann *l. cit. n.* 456. & communior aliorum. Ratio hujus est: quia omnes horæ ejusdem diei, moraliter coalescunt & integrant officium unius diei, eodem præcepto impositum, quemadmodum plures cibi adintegrant unam refectionem, vel unum convivium: sicut ergo ille, qui in die esuriali contra prohibitionem Ecclesiæ manducaret plures cibos carnales in eodem convivio, non committeret plura, sed unum duntaxat peccatum mortale; ita etiam qui plures ejusdem diei omitteret horas canonicas, nisi id faceret ex moraliter interruptis intentionibus vel omissionibus; tunc enim numero multiplicarentur peccata, seu omissiones peccaminosæ.

Quæres quinto, an Clericus Beneficiatus omittens recitationem officii divini teneatur ad aliquam restitutionem?

399. R. Beneficiatus, qui scienter & culpabiliter (nam secus dicendum est de illo, qui ex oblivione aut impotentia) omittit horas canonicas, tenetur ad restitutionem fructuum illius diei aut temporis, quo omisit. Ita (teste Gobat *n.* 581.) *omnes*: & habetur decisum in Concilio Lateranensi sub Leone X. Quia tamen nonnulli in dubium revocarunt, an hæc constitutio esset recepta; hinc Pius V. in sua Bulla: *Ex proximo* edita 19. *Septembris* 1571. eandem constitutionem innovavit sequenti tenore. §. 1. *statuimus, ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserint, omnes Beneficii, seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam (fructuum scilicet) qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem die amittat &c.* Ex quo liquet, Beneficiatum, qui annuatim ex suo Beneficio percipit 365. florenos, tot scil. quot sunt dies anni, & omittit una die integrum officium, teneatur restituere (sive ad fabricam Ecclesiæ, sive in pauperes erogando) integrum florenum, qui vero matutinum tantum, dimidium florenum, qui tandem quamlibet horam minorem, decem crucigeros seu Bajocos vi dictæ constitutionis Pianæ teneatur restituere, seu expendere in pias causas &c. Tametsi non desint Auctores, qui dictam Bullam mitius, & varie quidem interpretantur, prout videre licet apud Dianam *part.* 2. *tr.* 12. *resol.* 34. Tannerum *to.* 3. *disp.* 5. *q.* 1. *dub.* 6. *n.* 212. Gobat *Theolog. experim. tr.* 5. *num.* 582. *& seqq.*

Quo circa tamen advertendum est, ab Alexandro VII. damnatas fuisse sequentes duas propositiones, e quibus prior (*n.* 20.) ita habet: *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.* Posterior (*n.* 33.) ita sonat: *Restitutio fructuum ob omissionem horarum, suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.*

Quæres sexto, qualis attentio sit necessaria ad satisfaciendum officio divino, seu horis Canonicis?

Priusquam ad hanc quæstionem directe respondeamus.

400. Notandum est primo, nomine attentionis in genere intelligi *advertentiam ad aliquid*: attendere igitur ad horas canonicas idem sonat, ac advertere ad illam recitationem vocalem horarum. Solet autem hæc attentio communiter a Doctoribus distingui in *ex. & internam*. Externa consistit in eo, quod recitans horas excludat omnem actionem externam incompossibilem cum attentione interna; utputa quod non scribat litteras, nec pingat, nec novellas legat &c. quia hujusmodi actiones abstrahunt animum ab attentione interna &c. ad id quod recitatur &c. Interna vero consistit in advertentia ad id, quod agitur, scilicet ad recitationem officii divini. Ita in re Felix Potestas

in Exam. Confess. tom. 1. *part.* 2. *n.* 438. & alii communiter.

401. Notandum secundo, hanc attentionem internam rursus a Doctoribus trifariam distingui, scilicet 1. in *materialem*, 2. *in litteralem*, & 3. *in spiritualem*. Materialis dicitur, vi cujus præcise attenditur ad verba, ut scil. recte, distincte, & sine confusione proferantur: & hæc alio nomine *superficialis* vocari solet. Litteralis dicitur, vi cujus attenditur ad sensum verborum seu Mysteria, quæ inter recitandum occurrunt. Spiritualis denique appellatur, vi cujus attenditur ad Deum ceu terminum orationis. Ex quibus liquet, secundam intentionem, litteralem scilicet, locum non habere in Monialibus, utpote ignaris idiomatis latini, in quo officium divinum solet recitari, bene vero primam & tertiam, scilicet materialem, & spiritualem, quæ est omnium optima. His notatis ac suppositis.

402. R. Jam ad quæsitum primo. Ad satisfaciendum officio divino seu recitationem horarum caniconicarum necessaria est attentio externa, seu exclusio actionum externarum incompossibilium cum intentione interna, saltem ad id, quod agitur. Ita teste la Croix *l.* 4. *nu.* 1334. *omnes*. Ratio est: quia intendens occupationi externæ incompossibili convincitur nec velle orare, neque Deo cultum debitum exhibere; qualis tamen ab Ecclesia præcipitur *c. dolentes, de celebr. Missar.* Hinc Gobat *tr.* 5. *n.* 716. *Theolog. Exper.* bene ait, eum, qui propter ingentissimum dolorem vel turbationem mentis non posset ne quidem ad verba attendere, etiam non teneri recitare horas; quia quamvis in tali statu recitaret, non tamen oraret, & per consequens nec satisfaceret præcepto Ecclesiæ.

403. R. Ad idem quæsitum secundo. Valde probabile est, ad recitationem horarum Canonicarum requiri attentionem internam, sive hæc dein sit materialis, sive litteralis aut spiritualis, adeoque hæc sententia in praxi semper consulenda est, nisi scrupulositas aut perplexitas alicujus pœnitentis aliud exigat. Hanc opinionem crediderim a nullo vocari in controversiam; enimvero quod talis attentio interna ad orationem veram sit necessaria, nedum S. Thomæ, & aliorum plusquam centum Doctorum Auctoritas, sed & ratio suadet; quia oratio nil est aliud, quam *mentis in Deum elevatio*; hinc glossa *in cap. canentes dist.* 92. ait:

Non vox, sed votum, non Musica cordula, sed cor:
Non clamans, sed mans, cantat in aure Dei.

Atqui sine omni prorsus attentione interna non videtur posse subsistere elevatio mentis in Deum: ergo. Ex quo facile liquet, cur hæc sententia sit omnibus (exceptis duntaxat scrupulosis) suadenda; quia oportet pœnitentibus semper tutiora, & ad animæ salutem, Deique gloriam magis conducentia suadere: atqui hanc opinionem esse tutiorem, magisque ad Dei gloriam & animarum salutem tendere, nemo facile inficias ire poterit: ergo &c. Hac ratione fortassis sapienter cecinit Poeta:

Dirige cor sursum: bene profer: respice sensum:
Inque choro ne sis corpore: mente foris.

404. R. Nihilominus ad idem quæsitum tertio. Nedum ab Auctoritate, sed & ex ratione probabile, immo probabilius videtur, ad recitationem horarum Canonicarum, nullam requiri attentionem internam, sed sufficere intentionem orandi, saltem virtualiter permanentem, qualem unusquisque habere supponitur, qui assumpto Breviario cogitat satisfacere suæ obligationi &c. Hanc opinionem tenent plurimi Classici DD. e quibus la Croix *l.*4.*n.*1341. 25. & amplius refert, sequiturque: ergo auctoritate est probabilissima; quod etiam ratione probabilis, immo probabilior sit, suadetur primo, quia si ad essentiam orationis requireretur aliqua attentio interna, sequeretur, eum, qui involuntarie distractus recitat, non satisfacere huic obligationi: sequela autem etiam ab Advesariis agnoscitur falsa: ergo &c. 2. quia sacerdos conferens extremam unctionem cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, valide conficit hoc Sacramentum, esto propter distractiones nullam habeat attentionem inter-

ternam : ergo sine attentione interna subsistit essentia veræ orationis. Conseq. patet ex eo : quia forma hujus Sacramenti est essentialiter deprecatoria, tertio denique hoc colligitur a paritate ; nam qui cum attentione externa & interna intentione virtualiter permanente invocat dæmonem, committit actum idololatriæ & irreligionis : ergo similiter, qui cum sola attentione externa, & intentione interna, virtualiter perseverante Deum invocat, vel laudat recitando suum Breviarium, ponit actum latriæ ac Religionis. Videantur de his Tambur. *in Decalog. l.* 4. *cap.* 2. *§.* 1. *n.* 19. Gobat *l. cit. n.* 821. Sporer *Theol. Sacram. part.* 1. *a. n.* 75.

Dices tamen contra hanc resolutionem 1. Ubi nulla est mentis in Deum elevatio, ibi nec est oratio : hinc 2. Ecclesia graviter præcipit attentionem internam. Et certe si hæc non esset ad veram orationem ex natura rei necessaria, tunc 3. non peccaret, qui durante officii D. recitatione voluntarie esset distractus : hoc autem est certo falsum : ergo necessaria est attentio interna, sin minus ex natura rei, saltem ex præcepto Ecclesiæ

405. R. Brevissime ad hæc velut principalia argumenta adversæ sententiæ 1. Adhuc haberi elevationem mentis in Deum, non quidem actualem, sed virtualem seu virtualiter perseverantem ; quia recitans Breviarium supponitur id facere virtute prioris intentionis orandi & præstandi suum pensum canonicum, propterea que servat attentionem saltem externam.

Ad secundum R. de hoc præcepto Ecclesiæ non satis constare ; unde & a viris sapientissimis, devotionisque Zelo præstantissimis omnino negatur, quamdiu Adversarii non ostenderint, quibus tabulus hæc lex fuerit insculpta vel inserta.

Ad tertium R. Voluntarie distractum ideo peccare, quia est irreverentia Deum alloqui, & profiteri se Deum colere, & tamen id non facere interius. Ex eo tamen quod taliter orans simul Deum offendat, non sequitur, eum nullatenus orare, sed hoc solum, talem actum Religionis seu orationis conjungi cum aliquo, quod Deo displicet ; Videatur de hoc la Croix *l.* 4. *n.* 1341.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de obligatione recitandi Horas Canonicas.

CASUS PRIMUS.

T*Itius Religiosus haud infrequenter dum cœpit Breviarum suum privatim orare, cœpit prius murmurare, eo quod singulis annis cum novo Directorio distribuantur in suo Ordine vel nova festa, vel novæ lectiones præsertim secundi nocturni, vel novæ antiphonæ v. g. ad Magnificat, aut Benedictus &c. Consequenter oporteret vel singulis annis novum comparare Breviarium, vel novas circumportare pagellas, quibus hujusmodi festa vel antiphonæ imprimi solent. Et quia subin hujusmodi pagellas privatas reperire non potest, aut iisdem reperiundis plus temporis deberet insumere, quam recitando officio; hinc non sine multa indignatione (præsertim contra illos, plus quam oportet officiosos Procuratores similium lectionum aut antiphonarum) concepta, sumit lectiones vel antiphonas de communi, prout habentur in Breviario Romano, præsertim dum est in itinere, ubi hujusmodi pagellas (utpote facile pendibiles) omnino domi relinquit. Quæritur jam, an, vel qualiter Titius noster propterea peccet?*

406. R. Videtur probabilius, Titium non peccare, ne quidem venialiter, si hoc faciat sine contemptu. Ratio hujus desumitur a paritate; nam qui privatim recitando ex rationabili causa aliquoties mutat officium unius diei in aliud æquale, seu non notabiliter brevius, non peccat, ne venialiter quidem, secundum opinionem *Illsung. tr.* 5. *disp.* 1. *num.* 15. Sporer *num.* 120. P. Tamburini *in decalog. l.* 2. *cap.* 5. *§.* 2. *num.* 21. (ubi pro eadem opinione citat Cajetanum, Vasquez, Valentiam, Filliuc., Sa, Lessium, & alios) ergo a fortiori non peccat, qui recitans privatim servat officium pro tali die præscriptum, & solum mutat vel antiphonam aliquam v.g. ad *Benedictus* vel *Magni-*

gnificat, vel lectiones secundi nocturni, idque ex eo duntaxat, quod hæc non habeat in suo Breviario, neque pagellum privatum facile reperire, aut secum portare valeat, ideoque non ex contemptu Ecclesiæ potestatis, sed ex rationabili causa duntaxat.

Confirmatur hoc ex eo: quia tam Pius V. in sua Bulla *Quod a nobis de anno* 1568. quam Clemens VIII. in sua *Cum in Ecclesia* 10. *Maii* 1602. indemnitati omnium, præsertim pauperum volentes consulere, clementer indulserunt tam Typographis & Bibliopolis, ut Breviaria jamjam impressa vendere, quam Ecclesiis, aliorumque Clericis, ut iisdem uti possent: ergo idipsum hodiedum de benignitate Sedis Apostolicæ præsumere licet alicui pauperi Religioso, ut scilicet uti possit suo Breviario Romano, & lectiones vel antiphonas in eodem contentas loco aliarum antiphonarum seu etiam lectionum identidem neo-inventarum, si has sine difficultate ad manum habere non possit, legere sine peccato.

407. Dixi tamen: *si has sine difficultate ad manum habere non possit*; nam si eas ad manum habeat, vel si habeat jamjam insertas suo Breviario, tunc sine peccato saltem veniali non poterit legere alias lectiones vel antiphonas, quam illas a S. Rituum Congregatione præscriptas; nam secus agendo convinceretur contemnere Ecclesiasticam potestatem, utpote sine causa rationabili agens contra formam recitandi ab Ecclesia præscriptam.

Et quia Communitas Religiosa vel novo Breviario, vel certe novis hujusmodi pagellis semper erit provisa; hinc in choro hujusmodi officia vel lectiones &c. semper recitari debent, eo præsertim, quod ex opposito facilius posset timeri scandalum.

Sed quid, si talis Religiosus v. g. Franciscanus in itinere constitutus rogatur ab alio v. g. Religioso Ordinis S. Benedicti, aut S. Bernardi &c. utente alio Breviario, vel aliud ea die festum celebrante, ut secum eodem utatur breviario, vel de eodem festo recitet, licebitne se huic accommodare?

408. R. Probabiliter id licitum existimant Rodriquez *tom.* 1. *qq. Reg. q.* 42. *art.* 8. & Miranda *tom.* 1. *Man. Prælat. Regul. q.* 37. *art.* 13. (contradicente Palao, & aliis nonnullis,) eo quod Innocentius IV. hoc indulserit, prout (teste Rodriquez) videre licet *in Monumentis Ordinis fol.* 55. putantque huic privilegio nec per Bullam Pii V. neque per illam Clem. VIII. fuisse derogatum; quippe quæ solum prohibent variationem stabilem, seu perpetuo duraturam. Hanc opinionem etiam Diana *part.* 3. *tr.* 2. *Resol.* 135. in praxi tutam existimat. Ego tamen eam minime suadendam aut practicandam arbitror sine multum urgente causa. Illud vero Cum Bassæo *in suppl. V. Horæ Canonicæ II, n.* 2. & 3. & Herincx *part.* 3. *tr.* 4. *disp.* 2. *n.* 12. inde inferendum arbitror, quod talis Frater Minor destitutus (quacunque demum de causa) suo breviario Ordinis, teneatur officium recitare ex alio v. g. Benedictinorum, Carmelitarum &c. si possit habere, idque propterea, quia saltem probabile est, eum satisfacere suæ obligationi recitando aliud officium: atqui ubi est certo probabile, posse adhuc satisfieri præcepto, ibi lex obligans manet in possessione; ob hanc enim causam tenetur quis recitare vesperas ac completorium, quamdiu vere probabile est, nondum effluxisse horam undecimam noctis: ergo &c.

CASUS SECUNDUS.

S*Empronius una vel altera vice excepit Confessionem Cujusdam Canonici, assueti omittere recitationem sui Breviarii, cui pœnitentiæ loco aliud non imposuit, nisi ut Sacrum legeret, pro anima miserrima, simulque ex intentione lucrandi indulgentias recitaret 6. Pater & Ave.*

Verum cum postea animadverterit Eundem Canonicum sæpius redire, & in omittendis horis Canonicis de die in diem laxiorem ac liberaliorem fieri; hinc Sempronius dubitare cœpit, an non ex nimia clementia Confessarii hæc negligentia ortum ducat; cum enim longe facilius sit dicere 6. Pater, & Ave quam integrum officium unius, aut omnino plurium dierum, hinc suspicare cœpit, an non propterea fortassis pœnitens tot ferias suo Breviario indulserit. Quærit proin Sem-

pronius 1. *an præfatam pœnitentiam (sine ullo alio onere restitutionis) injungendo, partibus Confessarii satisfecerit?* 2. *an, vel quantum onus restitutionis teneatur injungere, Casu quo idem pœnitens cum iisdem peccatis redierit? Quid ad hæc dubia Sempronii?*

409. R. Ad primum, Sempronium probabilius non satisfecisse partibus boni Confessarii; nam si Canonicus supponatur fuisse homo indoctus, in Theologia, vel jure &c. minus versatus, quia hanc obligationem restituendi non agnovit, debuit Confessarius supplere defectum, eundem instruendo de præfato onere, & positive illud injungere, ne ex tali ignorantia & nimia Confessarii indulgentia vel clementia captaret ansam liberius peccandi, seu non præstandi pensum Canonicum. Si autem supponatur fuisse homo doctus & intelligens suam obligationem, rursus dubitare licuit, an non contempserit huic obligationi satisfacere, sicque rursus admonendus, immo cogendus fuit, ut qui hactenus non satisfecit suæ obligationi amore justitiæ, imposterum coerceretur ad hoc præstandum timore pœnæ. Ex quibus liquet, cum hujusmodi pœnitentibus utpote valde delicatis quam cautissime, & circumspecte procedendum esse, bene ponderatis omnibus circumstantiis, ne ex nimia indiscretione pœnitens, aut ex nimia Confessarii clementia Deus offendatur. Casu quo autem Confessarius dubitat, an talis pœnitens obligationem restitutionis agnoscat, haud imprudenter aget, eundem blandis verbis admonendo, ac dicendo v. g. suppono Vestram Dominationem intelligere ac perspectam habere obligationem restituendi ob neglectas horas Canonicas, propterea que huic oneri satisfacturam, ac deinceps diligentius præstituram pensum Canonicum, quem in finem injungo, ut &c.

Ergone (inquies) pœnitens motu proprio tenetur ob horas Canonicas neglectas ad aliquam fructuum restitutionem, tametsi Confessarius hanc non imponat loco pœnitentiæ?

410. R. Quod sic, hoc enim satis clare colligitur ex propositione ab Alexandro VII. damnata superius *n.* 399. recensita, vi cujus sequitur, hanc restitutionem deberi *in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis*. Et certe si prærequireretur talis sententia, non nisi rarissime posset talis Clericus condemnari ad restitutionem, quilibet enim responderet, se privatim nemine advertente aut præsente recitasse suas horas, adeoque satisfecisse obligationi suæ: & quis, amabo! tunc talem condemnaret ad onus restitutionis? Denique jure naturæ notum est, omne illud quod est alienum, & injuste retinetur, esse restituendum, etiam in foro conscientiæ, & ante omnem sententiam Judicis: atqui fructus illi a Beneficiato non recitante Breviarium sunt alieni; quia talis juxta tenorem Bullæ Pianæ mox supra allegatæ, fructus correspondentes tempori culpabilis omissionis nunquam facit suos: ergo &c. Videantur de hoc Sporer *Theolog. Sacram. part.* 1. *tract. append. de horis Canon. cap.* 1. *num.* 36. *& seqq.* Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *art.* 3. *n.* 55. La Croix *l.* 4. *n.* 1216.

Ad quantam igitur restitutionem condemnandus erit a Confessario talis Canonicus, aut Beneficiatus?

411. R. Tametsi oppido difficile, immo (judicio P. Sanchez *l.* 2. *Consil. mor. c.* 2. *dub.* 84. *n.* 2. Sporer *loc. cit. n.* 37. & aliorum; eo quod beneficia non sint æqualia) moraliter impossibile sit tradere universalem Regulam, seu determinare quantitatem restitutionis ratione neglecti officii, censeo nihilominus conformiter ad dicta superius *n.* 399. hanc statui posse regulam; *tantum esse restituendum, quantum intuitu officii culpabiliter neglecti percepit de fructibus*, ita scil. ut si vi officii per integum diem percepit florenum, & omisit duntaxat horam minorem, teneatur restituere, vel in pauperes, fabricam Ecclesiæ vel aliam piam causam erogare 10. crucigeros seu Bajocos: si Matutinum cum laudibus, medium florenum: si totum officium unius diei, integrum florenum (quippe quem negligendo pensum Canonicum, non fecit suum) teneatur restituere. Hæc regula clare colligitur ex Bulla Pii V. supra *num.* 399. allegata: nec immerito talis Beneficiatus condemnatur ad restituen-

tuendum tantundem, quantum possidet de alieno, seu de illo, quod nunquam fecit suum: atqui, si totum intermisit officium, cuius intuitu percepit illa die integrum florenum, tunc integrum florenum non fecit suum: si matutinum cum laudibus (quod importat medietatem officii) tunc medium florenum non fecit suum: ergo &c. &c.

412. Dixi tamen: *quantum intuitu officii culpabiliter neglecti percepit*; sapientissime enim notant Tannerus *tom. 3. disp. 5. q. 1. dub. 6.* Sporer *cit. n. 36.* Gobat, La Croix & alii, distinguendum esse inter Canonicum vel alium Beneficiatum simplicem, qui omnes fructus suos non, nisi intuitu officii divini; & inter Beneficiatum non simplicem vel curatum, qui fructus non intuitu solius officii Canonici seu Breviarii, sed potius propter alia onera primaria Beneficio annexa, utputa propter legenda Sacra, excipiendas confessiones, administranda Sacramenta &c. &c. percipit; esset enim nimis inæqualis & conditio & pœna (ait Gobat) Curionis (id est, Beneficiati Curati) & Canonici, si ille (scilicet Curio) ad Conciones & Sacramentorum administrationem, aliaque Sacra quot hebdomatis legenda obligatus, & annuatim ex suo Beneficio 150. Dugatos percipiens, ob solam omissionem Breviarii deberet tantundem restituere, quantum alius Canonicus vel Beneficiatus, qui absque omni alio onere intuitu solius officii D. seu Breviarii percipit annuatim 150. dugatos. Ergo mi Paroche (ait Sporer cit. „ *n.* 38.) „ mi Capellane, vel Cooperator, quando in officio canonico officio tuo functus non es, computa, quantum ex „ fructibus, seu redditibus a te perceptis debeatur tuæ curæ, & labori „ pastorali, adeoque etiam Sacris, quæ „ quot septimanis celebras titulo fundationis, arbitrio boni viri (certe „ tantum, vel paulo amplius, quam „ deberes dare, si alium tuæ conditionis & status tanto tempore pro te constituere deberes) hoc totum repone „ in arcam tuam, seu pro te computa. „ De reliquo (si quid tamen reliquum „ esse potest) dispone juxta modos &c. scil. erogando in pauperes, vel in fabricam Ecclesiæ &c. Ita more suo sapienter P. Sporer *loc. cit.* quem legisse in hac materia minime pigebit, nec pœnitebit.

CASUS TERTIUS.

Cajus Religiosus fatetur, se nunquam minus devote suum Breviarium in Choro cum aliis recitare, quam dum vel maxime devotus esse cupit, dum enim psallendo pervenit ad illa verba: juravi & statui, custodire judicia justitiæ tuæ &c. subito perplexus cogitat intra se: hoc falsum est: tu nunquam jurasti custodire: vel si jurasti, jam sæpius contra juramentum egisti, & nunquam hanc circumstantiam in confessione expressisti &c. interim dum hæc in corde ruminat pergens oretenus psallere cum aliis, tandem animavertit, se fuisse distractum jam per unum vel alterum psalmum; unde non sine indignatione concludit intra se: hæc tua oratio nulla est: nil valet: debes iterum repetere integras horas &c. &c· *statimque*: ita est, *inquit*: repetam. *Unde finito choro diu noctuque horas Canonicas repetit, quo fit 1. ut alia munia vi obedientiæ sibi incumbentia (utputa studium &c.) negligat, 2. Sanitatem, & præsertim caput ac memoria, utpote semper quasi destitutus somno naturæ necessario; destruat, ac tandem. 3. inutilem sese ad omnia quasi reddat. Tantis prorsus miseriis Cajus e Confessario non sine profusione Lacbrymarum Consilium postulat. Quid judicii a Confessario de Cajo vel alio simili pœnitente concipietur? Quid consilii suggerendum?*

413. R. Ad primum dubium, concludendum esse ex hac specie facti, Cajum vel idiotam esse, vel semifatuum; enim vero vel mediocriter tinctus in Theologia nosse debet, ad recitationem Breviarii sufficere *intentionem generalem laudandi Deum*, vel *orandi*, seu etiam *suæ obligationi satisfaciendi &c.* minime vero opus esse, ut recitans breviarium singula Psalmorum aut lectionum verba assertive, & quasi ex propria mente proferat. Profecto si Cajus Clericus hæc non sciat, titulum idiotæ meretur omni jure. Si vero hæc sciat, & nihilominus pergat continuo repetere suum Breviarium, semifatuus dici debet: quid enim, quid

amabo! stultius aut ineptius cogitari posset, quam credere, se non intendisse orare, vel Deum laudare &c. &c. & tamen ex hac ipsa intentione dies, noctesque ducere insomnes, & seipsum ad omnia quasi reddere inutilem? Evidenter sane colligere licet ex enarrata facti specie, Cajum esse nimis scrupulosum: inter talem vero scrupulositatem & semi fatuitatem exiguum reperies discrimen, si bene examinaveris principia, vel dictamina scrupulosorum. Illud tamen arbitror certissimum, hujusmodi homines compassione potius, quam increpatione dignos esse; certissimum insuper est, eos aliter curari non posse, nisi per humilem subjectionem judicii proprii ad arbitrium Confessarii. Quamdiu hoc non fecerint, impossibile est, eos curari, aut juvari posse.

414. R. Jam ad secundum dubium, Consilii loco suggerendum, & ante omnia suadendum esse Cajo, quatenus sese velit plenarie quantum ad hanc obligationem subjicere directioni Confessarii, ejusdemque Consiliis ac monitis per omnia acquiescere; quamdiu enim hoc non impetraverit, experietur se oleum & operam perdere: hoc vero semel obtento, eidem serio inculcet sequentia principia. 1. ad recitationem Breviarii non requiri specialem intentionem aliquid impetrandi, sed sufficere intentionem generalem Deum laudandi, ac glorificandi. 2. Satis esse hanc intentionem continuari saltem virtualiter, nec opus esse, ut durante officio divino semper actualiter de hoc cogitet: neque 3. ut ad singula verba quasi, earumque significationem attendat; multo minus quarto, ut omnia verba formaliter ac significative velut ex propria mente dicta proferat; nam multa sunt, quæ sine blasphemia non possent proferri ex propria mente, prout patet de illis verbis *Matth.* 26. *Reus est mortis*: item *Crucifige*, *Crucifige eum Luc.* 23. *v.* 21. & alia hujusmodi sexcenta. Jubeat proin 5. ut semper alta mente repositam teneat sequentem Regulam a Navarro *De Orat. & hor. Can. cap.* 13. *num.* 6. traditam, & omnium Theologorum calculo obsignatam, videlicet eum, *qui petit vel accipit Breviarium* (sive in sive extra chorum) *cum proposito expresso recitandi ut debet &c. vel qui animo deliberato capit Breviarium, & ad Ecclesiam it, vel simile quid facit, ita, ut interrogatus, quare id faciat, vere responderet, se id facere ad recitandum, vel satisfaciendum suæ obligationi, habere sufficiens propositum attendendi, atque adeo orandi &c. &c.* Verum contra hoc

Dicet Cajus noster. Ego non habui intentionem satisfaciendi per meam psalmodiam, immo credidi, me non satisfacere meæ obligationi, propterea que intra me dixi: *nolo, neque intendo per hanc psalmodiam satisfacere, sed volo totum repetere*: ergo cum actus non agant ultra intentionem agentium, *l. Non omnis ff. si cert. pet.* nemo prudentum me potest absolvere a repetitione, multo minus propterea culpare, præsertim cum nullus, nisi expertus Confessarius possit satis capere, quid sit esse scrupulosum, & quales intentiones soleant habere scrupulosi.

415. R. Esto etiam Cajus recitando aut psallando non habuerit intentionem satisfaciendi præcepto, habuit tamen intentionem faciendi opus præceptum, id est, psallendi, aut dicendi cum aliis horas: atqui ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ de recitandis horis canonicis, non est necessaria intentio satisfaciendi præcepto, sed sufficit intentio faciendi seu ponendi opus præceptum; non enim requiritur obedientia formalis, sed sufficit obedientia materialis, id est, voluntas ponendi opus, quod est præceptum, non autem quia est præceptum, prout diximus *in tr.* 1. *theol. decalog. conf.* 14. *n.* 385. tametsi ergo Cajus sexcenties diceret: *nolo per hanc psalmodiam, vel recitationem breviarii satisfacere præcepto*, reipsa tamen satisfacit præcepto; quia protestatio hæc est facto contraria: quemadmodum si quempiam sive nocentem sive innocentem fuste cedendo diceret: *nolo verberare*, nihilominus & verberaret, & alter verbera sentiret. Ita sapienter Gobat *Theolog. experim. tr.* 5. *num.* 201. Vasquez 1. 2. *disp.* 100. *cap.* 9. *num.* 5. Sanchez *lib.* 1. *mor. cap.* 13. *num.* 13. Suarez, Dicastillo, Bonacina, Laymann *l.* 1. *tr.* 4. *cap.* 4. *n.* 7. Sporer *ubi supra n.* 62. ubi subdit. Insuper in probabili „ sententia *non requiri attentionem inter*

„ *nam*

„ *nam ad satisfaciendum præcepto Hora-* „ *rum*, si totum officium divinum vo- „ luntarie & pessime distractus recitasti, „ etiamsi perpensa indignitate tuæ cul- „ pabilis, & merito castigabilis evaga- „ tionis expresse dixisses: *nolo ut valeat* „ *hæc recitatio*, *sed volo a capite usque ad* „ *finem repetere*, *atque ad id me sub mor-* „ *tali obligo* (secluso tamen voto, & „ promissione vera Deo facta) nihilo- „ minus non teneberis repetere, quia „ supposita probabilitate illius sententiæ „ eadem ratio (quod scilicet jam po- „ sueris substantiam actus præcepti) ad- „ huc militat: neque ullus potest se obligare graviter ad quidquam, nisi per votum, vel aliam promissionem aut pactum. Ita Sporer, secutus Gobat *l. cit. num.* 843. Et huic doctrinæ nedum auctoritati, sed & rationi nixæ, Cajus noster poterit tuto acquiescere, nisi malit delirare, & se ipsum reddere inutile terræ pondus.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

416. Colliges ex hactenus dictis primo, ad recitandas horas Canonicas adstringi omnes Beneficiatos & reliquos Clericos in Ordinibus Sacris constitutos, etiamsi supponantur Excommunicati, vel suspensi, vel interdicti. Ita omnes. Ratio est: tum quia per tales pœnas non tollitur ordo Sacer: Ergo neque obligatio recitandi officium S. Ordinis, vel Beneficio annexa. Tum etiam quia nemo debet ex propria culpa reportare commodum: atqui reportaret talis Clericus, si propter hujusmodi pœnas eximeretur ab obligatione recitandi Breviarium: ergo non liberatur. Aliter discurrendum videtur de Religioso Clerico professo, nondum Sacris Ordinibus imbuto, qui Superiorum auctoritate legitima ad statum laicalem, id est, Conversorum reduceretur; quia cum talis per hujusmodi translationem transeat in alium statum, & talem quidem, cui obligatio recitandi Breviarium non est annexa, ipso facto pariter liberatur ab onere Breviarii, & hujus loco cogetur deinceps dicere preces Laicis incumbentes, prout post alios plures tradit Reiffenstuel *theolog. mor. tr.* 6. *dist.* 1. *n.* 22.

417. Colliges secundo, Eum, qui omittit v. g. responsorium cum capitulo, vel orationem, vel integrum psalmum alicujus horæ minoris, non esse condemnandum alicujus peccati mortalis. Ratio est: quia quod est infra quantitatem mediæ horæ, in morali hominum existimatione non est materia notabilis ad peccandum mortaliter sufficiens; tum etiam quia talis adhuc dicitur recitasse hujusmodi horam v. g. vesperas, aut nonam &c. esto non recitaverit integre: secus dicendum foret, si quis nil aliud recitasset, quam v. g. *Deus in adjutorium*, *gloria cum hymno &c.* quia hæc in morali existimatione pro nihilo reputantur: nec dici potest, quod propterea hora Canonica fuerit recitata.

Porro qui ex toto officio modo hunc psalmum, modo responsorium, modo orationem &c. uno verbo, qui tantum omittit, quantum æquivalet seu adæquat integram horam, moraliter peccat. Ratio est: quia hujusmodi partes diversæ, spectantes ad idem officium moraliter coalescunt, & conficiunt materiam notabilem. Videantur de hoc Stoz, *l.* 1. *p.* 3. *num.* 382. La Croix *l.* 4. *n.* 1202. Holzmann *tom.* 1. *part.* 3 *tr.* 3. *num.* 455.

418. Colliges tertio, Eum, qui semel omisit integrum breviarium unius diei, satisfacturum præcepto Confessionis si dicat, se graviter peccasse per omissionem officii divini, neque esse necessarium ut explicite dicat, se omisisse omnes horas, vel integrum officium. Ita Lugo *de pœnit. disp.* 16. Tambur. *in Method. exped. Confess. l.* 2. *c.* 2. *§.* 4. *n.* 12. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *a* 3. *n.* 50. Ratio est: quia secundum dicta superius *num.* 398. omittens omnes horas unius diei, unicum duntaxat committit peccatum, ita ut pluralitas horarum non sit, nisi circumstantia notabiliter aggravans: atqui circumstantias notabiliter aggravantes duntaxat, probabilissime nullus tenetur confiteri: ergo &c. Nec propterea hujusmodi circumstantias debet exprimere, ut Confessarius possit injungere proportionatam pœnitentiam, & onus re-

ſtitutionis &c. Quia ſufficit, ut Confeſſarius imponat pœnitentiam proportionatam peccato mortali, ſimulque eidem demandet, ut reſtituat *quantum vi divini officii non recitati ex ſuo Beneficio percepit*: quemadmodum ſufficit, ut Confeſſarius pœnitenti ſeſe accuſanti de furto gravi, imponat pœnitentiam peccato mortali commenſuratam, ſimulque jubeat reſtituere tantum, quantum abſtulit vel damnificavit.

419. Colliges quarto ex dictis ſupra *n.* 399. Obligationem reſtituendi ob horas Canonicas neglectas non tangere Clericos qui nullo gaudent Beneficio, & ſolius Ordinis ſacri titulo ſunt obligati ad horas Canonicas. Ratio eſt: quia tales nullos percipiunt fructus propter officium recitandum: ergo nec ullos tenentur reſtituere ob officium neglectum. Unde etiam tam Concilium Lateranenſe, quam conſtitutio Pii V. ſupra eodem *n.* 399. allegata, ſolum loquuntur de Beneficiatis, dum declarant hoc onus reſtitutionis: immo Bulla illa Piana ſolum adſtringit Beneficiatos, qui poſt ſex menſes (ab adita ſcil. poſſeſſione Beneficii) officium divinum non dixerint.

Probabile inſuper tenent Gobat *cit. n.* 289. Sporer *num.* 35. Filliucius *tr.* 23. *num.* 319. eum non teneri ad reſtitutionem, qui notabilem quidem partem, at non æquivalentem uni integræ horæ parvæ omittit. Ratio eſt: quia lex pœnalis (qualis eſt hæc de reſtituendis fructibus) intelligenda eſt de actu conſummato ac moraliter perfecto, neque ultra proprietatem terminorum extendi debet, per Regulam *XV. Jur. in ſexto: odia reſtringi &c.* atqui Bulla Pii V. ſolum obligat, vel declarat obligatum ad reſtitutionem illum, qui omittit totum officium, vel integram horam minorem: ergo &c. &c.

Dicet nonnemo fortaſſis. Ego habeo quidem Beneficium, ſed valde tenue: teneorne nihilominus recitare breviarium?

420. R. Ante reſponſionem ſuppono, te nondum eſſe conſtitutum in ſacris; ſecus enim indubitanter teneberis, ſi minus ratione Beneficii, ſaltem ratione Ordinis ſacri, prout jam ſuperius inſinuavimus. Suppono inſuper te nomine Beneficii valde tenuis intelligere tale, vi cujus ne tertiam quidem partem ſuſtentationis alicui Clerico vulgari neceſſariæ percipias, ita ſcilicet, ut ſi ad congruam ſuſtentationem talis Clerici neceſſarii ſint 30. aurei, tamen vi Beneficii non percipias decem; nomine enim congruæ ſuſtentationis in hac materia intelligi debent ea, quæ prudentum judicio ſunt neceſſaria ad victum, veſtitum, habitationem, medicinas & alia hujuſmodi, quæ ſibi poſtulat vita moderata Clerici ſortis mediocris; non tamen ea inſuper, quæ ſunt neceſſaria ad alendos conſanguineos, pauperes Parentes, Fratres, Nepotes, item ad ſalaria ſeu ſtipendia famulitii, dignitati, ac Nobilitati, in qua conſtitutus es, convenientis; ſecus enim contingere poſſet, ut recipiens quotannis 100. aureos, ad horas non obligaretur; quod utique admittendum non eſt, prout bene notant Sanchez *lib.* 2. *Conſil. c.* 2. *dub.* 67. Viva *part.* 1. *Theſ. damnat. propoſ.* 20. *n.* 8. & Babenſtuber *tr.* 5. *diſp.* 2. *a.* 3. *n.* 41. His ſuppoſitis.

421. R. Ad dubium propoſitum, te probabiliter non teneri vi talis beneficii ad horas canonicas: & ita tenent Sanchez *cit. cap.* 2. *dub.* 66. Tambur. *l.* 2. *Decal. c.* 5. §. 1. *n.* 24. & alii plures, relati a P. Sporer *de hor. Can. cap.* 1. *n.* 26. Ratio eſt: quia obligatio recitandi horas Canonicas in Beneficiatis oritur ex juſtitia, propter redditus quos percipiunt: ergo ſi inde non percipiant ſufficientes ad congruam ſuſtentationem Clerici mediocris ſtatus, non videntur poſſe obligari, neque id facile præſumendum eſt de benignitate Eccleſiæ; nam *qui altari deſerviunt, de altari participare debent*, juxta Apoſtolum 1. *Cor.* 9. Nihilominus oppoſita ſententia, quod ſcilicet tenearis, nedum tutior, ſed & communior eſt, ac probabilior, quam tenent Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 2. *pu.* 10. §. 7. Azorius *lib.* 10. *c.* 3. *q.* 3. Filliuc. *tr.* 23. *c.* 5. *n.* 181.

Ratio eſt: quia jura indiſtincte omnibus Beneficiatis imponunt onus recitandi horas Canonicas: atqui Tu es vere Beneficiatus, eſto habeas Beneficium valde tenue, illudque ſcienter acceptaſti

sti cum omnibus favoribus simul & oneribus: ergo cum volenti ac consentienti non fiat injuria, probabilius teneris ad horas.

Hac fortassis de causa S. Congregatio Illustr. DD. Cardinal. Conc. Trident. Interpretum sub die 9. *Jan.* & 6. *Febr.* 1627. ad dubium: *an sacerdotes habentes annuum stipendium, vel qui ex quotidianis eleemosynis celebrant, possint duo stipendia recipere pro singulis Missis, ex quo NB. singula stipendia non ascendunt ad quinque Bajocos?* Unus Bajocus valet unum crucigerum, teste Gobat Theolog. exper. *tr.* 3. *n.* 548. Respondit, *non posse*. Illud tamen certum atque exploratum est, quod, si ex Beneficio tuo parum emolumenti seu fructuum percipias, parum tenearis restituere, si fortassis breviarium neglexeris.

Sed quid (ais) tenendum de illo, qui totum quidem officium recitat, sed cum voluntariis distractionibus internis, & satis indevote ac luride?

422. R. Neque hunc obligandum esse ad restitutionem fructuum. Ita contra Suarez, Filliuc. Bonacinam, & alios nonnullos tenent Sporer *cit. c.* 2. *n.* 88. Gobat, Laymann *l.* 4. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 10. Babenstuber ubi supra *n.* 60. Ratio est: tum quia talis juxta probabilem sententiam supra *n.* 404. traditam adhuc satisfacit substantiæ suæ obligationis, & talis oratio, præsertim in Choro facta nomine Ecclesiæ, adhuc est utilis ad ædificandum populum, & ad aliquid a Deo impetrandum: tum etiam quia lex odiosa neutiquam debet extendi ultra proprietatem verborum: atqui tam Concilium Lateranense, quam Pius V. declarando hanc obligationem loquuntur duntaxat *de non recitante, non dicente, omittente &c. officium divinum*; qualis non est proprie loquendo ille, qui recitat cum distractionibus internis, quantumcunque voluntariis; quippe qui adhuc recitat suo modo: ergo &c. Ob eandem rationem Salmanticenses & alii nonnulli existimant, neque illum teneri ad restitutionem, qui officium divinum uno die culpabiliter neglectum recitaret, seu suppleret altero die, duplex officium recitando &c. &c.

423. Colliges quinto, hujusmodi sententias posse deservire Confessariis, præsertim in casu, ubi prævident pœnitenti difficulter persuasum iri onus restitutionis, & hoc ipso timendum, ne postea mala conscientia negligat, huic obligationi satisfacere: cujusmodi procul dubio plures reperire est, teste Sporer *cit. n.* 37. Oportet proin hujusmodi infirmis (quantum moraliter fieri potest) condescendere, dissimulando onus restitutionis, serio tamen admonendo 1. ut in posterum conentur diligentius Deo persolvere suum pensum Canonicum. 2. ut eliciant intentionem, per eleemosynas vel alia beneficia in posterum pauperibus præstanda, satisfaciendi obligationi restitutionis fructuum, si quam fortassis contraxerint. Dixi: *in posterum præstanda &c.* Enimvero, quod huic debito satisfieri nequeat per eleemosynas jam ante neglectum officium divinum quocunque demum titulo erogatas, liquido deducitur ex damnatione propositionis (*num.* 32.) supra *num.* 399. recensitæ.

424. Colliges sexto, ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ de recitandis horis canonicis non requiri necessario meliorem attentionem quam superficialem, & ad verba, ut bene proferantur, etsi non descendatur ad sensum litteralem. Ratio est: quia hæc sola attentio sufficit ad veram orationem; secus enim Moniales nunquam possent dici orare, dum legunt breviarium, & per hoc neque satisfacerent unquam. Immo nec necessaria est attentio ad singula verba, sed moralis & generalis, qua quis scit, se orare, & curat recte proferre sacras illas sententias. Ita la Croix *l.* 4. *nu.* 1344. Hinc Suarez *de hor. can. lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 20. Gobat *n.* 844. & Sporer *ubi supra c.* 2. *n.* 87. recte dicunt, quod scrupulosi credere possint ac debeant, se huic obligationi satisfecisse, quamdiu ipsis evidenter non constat, quod mutaverint propositum, recitandi attente, vel advertentes, scientes ac volentes inhæserint cogitationibus plane alienis inter recitandum divinum pensum.

425. Colliges septimo, neque illum, qui deliberate quidem fovet cogitationes alienas, tamen non advertit, se per illas

illas deficere a requisita attentione (prout sæpius contingere potest) peccare graviter, aut ad repetitionem aliquam, vel restitutionem esse obligandum; tametsi enim talis distractio sit voluntaria, in quantum est inhæsio voluntaria alienis rebus, non tamen est voluntaria in quantum est distractio ab horis: adeoque talis quoad substantiam satisfacit suæ obligationi. Fatendum nihilominus est, omnem illum, qui voluntarie hujusmodi cogitationibus alienis durante recitatione divini officii inhæret, aut qui eas advertens negligenter repellit vel resistit, saltem venialiter delinquere; eo quod irreverenter erga divinam Majestatem, quam orando alloquitur, sese habeat. Idipsum a fortiori tenendum est de eo, qui devotæ recitationi ponit obstaculum, utputa exercendo aliquas actiones externas quodammodo contrarias, v. g. se lente exuendo aut vestiendo, caput seu crines pectendo, faciem lavando, herbas vel uvas colligendo, oculis divagando in viridario, ripa, vel fluvio &c. tametsi enim hujusmodi actiones non sint incompatibiles cum attentione ex & interna, nihilominus natæ sunt ponere obstaculum attentioni internæ, etiam litterali duntaxat, prout experientia docet; inde fit, ut qui tales voluntarie ponit durante officio divino, convincatur saltem indirecte consentire in distractiones, ac per hoc venialiter delinquere. Videantur de hoc Gobat *tr.* 5. *Theolog. exper. n.* 840. *&* *seqq.* La Croix *l.* 4. *n.* 1337. *&* 1346.

Quænam igitur remedia (ais) oportet adhibere, dum quis desiderat devote recitare suum pensum canonicum, & devote orare?

426. R. Ad hoc dubium breviter, prius esse excludenda impedimenta devotæ orationis, utputa divagationem oculorum, & externorum sensuum v.g. auditus &c. item actionum abstrahentium &c. hujusmodi enarravimus numero præcedente.

Postea vero adhibenda esse nonnulla adjumenta devotionem foventia, utputa 1. priusquam oratio incipitur, formare bonam intentionem Deum laudandi. 2. protestari contra distractiones ingruituras. 3. hanc protestationem brevissime renovare, cum primum quis animadvertit se fuisse distractum. 4. Intentionem laudandi Deum renovare ad pronuntiationem versus *Gloria Patri &c. &c.* 5. Deum præsentem cogitare, vel 6. mysterium quoddam passionis sibi præsentare. 7. inter orandum aut psallendum sæpius quibusdam actibus jaculatoriis in Deum cor suum elevare. 8. intellectum affigere ad sensum verborum, voluntatem vero applicare ad affectus, qui suggeruntur per verba. Plura hujusmodi dabit unctio Spiritus Sancti, poteruntque videri in ascetis.

CONFERENTIA
DECIMA TERTIA.

De modo, tempore, & qualitate recitandi horas Canonicas, nec non de causis a recitatione excusantibus.

SUMMARIUM:

427. *Horæ Canonicæ recitandæ sunt devote ac studiose.*
428. *Hinc nulla pars notabilis intermittenda est.*
429. *Sed neque interrumpendum Officium divinum sine causa rationabili.*
430. *Omnes Ecclesiastici debent recitare Officium juxta formam a Pio V. præscriptam.*
431. *Etiam secundum designationem temporum, ac festorum.*
432. *Hinc non satisfacit, qui scienter recitat aliud Officium notabiliter brevius.*
433. *Aliter discurrendum de eo, qui præciso omni contemptu recitaret aliud Officium æquale.*
434. *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*
435. *Qui sæpius, & sine delectu mutat Officium, peccat graviter.*
436. *Solvitur rursus alia instantia.*
437. *In dicendis horis Canonicis servandus est ordo debitus.*
438. *Canonici ad chorum adstricti, tenentur illud legere in choro;*

439. *Et*

439. *Et quidem tempore debito, id est, lege præscripto.*
440. *Tabella horarum, in quibus licet pridie anticipare matutinum & laudes.*
441. *Dantur quatuor causæ præcipuæ, excusantes a recitatione divini Officii; quæ sunt.*
442. *Impotentia physica, vel etiam moralis.*
443. *Infirmitas gravis.*
444. *Item gravis occupatio, &*
445. *Dispensatio legitima a superiore obtenta.*
446. *Resolvitur Casus I. cujusdam Blæsi, qui ob balbutiem linguæ mirum in modum solebat syncopare verba.*
447. *Utrum alius, cum tali recitans officium, satisfaciat.*
448. *Quid tenendum de surdastris, non satis intelligentibus socium conrecitantem Officium.*
449. *Resolvitur Casus II. cujusdam Religiosi, qui vi sui Officii peragrans diversas Diœceses, ac Conventus, reperit diversa Officia pro diversitate locorum dici.*
450. *An talis rediens ad propria, teneatur adhuc dicere festa residua, quæ nondum recitavit.*
451. *Qui inter recitandum advertit se errasse, tenetur illico corrigere errorem.*
452. *Resolvitur Casus III. de alio quodam Religioso ex itinere valde lasso, & ob id dubitante, an teneatur recitare Officium.*
453. *Ad eximendum quempiam ab hac obligatione, non sufficit quæcunque difficultas, aut molestia orandi.*
454. *Hinc qui ventri ac lusui indulsit usque ad horam undecimam noctis, tenetur adhuc dicere breviarium, esto non inveniat amplius tempus ad cœnandum.*
455. *Occurritur cuidam instantiæ in contrarium.*
456. *Qui potest saltem unam horam recitare, tenetur, esto non possit recitare majorem partem Officii divini.*
457. *Huic obligationi de recitando officio canonico non potest satisfieri per alium.*
458. *Potest tamen satisfieri, si quis recitet cum alio ad hoc Officium non obligato.*
459. *Quænam in tali casu sint observanda.*
460. *An, vel qualiter satisfaciat, qui aliis psallentibus cooperatur v.g. pulsando organum ad Psalmos &c.*
461. *Reconvalescens ex gravi infirmitate, non est illico adstringendus ad recitandum Officium divinum;*
462. *Esto etiam bonam partem diei soleat impendere profanis colloquiis &c.*
463. *Recitationem Matutini differens post sacrum, etiam sine causa, non peccat, nisi venialiter.*
464. *Non licet dicere Officium divinum de Reliquiis Sanctorum, nisi sint insignes, & Eorum qui sunt inserti Martyrologio Romano.*

§. I.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos, de tempore & qualitate horarum, & causis excusantibus a recitatione horarum canonicarum.

Quæres primo, quomodo horæ canonicæ sint recitandæ?

427. R. Ex dictis supra *n.* 390. sunt recitandæ *devote & studiose*. Ita enim expresse habetur *cap. Dolentes de celebr. Miss.* ubi glossa dicit. *Studiose quoad officium oris. Devote quoad officium cordis*. Itaque studiositas requirit ut horæ canonicæ dicantur integre quoad materiam, itemque rite quoad formam tam generalem quam specialem, ordinate, debito tempore ac loco &c. Devotio vero requirit, intentionem formalem colendi & orandi Deum, unacum attentione congrua. Quia vero de hac intentione & attentione jam diximus in præcedenti Conferentia; hinc superest, ut in hac de reliquis conditionibus agamus, præcipue vero de qualitate Officii dicendi, nec non de causis excusantibus a recitatione horarum.

Quæres secundo, qualis integritas requiratur ad recitandum officium divinum?

428. R. Integritas Officii postulat, ut

ut non solum 1. nulla pars notabilis Officii divini culpabiliter intermittatur, sed insuper secundo ut omnia verba reverenter ac distincte proferantur. Ita *communis DD.* Ratio est: quia in allegato *cap. Dolentes* præcipitur & graviter quidem, ut officium divinum non solum *devote* sed & *studiose* persolvatur: at, qui partem notabilem omittit, vel qui verba syncopat, deglutit, vel medios Psalmorum versus truncat, vel qui officium recitando cum alio, versum psalmi incipit, prius, quam alter finivit &c. &c. non recitat studiose, sed infideliter ac luride: ergo si per totum officium aut notabilem valde partem ita practicet, ut quandoque vix mediam partem versuum vel verborum bene exprimat, potest graviter delinquere. Videantur de hoc Bonacina *de hor. Can. disp.* 1. *q.* 3. *pu.* 2. *§.* 1. *n.* 2. *&* 3. Tambur. *l.* 2. *in decal. c.* 5. *§.* 3. *a n.* 4. Sporer *cit. c.* 2. *n.* 100.

Sed quid de eo tenendum, qui officium divinum interrumpit?

429. R. Si fiat talis interruptio psalmi a psalmo vel responsoriis ejusdem horæ minoris, ex justa causa, vel impedimento interveniente 1. omni culpa vacabit: sin autem fiat absque omni justa causa, ex mera levitate. 2. saltem veniale peccatum est. Ita DD. communiter. Sanchez *l.* 7. *consil. moral. c.* 2. *dub.* 19. Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 6. *dist.* 1. *n.* 55. Laymann *l.* 4. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 7. Ratio est: quia si rationabili de causa fiat, nulla; si vero ex mera levitate animi sine rationabili causa hæc contingat, & quidem per moram notabilem, irreverentia Deo irrogatur; est enim quædam indecentia & irreverentia cœptum cum Deo sermonem sine causa interrumpere. Quia tamen supponitur adhuc integrum officium recitari, & singulæ partes habent suum pondus, suamque significationem, & sunt per se quædam preces ac laudes divinæ, hinc adhuc adimpletur substantia præcepti, & irreverentia hæc non ascendit ad gravitatem peccati mortalis, secundum communem DD. opinionem, videndam apud Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *a* 3. *num.* 103. neque tenetur quis hujusmodi officium repetere juxta probabilem sententiam Laymann. l. cit. & aliorum. Ceterum matutinum a laudibus, nocturnum a nocturno, immo & horam ab hora minori separari, seu interrumpi posse sine peccato, a nemine in dubium revocari debet; hoc enim persuasio communis, & praxis etiam timoratorum probat.

Quæres jam tertio, quale officium sit recitandum?

430. R. Primo ad hoc quæsitum, Jure novo omnes Ecclesiastici tenentur recitare horas secundum formam Romani Breviarii a Pio V. editi, & a Clemente VIII. reformati, illis duntaxat exceptis, in quorum Monasteriis vel Ecclesiis jam ducentis annis ante Breviarium a Pio V. editum aliud fuit institutum, & consuetudine approbatum. Tota hæc resolutio habetur expressa in Bulla Pii V. 1568. edita, & jam superius allegata, quæ communiter solet præfigi frontispicio Breviarii Romani. Dixi *jure novo*; etenim jure antiquo omnes Clerici tenebantur recitare horas juxta Breviarium in sua Diœcesi vel Ordine approbatum & receptum. Unde hodiedum in diversis Ordinibus videmus officium divinum diversimode recitari, juxta approbatam cujuslibet S. Ordinis consuetudinem; de qua sine dubio constabit cuilibet Religioso in particulari.

431. R. Jam secundo ad idem quæsitum. Officium divinum recitandum est secundum designationem temporum, dierum, ac festorum, quæ habentur in Calendario Breviarii Romani ita, ut non liceat loco unius recitare alterum. Ita rursus *Doctores unanimiter*. Ratio est: quia hoc expresse præscribitur in præfatis Bullis Summorum Pontificum, nec immerito, quia ad condecentem uniformitatem Ecclesiæ pertinere videbatur distributio officii divini secundum diversitatem temporum, dierum ac festivitatum: ergo qui hunc Ordinem non servat, per se loquendo peccat, transgrediendo justissimam Ecclesiæ ordinationem. Verum

Quæres jam quarto, quomodo talis peccet non servando Ordinem ab Ecclesia præscriptum, an scil. mortaliter, an vero venialiter duntaxat?

432. R. Ad hoc quæsitum primo. Qui data opera, & sine justa causa recitat

citat

citat aliud officium notabiliter brevius ab eo, quod ex ordinatione Ecclesiæ tali die aut tempore erat recitandum, utputa officium Paschale vel Pentecostale loco alterius officii novem lectionum &c. &c. peccat mortaliter. Ita ex *communi* DD. sententia Herincx *part.* 3.*tr.* 4. *disp.* 2. *q.* 3. *n.* 18. La Croix *l.* 4. *n.* 1250. Ratio est: quia talis non satisfacit præcepto de recitandis horis Canonicis, prout patet ex sequenti propositione (*n.* 34.) ab Alexandro VII. damnata: *in die Palmarum recitans officium paschale, satisfacit præcepto*: ergo verum est, quod non satisfaciat. Et certe recitans officium paschale in die palmarum: & universim recitans officium notabiliter brevius ab eo, quod ab Ecclesia tali tempore aut die erat præscriptum, omittit notabilem partem officii divini: atqui omittens notabilem partem, peccat mortaliter: ergo &c. &c.

433. R. Jam secundo ad idem quæsitum. Qui aliquoties recitat unum officium pro alio, æquale tamen, ita ut servet formam communem & ordinariam officii Canonici, probabiliter satisfacit obligationi suæ, nec peccat mortaliter, neque ad ullam repetitionem vel restitutionem propterea tenetur. Hanc opinionem velut tutam in praxi tenent plurimi pietate & sapientia celeberrimi Doctores, videndi apud La Croix *l.* 4. *n.* 150. & hoc etiam post propositionem damnatam ab Alexandro VII. prout videre est apud Viva *part.* 1. *thes. damnat. proposit.* 34. Cardenas *in* 1. *Cris. diss.* 33. *num.* 42. Du Bois ad eandem propositionem, Sbogar *tr.* 81. *nu.* 17. Lessium *l.* 2. *c.* 37. *n.* 77. contra alios etiam graves DD. quorum sententia procul dubio non solum probabilis, sed & longe tutior est. Ratio autem hujus opinionis est: quia taliter recitans unum officium pro alio non violat legem Ecclesiasticam quoad substantiam, sed potius quoad modum aliquem accidentalem, de quo non constat, esse graviter intentum ab Ecclesiæ, vel ad finem aliquem proprium graviter ordinatum; id, quod colligitur a pari; nam qui legit unam Missam pro alia v. g. die dominica de aliquo Sancto, ubi tamen debuisset legere de dominica, probabiliter non peccat, certe non graviter secundum persuasionem virorum pietate & doctrina præstantissimorum: ergo idipsum sentiendum est de eo, qui officium unum æquale legit loco alterius. Et certe habentur plurima officia de Communi v. g. Confessorum, Virginum, Martyrum &c. prorsus æqualia, ita ut vix oporteat aliud variare, quam solum nomen Sancti: quis ergo sibi persuadeat, quod recitans hodie integrum officium v. g. de S. Antonio, dum tamen debuisset recitare v. g. de S. Paulo Eremita, mortaliter peccet, & pœnas incurrat infernales?

Dices tamen contra hanc resolutionem. Pius V. in sua Bulla habet hæc formalia: *Hoc nostrum Breviarium præcipimus observari, statuentes, quoscunque, qui horas canonicas dicere debent, ad dicendum ex hujus Romani Breviarii præscripto, & ratione omnino teneri, neminemque, NB. nisi hac forma satisfacere posse*: ergo qui recitat aliud officium non satisfacit, consequenter mortaliter peccat.

434. R. *Concess. antecedente disting. conseq.* ergo qui recitat aliud officium non satisfacit quoad modum vel formam accidentalem Calendarii Romani, *concedo*, non satisfacit quoad substantiam officii secundum normam ac ritum Breviarii Romani, *neg. conseq.* Intentum enim SS. Pontificum fuit, abrogatis antiquis officiis seu Breviariis, (e quibus aliqua, teste Gobat *Theolog. Exper. tract.* 5. *n.* 881. erant brevissima, ac diversissima,) introducere in S. Ecclesia Romana uniformitatem quoad substantiam, ita scilicet, ut matutinum & horæ minores dicantur, prout continentur in Breviario Romano. Utrum autem etiam voluerit graviter obligare ad officium diei alligatum, ita ut aliud æquale officium recitans non satisfaceret, hoc est in quæstione; immo a plurimis Doctoribus sapientia & pietate præstantissimis, etiam post propositiones damnatas negatur, ut jam audivimus: ergo cum de hoc certo non constet, probabiliter asseritur oppositum, neque propterea aliquis mitti debet in infernum, prout diffuse ac solide probat idem Gobat *l. cit. num.* 878. & *seqq.* Profecto ipsimet Adversarii fatentur, eum, qui of-

officium duplex recitat sub ritu semiduplici, vel qui ex inadvertentia recitavit unum officium loco alterius v. g. de S. Antonio Eremita, dum debuisset de S. Paulo; vel de S. Polycarpo, dum de S. Canuto debuisset recitare, satisfecisse substantiæ suæ obligationis in tantum, ut postea advertens errorem, non amplius teneatur repetere illud aliud officium in Calendario præscriptum: ergo ipsimet Adversarii fateri coguntur, posse quempiam satisfacere recitando Breviarium Romanum quoad substantiam horarum præscriptarum, præsertim si hoc fiat privatim & sine scandalo, esto non quoad formam accidentalem Calendarii Romani. Videantur de hoc La Croix *lib.* 4. *num.* 1251. Herincx *ubi supra num.* 19. Babenstuber *cit. art.* 3. *num.* 88.

435. Dixi tamen in resolutione probabiliter, non peccare graviter, qui *aliquoties* unum officium æquale recitat pro alio &c. Nam sæpius (id est, sine delectu, & quasi communiter vel pro libitu) id factinatem peccati mortalis condemnant Suarez, Reginaldus, Filliuc, Tamburinus *l.* 2. *c.* 5. §. 2. *n.* 24. & alii plures. Ratio est: quia Pius V. non solum præcipit (& principaliter quidem) esse recitandum Officium DD. juxta Breviarium Romanum, sed etiam juxta Calendarium seu designationes festorum in Calendario ejusdem Breviarii præscriptam, ob uniformitatem servandam; unde in eadem Bulla dicitur de Clericis, quod *teneantur ad Officium sub pœnis, ut quotidie persolvant, ex hujusmodi Breviarii præscripto & ratione*: ergo qui sæpius, & quasi pro suo libitu ita mutaret officia, graviter læderet præscriptum constitutionis Pontificiæ, ac per consequens graviter peccaret; immo quodammodo convinceretur contemnere ordinationem Ecclesiæ.

Dices iterum. Ex hac responsione sequeretur, etiam illum peccati mortalis condemnandum esse, qui una duntaxat die mutaret officium; quia jam non servaret præscriptum Bullæ Pontificiæ: sed hoc est contra resolutionem *n.* 435. datam: ergo vel hæc resolutio non subsistit, vel illa.

436. R. *Negando Maj.* Esto enim negari non possit, quin talis etiam, semel tantum contraveniendo Ecclesiæ Ordinationi (& quidem sine sufficienti causa) peccet, non tamen illico peccati mortalis condemnandus est, quia Pontifex in assignanda forma specifica pro recitatione Breviarii videtur maxime respexisse ad quantitatem materiæ recitandæ; ergo si hæc in officio mutato sit moraliter æqualis, censetur substantialiter observari forma specifica breviarii; quia forma reipsa servatur, si per æquipollens id fiat; *l. fin. ff. Mandati & l. si Mater. C. de instit. & substit.* & ob hanc potissimum rationem ipsimet AA. coguntur fateri, hanc nostram benigniorem opinionem, pro qua stant plus quam 50. Viri (ait Gobat) sapientia & pietate celeberrimi, esse practice probabilem: ergo contraveniens præfatæ Bullæ aliquoties duntaxat, recitando aliud officium æquale, non illico condemnandus est alicujus peccati mortalis. Videatur Tambur. *l. cit. num.* 24. Laymann *l.* 4. *tr.* 1. *c.* 5. *a n.* 4. Gobat *a n.* 868. Sporer *ubi supra cap.* 2. *num.* 119.

Quæres quinto, quo ordine dicendæ sint horæ Canonicæ?

437. R. Tametsi horæ Canonicæ quoad earum seriem sint ordinate dicendæ præsertim in Choro ad evitandum scandalum in populo, veluti constat ex ordinatione Ecclesiæ, nihilominus eas transponens etiam sine causa privatim recitans v. g. horas minores ante matutinum, vel completorium ante vesperas, vesperas ante nonam &c. 1. non peccat, nisi venialiter: quod si hoc faciat ex rationabili causa, 2. omni culpa vacabit. Ita ex *communissima* DD. Palao *tra.* 7. *disp.* 2. *pun.* 4. *n.* 4. Gobat, *num.* 665. Sporer *n.* 131. & 132. Ratio prioris est: quia talis adhuc recitat totum Breviarium & satisfacit obligationi quoad substantiam, esto non quoad ordinem accidentalem: ergo quemadmodum recitans vesperas ante prandium, vel horam primam post prandium, non nisi venialiter delinquit; ita pariter qui recitat vesperas ante nonam. Ratio autem posterioris est: quia *quando Ecclesia aliquid præcipit aut prohibet solum sub peccato veniali, qualibet honesta causa sufficit ad evadendam omnem culpam contra illam*

prohibitionem : hanc velut Regulam generalem tradunt Vasquez, Fagundez, Gobat & alii : ergo qui horas transponit ex causa rationabili v. g. ob majorem commoditatem, vel quia cum socio, aut in Choro debet dicere unam horam, altera nondum recitata &c. nullam prorsus culpam propterea committit.

Quæres sexto, quo loco & tempore dicendæ sint horæ Canonicæ?

438. R. Ad primam partem hujus quæsiti. Illi qui sunt Choro adstricti, utputa Canonici, Religiosi plerique &c. 1. tenentur recitare officium divinum in suis respective Ecclesiis, nisi aliud suadeat vel necessitas, vel consuetudo legitime recepta &c. 2. Illi vero, qui non sunt addicti choro, possunt ubique divinum officium recitare, modo non recitent in loco indecente, vel etiam tali, ubi attentio impediri solet. Ita *DD. communiter* quoad utramque partem. Ratio prioris desumitur ex *Clement. I. de Celebr. Miss.* ubi Canonicis injungitur obligatio dicendi horas Canonicas *in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis*: eadem est ratio de Religiosis Choro adstrictis, saltem per se loquendo, nisi scil. necessitas (quæ, ut communiter dicitur, non habet legem) ad aliud cogat, vel consuetudo legitima, quæ pariter obtinere potest vim legis, aliud suadeat.

Ratio autem posterioris hæc est: quia illi, qui non sunt alligati choro, nullo jure adstringuntur ad certum locum; vel situm, ergo in omni loco possunt suas horas recitare, sive sedendo sive stando, sive ambulando &c. modo id faciant *studiose* pariter, ac *devote*, ideoque non in loco indecenti (quod esset contra reverentiam) vel in loco distractionibus obnoxio, quod esset contra devotionem debitam.

439. R. Jam ad secundam partem ejusdem quæsiti. Ubi officium recitatur in Choro 1. servandum est tempus; id est, horæ diei laudabili consuetudine assumptæ, vel statutis particularibus præscriptæ. In privata vero recitatione horarum Canonicarum satisfacit quoad substantiam, quisquis intra spatium unius diei naturalis, id est, a medio noctis usque ad alterum medium, scilicet a duodecima noctis usque ad alteram duodecimam nocturnam, recitat totum Breviarium. Ita rursus *communissime DD.* Ratio prioris est: quia consuetudo laudabiliter recepta, vel etiam statuta particularia habent se ad instar legis: ergo iisdem obsequendum est; eo præsertim, quod ex opposito de facili posset dari scandalum. Ratio autem posterioris est: quia, ut ex allegato *Cap. Dolentes de celebr. Miss.* diximus, Officium *singulis diebus* est recitandum: atqui juxta communem usum Ecclesiæ dies incipit a media nocte diei præcedentis, & durat usque ad mediam noctem diei subsequentis, ita ut includat 24. horas, quæ simul sumptæ faciunt unum diem naturalem: ergo quisquis intra hoc tempus recitat totum officium divinum, satisfacit substantiæ præcepti, & si secundum proxime dicta *num.* 437. venialiter saltem delinquat, qui sine rationabili causa ordinem vel tempus horarum non observat, v. g. recitando vesperas ac completorium de mane, vel horam primam, tertiam &c. post prandium.

440. Illud tamen hic observandum venit, Matutinum & laudes (non item reliquas horas) pridie sub vesperam anticipari posse, ex consuetudine jam pridem introducta, atque a timoratis hodiedum practicata: ita quidem ut Matutinum possit inchoari

20. Januarii hora secunda pomeridiana cum quadrante.
13. Februarii medio tertiæ.
1. Martii hora secunda cum tribus quadrantibus.
18. Martii hora tertia.
4. Aprilis hora tertia cum quadrante.
20. Aprilis medio quartæ.
10. Maji hora tertia cum tribus quadrantibus.
8. Junii hora quarta.
1. Augusti hora tertia cum 3. quadrantibus.
11. Augusti medio quartæ.
7. Septembris hora tertia cum quadrante.
24. Septembris hora tertia.

11. Octobris hora secunda cum tribus quadrantibus.

20. Octobris medio tertiæ.

18. Novembris hora secunda cum quadrante.

15. Decembris hora secunda.

Hanc tabulam ad horas horologii nostri sic accommodandam Romæ anno 1706. typis Cameræ Apostolicæ prodiisse, testatur P. La Croix *l.* 4. *num.* 1314. Nihilominus per talem recitationem unius Matutini satisfieri non posse obligationi duarum dierum, scilicet hujus, & sequentis, constat ex damnatione sequentis propositionis (*n.* 35.) inter proscriptas ab Alexandro VII. *unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsente, & crastina.*

Quæres septimo, an, vel quænam causæ excusent a recitatione Breviarii, seu Officii divini?

441. R. Dantur sine dubio causæ excusantes ab hac non minus, quam a reliquis legibus mere Ecclesiasticis, & quidem sequentes quatuor, scilicet 1. Impotentia. 2. Infirmitas. 3. gravis occupatio. 4. Dispensatio. Ita rursus in re *Communiter Doctores.* Rationes horum patebunt ex singularum explicatione seu declaratione. Unde

Quæres octavo, qualis Impotentia, & qualis infirmitas excuset a recitatione officii divini?

442. R. Ad primam partem hujus quæsiti, a recitatione horarum excusat impotentia, sive ea sit intrinseca, sive extrinseca. Explico breviter: impotentia intrinseca dicitur, quæ oritur ex aliquo defectu corporali intrinseco, ut si aliquis sit vel omnino cæcus, vel saltem oculis graviter laborans, ita ut merito timere debeat, ne visum omnino perdat. Extrinseca vero impotentia appellatur, quæ oritur ex defectu alicujus conditionis, aut medii extrinseci ad recitandum requisiti, utputa si quis sit destitutus breviario, aut lumine requisito ad recitandum.

Ratio horum desumitur ex Regulis utriusque Juris *l. impossibilium ff. de Reg. J. & l. VI. de Reg. J. in sexto*, ubi dicitur: *Nemo potest ad impossibile obligari.* Quocirca tamen Herincx noster *cit. disp.* 2. *n.* 49. Illsung. *tr.* 5. *disp.* 1. *n.* 41. & alii DD. communiter notant, quod si talis vel totum officium, vel magnam ejus partem, v. g. psalmos horarum, Responsoria &c. sciat memoriter, teneatur adhuc recitare; quia tali, sed secundum quid tantum, potestque huic præcepto adhuc satisfacere, sin minus ex toto, saltem ex parte: ergo adhuc tenetur. Porro qui culpabiliter caret Breviario v. g. quia illud abjecit in mare, vel in profluentem, peccat sine dubio non solum dum illud abjicit, sed insuper quoties postea recitare omittit; quia nedum carentia libri, verum etiam omissiones inde subsecutæ censentur voluntariæ in causa. Si tamen talis ex post facto vere ac sincere pœniteat de culpabili projectione Breviarii, nec aliud habere possit ad manum, neque etiam totum vel magnam hujus partem, saltem horæ minori æquivalentem memoriter sciat, non amplius peccabit omittendo; quia tales omissiones non amplius sunt voluntariæ, neque in se, neque in sua causa, utpote jam retractata per seriam pœnitentiam. Ita Sanchez *part.* 2. *consil. moral. l.* 7. *c.* 2. *dub.* 51. & alii *DD. communissime.*

443. R. Jam ad alteram partem ejusdem quæsiti a recitatione horarum Canonicarum excusat nedum infirmitas vere gravis, sed etiam periculum gravis infirmitatis rationabiliter timendum. Ita rursus ex communi DD. Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 6. *dist.* 1. *n.* 77. & desumitur ex *c. Clericus Victum dist.* 91. Ratio est: quia pie præsumitur, Ecclesiam velut piam Matrem nolle suos filios cum tanto rigore obligare ad præstandum pensum canonicum, neque velle, ut propterea quis sese exponat periculo subeundi gravis damni, seu infirmitatis. Secus tamen dicendum est, de levi duntaxat infirmitate v. g. levi dolore capitis, stomachi, vel pectoris &c. aut de febre v. g. quartana, quæ licet nonnihil molestat infirmum, nihilominus relinquit sufficiens tempus recitandi divinum officium. Ita Suarez de *Relig. l.* 4. *c.* 28. *n.* 19. Bonacina *de hor. Can. disp.* 1. *q.* 6. *pu.* 1. *n.* 2. Sporer & alii. Denique in dubio, an infirmitas sit vere gravis, vel periculum gravis infirmitatis rationabiliter timendum? standum erit judi-

judicio periti & conſcientioſi Medici, vel a ſuperiore (ubi id fieri poteſt) petenda diſpenſatio: in quo puncto ſuperiores non debent eſſe nimis difficiles, aut ſcrupuloſi.

Quæres denique nono, quando, vel quomodo a recitandis horis canonicis excuſent gravis occupatio, & diſpenſatio?

444. R. Ad primum membrum hujus quæſiti. Ut gravis occupatio excuſet a recitatione horarum Canonicarum, debet ea eſſe talis, quæ vel non potuit præveniri, vel nequit intermitti ſine ſcandalo, aut gravi proprio, vel aliorum damno, ac inſuper ſecum non compatitur recitationem horarum. Ita Sanchez ubi *ſupra dub.* 52. Salmanticenſes *tr.* 16. *c.* 3. *pu.* 6. *num.* 37. Babenſtuber *tr.* 5. *diſp.* 2. *a* 3. *n.* 67. Ratio excuſationis ſimiliter petenda eſt ex benignitate S. Matris Eccleſiæ, quæ filios ſuos non vult cum tanto rigore obligatos ad obſervantiam legum mere humanarum. Si quis tamen prævideat ejuſmodi occupationem ſuperventuram, quæ non compatietur horarum recitationem, tenetur præoccupare, & horas ante prandium recitare.

Ita Bonacina ubi ſupra *pun.* 2. *num.* 2. Tamburinus *lib.* 2. *decal. cap.* 5. §. 8. *num.* 20. Suarez, & alii. Ratio eſt: quia obligatio hujus præcepti durat tota die, & per omnes diei partes, & præterea impleri poteſt certa diei parte, ut supponitur: ergo tunc impleri debet, quemadmodum ille, qui prævidit die dominica aut feſtiva ſe non poſſe audire Miſſam ultimam, quæ dicitur v. g. hora undecima, nec ullam aliam, præter primam hora ſexta dicendam, tenetur hanc audire. Nemo tamen propterea tenetur jam pridie anticipare Matutinum. Ratio eſt: quia pridie nondum currit obligatio diei ſequentis: & quod quis anticipare valeat Matutinum cum laudibus ſecundum proxime dicta *num.* 440. eſt merum privilegium: mero autem privilegio nemo tenetur uti: ergo nec anticipare Matutinum pridie, tametſi anticipando laudabiliſſime faceret. Gobat *Theolog. exper. tr.* 5. *num.* 711. Sporer ubi ſupra *cap.* 3. *numer.* 172. *fin.*

445. R. Jam ad alterum membrum ejuſdem quæſiti a recitatione horarum canonicarum excuſat legitima diſpenſatio, quippe qua tolli poteſt obligatio legis. Ceterum in hac obligatione diſpenſare poteſt Summus Pontifex velut ſupremus Legiſlator Juris Eccleſiaſtici, ita ut hæc diſpenſatio valeat, eſto ſit facta ſine cauſa. Epiſcopi tamen & Abbates aliique Superiores Regulares in hac obligatione cum ſuis ſubditis diſpenſare non poſſunt, ſaltem per ſe loquendo. Ratio eſt: quia Inferior per ſe diſpenſare nequit in lege ſuperioris: atqui obligatio recitandi horas Canonicas proficiſcitur ex lege ſuperioris, ſcil. Summi Pontificis: ergo &c. Nihilominus cum ſæpe ſæpius ſoleant occurrere cauſæ rationabiles diſpenſandi in Caſibus particularibus, ſin minus ex toto, vel in perpetuum, ſaltem in tanto, & ad certum tempus, & ſimul ad Summam ſedem, præſertim in hiſce partibus noſtris ſeptentrionalibus, non detur tam facilis recurſus Romam; hinc Tamburinus, Gobat, Sporer, aliique Claſſici Doctores, non immerito cenſent, in ſimilibus caſibus poteſtatem diſpenſandi in recitandis horis Canonicis ſaltem ex conſuetudine vel tacita delegatione jamjam fuiſſe devolutam ad præfatos ſuperiores, in tantum, ut ex rationabili cauſa poſſint cum ſuis reſpective ſubditis ſin minus ſimpliciter & pro ſemper, ſaltem ad tempus diſpenſare ſubſiſtente rationabili cauſa. Cenſent autem Gobat, Sporer *cit. num.* 168. & alii, *Cauſam juſtam diſpenſandi eſſe omne impedimentum excuſans dubium*, id eſt, quoties occurrit aliqua cauſa rationabilis, eſto dubia, an ſit ſufficiens ex ſe: v. g. aliqua infirmitas, occupatio &c. quia tunc defectum cauſæ dubiæ certo ſupplet auctoritas poteſtatis Eccleſiaſticæ ſuperioribus conceſſæ. Videantur de his Gobat *cit. tr.* 5. *Theolog. mor. exper. n.* 714. vel Tamburinus *lib.* 2. *in Decalog. c.* 5. §. 8. *n.* 24.

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici de modo, qualitate &c. & Cauſis excuſantibus a recitatione horarum Canonicarum.

CASUS PRIMUS.

Titius a puero portans linguam blæſam, ſeu balbutientem, recitando ſuum Breviarium verba plurima mirum in modum ſyncopare, & quodammodo deglutire ſolet, tum præſertim, ubi largiori potatione nervi linguæ fuere relaxati. Hinc dum nuper alius quidem Clericus Matutinum & reliquas horas minores cum eodem in tali ſtatu conſtituto recitans, vix aliquem ſenſum lectionis aut pſalmi potuiſſet percipere, eundem blande admonendo dixit: tardius, quæſo! tardius, nec ita properanter recites; quia te non intelligo. Cui Titius apage! reponebat cum tuis ſcrupulis: an ignoras, Deum intelligere omnes linguas? Quidni ergo & me intelligat? Et hoc ſufficit. Caſus hic non eſt fictus, ſed factus, & utinam non nimis frequenter contingeret. Dubitatur jam, an Titius taliter ſuum Breviarium recitando ſatisfaciat, & an non graviter peccet, liberius potui indulgendo, eſto prævideat, ſe minus fore diſpoſitum ad devote, ac ſtudioſe recitandum ſuum breviarium?

446. R. Ad hanc ſpeciem facti, Titium probabilius ſatisfacere ſuæ obligationi. Ratio eſt: quia cum ſupponatur a puero portare linguam blæſam ſeu balbutientem, defectus hic potius naturalis cenſeri debet, quam moralis: ſed hoc ipſo imputari non poteſt ad culpam gravem; cum Titius ſupponatur facere quantum poteſt in ordine ad devotam & ſtudioſam recitationem. Nec refert, quod liberius indulgendo potui videatur ſponte ac libere hanc ſuam balbutiem augmentare, & hoc ipſo ponere impedimentum devotæ ac ſtudioſæ recitationi, qualem tamen ſacri Canones & Conſilium Baſileenſe §. *qualiter hora &c.* graviter præcipiunt. Nihil, inquam, refert: quia talis exceſſus in potu de ſe non eſt gravis, ſed ad ſummum venialiter malus: ſupponitur enim Titius adhuc poſſidere plenum rationis uſum, & ſibi præſentiſſimus: cum ergo talis exceſſus non ſit, niſi venialiter malus, etiam defectus devotæ ac ſtudioſæ recitationis inde conſequens, non erit, niſi ad ſummum venialiter malus. Quin immo hujuſmodi hominibus blæſis ac balbutientibus tam naturale eſt, ſyncopare hujuſmodi verba divina, ut aliter facere nequeant, tametſi ſummopere vellent, ac omnino jejuni ſint; prout ipſuſmet una vel altera vice non ſine admiratione animadverti ac notavi de uno vel altero ad aram litante. Hinc Gobat *Theolog. Exper. tract.* 5. *num.* 618. ſapientiſſime ait: *profecto verborum mutilatio eſt vitium* tam generale, partim a natura, partim ab habitu, hic & nunc incorrigibili, partim etiam a potu vini, etiam neceſſario, & moderato, ut infinitis ſcrupulis panderetur via, ſi aſſereretur, ex his (ſyncopationibus ſcilicet verborum aut ſyllabarum inter recitandum) conflari materiam ſufficientem ad lethale crimen, cum tamen Roderiquezius *in ſumma cap.* 123. *num.* 2. recte moneat, oportere in rebus moralibus ita loqui, ut non detur ingreſſus ſcrupulis. Hinc recte pronuntiat Laymann *lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 5. *num.* 8. quando illud vitium emendari nequit, nullum peccatum eſſe timendum; quod etiam docet Leſſius, non damnans de mortali, niſi quando exceſſus eſt enormis.

Dices tamen contra hanc reſolutionem. Eſto Titius non videatur graviter peccare, eo quod talis defectus eidem velut naturalis potius, quam moralis ad culpam gravem imputari non valeat: ego tamen vehementer dubito, an mihi liceat cum eo in tali ſtatu conſtituto recitare horas Canonicas, cum plane vix mediam partem eorum, quæ ipſe recitat ob nimiam præcipitantiam linguæ valeam percipere.

447. R. Probabiliter nihilominus ſatisfacis, nec teneris repetere. Ita Tamburi. *in Decalog. l.* 2. *c.* 5. *§.* 4. *num.* 12. Laymann *l. cit.* Pelizarius, Caramuel, Gobat *n.* 692. Sporer *n.* 107. & alii contra alios nonnullos.

Ratio noſtra eſt: quia hoc modo tu præſtas id, quod, & quantum potes,

& per

& per debitam recitationem tuæ partis atque attentionem debitam ad recitationem qualemcunque alterius, ejus recitationem debite tibi facis communem. Idipsum dicendum, si ob socii vel alterius Chori defectum, vel ob strepitum, vel ob tuam distractionem non mortaliter malam, aliqua ab altera parte prolata non percepisti; cum enim hujusmodi impedimenta soleant frequentissime occurrere; hinc via aperiretur innumeris prope scrupulis, si tales vellemus obligare ad iteratam recitationem seu repetitionem. Unde Tamburinus *loc. cit. ait*: sine hæsitatione pronuntio cum *Sa Verb. Hora n.* 9. te satisfacere tuæ obligationi, si attendas, quantum moraliter vales, licet propter Socii, chorive culpam nihil ex iis percipias: quia hoc modo Tu prestas id, quod potes, nec per te stat, quin audias.

Sed quid, si surdaster choro assistens vel cum alio recitans non percipiat, quæ dicuntur ab alia parte, nisi forte imperfecte?

448. R. Nihilominus satisfacit. Ita Tamburinus *cit. n.* 13. cum Sanchez *tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *de orat. c.* 28. *n.* 15. Ratio est: quia dum talis surdaster suam partem recitat, ad alteram vero partem attendit, quantum valet, sibi satis chori, vel alterius Socii recitationem reddit communem. Secus dicendum est de omnino surdo, qui nullo modo socii vel alterius in choro legentis partem audire potest, vel de actu dormiente, dum leguntur v. g. lectiones; quia cum tales in eo statu neque audire possint legentem hinc (more humano loquendo) neque censentur moraliter assistere: & sicut dormiens durante S. Missæ sacrificio non habetur pro moraliter præsente, ideoque per se loquendo tenetur aliud audire sacrum; ita & talis tenentur privatim recitare suum Breviarium.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Religiosus vi officii sui cogitur peragrare diversas Provincias ac Diœceses, hinc non raro fit, ut dum ad alium Conventum, aut Diœcesin pervenit, ibi celebretur solenniter aliud festum Diœcesanum, & quidem tali die, ubi Sempronius vi sui Directorii seu Calendarii Ecclesiastici jam pridie anticipavit Matutinum & laudes de alio festo semiduplici; hanc ob causam aliquoties reliquas horas minores privatim recitavit de eodem festo semiduplici, Missam vero legit de illo festo Diœcesano, quia in publico fuisset timendum scandalum, vel saltem admiratio in populo, nisi quoad Missam & præsertim quoad colorem paramentorum sese conformasset aliis, aliquoties insuper quoad officium ipsum sese accommodavit aliis, verum posteaquam Sempronius rediit ad propria, penultimo mense deprehendit, restare sibi tot officia, ut eo anno prorsus non amplius dicere posset: hinc nonnihil sollicitus e Confessario postulat Consilium, quid jam deinceps facto opus sit, an scilicet 1. *inposterum denuo tuta conscientia sese posset accommodare aliis quoad Breviarium in itinere recitandum?* 2. *an festa hoc anno nondum celebrata, etiamnum teneatur supplere? Quid ad hæc Confessarius respondebit Sempronio?*

449. R. Ad primum dubium affirmative, scilicet posse, non tamen teneri sese accommodare recitantibus aliud officium. Ita communiter DD. Tambur. *l.* 2. *Decal. c.* 5. §. 2. *n.* 25. Gobat *tr.* 5. *Theolog. exper. n.*644. Sporer *n.* 125. Ratio est: quia Sempronius respectu talium locorum habendus est velut peregrinus: peregrini autem licet possint, non tamen necessario tenentur sese accommodare particularibus legibus locorum, per quæ transeunt, veluti ex communi DD. sententia diximus *par.* 1. *Theolog. Decalog. Conf.* 13. *n.* 362. & patet hoc de obligatione v. g. audiendi sacrum, jejunandi &c. ergo Sempronius poterit quidem, non tamen tenebitur sese accommodare festis particularibus locorum, licet omnino melius faciat se accommodando, præsertim quoad Missam in publico legendam. Hinc Lugo *in Consiliis moral. l.* 5. *dub.* 8. *n.* 20. apud Gobat *l. c.* testatur, se id non semel fecisse, quando scilicet in uno collegio, e quo sibi abeundum erat, dixit Matutinum, & laudes feriales, at sequenti die venit ad aliud collegium, habitaturus in eo, & in

in quo celebrabatur v. g. dedicatio Ecclesiæ, reliquas horas dixit de Dedicatione.

450. R. Ad alterum dubium pariter negative, si dies propria talium Sanctorum jamjam supponatur transiisse hoc anno. Ita rursus Gobat *n.* 638. Sporer *n.* 126. Lugo *loc. cit.* Ratio est: quia onus officii hujus Sancti est alligatum huic diei: ergo evolante illo die, pariter evolat onus. Hinc Rubricæ tam diligenter notantes casus, quibus facienda est translatio, non exprimunt hunc casum. Profecto nullus prudentum obligabit Sempronium ad recitanda eodem die duo, vel plura officia, tametsi hoc possit, si libeat. Si tamen festa sint talia, quorum dies propria hoc anno nondum recurrit, simulque ob aliud majus festum celebrari nequeant, tunc non amplius possunt, nec debent transferri in alium diem sequentis anni, veluti patet ex sequenti decreto S. Congregationis Rituum, quod ad humillimam supplicam Vice Commissarii Generalis Ord. Min: Observant. pro declaratione dubii: *an Sancti, de quibus toto anni decursu celebrari officium non potuit, transferendi sint ad annum sequentem* nuper emanavit sequenti tenore: *Sacra eadem Congregatio; inhærendo alteri resolutioni in similibus editæ ad instantiam Reverendissimi Archi-Episcopi Hispalensis sub die* 26. *Novembris* 1735. *rescribendum censuit, Sanctos qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos, sed quoties de illis toto anni decursu celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tanquam simplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in semiduplicibus, cum nona lectione ad Matutinum, composita ex omnibus Eorum lectionibus propriis secundi Nocturni ad modum unius. Et ita declaravit die* 6. *Septembris* 1738.

C. Card. de Marinis Præfectus.

T. Patriarcha Hierosolym. Secr.

Ceterum, an hoc Decretum ubivis locorum promulgatum, vel ab aliis Religiosis receptum sit, vehementer dubito: Tu, qui hoc legis, quid apud te consuetum sit, melius noveris: Si tamen sis sacri Ordinis nostri Alumnus, oportebit, ut huic te accommodes.

Dices adhuc: Sed quid, si ego per errorem, & optima quidem fide, hodie ubi debuissem dicere Breviarium de aliquo Confessore aut Virgine, recitavi officium de aliquo Martyre, & finito jam matutino ac Laudibus, primum adverto meum errorem, debeone pergere in cœpto officio de S. Martyre, an vero reliquas horas dicere de Virgine aut Confessore, cujus festum agitur in choro?

451. R. Quam optime & consultissime ageres denuo recitando Matutinum ac Laudes de illo Sancto, cujus festum agitur, non tamen teneris; quia in probabili nostra & aliorum sententia jam supra *n.* 433. tradita, substantiæ præcepti quoad Matutinum ac Laudes jamjam satisfecisti: potesque tuto pergere in prosecutione ejusdem officii; melius nihilominus facies, si reliquas horas de festo diei debito recites. Et ita tenent Gobat *n.* 644. Sporer *n.* 128. Lugo *Respons. Moral. lib.* 5. *dub.* 8. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *art.* 3. *n.* 94. ubi is cum Lugone putat probabilius, eum qui hodie per errorem recitavit de Sancto diei crastini, debere cras iterum recitare idem officium de eodem Sancto; ne videlicet bis erret, & mutet officium.

CASUS TERTIUS.

Cajus Clericus iter unius diei, & molestissimum quidem per nives & glacies, per avia & devia semper pedes incedendo confecerat, nec tantum temporis reperit, quod sibi sufficisset ad recitandum pensum canonicum. Tandem dum maxime defatigatus ac viribus debilitatus circa horam nonam nocturnam pervenisset ad aliquod hospitium, & corpus nonnihil refecisset, somno obrutus quieti sese dedit, ratus, se melius facturum dormiendo, quam horas canonicas somnolenter, & sine omni prorsus devotione percurrendo. Cœpit nihilominus expost facto agitari stimulis conscientiæ: eo quod saltem ante prandium prius quam sese itineri commisit, illud recitare potuisset; unde & sub dubio se accusat, si fortassis propterea Deum offendisset, petens una simul a Confessario consilium ac resolutionem dubii, an deinceps

ceps in simili contingentia facti tuta conscientia posset omittere Breviarium? Quid Cajo interroganti respondebit Confessarius?

452. R. Confessarius respondebit Cajo, eum teneri ante abitum vel ingressum itineris de mane dicere totum Breviarium; si tamen moraliter loquendo, id est sine permagna difficultate id possit: ast vero 2. si nec de mane, neque interdiu durante cursu itineris id præstare possit, consulendum equidem & suadendum eidem erit, ut adhuc tempore nocturno lassatæ naturæ vim quodammodo inferat & Deo quæ Dei sunt reddat, obligari tamen ad hoc a Confessario non poterit.

Ratio prioris membri colligi potest ex dictis supra *n.* 444. quia cum obligatio recitandi horas canonicas duret tota die, & per omnes diei partes, hinc si non quavis diei parte possit, saltem ea, qua potest, debet adimpleri: ergo si Cajus possit huic obligationi satisfacere prius, quam sese itineri committit, aut per decursum itineris saltem memoriter recitando &c. tenetur ad satisfaciendum, quantum humanitus, & sine permagna difficultate fieri potest. Ratio autem posterioris membri est: quia stante tanta defatigatione, ac lassitudine corporis ex itinere contracta facile sit creditu, Cajum non amplius posse recitare Horas canonicas sine permagna difficultate, & hoc ipso evadit moraliter impossibile: atqui Ecclesia velut pia Mater non vult filios suos obligare ad id, quod est moraliter impossibile: ergo &c. Confirmatur ex eo: quia obligatio recitandi pensum canonicum, utpote orta ex lege Ecclesiastica præcise, non magis obligat, quam lex v. g. de observando jejunio Ecclesiastico, de audiendo sacro, de annua Confessione &c. &c. Atqui permagna difficultas, seu quod idem est, moralis impossibilitas deobligat ab his legibus: ergo & ab illa. Nihilominus cum boni, ac prudentis Confessarii sit suadere tutiora suo clienti, quæ scilicet longius a peccato, & via laxitatis removent; hinc consultissime aget Confessarius, suadendo Cajo, ut in simili contingentia facti deinceps ad removendos omnes conscientiæ remorsus satagat sibimet, & naturæ inclinationi quodammodo vim inferre, Deoque sacrificium laudis offerre. Videantur Doctores citati supra *n.* 444.

453. Dixi tamen notanter, Cajum non posse obligari a Confessario, si tamen moraliter, & sine permagna difficultate non possit recitare Horas; enimvero ad eximendum quempiam ab hac obligatione, non sufficit quæcunque difficultas, multo minus incommoditas v. g. quod Cajus de mane debuisset una hora citius relinquere lectum &c. &c. se privare amicabili alloquio, aut discursu aliorum, vel quod ante cubitum deberet una hora diutius vigilare &c. Et licet hæc lex dicatur obligare ad instar aliarum legum mere positivarum Ecclesiasticarum v. g. de audiendo sacro, de servando jejunio &c. quia tamen major difficultas reperitur in servando jejunio Ecclesiastico, & simul prosequendo difficili itinere, hinc ex eo, quod quis ob iter molestum sex, vel septem horarum cum magna defatigatione factum sit exemptus a jejunio, perperam inferretur, quod pariter sit exemptus a recitando Breviario. Unde Gobat *tr.* 5. Theolog. exper. *n.* 719. sapienter ait: Non nego, esse eam (ex diurno itinere) defatigationem quandoque tantum, ut homini jam alias satis infirmo non relinquat tantum virium, quantum est necesse ad hoc munus (recitandi scilicet Breviarii) rite obeundum, sed hic casus est rarissimus in homine sano, & si Cotovius *l.* 3. *n.* 132. excuset illum, qui bona fide distulit in sero, & postea invenitur valde lassus, & somno graviter oppressus. Sed revera cavendum ne nobis nimirum blandiamur; ita Doctor laudatus *l. c.*

Sed quid (inquies) tenendum de illo Clerico, qui bonam diei partem insumpsit commessationibus, reliquum vero usque ad undeciman noctis lusibus, & aliis ineptiis culpabiliter dilato penso canonico usque ad illam horam, in qua vel Cœnam tenebitur intermittere, vel Breviariom: eritne excusandus a Breviario?

454. R. Minime gentium. Ratio est: quia obligatio recitandi pensum

canonicum adhuc currit, & poteſt adhuc impleri: ergo debet impleri: nec eſt, cur Eccleſia quantumvis pia Mater tali condeſcendat: ſi enim tantum temporis potuit conſecrare ventri ac Mundo; quidni etiam medium horulæ vel paulo amplius poſſit, immo debeat conſecrare Deo?

Dices tamen contra hanc reſolutionem. Qui quantumvis improbo labore ſeſe defatigavit in tantum, ut nequeat ſine magna difficultate abſtinere a Cœna, haud delinquit in legem jejunii ſumendo cœnam, ſeu altera vice ſeſe reficiendo uſque ad ſatietatem, juxta Sanchez *in Conſil. Mor. l. 5. c. 1. Dub. 7. n. 12.* & alios *communiter*: ergo nec tenetur talis Clericus relinquere cœnam, ad quam habet jus, & loco hujus dicere Breviarium. Confirmatur: quando e duabus legibus ſimul concurrentibus non poteſt utraque executioni mandari, tunc illa præferenda eſt, quæ fortius obligat v. g. lex naturalis legi humanæ, obligatio juſtitiæ obligationi charitatis: at, homo lege naturali tenetur ad reficiendam naturam, ad dicendum vero penſum canonicum ſolum ex lege humana Eccleſiaſtica: ergo potius tenetur ſe reficere, quam orare.

455. R. Ad hanc inſtantiam *neg. Conſeq.* quia prior ſupponitur ita debilitatus, ut nequeat ſine permagna difficultate abſtinere a ſecunda refectione: noſter autem Clericus non eſt ita debilitatus, immo ſupponitur bonam diei partem inſumpſiſſe commeſſationibus; certe ſi ſine permagna difficultate potuit ludere uſque in ſeram noctem, poterit pariter per medium horæ orare ſuum Breviarium, reliquum vero temporis, ſi quid ſuperſit, impendere refectioni corporis. Et licet quilibet habeat jus ad cœnandum (quod potius eſt *permiſſivum*, quam *præceptivum*, niſi defectu Cœnæ naturæ damnum notabile eſſet inferendum) hoc tamen debet intelligi ſub conditione: *niſi alia lege fortiori adſtringatur ad aliud officium* (prout hic adſtringitur ad Canonicum penſum) tunc enim cœna vel tantiſper differenda, vel omnino intermittenda eſt. Ex quibus liquet, ad Confirmationem eſſe negandum ſuppoſitum, quod ſcilicet lex naturalis talem Clericum poſitive obliget ad ſumendam Cœnam in talibus circumſtantiis. Profecto ſi ſalutis ſuæ ſit tam incurius, tamque tepidus, ut corporis refectionem non admodum neceſſariam putet præferendam cultui divino, ne nomen quidem Clerici meretur. Amabo! quæ tandem foret facies Eccleſiæ, quæ ædificatio in populo, ſi ab Eccleſia hoc ſemel impune permitteretur? Unde non immerito Bourdonus apud Dianam *part 10. tra. 11. reſol. 20.* dixit: *ſi Confeſſarii poſſunt habere tempus comedendi, & dormiendi, cur non & orandi?* Videantur de hoc Tamburinus *lib. 2. Decalog. cap. 2. §. 8. num. 16.* Sporer *de Hor. can. cap. 3. num. 162.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

456. Colliges ex hactenus dictis primo, nullum eſſe eximendum ab obligatione recitandi Breviarium ex eo, quod partem etiam majorem ejuſdem v.g. Matutinum & Laudes ob quantumvis legitimam cauſam recitare non poſſit. Ita hodie *communis DD.* Ratio eſt: quia ſicut ſingulæ horæ canonicæ per ſe continent diſtinctam orationem, cultumque Dei ad ſingulare Myſterium Paſſionis pie recolendum, ita hæc obligatio non tam cadit in totum officium ſimul & collective, quam diſtributive ſumptum, ſeu in ſingulas partes integrales, horas ſcilicet minores, propatereaque Subdiaconus ordinatus circa horam nonam tenetur ad recitandam horam nonam ejuſdem diei, vel certe ad Veſperas & Completorium, licet non ad Matutinum & Laudes &c. &c. Unde quemadmodum ille, qui non poteſt creditori ſuo ſolvere totum debitum v. grat. mille florenorum, poteſt tamen ſolvere centum &c. tenetur ad hos ſolvendos; ita pariter, qui non poteſt recitare totum officium, poteſt tamen ſaltem Veſperas, aut Completorium, tenetur ad hoc recitandum; id, quod ulterius confirmatur ex damnatione ſequentis pro-

propositionis (*n.* 54. emanata a Clemente XI. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas ad nihil tonetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Videatur Cardenas *in* 2. *crif. Diff.* 33. vel Illsung. *tr.* 5. *disp.* 1. *num.* 41.

457. Colliges secundo, huic obligationi de recitando Breviario satisfieri non posse per alium. Ratio est: quia hæc est obligatio personalis: ergo afficit personam ipsius Clerici. Hac de causa ab Alexandro VII. confixa fuit sequens (*num.* 21.) propositio: *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per ulium recitet.* Unde hic non invenit locum illa notissima 68. Reg. Juris in sexto: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*, quia hoc non valet, quando exigitur industria propria Personæ, vel factum proprium, non alienum, prout hic requiritur; quia Clericus ad cultum & Dei laudem specialiter ordinatur. Et certe si hoc semel permitteretur, haud immerito timendum foret, ne quamplures semper per alium, nunquam autem per seipsum recitarent Dei laudes; quod procul dubio sicut a vocatione Clerici prorsus alienum, ita & scandalosum potius foret, quam ædificatorium. Videatur *de memorata Regula* Wiestner *num.* 4. & 7.

458. Colliges tertio, huic obligationi de recitando penso canonico satisfieri posse, siquis recitet cum alio, sive obligato ad recitandum, sive non utputa Clerico, aut laico v. g. famulo &c. Ratio est: quia cum talis recitationem socii sibi faciat communem, reipsa præstat totum officium. Ex quo fluit, quod is, qui nequit solus orare suum Breviarium, possit autem illud cum socio, quem facile habere potest, teneatur adhibere socium, quemadmodum qui sine perspiciliis recitare nequit, tenetur adhibere perspicilia ad recitandum. Ratio est: quia obligatus ad aliquem finem, tenetur adhibere media saltem ordinaria, & non nimis difficilia: atqui adhibere socium ad orandum, & quidem talem, quem facile habere possis, non est medium extraordinarium: ergo teneris. Et ita *cum communi DD.* tenent Laym. *lib.* 4. *tr.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. Bonacina *de horis Cant. disp.* 1. *qu.* 6. *pun.* 2. *numer.* 14. Suarex de *Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 25.

459. Quocirca tamen advertendum est, in eo casu, quo plures simul recitant, duos duntaxat quasi choros esse faciendos (quia sic habet usus & praxis Ecclesiæ in choro, quam extra chorum in privata recitatione imitari debemus (non vero plures, ita scilicet, ut unus pronuntiet unum versum, alter alterum, & tertius tertium, quod repugnaret praxi Ecclesiæ. Nihilominus lectiones, Responsoria, Antiphonas, Capitula, & Orationes quod attinet, satis est, ab uno recitari, & ab aliis audiri: cum id communissime practicari videamus in choro, nemine contradicente; & hoc vel maxime permittendum, si accedat ex parte unius rationabilis causa v. g. debilitas occulorum, ob quam vel tempore nocturno, vel defectu sufficientis lucis sine commoditate lectiones non posset legere. Ita cum Bonacina, Suarezio, Tamburino & communi aliorum Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 2. *a.* 3. *cit. n.* 101.

460. Colliges quarto eos qui aliis psallentibus occupantur circa psalmodiæ prosecutionem v. g. pulsando simul Organum, vel inquirendo antiphonam cantandam &c. satisfacere obligationi de recitando Officio divino; quia cooperando hoc modo, reliquorum psalmodiam sibi faciunt communem. Dixi tamen *aliis psallentibus &c.* quæ enim solo organo, vel aliis instrumentis musicis personantur, seu, dum loco versuum vel antiphonarum solum organum pulsatur, debent hujusmodi probabilius ab aliis submissa voce suppleri, ac recitari; quia sola organi pulsatio non est oratio, nec attendendo ad pulsum organi, attendis ad orationem, prout ex *communi DD.* notant Navarrus, Castropalao, Escobar, & aliis apud Gobat *num.* 704. Multo minus satisfaceret huic obligationi, qui Musicis solenniter & figuraliter horam minorem, vel vesperas decantantibus

solum assisteret, esto etiam ad cantum attenderet; quia talis attentio de se non est oratio, neque cooperatio ad orationem aliorum; unde nemo proborum facile sibi persuaderet, se auscultando præcise Musicos, satisfecisse. Illud tamen probabilissimum est, quod qui cum aliis psalmos decantavit, & ad antiphonam, vel versus, vel Magnificat etiam figuraliter ab aliis cantatum solum attendit, satisfaciat, eo quod alii musicaliter cantantes suppleant, & quasi solennizent officium. Ita cum Gobat cit. *num.* 705. & aliis, Sporer *ubi supra cap.* 2. *num.* 99. mox subjungens: sed tu, si sapis, æmulare charismata meliora: id ipsum & ego suadeo, licet putem te nullatenus obligatum ad aliquid privatim recitandum in tali casu.

461. Colliges quinto, ægrotum seu reconvalescentem non semper illico esse obligandum & adstringendum ad recitationem Breviarii, esto videatur jam aliquo modo reconvaluisse. Ratio est: quia imbecillitas vi morbi relicta adhuc est realis infirmitas, unde videtur valde credibile, Ecclesiam seu piam Matrem nolle illico adstringere, sed potius saltem ad aliquod tempus indulgere vacationem a Divino officio: nec refert, quod fortassis jamjam convaluerit in tantum, ut possit iterum legere sacrum; tum quia procul dubio majoris est meriti ac consolationis sacrum celebrare, quam Breviarium recitare, tum etiam quia ad celebrationem sacri non desideratur tantum temporis vel applicationis, præsertim ubi Sacerdos plura recitat e memoria, quantum ad recitationem Breviarii. Et hoc omnino suavitati Ecclesiæ tribuere debemus, ait Tamburinus *l.* 2. *in Decalog. cap.* 5. §. 8. *num.* 13.

Sed quid, si talis infirmus bonam diei partem jam possit insumere colloquiis, & familiaritatibus eorum, a quibus invisitur? quid si soleat jam legere novellas, vel alium librum animi recreandi gratia? nunquid saltem talis eo ipso adstringendus erit ad legendum, seu recitandum Breviarium?

462. R. Cum Sanchezio *l.* 7. *conf. mor. cap.* 2. *Dub.* 45. *n.* 4. Babenstuber *cit. num.* 65. & aliis pluribus, non propterea ægrotum illico adstringi posse ad officium Divinum. Disparitas est, quod hujusmodi colloquia vel lectiones voluptate potius afficiant, & animum relevare soleant, atque hoc ipso diminuere potius, quam augere infirmitatem: e contra recitatio horarum est res seria, gravat caput, & suapte natura potius molestat, quam recreet, aut sublevet. Ita *DD. citati*; Nihilominus Tamburinus sapienter admonet, hujusmodi dies quietis seu cessationis ab officio numerari debere judicio prudentis; quod, ut bene fiat, attendi debebit tum ad gravitatem præteritæ infirmitatis, tum etiam ad difficultatem, seu imbecillitatem præsentem, aut periculum impediendæ reconvalescentiæ.

463. Colliges sexto, non esse peccatum mortale, Matutinum etiam sine causa justa vel gravi differre, & post sacrum primum illud dicere. Ita contra nonnullos antiquos hodie satis communiter Doctores. Illsung. *tr.* 5. *n.* 36. Babenstuber *cit. n.* 109. La Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 230. Ratio est, quia hoc nullibi præcipitur sub gravi obligatione, neque etiam videtur ulla specialis connexio aut dependentia Missæ a Matutino, quippe quæ ex solius directorii inspectione vel observantia dici potest sine omni errore, neque etiam Matutini recitatio est necessaria dispositio ad Missam: ergo nec nos debemus afferere gravem obligationem, vel hominem sine causa differentem Matutinum, mittere in infernum.

Certe videtur durum, & a Christiana charitate alienum, mittere aliquem in infernum, & dicere, quod peccet mortaliter, sine evidenti, & certa ratione, ut ait Arragonius in 2. *q.* 83. *art.* 12. *in tit.* 30. *concluf.* 3. apud Gobat *Theolog. experiment. t.* 5. *n.* 723. Quia tamen *in Rubrica Missalis* §. 10 intermissio Matutini ante Sacrificium numeratur inter defectus peccaminosos; hinc probabilius peccatum veniale est; si autem fiat ex causa rationabili v. g. ob aliud impedimentum, vel ob majorem dispositionem aut præparationem per confessionem præviam &c. faciendam &c. nulla prorsus, ne venialis quidem culpa

culpa incurritur, prout hodie jam communiter fatentur Doctores, & patet ex Regula superius *n.* 437. data.

Petes adhuc pro coronide hujus Conferentiæ, an, vel quando fas sit recitare Horas Canonicas de Sacris Reliquiis, vel Corpore alicujus Sancti?

464. R. Ut liceat dicere officium de talibus S. Reliquiis, necessum est 1. ut sit vel totum corpus, vel pars aliqua insignis, seu Reliquiæ insignes (uti vocant) cujusmodi reputantur Caput, Brachium, Crus &c. 2. ut sit de aliquo Sancto contento in Matyrologio Romano, & de hujus identitate sufficienter constet. Ita colligitur 1. ex variis decretis, 2. singulariter ex Constitutione 105. Innocentii XII. videnda *in Bullario Rom.* nec non 3. Rubricis Breviarii nostri *S. Ordinis n.* 27. per Bullam specialem *Ad perpetuam rei memoriam* die 21. Novembr. anno 1696. ab eodem Innocentio confirmatis. Ita pariter sensisse doctissimos, & in praxi versatissimos viros, testatur R. P. Kresslinger *in addit. quarta post n.* 65. *ad tr.* 6. *dist.* 1. *Theolog. mor. R. P. Reiffenstuel*. Possent hic moveri adhuc plura dubia, præsertim an, vel quando Religiosi exempti circa celebrationem officiorum diœcesanorum possint, aut debeant se conformare &c. Verum ne hæc Conferentia in longum nimis excrescat, benevolum Lectorem ad Rubricas communes remittendum consulte duxi.

CONFERENTIA

DECIMA QUARTA

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

SUMMARIUM.

465. *Decimarum nomine intelligitur decima pars fructuum,*
466. *Formaliter sumptæ important ipsum jus decimandi.*
467. *Aliæ dicuntur reales seu prædiales, aliæ personales. Prædiales subdividi solent in majores & minores &c. &c.*
468. *Ad decimas præstandas directe tenentur baptizati, in spiritualibus subditi: indirecte etiam alii possidentes fundos &c.*
469. *Nisi gaudeant speciali privilegio exemptionis.*
470. *An, vel quinam pauperes teneantur præbere decimas suo Pastori.*
471 *Decimæ principaliter debentur Parocho.*
472. *Debentur insuper Episcopo.*
473. *Et quidem quoad substantiam jure divino.*
474. *Prædiales solvi debent, cum primum a solo sunt sequestrata.*
475. *An expensis aut opera subditorum, an vero Parochorum doportandæ sint in horrea.*
476. *Nomine Primitiarum hic intelliguntur primi fructus agrorum, hortorum, arborum &c.*
478. *De jure communi pertinent ad D. Parochum, seu Rectorem Ecclesiæ;*
479. *Nisi aliud habeat consuetudo, vel, nisi aliter constet de intentione Offerentium.*
480. *Resolvitur Casus I. de quodam Rustico pertinaciter detrectante solvere decimas Novalium.*
481. *Utrum D. Parochus benefaciat, in tali casu decimas vi auferendo, & quidem propria auctoritate.*
482. *Et quid, si talis Rusticus animo mortificandi suum Pastorem, unum alterumve agrum relinquat incultum.*
483. *Resolvitur Casus II. de quodam alio Rustico, qui agros suos convertit in prata.*
484. *Propterea non culpandus, neque condemnandus ad aliquam compensationem decimarum frumenti.*
485. *Et quid, si prata convertantur in agros, præsertim ubi Decimatores agrorum, & pratorum sunt diversi.*
486. *Resolvitur Casus III. de quodam Rustico decimas defraudante.*
487. *An, vel quando liceat numerare de novena, id est, de nono manipulo hujus ad decimum alterius agri.*
488. *In carnaticis fas est numerare de novena unius anni ad decimam alterius anni sequentis.*
489. *Parocho loci competit jus fundatum decimandi.*

490. *Consuetudo non præstandi decimas non debet extendi ab uno pago in alium.*
491. *Ubi unus idemque ager eodem anno sæpius fructificat, sæpius præstandæ sunt decimæ.*
492. *Neque tenetur D. Parochus facere expensas pro custodia segetum.*
493. *Potest Parochus prohibere subditis, ne decimarum manipulos numerent sine sua, vel alterius a se substituti præsentia.*
494. *Debent insuper decimæ præstari tametsi D. Parochus eas non exigeret.*
495. *Probabiliter tamen Emptor fundi non tenetur solvere, aut supplere decimas a venditore non præstitas.*
496. *Et quid de decimis animalium, si hæc in loco unius Parochiæ solent tempore æstivo pasci, in alio vero tempore hyemali locari.*
497. *Consuetudine legitima potest introduci immunitas a præstandis decimis.*
498. *Potest insuper D. Parochus subdito suo ad dies vitæ condonare, seu remittere decimas, non tamen in perpetuum.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de Decimis &c. &c.

Quæres primo, quid sint Decimæ?

465. R. Nomine Decimæ objective sumptæ intelligitur pars decima omnium fructuum juste acquisitorum, Deo in recognitionem sui dominii universalis debita, atque Ecclesiæ Ministris quotannis exsolvenda. Ita in re *communis DD.* Colligitur hæc definitio ex *c. tua Nobis. de decimis*, ubi dicitur: *Decimæ, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit, suas esse Decimas, & Primitias, asseverans*. Id quod constat ex *Levit. ult. cap.* & alibi sæpius. Solent autem plerumque numero plurali nuncupari *decimæ*, eo quia dum fructus agrorum vel arborum in plurimas partes dividuntur, plures partiales Decimæ solvendæ veniunt.

466. Dixi: *objective sumptæ*; nam *Formaliter* intellectæ summuntur pro ipso jure decimandi, seu petendi decimam partem fructuum propter Ministerium spirituale, prout habetur *c. Ad Apostolicæ sedis. 20. de Decimis*. Et quia hic titulus spiritualis est, utpote fundatus in cura animarum, seu alii functionibus spiritualibus; hinc si decimæ Ecclesiasticæ sumantur proprie, & ut annexæ adhuc titulo vel officio spirituali, secundum primævam institutionem & naturam suam, sunt & vocantur *spirituales*, vel *strictæ Ecclesiasticæ*, ac *jus spirituale annexum*. Si vero separentur a titulo spirituali, & jure Ministerii Sacri, ita, ut earum proprietas in laicos sit translata (quod quidem solus Pontifex potest, & rarissime facit) dicentur *mere laicales*, vel *sæcularizatæ*. Porro si in alicorum quempiam sit translatum *jus utile* duntaxat, *jure directo* quod est quasi radix exigendi Decimas ex jure Ministerii sacri, penes Ecclesiam retento, appellantur *Laicales simpliciter*, seu *temporales*, vel *minus stricte Ecclesiasticæ*.

Quæres secundo, quotuplicis generis Decimæ dentur?

467. R. Decimæ multifariam dividi solent, & quidem I. in *Reales*, seu *prædiales*, & in *Personales*. Nomine realium *intelliguntur* tales, quæ solvuntur ex prædiis, agris, vineis, arboribus, pratis &c. uno verbo; quæ solvuntur ex fructibus, quos natura vel sua sponte, vel adjuta humana industria seu cultura progignit. Nomine vero *personalium* veniunt illæ, quæ penduntur ex lucris personarum, seu hominum industria acquisitis, utputa ex opificio, mercatura, artefactis, venatione, aucupio, piscatu &c.

Verum has decimas personales per universalem consuetudinem saltem (in Germania nostra) videmus hodie abrogatas; & horum loco subrogati creduntur redditus stolæ (uti vocant) qui Parochis ferre in singulis Ministeriis præbentur ad Eorundem sustentationem, ait Pichler *in Candidat. Jur. Can. l. 3. tit. 30. n. 2.*

II. Decimæ reales subdividi solent 1. in *Majores* & *Minores*, seu *Minutas* 2. in *antiquas*, & *Novales*. Ita Pichler *loc. cit.* Explico brevissime singula membra. Majores (Germanice grosse Be-

Zehendt) vocantur, quæ solvuntur ex frumento, vino, oleo &c. &c. Minores vero (Kleine Zehendt) quæ præstantur ex fructibus hortorum, ac leguminibus, ex pomis arborum, ex fæno, lino, Cannabe, rapis, pisis, ciceribus, lana, caseo &c. quo referuntur & *carnaticæ* Blut Zehendt / scilicet ex animalium partu, utputa ex agnellis, succulis, pullis, &c. &c. Antiquæ decimæ appellari solent, quæ ex fundis jam ab antiquo; Novales vero, quæ ex terris noviter cultivatis, seu ad culturam redactis præstandæ sunt; Novale enim proprie dictum (id est Reubruch / Reureith) est terra, quæ ab immemoriali tempore sterilis, & inculta jacuit, nunc autem ad culturam est redacta; ut si ex pallude exsiccata fiat ager.

Est & aliud Novale, sed improprie dictum, scilicet, quando præcise mutatur facies soli, vel fundi, ut si ex vinea fiat ager, vel vice versa, aut ex agro pratum &c. &c. Ita quo ad substantiam & in re P. Pichler *loc. cit.*

Quæres tertio, quinam teneantur præstare decimas?

468. R. Ad decimas solvendas per se & directe obligantur 1. omnes & soli baptizati, qui in spiritualibus subditi Sacramenta e manu Sacerdotis suscipere debent. 2. indirecte vero obligantur omnes illi, qui titulo non spirituali possident intra fines alicujus Parochiæ prædia, fundos, vel alias res frugiferas, nisi habeant speciale privilegium exemptionis. Ratio primæ partis inter Doctores *communissime* receptæ est: quia decimæ dantur Pastori tanquam stipendium pro spirituali cura, prout colligitur ex *c. Ex transmissa* & *c. Ad Apostolicæ. de Decimis*: ergo ad harum solutionem per se ac directe tenentur omnes Baptizati e manu Sacerdotis seu Pastoris Sacramenta recipientes. Ratio autem secundæ partis (quam cum Suarezio, Abbate, & aliis tenent Laymann *l.* 4. *tr.* 6. *c.* 3. *n.* 5. Pichler *l. cit. n.* 10.) est: quia posteaquam Diœceses in Parochias divisæ fuerunt, agri, & prædia Parochianorum intra fines cujuslibet Parochiæ sita obligationem acquisierunt, decimam partem fructuum ex iis Ecclesiæ Parochiali ad congruam sustentationem Pastoris inferendæ, eamque obligationem secum deferunt ad quemcunque demum possessorem, sive laicus sive Ecclecasticus, sive baptizatus, sive Gentilis aut Judæus fuerit; quia *res transit ad alium cum onere suo*. Videantur de hoc Filliuc. *t.* 27. *p.* 2. *c.* 8. *a n.* 160. Reiffenstuel *l.* 3. *decret. t.* 30. *n.* 40. *& seq.* Babenstuber *tr.* 6. *d.* 2. *art.* 1. *num.* 4.

469. Dixi tamen: *nisi habeant speciale privilegium exemptionis*; nam ab hoc onere reali decimarum exempti sunt 1. Parochi, aliique Clerici curati, vel potius eorum prædia, in dotem Ecclesiæ, vel pro sua sustentatione assignata. 2. Item alii Beneficiati ex fructibus suorum Beneficiorum viventes: qnia hujusmodi prædia vel fructus beneficiales pro sustentatione eorum assignati sunt per modum, vel loco decimarum, Beneficiatis, præsertim curatis de jure debitarum: de decimis autem non solvuntur aliæ decimæ, pro ut habetur *c.* 2. *de Decimis*, ubi dicitur: *Novum genus exactionis est, ut Clerici a Clericis decimas exigant*. Nihilominus si hujusmodi prædia vel fructus jam alicui Clerico aut Ecclesiæ fuerunt decimabiles, & postea primum supponantur assignati in sustentationem alicujus Pastoris aut Beneficiati, & tempore assignationis non liberati ab hoc honere, tunc manebunt semper decimabiles, & per consequens etiam talis Ecclesia, vel Pastor, aut Beneficiatus tenebitur alteri præstare decimam partem. Quinam vero alii gaudeant speciali privilegio exemptionis a decimis, non est meum decidere, sed noverint illi, quorum interest, Videatur Filliucius *lib. cap. a num.* 180.

Ergone (inquies) etiam pauperes tenentur præstare Decimas?

470. R. Pauperes illi, qui tam gravi paupertate premuntur, ut solutis decimis non habeant necessaria ad se, suosque alendos, probabiliter excusantur a prestatione decimarum, saltem eo usque dum ad meliorem fortunam redierint: non itm illi pauperes, qui solutis decimis adhuc habent sufficientia media ad se, suosque sustentandos.

Ita Suarez *l.* 1. *c.* 16. *n.* 16. Laymann *l. cit. n.* 6. post S. Thomam *quæst.* 87. *art.* 4. Rebuffum & alios. Ratio est: quia cum Clerici ipsimet obligati sint ad succurrendum pauperibus ex bonis Ecclesiasticis sibi superfluis, non est verosimile, Ecclesiam velut piam Matrem voluisse hujusmodi pauperes adigere ad tam rigorosam solutionem, sed voluisse saltem indulgere aliqualem dilationem hujus debiti, usque dum scilicet redierint ad meliorem fortunam. Secus dicendum de illis pauperibus, quibus post solutas Decimas restant sufficientia media ad se suosque sustentandos, vel de aliis, qui solum ideo tam pauperes sunt, quia omnia dilapidant &c. &c. Nam si de similibus non possent exigi Decimæ, timeo, ne boni Pastores cogerentur pluribus condonare, vel indulgere decimarum solutionem, etiam usque ad propriam inopiam. Verum qualiter opporteat similibus condescendere, suadebit cuivis prudentia, & christiana pietas: saltem non decet esse nimis rigorosum in hac exactione, ne forte pauperculi aut pusilli scandalizentur, & debitam erga suum Pastorem amittant confidentiam, non sine periculo animarum.

Quæres quarto, quibusnam solvendæ sint Decimæ?

471. R. Decimæ de jure communi debentur Parocho principaliter, & quidem illi, in cujus Parochia sita sunt prædia, ex quibus solvuntur, vel intra cujus fines pascuntur animalia, e quorum fœtura dantur. Ita in terminis P. Pichler *ubi supra n.* 3. & cum S. Thoma, Laymann *loc. cit. c.* 4. *n.* 1. *&* 2. Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 11. *dist.* 4. *n.* 25. Et habetur clare decisum in jure. *C. cum contingat*, & *C. cum in tua de Decimis*. Ratio pariter in promptu est: quia secundum dicta decimæ debentur in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ propter obsequia spiritualia, & Sacramentorum administrationem: ergo quemadmodum hæc administratio, & cura animarum principaliter incumbit Parocho seu Pastori animarum; ita & huic principaliter præstandæ sunt decimæ; saltem de jure communi.

472. Dixi: *principaliter*; nam per hoc nolumus excludere Episcopum, quia etiam huic debentur decimæ ex prædiis limitaneis, id est, talibus, quæ intra nullius Parochiæ limites existunt: insuper Huic tanquam superiori & ordinario omnium fidelium suæ Diœceseos Pastori, de jure communi debetur quarta pars Decimarum totius Episcopatus, prout liquet ex *c. Conquerente de Offic. Ordinarii*, ubi Pontifex inter jura Episcopalia recenset quartam Decimationem. Hinc Fagnanus *c. cum contingat*, *n.* 13. *de Decimis* notat, quod Episcopus super quartam Decimarum habeat intentionem fundatam. Rursus etiam Beneficiatis non curatis, Ecclesiæ deservientibus per ministeria sacra; tribuit Ecclesia aliquas Decimas secundario, prout habetur *cap.* 21. & 22. *eod. tit.*

Quæres quinto, quo jure solvi debeant Decimæ?

473. R. Breviter ad hoc quæsitum 1. Decimæ quoad substantiam jure naturali ac divino debentur Ministris Ecclesiæ. 2. quoad quotam vero, (id est, quod decima pars, & non plus aut minus pendi debeat) in lege Mosaica erat determinatio pariter facta jure divino positivo, in lege autem gratiæ jure duntaxat Ecclesiastico, licet antiquissimo. Ita Doctor Angelicus 2. 2. *qu.* 87. *art.* 1. Laymann *l.* 4. *tract.* 6. *c.* 2. *n.* 1. Reiffenstuel *ubi supra n.* 14. & alii passim. Ratio primæ partis est: quia recta ratio seu lumen naturæ congenitum, dictat, illis, qui a DEO sunt præordinati, ut a sæcularibus curis quasi abstracti, animarum saluti incumbant, necessaria vitæ subsidia, ac media esse administranda; unde & Salvator noster *Matth.* 10. dixit: *dignus est Operarius cibo suo*: atqui subsidia vitæ Clericis præsertim curatis administrari solitæ sunt decimæ: ergo &c. Ratio autem secundæ partis, quantum ad legem Mosaicam, habetur expressa *Levit. c.* 27. & alibi sæpius. Quantum ad legem gratiæ vero habetur expressum in jure Canonico toto titulo de decimis, & veluti constat ex hactenus dictis, & amplius constabit ex dicendis per decursum hujus Conferentiæ. Et certe si

in

in lege nova Decimæ etiam quoad quotam essent juris naturalis aut divini, non posset harum obligatio tolli vel per Privilegium, seu etiam dispensationem Summi Pontificis, vel per consuetudinem: utrumque autem hoc est contra praxin receptam ab Ecclesia, ergo dicendum potius, quod in lege nova seu gratiæ hæc quota solum debeatur jure Ecclesiastico.

Quæres sexto, quando, & ubi decimæ sint solvendæ?

474. R. Ad primam partem hujus quæsiti. Decimæ, quæ ex solo oriuntur, statim posteaquam a solo seperatæ, & collectæ sunt, offerri debent. Ita ex *communi DD.* Babenstuber *cit. art.* 2. *n.* 3. Ratio hujus desumitur partim ex illo *Exod.* 22. ubi Deus præcepit. *Decimas tuas, & Primitias tuas non tardabis reddere*; tum præcipue ex illa *l.* 14. *ff. de R. J. In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.* Dixi: *Decima, quæ ex solo oriuntur*; nam carnaticæ quæ ex fœtibus animalium præstantur, non illico solvi debent, dum pariuntur, sed posteaquam lacte Matris non amplius indigent, vel aliquo saltem modo adoleverunt, prout habet consuetudo communiter recepta v. gr. in decimis pullorum &c. &c. quæ in his ac similibus attendi vel maxime debet, nec potest circa hoc dari regula universalior aut melior, quam, ut caveatur, ne mora sit damnosa Parocho, ait Illsung *tr.* 5. *disput.* 2. *n.* 250. *in fin.*

475. Jam ad alteram partem hujus quæsiti. Decimæ quantum est de jure communi, probabilius a Dominis prædiorum seu colonis inferendæ sunt in horrea Ecclesiæ vel Parochorum &c. Ita contra Laymann & alios plures tenent Abbas *in Cap. pervenit, de Decimis n.* 3. Covarruv., Guttierez, Reiffenstuel *l.* 3. *tit.* 30. *n.* 36. quos sequitur R. P. Stanislaus Karg *in Manuali part.* 2. *§.* 2. *n.* 25. Ratio hujus desumitur tum *ex Can. Revertimini* 65. *C.* 16. *qu.* 1. ubi hoc videtur satis clare expressum; tum etiam ex eo: quia quemadmodum subditi tributa, ac census tenentur Domino temporali solvere in signum dominii, propriisque sumptibus ad eundem deferre *arg. l. pro locis ff. de annon. & tribut.*; ita non minus condecens est, ut Christiani decimas in signum universalis dominii Dei præstandas in domum vel horreum Parrochi suis equis deportent, aut deportari curent. Hac de causa statuta Bavarica *tit.* 28. *part.* 1. libere Decimatoris electioni relinquunt, velitne in agris, vel vero in horreis decimas recipere.

Dixi tamen: *quantum est, de jure communi probabilius debent &c.* Fatendum quippe est, longæva consuetudine jam esse receptum, præsertim in hisce partibus nostris, ut Decimatores ipsi Decimas in agris a colonis relictas propriis jumentis vel expensis in sua horrea congregent, exceptis duntaxat decimis de fœtibus animalium.

Quæres septimo, quidnam intelligatur nomine Primitiarum?

476. R. Intelliguntur primi fructus agrorum, vinearum, arborum, hortorum &c. qui olim Deo in signum gratitudinis debitæ debebant offerri, veluti habetur *Exod.* 23. *vers.* 19. itemque *Numer. c.* 18. *v.* 13. Et rursus *Deuter.* 26. dicitur: *Tolles de cunctis frugibus tuis Primitias, pergesque ad locum, quam Dominus Deus tuus elegerit &c. &c.*

Præterea in lege Mosaica offerri debebant *Primogenita*, id est, primi animalium fœtus, iique vel pretio redimi, vel Domino immolari, prout habetur *Num.* 18. *v.* 15. & alibi sæpius. Tametsi vero ex præcepto juris Ecclesiastici olim etiam debuerint solvi Primitiæ, veluti colligitur ex *cap. Præter dist.* 32. *& c. Decimas*, 16. *qu.* 7. hodie tamen obligatio solvendi hujusmodi primitias jam passim exolevit, prout testatur Pirhing *tit. de Decimis*, *n.* 172. Pichler, Reiffenstuel & alii DD. præsertim Germani.

Quæres octavo, quidnam intelligatur nomine Oblationum?

477. R. Nomine oblationum generaliter sumpto venit omne illud, quod Deo, vel intuitu Dei offertur Ecclesiis, aut Ecclesiæ Ministris. Proprie autem & ad nostrum propositum loquendo, nomine oblationum intelliguntur dona, quæ fideles intuitu Religionis per se, vel per alios offerunt ad altare,

tare, aut ad aliquam miraculosam vel devotam imaginem, sive, in, sive extra Ecclesiam sive id fiat in cippo, vel ad mensulam: principaliter vero veniunt nomine oblationum illa dona, quæ fiunt ad altare inter Missarum solemnia. *Can. antiquos* 8. *caus.* 10. *q.* 1. Cum vero nomine oblationum intelligatur *munus gratuitum*, hinc fit: ut per se loquendo nemo adstringatur ad hujusmodi oblationes: per accidens nihilominus possent fieri obligatoriæ in certis quibusdam casibus, & quidem 1. ex promissione aut voto. 2. ex conventione. 3. ex indigentia Ecclesiæ aut Parochi. 4. ex longæva consuetudine, animo sese obligandi introducta. 5. denique ex præscriptione, si scilicet Parochus jam a longo tempore hujusmodi oblationes quasi debitas exegit, prout hodie in hisce nostris Partibus Germaniæ saltem in principalioribus anni festivitatibus exigunt.

Quæres nono, ad quem oblationes in Ecclesiæ fieri solitæ pertineant?

478. R. De jure cummuni pertinent ad Parochum seu Rectorem Ecclesiæ, nisi aliud habeat consuetudo legitime introducta, vel nisi aliter constet de mente offerentium. Ita *communiter DD.* tam Theologi, quam Canonistæ. Ratio est: quia, nisi aliter constet, omnes hujusmodi oblationes fieri censentur Parocho vel Pastori ratione curæ animarum, administrationis Sacramentorum &c. &c. ergo per se loquendo ad hunc spectant.

479. Dixi tamen, *nisi aliud habeat consuetudo, vel nisi aliter constet de intentione offerentium &c. &c.* Nam ubi certe constat, vel consuetudine legitima hujusmodi oblationes fuisse applicatas Ecclesiæ &c. vel offerentes intendisse tales oblationes non Parocho, sed alteri v. g. Primitias celebranti &c. huic etiam, & non Parocho applicari debent. Ratio est: quia Oblationes de se sunt liberæ, id est, dependentes ab arbitrio offerentium, secundum dicta *num.* 477. ergo juxta intentionem offerentis debent applicari, *lib. In remandata. C. Mandati*: consequenter si hic velit, ut non Parocho, sed vel Ecclesiæ vel Primitias celebranti, aut sacrificanti obveniant, debent etiam talibus obvenire. Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 30. *num.* 191. Engel *eod. tit. n.* 68.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Decimis, & Oblationibus.

CASUS PRIMUS.

T*Itius Rusticus de licentia sui Domini directe territorialis (Grundtherrns) aliquot juggera (uti vocant) sylva extirpavit, & seminibus plantavit, de quibus, dum Parochus decimas exegit, summopere exacerbatus noluit quidpiam præstare ductus hac ratione; quod ex hac gleba nunquam aliquid fuerit pensum: Parochus e contra via facti procedendum ratus, decimas per suos famulos ex eodem agro colligi mandavit; quam ob rem Rusticum illum tantopere exacerbavit, ut is unum vel alterum agrum suum non amplius excoluerit seminibus frumenti, sed vel omnino incultum reliquerit, vel certe tali fructu seminaverit, e quo Parochus non potuit prætendere decimas, idque solum eo fine, ut suum Pastorem vicissim mortificaret, seu tædio afficeret. Hinc jam quæritur 1. An Dominus Parochus juste exegerit decimas ex tali fundo? 2. an benefecerit, via facti procedendo ad colligendas, & quasi extorquendas decimas ab illo rustico? 3. an ructicus non deliquerit graviter ex eo, quod causa mortificandi suum Pastorem aliquos agros suos non seminaverit seminibus seu granis decimabilibus?*

480. R. Ad primum quæsitum hujus Casus. Si hæc novalia fuerunt intra fines Parochiæ, tunc Parochus juste exigere potuit, non obstante injusta ac insulsa oppositione Coloni. Ratio est: quia Novalium decimæ expresse adjudicantur Parochis *cap. Quoniam.* 13. & *c. cum contingat* 29. *de decimis*. Et ita cum communi DD. tenent Engel, & Bockhn. *l.* 3. *t.* 30. *n.* 17. mox subdens: in pluribus tamen locis anni aliquod primi solent liberi concedi, vel minor quantitas exigi ab iis qui graviori labore vel sumptu sterilem fundum ad culturam redegerunt; jure autem municipali Bavarico *tit.* 28. *art.* 3. statuitur, ut de-

cimæ Novales primo triennio ad Parochum illius loci, ubi talia Novalia existunt, postea vero transeant ad illum, qui alias in tali loco jus decimandi habet, prout videre licet apud Illustr. & Excell. D. Schmid *in Commentar. tom.* 3. *tit.* 28. *a* 13. *n.* 6.

Dixi etiam: *Si hæc novalia fuerunt intra fines seu limites Parochiæ*; nam si in loco nullius Parochiæ consurrexissent; utputa, si talis sylva intra duas Parochias jacens pro utriusque termino fuisset assignata, & modo ad culturam redacta &c. Decimæ horum Novalium deberentur Episcopo; quia hic est Parochus loci, proprium Parochum non habentis. *c. Quoniam* 18. *h. t.* Panormitanus *ad idem c. n.* 2. Engel *ubi supra tit.* 30. *n.* 7.

481. R. Ad secundum quæsitum hujus Casus dominum Parochum non bene fecisse vi colligendo, & quasi extorquendo Decimas, sed debuisset querelam deferre ad Episcopum, ceu legitimum Judicem in hac causa. Ita Navarrus *l.* 3. *consil. de Decimis consil.* 2. Laymann *l.* 4. *tr.*6. *c.*5. *n.*3. Rebuffus *q.* 9. *in fine*. Ratio est: quia Parochus non habet jurisdictionem fori externi in suos Parochianos. Quin etiamsi haberet, non tamen posset in hoc vim inferre: quia nemo potest esse Judex in propria causa, esto alias Judex sit. *l. qui jurisdictioni* 10. *ff. de Jurisdict.* Neque ulli Creditori licet vi vel auctoritate propria occupare debitoris bona, eumque usu illorum privare, ut debitum suum recuperet. *l. Exstat. ff. quod metus causa & l. si quis C. unde vi*. Multo minus tali Parochiano suo subtrahere debet SS. Ecclesiæ Sacramenta; tum quia hæc non nisi publice indignis, & maximis peccatoribus negari debent; tum præsertim, quia talis denegatio sine publico scandalo & periculo animarum fieri nequaquam potest.

482. R. Ad tertium quæsitum, Rusticum non peccasse graviter, saltem non contra justitiam. Ratio est: quia cum sit Dominus suorum fundorum, potest re sua pro libitu uti, vel non uti: ac proin si agros per unum alterumve annum non colat pro suo commodo vel utilitate, eo scilicet fine ut propter requiem meliores atque magis fertiles evadant, omnino non peccabit. Qua tamen hoc supponitur fecisse ex invidia & passione erga suum Parochum; hinc procul dubio saltem contra charitatem graviter deliquit, posset que officio Magistratus aut Judicis ad culturam suorum agrorum compelli, immo compelli deberet. Ita statuta Bavarica, & Illustr. D. Schmid *ad tit.* 28. *art.* 15. Stanislao Karg *Manual. part.* 5. §. 5. *n.* 61. P. Melchior Friderich *de Decimis n.* 425.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Rusticus sat opulentus multos quidem numeravit agros, sed pauca (respective) prata; e quibus cum pro suis armentis sat copiosis nec pascua sufficientia, neque fœnum quotannis capere potuisset, rebus suis consulere volens aliquot agros reliquit incultos, & hoc modo in prata convertit. Cum vero in eodem pago sint diversi decimatores, e quibus uni competit jus decimandi fœnum, alteri jus decimandi frumentum, binc decimator fœni jam prætendit decimas ex illis pratis Sempronii, alter vero decimator frumenti petit sibi resarciri damnum a Sempronio, quod incurrit ex eo, quia Sempronius non amplius seminat, aut colit agros illos. Quæritur jam, 1. ad quem ex illis duobus decimatoribus pertineat jus decimandi fœnum in pratis Sempronii? 2. An Sempronius teneatur decimatori frumentorum ad aliquam compensationem damni, quod incurrit defectu decimationis frumenti? qua hactenus semper fuerat gavisus?

483. R. Ad primum quæsitum hujus Casus, jus decimandi fœnum in hoc casu competere illi, qui prius fruebatur decimis frumenti (nisi legitima loci consuetudine fuerit aliud receptum.) Ita post Rebuffum & Werendle, R. P. Stanislaus Karg *Man. part.* 5. §. 5. *num.* 60. Ratio hujus resolutionis petenda est ex *cap. Commissum* 14. *de Decimis*, ubi hoc statutum legitur; nec immerito, quia ut advertunt Doctores mox allegati, tametsi supponatur fuisse mutata forma fundi, utpote ex agro conversi in pratum, per hoc tamen

men non fuit mutata ſubſtantia fundi, ex quo prior decimator frumenti ſemper conſueverat percipere Decimas: ergo cum jus decimandi ſuo modo ſequatur fundum, conſequens eſt, quod & hoc permaneat apud priorem decimatorem: Secus tamen dicendum foret, ſi vel ex ſpeciali contractu, vel ex legitima conſuetudine fuiſſet introductum, ut mutata forma fundi etiam mutetur jus decimandi.

484. R. Jam ad alterum quæſitum hujus Caſus. Sempronium neutiquam condemnari poſſe ad aliquam compenſationem damni. Ratio patet ex dictis; quia prior Decimator adhuc retinet jus decimandi fœnum: & licet fortaſſis ex decimatione frumenti majus fuiſſet lucratus commodum quam ex decimatione fœni, quia tamen Sempronius velut Dominus fundi in ſuum commodum ſine omni injuria mutavit faciem fundi, & decimæ non ſequentur fundum immediate ac proxime, ſed potius fructus in tali fundo natos aut plantatos; hinc debet eſſe contentus decimatione fœni, loco decimationis frumenti.

Quin immo, tametſi Sempronius in ſuo fundo plantaſſet tales fructus, e quibus (conſuetudine legitime recepta) non ſolent dari decimæ, propterea tamen Sempronius non teneretur Decimatori ad compenſandum aliquod damnum. Ratio eſt: tum quia Sempronius mutando faciem fundi, agros ſcilicet in prata, uſus eſt jure ſuo: ergo nulli fecit injuriam *l. Nullus ff. de R. J.* conſequenter nec obligari poteſt ad aliquam compenſationem damni: tum etiam quia jus decimandi non reſpicit proxime & immediate fundum (ut jam dictum fuit) ſed potius fructus fundi, ita, ut ſit principaliter onus fructuum, & non onus fundi, ut habetur *c.* 7. *&* 33. *de Decimis*; ergo ſi non amplius naſcantur tales fructus, e quibus ſolvi debent decimæ, tunc jus decimatoris quodammodo extinguitur, vel certe ſuſpenditur, uſque dum denuo in eo ſolo naſcantur fructus decimabiles. Non deſunt tamen etiam graves Doctores, ſignanter Card. de Luca *diſput.* 4. *de Decim. num.* 13. *&* 14. Pignatelli *tom.* 1. *conſult.* 358. *nu.* 2. qui putant, non obſtante tali mutatione adhuc eſſe ſolvendas decimas; eo potiſſimum, quod talis conſuetudo non ſolvendi, utpote odioſa ſit ſtricte interpretanda, proptereaque a pratis antiquis, de quibus non ſolvuntur decimæ, minime extendenda ad prata nova, primum ex agris frugiferis redacta. Quidquid demum ſit de hoc: illud certum videtur, quod, ſi per variationem culturæ nimis gravaretur Parochus; eo quod ex reſiduis decimis pro ſuſtentatione aſſignatis non amplius perciperet congruam, tunc eidem ſit facienda compenſatio *cap.* 2. *§.* 2. *de Decimis in ſexto*, quia Parocho jure naturali ac divino debetur ſuſtentatio ex decimis, ſi ea aliunde non ſuppetat, vel aſſignata ſit. Ita ex *communi DD.* Pichler *in Candid. abbrev. l.* 3. *tit.* 30. *n.* 7. P. Melchior Friderich. *de Decim. n.* 403. Videantur. de hoc Manzius *in ſuis diſſert. q.* 10. *n* 26. Chlingenſperger *in Diſp. jurid. de Decimis c.* 4. *n.* 4. P. Karg *in Manuali. part.* 3. *§.* 2. *n.* 39.

Sed quid (ais) ſi ſupponamus e contrario prata converti in agros, & talia quidem, de quibus vel ex librorum monumentis, vel hominum memoria, vel ex aliis indiciis ſufficienter conſtat, jam olim fuiſſe agros aratro cultos: ſupponamus inſuper duos diverſos decimatores, (e quibus uni v. g. Titio jus decimandi omnes agrorum fructus, alteri vero (Cajo ſcilicet) jus decimandi omnia prata ſeu fœnum competit: tenebiturne Colonus in hoc caſu decimas offerre Titio decimatori agrorum, vel vero Cajo decimatori fœni?

485. R. Ad hoc quæſitum conformiter ad dicta *n.* 483. quantum eſt de jure, & per ſe loquendo, hujuſmodi decimas ſemper deferendas eſſe illi, qui fuit prior decimator talis fundi; cum jus decimandi ſequatur fundum, ſin minus proxime, ſaltem remote: nihilominus ſi vel legitima conſuetudine ſupponatur jamjam receptum, vel jure municipali introductum, ut mutata facie fundi etiam mutetur jus decimandi, & ab uno tranſeat ad alium v. g. decimatorem frumenti, caſu quo prata

prata convertuntur in agros, tunc colonus debebit huic juri aut consuetudini sese accommodare: verum cum de similibus particularibus statutis vel consuetudinibus nequeat constare cuivis Confessario, hinc oportebit, ut vel specialiter indaget, prius quam in tali materia aliquid resolvat, vel certe mandet pœnitenti, ut ex aliis doctoribus in jure municipali indaget, quid vel leges particulares, vel consuetudo legitime introducta habeat.

CASUS TERTIUS.

Cajus Rusticus rerum tenacissimus, & osor decimarum fatetur, se quotannis Parochum suum circumvenisse in solutione decimarum, & primo quidem, dum mandavit suis domesticis, ut manipulos in decimam relinquendos Parocho facerent ceteris notabiliter minores, seu leviores 2. ut in quovis agro facerent numerum manipulorum inæqualem v.g. 29. 39. vel 49. ut proin de novem ultimis nunquam teneretur relinquere manipulum. 3. de qualibet pennatorum specie, utputa anseribus, anatris &c. non nisi novem educare consuevit, eo fine, ne decimum individuum v. g. anserem teneretur præstare suo D. Parocho, quem aliunde satis opulentum, & similibus minime indigentem asserit. Quæritur jam 1. quid Confessarius tali pœnitenti de hujusmodi fraudulentis astutiis vel potius nequitiis sese accusanti habeat consulere, & 2. præsertim, an Parochus vel Decimator non possit de jure prætendere, ut de pluribus novem manipulis aut animalibus pennatis decimum sibi pendatur.

486. R. Ad primum quæsitum, Cajo gravibus & efficacibus verbis persuadendum esse, quod per hujusmodi injustas defraudationes, & iniquissimas praxes graviter peccet, nedum contra justitiam, sed etiam contra Religionem, ac per hoc loco Benedictionis cœlestis potius maledictionem sibimet adsciscat, juxta communissimam DD. apud Lessium *l.* 2. *de J. & J. c.* 39. *dub.* 3. *n.* 16. Laymann ubi supra *t.* 2. *n.* 3. Enimvero quod contra justitiam delinquat defraudando decimas, patet ex dictis supra *num.* 473. *dignus quippe est operarius mercede sua Matth.* 10. Et *qui ad onus eligitur, repelli non debet a mercede. c. cum secundum* 16. *de præbend.* Nec refert, quod D. Parochus aliunde sit dives, aut bene habens; quia quantumvis bene habens æque ac alius minus habens *tenetur portare onera*: ergo etiam *debet sentire commodum*, *per Reg.* 55. *Jur. in sexto*, *nec aliquis militat suis stipendiis unquam* 1. *Cor.* 9. Quod insuper contra virtutem Religionis peccet, constat tum ex dictis supra *l. cit.* tum ex *can.* 1. *Caus.* 16. *q.* 7. ubi defraudans decimas dicitur *Sacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere.* Ex quo liquet, graviter peccari, si defraudatio fiat in materia notabili. Quod tandem tales sibi maledictonem loco Benedictionis cœlestis adsciscant, constat ex pluribus tum S. Scripturæ, tum etiam SS. Patrum textibus, videndis apud Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 30. *n.* 23. & 24. Audiamus D. Augustinum, relatum *Can. Majores nostri Caus.*16. *q.*7. ubi ait. *Majores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modo autem quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo Decimas, modo autem totum tollitur: hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.*

487. R. Ad secundum quæsitum posse Parochum prætendere decimas, si colonus in diversis agris eodem frumento v. g. tritico, siligine, hordeo, avena &c. consitis, faciat plures novenas, seu pluries novem manipulos, tunc enim vero relictis in uno agro novem manipulis v. g. tritici, in altero potest primum velut decimum respectu aliorum relictorum sibi assumere. Ita habetur *in Jure Bavarico art.* 4. Schmid ad eundem articulum, Karg. *Man. par.* 5. §. 5. *n.* 62.

Ratio est: qui secundum dicta superius *num.* 471. decima pars fructum debetur Parocho intuitu curæ postoralis, ita scilicet, ut quodammodo decima spica agri semper sit Parochi, & a proportione decimus manipulis reliquis æqualis, nec minor ceteris: atqui hoc non fecit Cajus noster, quin potius

tius fraude circumvenit graviter suum Pastorem: ergo huic datur regressus, seu jus petendi decimum manipulum ejusdem frumenti, licet in diverso agro ejusdem coloni. Neque fraus sua ulli unquam debet patrocinari, *cap. Ex tenore 16. de Rescript.* vel *aliquis locupletari cum alterius injuria aut jactura per Reg. 48. J. in sexto*. Nostra tamen resolutio solum intelligi debet de manipulis ejusdem frumenti v. g. de hordeo ad hordeum, non vero diversi frumenti v. g. de hordeo ad triticum, vel de solido ad leve, id est, de æstivo ad hyemale, aut e contra, nisi forsan consuetudo legitima (quæ tamen, cum sit facti, probanda est) aliud habeat: insuper intelligi solum debet de numeratione manipulorum ejusdem anni, non vero diversorum annorum.

488. In decimis tamen carnaticis dinumeratio ab uno anno ad alterum fieri potest, ut si Cajus noster Rusticus hoc anno tantum novem anseres educavit, & novemdecim pullos, tunc de novem anseribus Decimatori pro uno anno nihil debetur, & de pullis non nisi unus: Verum, si anno sequenti idem Rusticus denuo educet anseres ac pullos, tunc Decimator primum statim anserem ac pullum potest accipere, & ab hoc numerare de decem ac decem. Ita jus Bavaricum *tit. 28. art. 16.* Ratio autem hujus dispositionis, quod scilicet in decimis carnaticis non item in frumentariis liceat Decimatori numerare ab uno anno ad alium, hæc est: quia perpauci sunt Rustici, quibus singulis annis ultra decem fœtus saltem quadrupetum accrescant, & hinc Decimatori in Carnaticis pro decima parte raro aliquid obtingeret, nisi permittetur numerare de anno in annum. Ita cum Illustr. Schmid *ad cit. articulum n. 7.* Karg *l. cit. n. 66.* Quia tamen hoc jus Bavaricum municipale duntaxat est, non universale, hinc pro diversitate locorum attendi debent diversa jura, vel consuetudines legitime receptæ.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

489. COlliges ex hactenus dictis primo, Parocho loci competere intentionem, seu præsumptionem fundatam ex communi jure decimandi contra quemcunque colonum. Ita cum Rebuffo, Canisio, & communi aliorum Laymann *l. 4. tr. 6. c. 4. n. 3.* probans illud ex *c. A nobis de Decimis*, & aliis juribus. Hinc licet non sit consultum, propter discordias & animarum pericula inde communiter enasci solita, ut Parochus petat Decimas minores v. g. de lino, rapis, fructibus arborum, fœtibus animalium &c. præsertim si antecessores hoc nunquam consueverint, si tamen has prætendat, & quærat a suis Parochianis, tenebuntur hi vel decimas præstare, vel certe docere, quod ex privilegio, aut legitima consuetudine ab his sint exempti. Atque hinc

490. Colliges secundo, quod tametsi in aliquo pago proximo Parochiani ab immemoriali tempore nunquam consueverint solvere decimas ex lino, canabe, oleribus &c. hoc tamen subditi vel Parochiani alterius Pagi, in quo eadem consuetudo non viguit, aut certe probari nequit, nequaquam sint exempti, vel eximendi. Ita cum Cardinale de Luca Schmier *lib. 1. tract. 1. c. 9. sect. 3. §. 1. n. 93.* ubi pro hac re plures adducit decisiones Rotæ Romanæ. Ratio est: quia consuetudo contra jus, utpote odiosa, & a jure communi exorbitans, restringenda potius est, quam extendenda; unde *Reg. 74. J. in 6.* dicitur: *quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum*.

491. Colliges tertio, ex uno, eodemque agro aut prato toties a colono præstandas esse decimas, quoties ob fertilitatem fundi etiam eodem anno novi fructus colliguntur. Ita cum Barbosa, Azorio, & Rebuffo *in cap. ex parte de Decimis*, P. Stanislaus Karg. *Man. part. 5. §. 5. n. 58.* Ratio est: quia fundus in quantum est fertilis seu fructificans, est proxime obnoxius decimis: er-

go si sæpius fructificet etiam eodem anno, sæpius debent pendi decimæ. Et ob hanc causam in jure Bavarico *tit.* 28. *art.* 6. disponitur, ut si contingat a Rusticis frumenta miscellanea seminari, & hæc prius quam maturescant adhuc in herba metantur, equis aut jumentis in pabulum danda, de ejusmodi fructibus immaturis decimæ præstentur.

492. Colliges quarto, casu quo Rustici debuissent facere aliquas expensas pro arcendis animalibus seu feris, ne scilicet depascerentur aut devastarent segetes &c. Parochum non teneri ad contribuendum pro solutione talium. Ita Barbosa *de offic. & potest. Parochi part.* 3. *c.* 28. §. 1. *n.* 4. Engel *de Decimis n.* 13. Reiffenstuel *eod. t. n.* 28. Ratio est, tum quia decimæ cum integritate debita sunt præstandæ, nullis deductis expensis, prout habetur *cap. cum homines* 7. & *c. non est* 22. *de Decimis*: tum etiam, quia Decimatores jus proximum in Decimas primum aquirunt, dum fructus a solo fuere separati: ergo in ordine ad custodiendas segetes nullas tenentur facere expensas.

493. Colliges quinto, a Parocho prohiberi posse, ne Parochiani decimas separent, nisi se, vel alio a se substituto præsente. Ita Covarruv. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. Engel *l. cit. n.* 12. Barbosa *l.* 3. *Jur. Ecclesiast. c.* 26. §. 1. *n.* 42. & alii communiter. Ratio hujus desumitur, tum ex *argum. l. si suspecta* 29. *ff. de in offic. testam.* tum etiam quia si talis separatio fiat in absentia tam Parochi quam alterius substituti, communiter solent a Rusticis comitti fraudes, & defraudationes innumeræ, prout ex casu tertio hujus Conferentiæ liquet. Hinc multis in locis subditi semper tenentur prius admonere Parochum vel decimatorem, ut vel per se, vel per alium compareat ad separationem decimarum. Quodsi contrarium contingat, & Parochus probare queat, se aliquoties fuisse fraudatum, aut circumventum a subditis, potest ab Episcopo petere, ut subditos eo adigat; eo quod talis praxis sit damnosa Ecclesiæ, & occasionem peccato præbeat. *cap.* 1. *de consuet.* si tamen separatio decimarum semel supponatur facta in agro, debitor decimarum non amplius tenetur illos fructus, utpote jamjam existentes sub dominio Decimatoris, custodire.

494. Colliges sexto, decimas tempore messis aut vindemiæ &c. Parocho deberi tametsi is fortassis ex ignorantia non exigat, proindeque pessime facere illos colonos aut Rusticos, qui si Parochum suum circumvenire possint & defraudare, putant rem esse salvam, & se tutos in conscientia. Ratio est: quia in similibus debitis de jure liquidis dies interpellat pro homine, *arg. c. ult. de locato.* ubi talis jubetur solvere, *non obstante, quod ei, ut canonem solveret, non exstitit nunciatum; cum in hoc casu dies statuta pro Domino interpellet.* Id quod a fortiori pro decimis urget; quia frequenter accidit, ut tempus decimandi prorsus sit ignotum Parocho, præsertim in decimis minutis, quæ pendi solent ex fœtibus ovium, anserum, gallinarum, aliorumve animalium; item ex frugibus arborum, fœno, lino &c. &c. ac proin si Parocho hujusmodi decimæ non deberentur, nisi exigenti &c. raro admodum aliquid inde acciperet; quia non nisi rarissime posset exigere quandoquidem ignoti nulla cupido. Ex quo fluit, hujusmodi defraudatores semper manere obligatos in conscientia ad resarciendas defraudatas decimas, sive in natura, sive in æquivalenti.

Sed quid (ais) si possessor aliquot annis decimas non solvit, postea vero fundum alienet, poteritne Decimator v. g. Parochus ab Emptore prætendere decimas restantes?

495. R. Videtur probabilius, quod non possit. Ita Schmier *l.* 3. *tr.* 1. *part.* 3. *c.* 3. *sect.* 3. §. 3. *n.* 143. Christophor. Chlingensperg. *disp. jurid. de Decimis assert.* 22. P. Karg *Man. part.* 2. §. 2. *n.* 30. Bockhn. *l.* 3 *decret. tit.* 30. *num.* 43. Contra P. Engel, & multos alios. Ratio hujus resolutionis est: quia tametsi onus decimarum sit reale, ac prædium afficiat, non tamen afficit aliter, quam cum respectu ad fructus quotannis nascentes, prout colligere fas est *ex cap. cum non sit.* 33. &c. *Pastoralis* 28. *hoc tit.* Quin immo videtur hoc liquidum ex ipsa nomenclatura

Decima, qua innuitur, decimam partem seu portionem *fructuum* esse pendendam, quo fit, ut jam plus, jam minus, aliquando omnino nihil, ubi scilicet crevit, pendendum sit: ergo Emptor talis fundi ad nil aliud tenetur, nisi ad pendendam decimam partem fructuum nasciturorum, non vero eorum, qui jam præteritis annis creverunt, seu nati sunt. Secus tamen dicendum foret, ubi filius succeffit in hæreditatem Patris; quemadmodum enim hic tenetur solvere alia debita a Patre relicta; ita & hoc debitum decimarum *per Reg.* 55. *Jur. in sexto*.

Sed quid, dices rursus, si Colonus aut Rusticus pro diversitate temporum diversis in Parochiis pascat sua animalia, vel in una pascat, in altera vero faciat accumbere tempore hyemali: Cuinam Parochorum debebit de hujusmodi fœtibus præstare decimas?

496. R. In tali casu decimas quoque esse distribuendas, ita ut uterque Parochus aut decimator inde suo modo participet. Ratio est: quia ad sustentationem animalis & productionem fœtus non solum pastus, sed etiam requies requiruntur: ergo æquum est, ut tam ille Parochus in quo pastum, quam alter, in quo cubitum habent, aliquid participet; fere quemadmodum si quis in una Parochia habeat prædium, in altera vero exerceat Mercatum &c. debet decimas reales solvere priori, personales vero, ubi hæ in usu sunt, posteriori Parocho: ubi scilicet mercaturam exercet, solvere debet. Videantur de hoc Bockhen *l. cit. n.*18. vel Illsung *tr.* 5. *disp.* 2. *n.* 246.

497. Colliges septimo, per consuetudinem (idipsum a fortiori per præscriptionem) introduci posse immunitatem a solvendis decimis. Ita contra multos, præsertim antiquiores, hodie satis communiter tenent DD. nominatim Bockhn *l. cit. n.* 75. Pichler *ubi supra nu.* 11. Engel *h. tit. nu.* 46. Ratio hujus desumitur tum ex *c. Commissum* 4. *c. Cum sint* 18. *de Decimis*, & aliis pluribus, tum etiam ex eo, quia hodie passim videmus decimas personales, nec non decimas minutas esse abrogatas, sicut attestantur DD. qui in diversis Europæ partibus, *de decimis* scripsere, ait Engel: at hujus nequit assignari alia causa, nisi consuetudo: ergo per hanc potest introduci immunitas. Quod tamen intelligendum est cum limitatione: si nimirum Parocho per talem consuetudinem congrua sustentatio non tollatur.

Petes adhuc, an etiam Parochus possit quempiam eximere a solutione decimarum, & sic reddere immunem ab hoc onere?

498. R. Equidem hoc potest sive ex conventione, sive cessione aut libera condonatione, sed hoc pro se duntaxat, scil. ad tempus vel dies vitæ suæ, & sine præjudicio sui Successoris aut Ecclesiæ: in perpetuum tamen nequit quempiam liberare ab onere præstandi decimas, sed hoc deberet fieri altiori potestate, & cum certis solennitatibus Canonicis, ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis, prout satis liquet ex *cap.de Cetero* 5. & *cap. Veniens* 8. *de transact.* Videatur Bockhn. *l.*3. *decret. tit.* 30. *n.* 76.

CONFERENTIA
DECIMA QUINTA
De Immunitate Ecclesiastica in Genere, & de Locali, seu Asylo in specie.

SUMMARIUM.

499. *Immunitas Ecclesiastica est jus, quo loca, res, vel personæ eximuntur a Communibus oneribus.*
500. *Estque triplex, scilicet* 1. *localis,* 2. *realis, &* 3. *personalis.*
501. *Immunitas localis duo importat.*
502. *Quidnam importet jus Asyli.*
503. *Hoc privilegium competit omnibus Ecclesiis, & locis sacris.*
504. *Solvitur quædam Objectio contra hoc Privilegium.*
505. *Omnes Christiani gaudere possunt jure Asyli.*

506.

506. *Tametsi supponantur Excommunicati, vel interdicti;*
507. *Nisi commiserint unum e Criminibus exceptis.*
508. *Recensentur breviter crimina excepta.*
509. *Refertur synoptice Constitutio Benedicti XIII. Vi cujus excepta fuere nonnulla alia crimina privantia asylo.*
510. *An hæc Constitutio sit recepta vel non.*
511. *Recensentur breviter quinque effectus, seu favores asyli.*
512. *Quinam modus sit observandus, quando Reus est extradendus brachio sæculari.*
513. *Violantes immunitatem Ecclesiasticã incurrunt Excommunicationem Majorem.*
514. *Resolvitur Casus I. de quodam Malefactore, qui effracto Carcere ad Monasterium confugiens, repulsam tulit a Portario, propterea denuo captus; Unde*
515. *Debuit restitui eidem loco Sacro, ad quem primo asyli causa confugit ex carcere.*
516. *Solvitur quædam instantia contra hanc resolutionem.*
517. *Resolvitur Casus II. de quodam fure, qui in flagranti deprehensus ab Ædituo, fuit expulsus ex Ecclesia.*
518. *Probabiliter potuit inde ejici sine injuria, velut indignus protectione Ecclesiæ.*
519. *Sicut ejici potest ac meretur, qui in loco asyli receptus furaretur, vel aliis insolentiis turbaret Communitatem.*
520. *Resolvitur Casus III. de quodam Milite desertore, quem Dux repetiit a Superiore Ecclesiastico, in cujus Ecclesiam asyli causa confugerat.*
521. *Quid superiori agendum, præsertim si timeat magna in commoda ex retentione desertoris.*
522. *Et quid agendum cum illis, qui posteaquam nomen militiæ dederunt, confugiunt ad locum Sacrum, ut declinent castra &c.*
523. *Malefactor sorte elapsus, confugiens ad sacerdotem portantem Venerabile Sacramentum, gaudet asylo.*
524. *Non item ille, qui captus & in carcere detentus, ultimo Viatico munitur a Sacerdote.*
525. *Recensentur breviter nonnulla crimina non privantia jure asyli.*
526. *In dubio, an crimen sit exceptum, & privet asylo, cognitio causæ pertinet ad Ordinarium loci.*
527. *Quid agendum, ubi Vir asyli causa confugit ad Monasterium fœminarum, aut fœmina ad Religiosorum.*
528. *Quænam superiori sint specialiter observanda, dum quis postulat libertatem asyli.*
529. *Casu quo talis non gaudet asylo, illico est admonendus de hoc.*
530. *Non tamen illico res est deferenda ad Ordinarium, vel alios.*
531. *Asylantibus fieri potest grandis injuria, nedum per violentam, sed etiam per fraudulentam extractionem e loco asyli;*
532. *Immo etiam per violentam extractionem rerum, pertinentium ad talem confugam.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de Immunitate Ecclesiastica.

Quæres primo, quid sit Immunitas Ecclesiastica, & quotuplex?

499. R. Ad primum membrum hujus quæsiti Immunitas Ecclesiastica est jus, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ a communibus oneribus sæcularium sunt liberæ seu exemptæ.

Ita *communissime DD.* Reiffenstuel *Theolog. mor. tr.* 12. *dist.* 1. *n.*3. Laymann *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 1. *n.* 1. Bockhn &c. Explico brevissime. Dicitur 1. *jus*; quod enim ob reverentiam qua pollent, talis Immunitas dictis locis, rebus ac personis debeatur, suadet sana ratio, & habetur sæpius expressum nedum Jure Civili *tot. tit. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, sed vel maxime etiam jure Canonico *C.* 6. 8. 9. *Caus.* 17. *q.* 4. & alibi sæpius, singularissime vero in Constitut, Gregorii XIV. *Cum alias edita* 1591. Dicitur secundo, *quo loca, res, vel persona &c.* ut comprehendantur singulæ species hujus Immunitatis, prout videbitur per decursum. Dicitur tertio, *a communibus oneribus sæcularium* (uti sunt solvere censum personalem, ire ad bellum, agere vigilias, prebere Militibus hospitium in suis ædibus &c.) *sunt exemptæ*; quia non convenit, Personas Ecclesiasticas vel Eccle-

ſias ipſas, aut harum bona iiſdem cum ſæcularibus oneribus ſubjici, prout amplius patebit ex dicendis in hac Conferentia.

500. R. Jam ad ſecundum membrum hujus quæſiti. Immunitas Eccleſiaſtica eſt triplex; ſcilicet 1. *localis*. 2. *realis*, & 3. *perſonalis*. Ita rurſus Doctores *unanimiter*. Localis dicitur, vi cujus Ecclesiæ, vel alia loca Eccleſiaſtica, utputa Periſtilium, Cæmeterium, Sacriſtia, turris Campanarum &c. eximuntur. Realis vocatur, vi cujus Res ſeu bona, ad Eccleſiam ſeu perſonas Eccleſiaſticas pertinentia eximuntur. *Perſonalis* tandem appellatur, vi cujus Clerici ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ fuerunt exemptæ ab illis oneribus communibus ſæcularium perſonarum.

Quæres ſecundo, quidnam Importet Immunitas localis?

501. R. Immunitas localis duo importat, ſcilicet 1. ut actus profani, reverentiam loci Sacri dedecentes, cujuſmodi ſunt ludi theatrales, quibus res profanæ exhibentur, item Choreæ, Convivia, Conctractus ſæculares; nec non judicia ſæcularia, præſertim in cauſa ſanguinis, non exerceantur in hujuſmodi locis ſacris, ſecundo, ut Rei confugientes ad Eccleſiam vel hujuſmodi Sacra loca aſyli cauſa, per vim inde abſtrahi non poſſint, nec debeant. Ita rurſus communiſſime Doctores, Azorius *p.* 2. *l.* 9. *c.* 9. & alii. Dixi tamen *actus profani*; nam actus Eccleſiaſtici, uti ſunt Electiones, & Confirmationes Prælatorum, item Synodi, ſeu Concilia, quibus Chriſtiana vel Eccleſiaſtica diſciplina ſtabilitur, vel reſtituitur, non dedecent ſanctitatem hujuſmodi loci. Hinc etiam videmus diſputationes litterarias, Promotioneſque Academias ex antiquiſſimis locorum conſuetudinibus abſque ſcrupulo celebrari in Eccleſiis, vel locis ſacris, prout notant Engel *lib.* 3. *tit.* 49. *num.* 5. Bokhn *eod. tit. num.* 4.

Quæres tertio, quidnam importet jus Aſyli?

502. R. Jus Aſyli importat privilegium, Eccleſiis ac locis Religioſis ſeu Sacris indultum, vi cujus Rei eo confugientes contra eorundem voluntatem extrahi nequaquam poſſunt. Et hoc vocatur proprie *Immunitas Eccleſiarum*, vel *Jus Aſyli* ſeu *Aſylia*, utpote introducta ad imitationem Aſyli, Civitatibus Refugii in antiquo teſtamento conceſſi. Hoc vero jus antiquiſſimum eſſe, eruitur ex textu S. Auguſtini circa annum 427. relato in *Cap. Miror.* 8. *Cauſ.* 17. *q.* 4. & Gelaſii de anno 494. in *Cap. Frater* 10. *ead. Cauſ. & Queſt.* tametſi fatendum, hoc in novo teſtamento potius auctoritate humana (ſuadente tamen æquitate naturali) quam divina fuiſſe introductum, prout Reiffenſtuel, & alii Doctores communiter fatentur.

Quæres quarto, quibuſnam Eccleſiis vel locis ſacris competat hoc privilegium Aſyli?

503. R. Hoc privilegium competit omnibus Eccleſiis, locisque ſacris cujuſmodi cenſentur eſſe ſequentia. 1. omnia templa, etiam nondum conſecrata, aut benedicta, immo & nondum ex integro conſtructa, eſto etiam ſupponantur polluta vel interdicta, 2. Cæmetria (quantumvis diſſita, aut non contigua Eccleſiis) una cum fabricis ad ſtructuram Eccleſiarum pertinentibus, uti ſunt ſacriſtia, turris Campanarum, Atrium Eccleſiæ, & quidem ad 30. vel 40. paſſus ſecundum aliquos (licet hæc diſtantia, teſte P. Pichler, in praxi hodie non ſervetur) Porticus item & Ambitus &c. quia hæc omnia ſpectant ad fabricam Eccleſiæ, vel huic ſunt quodammodo annexa. 3. Monaſteria, & domus Religioſorum, item horti, arcæ, ædes, intra ſepta Monaſterii exiſtentes. 4. Capellæ, vel etiam Oratoria Epiſcopi auctoritate divino cultui in perpetuum deputata, tametſi axiſtant in ædibus privatis (ſecus dicendum de Oratoriis privata auctoritate erectis, tametſi Papa vel Epiſcopus dediſſent licentiam in illis celebrandi; quia propterea non ſunt in perpetuum Cultui divino conſecrata, ſed poſſunt converti in Cameras privatas &c.) 5. Hoſpitalia item auctoritate Epiſcopi erecta cum altari ad celebrandum. Sexto Tabernaculum, in quo actu aſſervatur SS. Euchariſtiæ Sacramentum, item 7. Palatia Epiſcoporum,

rum, immo & 8. domus Parochorum, veluti teste P. Bockhn, declaravit Sacra Congregatio Cardinalium *in una Mutinensi* 18. *Februarii* 1631. *in Casennatensi* 18 *Novemb.* 1653. & *in Neperina* 4. *Maii* 1626. Ita *communissime Doctores*, signanter Barbosa *lib.* 2. *Jur. Eccles. univers. cap.* 3. *num.* 59. *& seqq.* La Croix *lib.* 4. *num.* 1392. Fagnanus, Covarruvias & alii. Ratio horum desumitur ex *can.* 6. 20. 21. 36. *Caus.* 17. *q.* 4. item ex *lib.* 3. *C. de his, qui ad Eccles. confug. l.* 35. *C. de Epis. & Cler.* in quibus hæc decernuntur. Tum ex eo etiam: quia hæc immunitas est quid favorabile, velut privilegium Principis & quidem principaliter respiciens favorem publicum Religionis: ergo latissime interpretari debet, juxta *Reg.* 15. *J. in sexto* ita scilicet, ut nomine Ecclesiæ intelligantur etiam alia loca pia mox enumerata. Hac de causa necessum minime censetur, ut Reus Confuga jam actu sese receperit in Ecclesiam, sed sufficit apprehendisse portam, seu januam Ecclesiæ aut Cæmeterii. Videantur de hoc Barbosa *lib.* 2. *J. E. V. cap.* 2. *num.* 65. Pignatelli *tom.* 6. *Consult.* 4. *n.* 81. *& seqq.* Reiffenstuel *l.* 3. *decret. tit.* 49. *n.* 30.

Dices tamen contra hæc. Si quis vel in Sacristia, vel in turri Ecclesiæ aut subtus in aliqua Caverna, vel in Monasterio &c. committeret actionem injuriosam v. g. humani sanguinis aut seminis effusionem, propterea non censeretur polluta Ecclesia, prout notat Glossa communiter recepta in *Cap. un. de Consecrat. Eccles. in sexto:* ergo similiter ex eo, quod Malefactor extrahatur v. g. ex Sacristia, Cæmeterio, Claustro &c. non violatur Immunitas Ecclesiastica.

504. R. Neg. Conseq. Disparitas est hæc: quia Constitutiones Ecclesiasticæ decernentes pollui Ecclesiam per hujusmodi actionem injuriosam, loquuntur de materia pœnali, seu materia odiosa, ideoque sunt strictissimæ interpretationis; e contra constitutiones vel Canones, quibus Immunitas Ecclesiastica decernitur, agunt de materia favorabili, & hoc ipso late interpretari debent, juxta *Reg.* 15. *J. in* 6. per quam habetur, odia restringi, favores autem convenire ampliari. Non ergo inconveniens reputari debet, quod nomine loci sacri in materia favorabili intelligatur etiam Sacristia, vel Cæmeterium, turris &c. non item in materia odiosa; nam constat pariter, quod in materia favorabili nomine Clericorum veniant Episcopi, & nomine Religiosorum etiam Novitii, non item in materia pœnali, seu odiosa.

Quæres quinto, an ergo indifferenter omnes homines, cujuscunque denique fidei aut Religionis sint, ad Ecclesiam confugientes gaudeant hoc jure Asyli?

505. R. Omnes Christiani utriusque sexus, rei alicujus criminis, quoad mortem, mutilationem membri, Carceris, Triremium, aliamve pœnam æquivalentem mereretur, gaudent jure asyli in tantum, ut recipi debeant, & esse securi quoad suam personam, nisi supponantur rei alicujus criminis excepti, & privantis jure asyli. Ita rursus ex *communi DD.* Pichler in suo *Candidat. abbrev. J. C. tit.* 49. *num.* 4. Reiffenstuel *Theolog. mor. tract.* 12. *dist.* 2. *a. num.* 15. Ratio horum rursus petenda est tam ex variis juribus *lib.* 1. *C. de his, qui ad Eccles. Conferen.* item *Cap. si quis Contumax. Caus.* 17. *q.* 4. *& cap. Inter alia de Immunit. Eccles.* præcipue vero ex Bulla Gregorii XIV. *Cum alias* jam superius allegata; tum ex eo etiam, quia hæc Immunitas Ecclesiæ ac Religioni est favorabilis, & hoc ipso late interpretanda.

Dixi tamen 1. *Omnes Christiani &c.* ideoque non solum laici (quantumvis excommunicati, etiam vitandi &c. vel personaliter interdicti; qui hoc privilegium est locale, non personale) sed etiam Religiosi gaudent hoc privilegio in tantum, ut ab Episcopis, vel aliis Judicibus Ecclesiasticis (extra casus in Jure exceptos) extrahi nequeant e loco asyli, in quem confugerunt licet hi ob delicta leviora possint puniri pœnis Ecclesiasticis, quibus potius intra privatos parietes correctio, quam vindicta publica intenditur. Alii tamen Infideles, id est, non baptizati, quales sunt Judæi, Pagani, Æthnici, probabilius non gaudent

dent hoc jure asyli, nisi serio animo sese convertendi ad Ecclesiam confugiant.

Ratio hujus exceptionis est: qua ita habetur decisum in jure civili *cit. l.1. C. de his, qui ad Ecclesf. Confug.* hæc autem lex in jure Canonico non reperitur correcta, sed potius approbata *c. Inter alia de Immunit. Ecclef.* Nec immerito; quia indignus est, ut ab Ecclesia defendatur, qui Ecclesiam contemnit, *arg. C. ult. de immunit. Eccles.* at, infideles, nolentes fidem veram amplecti, ipsamque Ecclesiam per baptismi susceptionem ingredi, censentur Ecclesiam contemnere: ergo &c. Quidnam vero de hæreticis censendum, dicemus proxime, ubi de criminibus exceptis. Videantur de his Pirhing. *l. 3. tit. 49. de Immunit. Eccl. n. 39.* Laymann. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 12.* Bonacina *disp. 3. in Decalog. quæst. 7. pu. 6. §. 5. num. 3.*

Dixi insuper secundo: *nisi rei sint alicujus criminis excepti, & privantis asylo;* Unde jam

Quæres sexto, quot igitur, & quænam sint crimina excepta, privantia jure asyli?

507. R. Crimina excepta, & vi Constitutionis Gregorianæ *cum alias*, jure asyli privantia sunt octo sequentia, veluti habetur in allegata Constitutione (videnda) *in Tom. 2. Bullarii Rom. num. septima dicti Pontificis* vel apud Reiffenstuel. *l. 3. Decret. tit. 49. n. 82.* sequentibus omnino verbis §. III. *Ut laicis ad Ecclesias, locaque sacra & Religiosa prædicta confugientibus 1. si fuerint publici latrones 2. Viarumque grassatores, qui itinera frequentata, publicasque stratas obsident, ac Viatores ex insidiis aggrediuntur: aut 3. Depopulatores agrorum, quive 4. homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, Earumque cæmeteris committere non verentur; aut qui 5. proditorie proximum suum occiderint; aut 6. assassinii, vel 7. hæresis, aut 8. læsæ Majestatis in personam ipsius Principis rei: immunitas Ecclesiastica non suffragetur.* Hactenus Constitutio Gregoriana; pro cujus pleniori intellectu.

508. Notanda sunt Sequentia I. nomine publicorum latronum illos intelligi, qui in publicis viis rapinæ causa ex insidiis aggrediuntur homines, & resistentes sibi occidunt: e contra grassatores viarum illi appellantur, qui non solent occidere homines, esto etiam in publicis viis illos aggrediantur animo deprædandi II. Depopulatores agrorum illos vocari, qui segetes agrorum, vel vinearum fructus ex proposito devastant sive incendendo eos, sive alio modo destruendo: & hæc tria crimina, ut jure asyli privent, debent esse notorie sive notorietate juris, sive facti commissa. III. Ad homicidium proditorium, ut asylo privet, probabilius necessum esse, ut non solum ex proposito ac per insidias fiat, sed ut fiat ab amico, vel tali, qui ex statu muneris aut officii sui fuit obligatus ad amicitiam; uti est Parens respectu filii, Tutor respectu sui Clientis, ac vice versa. Ita ex probabiliore tenent Reiffenstuel *prox. cit. n. 116.* Pichler *in suo Candidato ampliore lib. 3. tit. 49. n. 16. & 17.* IV. Assassinium proprie tunc committi, quando quis pro pecunia, vel alia re temporali promissa aut data occidit hominem, quo casu non solus occidens, sed etiam Cooperatores, mandantes, & conductores &c privantur jure Asyli, prout Herincx *part. 3. tr. 4. disp. 3. n. 52.* & alii tradunt. V. Hæreticos solum privari asylo, si ob crimen hæreseos quærant asylum, non item si ob alia crimina v. g. furti, adulterii &c. &c. ad Ecclesiam confugiant: & quia hæresis Lutherana ac Calvinistica in hisce partibus nostris impune toleratur; hinc etiam nunquam quærent asylum ex hoc titulo VI. Per crimen læsæ Majestatis intelligi actionem injuriosam ac damnosam, a subdito commissam in proprium Principem, id est, in talem superiorem, qui in suo Territorio plenum jus obtinet, & in sua jurisdictione alium superiorem non agnoscit. Hæc sola crimina vi præfatæ Constitutionis Gregorianæ sunt excepta, & hactenus ubivis locorum, ut scio, inter Orthodoxos observata in praxi, ita quidem, ut ad alia crimina vel Casus non exceptos ob solam identitatem, immo & majoritatem rationis nullatenus debeant, aut possint extendi, nec quispiam excludi ab asylo v. g.

propter crimen incæstus in primo vel secundo gradu, sodomiæ, adulterii &c. &c. esto hæc sint vel videantur longe majora crimina. Ratio est: quia hæc privatio est pœnalis ac odiosa, & hoc ipso ultra proprietatem verborum nullatenus extendenda. Videantur de hoc, si placet, Castropalao *tr.* 11. *disp. un. pu.* 10. *a n.* 4. Haunoldus *tom.* 6. *tr.* 1. *a n.* 190. Holtzmann *part.* 3. *disput.* 3. *n.* 533.

509. Dixi autem signanter, hæc sola crimina vi *Constitutionis Gregorianæ* privare jure asyli, ut per hoc tacitus innuerem, aliam Constitutionem *Ex quo*, quam Benedictus XIII. *anno* 1725. hac de re edidit, eandemque inseruit Concilio Romano a se celebrato: tenore hujus Constitutionis confirmavit famosam illam, jam sæpius allegatam Constitutionem Gregorii XIV. & aliqua delicta, de quibus inter Doctores controversia fuit, an privarent asylo, declaravit, & alia quædam nova jam privantia asylo, ad compescendam hominum vesaniam statuit, ut sequitur. Primo, declarat, pro latrone, & viarum grassatore habendum esse illum quoque, qui unicam tantum grassationem in via publica aut vicinali commisit, secuta occisione aut mutilatione. Secundo. Eos etiam non gaudere asylo, qui stantes in Ecclesiis vel cœmeteriis occidunt, vel mutilant existentem extra, ac vice versa, qui stantes extra, occidunt vel mutilant existentem intra Ecclesiam vel Cœmeterium. Tertio illos pariter non gaudere asylo, qui ad Ecclesiam confugientibus vim inferunt, vel e tali loco immunitatis violenter abstrahunt. Porro nova delicta asylo privantia superaddidit sequentia. 1. Omne homicidium proximi, animo præmeditato, ac deliberato factum. 2. Falsificationem litterarum Apostolicarum. 3. Furtum a Ministro Montis pietatis publici telonii, aut Banci pro Principis, privatarumque Personarum depositis destinato, modo hujusmodi furtum sit tam grande, ut mereatur puniri pœna ordinaria. 4. Adulterationem, falsificationem, seu etiam detonsionem monetæ aureæ vel argenteæ, etiam Peincipum externorum, cooperationemve scienter factam ad idem delictum. 5. Intrusionem sub nomine curiæ, factam in alienam domum, animo ibidem perpetrandi rapinas, si talis rapina reipsa committatur cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis, vel extranei, ibi forte reperti.

510. Ceterum, an hæc Constitutio Benedictina in hisce partibus nostris hodie obliget, dubitant nonnulli Doctores. Immo R. P. Pichler in suo *jure Canonico practice explicato l.* 3. *tit.* 49. probabile putat, quod non; tum quia altefatum Concilium non fuit universale, sed potius Nationale; tum etiam quia dicta lex vel Constitutio non videtur in hisce partibus nostris satis promulgata. Fatetur nihilominus *in suo Candidato J. C. abbreviato eod. tit. n.* 6. *in fine*, se a quodam viro magno intellexisse, in certa quadam Diœcesi sibi nota conformiter dictæ Bullæ binis vicibus Episcopali auctoritate ex asylo fuisse extraditos, qui homicidium præmeditatum commiserant. Hinc noster V. P. Holzmann sapienter ait, quæstionis hujus resolutionem non ex libris aut scholis, sed ex particulari singularum Diœcesium observantia petendam esse.

Quæres septimo, quot, & quinam sint effectus, vel favores asyli, & asylantium?

511. R. Sunt quinque sequentes. 1. quod debeant recipi in loco sacro, ad quem confugiunt, nec possint inde repelli, aut excludi. Ita habetur *l.* 2. & 3. item *l. Præsenti*. 6. *C. de his, qui ad Eccles. conf.* Ratio est: quia Rectores Ecclesiarum tenentur jura Ecclesiæ, ipsiusque immunitatem defendere: ergo etiam non repellere illuc confugientes. Hinc si tales vi vel dolo fuerint extracti, debent restitui Ecclesiæ. Secundo, quod Reo in Ecclesia existenti debeant administrari alimenta, seu victus, & vestitus, idque, nisi habeat ex propriis, impensis Ecclesiæ aut Rectoris: neque impediri potest, quo minus hæc ad illum deferantur; secus enim compelleretur ad egrediendum: proptereaque, si aliter fieri nequeat honesto modo intra septa loci sacri, eidem per-

mitti debet egressus ad aliquot passus v. g. ad exonerandam naturam. Tertio. Quod Reus, quamdiu est in Ecclesia vel loco sacro, nequeat vinculis constringi, aut alia violentia affici. *Cap. definivit. C. 17. quæst.* 4. Quarto, quod non possit contra eum ferri sententia mortis, aut alterius pœnæ corporalis v. g. triremii, exilii &c. *cap. inter alia 6. de Immunit. Ecclesiast.* posset tamen puniri pœna pecuniaria, aut alia competente. Quinto. Quod quamdiu est in Ecclesia vel loco sacro, non possit spoliari rebus, & bonis suis, quæ secum ad Ecclesiam attulit, *ex cit. cap. Definivit &c.* Excipe: nisi hujumodi bona essent alterius, vel alteri jam fuissent prius obligata. Posset insuper spoliari armis prohibitis, si quæ secum attulit. Videantur de his Haunoldus *tom.6. tr.* 1. *a n.* 274. Delbene *de Immunit. c. 16. dub.* 48. Reiffenstuel *l.* 3. *tit.* 49. *a n.* 156. Felix potestas. *Exam. Confess. tom.* 1. *part.* 2. *a n.* 685.

Quæres octavo, quis modus sit observandus, dum agitur de extrahendo Reo e loco asyli, quo non gaudet?

512. R. Observandum esse 1. ut *nunquam fiat talis extraditio sine expressa licentia Episcopi vel ejus Officialis, ab eo auctoritatem habentis, & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis.* Ita Bulla Gregoriana. Idque verum est tametsi certo constaret, fuisse a Reo commissum tale crimen, quod asylo privet. Secundo. Casu quo tamen certo constaret de tali crimine excepto (vel si adsint indicia valde gravia, quod Reus hujusmodi crimini sit obnoxius) & Judex sæcularis extraditionem postulet, tunc tenetur Rector requisitus a curia sæculari talem Reum caute custodire, adhibito etiam Carcere, (si sit suspectus de fuga) donec ab Episcopo causa decidatur, qua contra Reum decisa extraditio debet fieri de licentia Episcopi, interventu alicujus Personæ Ecclesiasticæ, quæ Reum extradat curiæ, aut brachio sæculari. Tertio, si tamen Episcopus nollet dare licentiam extradendi notorie reum criminis excepti, vel si Rector Ecclesiæ post datam ab Episcopo licentiam tergiversaretur, posset Judex laicus nihilominus delinquentem extrahere, minori tamen, quo id fieri poterit, cum tumultu aut scandalo. Hæc omnia habentur ex Bulla Gregoriana, cui consonat Bulla Benedictina, licet in eo differat a priore, quod hæc etiam pro casu, quo non quidem omnino est certum, sed moraliter credibile, crimen esse exceptum, permittit, immo jubet extradi delinquentem Judici sæculari exigenti, modo is in forma juris valide sese obliget, ad eum Ecclesiæ restituendum, si postea diluantur indicia, ex quibus delictum apparuit exceptum. Videatur de hoc R. P. Kreislinger *in addit. post. n.* 55. *ad tr.* 12. *dist.* 2. *Theolog. mor.* R. P. Reiffenstuel, vel Holzmann *p.* 3. *tract.* 3. *n.* 536.

Quæres denique nono, quomodo peccent, & quas pœnas incurrant Violatores Immunitatis Ecclesiasticæ?

513. R. Non solum Judex, qui mandat quempiam injuste extrahi ex asylo, verum etiam Ministri extrahentes, aliique omnes ad id cooperantes 1. peccant graviter peccato sacrilegii, & insuper 2. incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, a qua non sunt absolvendi nisi prius reum restituerint Ecclesiæ vel loco, unde eum abstraxerunt. Ita *communiter Orthodoxi.* Ratio prioris habetur ex *cap. Miror. & cap. Frater. caus.* 17. *q.* 4. quia scilicet talis extractio graviter repugnat Sanctitati & reverentiæ locis sacris debitæ. Ratio posterioris petenda est ex cit. Bulla Gregor. ubi §. VIII. pœna excommunicationis ipso facto incurrenda in hujusmodi injuriosos Violatores decisa legitur. Videantur de his Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 7. *pu.* 8. *n.* 3. vel Reiffenstuel *l.* 3. *Decret. tit.* 49. *n.* 211. *& seqq.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de immunitate locali, seu Asylo.

CASUS PRIMUS.

Titius *malefactor ob plura, & enormia quidem crimina (non tamen excepta) prius quam condemnaretur, intem-*

tempesta nocte aufugit e carcere, & asyli causa confugit ad certum quoddam Monasterium. Portarius Monasterii (nescio qua de causa) repulit Titium, suasitque, ut accederet aliud Monasterium ejusdem Civitatis, magis accommodum pro facilitanda ulteriore fuga: fecit hoc Titius, sed quia ab illo altero Portario similem repulsam fuit passus; hinc tandem, ne omnino frigore (quod eo tempore erat intensissimum) necaretur, divertit ad aliquod hospitium, ubi etiam summo mane per Satellites conquisitus & inventus, denuo ad pristinum carcerem reductus fuit, multum conquestus de duritie portariorum, a quibus fuerat passus repulsam. Dubitatur jam 1. an Portarii abnegantes pauperi fugitivo gratiam asyli peccaverint, & aliquam pœnam incurrerint? 2. An Titius noster non debuerit restitui in locum asyli, quo contra suam voluntatem fuerat privatus, an vero hoc non obstante Judex potuerit contra eundem criminaliter procedere, etiam usque ad sententiam decisivam mortis &c.?

514. R. Ad primum quæsitum hujus Casus, Portarios per se loquendo graviter peccasse peccato injustitiæ simul & Sacrilegii. Ratio hujus responsionis petenda est ex dictis proxime *num.* 113. quia ut constat ex juribus allegatis, & singulariter ex *cap. Inter alia, 6. de Immun. Eccles.* Rectores Ecclesiarum (adeoque & eorum subordinati vel subditi) confugarum *vitam* & *membra* servare jubentur: ergo hoc ipso prohibitum censeri debet, aditum præcludere hujusmodi fugitivis, eosque repellere, proindeque per hujusmodi repulsam fit gravissima injuria, tum Ecclesiæ, cujus jura violantur, tum vel maxime etiam fugitivis, qui ob id non sine maximo præjudicio, fortassis etiam periculo vitæ ac fortunæ, opportuno ac debito remedio sibi per jura allegata clementer indulto privantur: at, talem injuriam fieri non posse sine gravi peccato contra virtutem justitiæ ac Religionis, de se liquet: ergo Portarii illi per se loquendo graviter deliquerunt, & incurrerunt pœnam excommunicationis latæ sententiæ secundum dicta *l. cit.* Dixi tamen: *per se loquendo*; quia minime dubitandum, quin tales Portarii utpote plerumque rudiori de plebe homines, vel saltem illiterati, subin sine scrupulo, & hoc ipso sine formali peccato gravi repellant hujusmodi homines, eo præsertim, quod experientia multoties docuerit, contigisse jam plurimas fraudes & Imposturras ab hujusmodi hominibus, qui se finxerunt fugitivos, non alio ex fine, nisi ut pacifice admissi intra mœnia claustri &c. possent deprædari hujusmodi loca Sacra: scio & ego plures hujusmodi casus satis lepidos, sed non oportet propalare hæc omnibus. Videatur Wiestner *lib.* 3. *tit.* 49. *num.* 134. *& seqq.* Haunoldus *Tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 274.

515. R. Ad alterum quæsitum, Titium nostrum, utpote contra voluntatem suam privatum, vel potius exclusum asylo, ac loco Sacro, esse ante omnia restituendum loco sacro, & illi quidem, ad quem primo confugit. Ita *communiter* Doctores. Farrinacius *in append. de Immunit. cap.* 2. *num.* 48. *& seqq.* Barbosa *lib.* 2. *J. E. V. cap.* 3. *num.* 52. Pignatelli *tom.* 1. *Consult.* 172. Ratio est: quia spoliatus ante omnia est restituendus, secundum universalem Regulam jure fundatam. *arg. c. item & c. conquerente 7. de Restit. spoliat.*, atqui per præfatam exclusionem nedum Ecclesia seu locus sacer, sed vel maxime etiam Titius fuit spoliatus suo jure: ergo &c. Confirmatur ex eo: quia secundum tenorem Bullæ Gregorianæ *irritum est & inane, quidquid contra taliter extractum, vel non admissum, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari*: ergo sine causa detineretur in alieno loco, & quisquis talem detinet, reputatur moraliter continuare injuriam Reo seu Confugæ illatam per exclusionem ab asylo, quo velut constitutus in limine loci-sacri, jam actu gaudebat: at, hæc injuria aliter compensari nequit, nisi restitutione Rei: ergo debet restitui, & quidem ad illum locum, ad quem primo confugit; quia in hoc prius aquisivit jus, & huic prius fuit illata injuria secundum dicta: ergo conveniens est, ut huic primo restituatur, & quidem publice, ut honor loco Sacro publice, ablatus, per

hujuimodi restitutionem publicam denuo resarcietur, prout in hoc casu nostro Auctoritate Episcopi factum fuisse recordor.

Dices tamen contra hanc resolutionem. Si Ecclesia titulo spolii possit petere restitutionem transfugæ, a fortiori Princeps sæcularis, e Cujus carceribus aufugit, poterit ab Ecclesia petere restitutionem delinquentis; quia & Princeps fuit per hujusmodi fugam spoliatus homine Reipublicæ pernicioso, & prius quidem, quam Ecclesia: ergo nullatenus est restituendum Ecclesiæ.

516. R. Cum P. Franc. Schmier *l. 3. Jurisprud. tr. 1. p. 3. c. 4. num. 56.* & aliis, negando illatum; quia per *cap. litteras 13. de Restit. spoliat.* hæc restitutio locum non habet, ubi fieri nequit sine periculo corporis aut animæ: at in nostro casu transfuga restitui nequit potestati sæculari sine periculo vitæ, bene vero Ecclesiæ: ergo &c. Et licet oppositum dicatur practicari in Gallia, nihilominus communis Doctorum sententia, & aliarum Provinciarum consuetudo huic refragatur; nam fuga ex carcere, aut vinculorum solutio, quæ secundum plurimorum opinionem non est peccaminosa per se loquendo, non facit ut talis fur, qui non commisit crimen exceptum, fiat indignus privilegio immunitatis. Ita Panormitanus *ad cap. Inter. 6. de Immunit. n. 32.* & Covarruv. apud Schmier *loc. cit.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius, dum certam quandam Ecclesiam depredari voluit, ab æditus inopinato superveniente deprehensus & claudendo januam Sacristiæ, captus fuit in Ecclesia, & quia a lustrantibus ejusdem crumenas & saccos diversa anathemata, catenæ argenteæ, annuli &c. &c. B. Virgini ablati deprehensi fuere, hinc pro demerito ab eodem æditus, & aliis supervenientibus iisdem denuo privatus, & ex Ecclesia confusibiliter ejectus, nil aliud, quam multa verbera reportavit: crescente interim tumultu ac clamore accurrit multitudo populi, & inter alios etiam quidam Minister justitiæ, qui Sempronium vinculis constrictum misit in Carcerem: tametsi vero Sempronius nil minus desideraverit in illa Ecclesia, quam asylum, dubitatum nihilominus postea a nonnullis Clericis fuit, an Sempronio per hujusmodi confusibilem ejectionem ex Ecclesia, non fuerit facta injuria grandis, & an Ecclesia, vel potius Rector ejusdem Ecclesiæ non teneretur eundem repetere a Judice sæculari, restituendum denuo loco Sacro, unde fuerat ejectus. Quid ad hanc quæstionem respondebit Theologus?

517. R. Per talem confusibilem ejectionem nec furi Sempronio, neque etiam Ecclesiæ fuisse factam injuriam; non Ecclesiæ, quia hæc nullatenus intendit fovere illos, qui actu nituntur violare jura Ecclesiæ, prout colligere licet ex *argum. c. fin. de Immunit. Eccles.* ubi habetur, quod *frustra legis auxilium invocat, qui delinquit in legem*: ergo etiam frustra ab Ecclesia defensionem exspectat, qui actu jura Ecclesiæ violat: quin potius reverentia Ecclesiæ debita postulat, ut hujusmodi injuriosi aggressores vi expellantur per *can. de Raptoribus. 3. Caus. 36. qu. 1.* & *c. Inter alia, de Immunitat.* Neque etiam furi Sempronio; tum quia huic nullum competiit jus aggrediendi, seu deprædandi Ecclesiam; tum præsertim, quia æorituo ceu Custodi Ecclesiæ ex justitia incumbit defendere Ecclesiam, seu res Ecclesiæ, suæ Curæ commissas: ergo etiam de jure tenetur ac potest repellere hujusmodi injustum aggressorem seu furem; tum denique quia vim vi repellere, omnes leges, omniaque jura permittunt *l. scientiam 45. §. Qui cum aliter, ff. ad leg. Aquil. Argum. c. si vero 3. de sent. Excomm.* ergo Sempronius juste fuit passus hanc repulsam.

Quod vero ejectus inciderit in manus justitiæ, per accidens est: neque tenebatur Ecclesia hoc impedire.

Major tamen controversia movetur, utrum talis fur sacrilegus gaudeat immunitate Ecclesiastica, ita, ut a Ministris justitiæ contra suam voluntatem inde non possit extrahi, vel violenter extractus debeat Ecclesiæ restitui? Quocirca gravissimi Doctores, ut Fagnanus, Gratianus, Delbene, Pirhing, Pignatelli, & alii plures, quos refert & sequitur P. Pichler *in suo Jure Canon.*

pra-

practice explicat l. 3. tit. 49. existimant probabilius, talem furem sine injuria & violatione immunitatis Ecclesiasticæ extrahi non posse contra suam voluntatem; id, quod pluribus probare nituntur; potissima vero Ratio hujus videtur: quia Gregorius XIV. in sua Bulla. *Cum alias*, jam sæpius allegata, non nisi octo crimina asylo privantia excepit, addens expresse & declarans, nullum aliud crimen, etsi æquipolleat aliis in jure expressis, vel adsit *paritas, identitas*, aut *majoritas rationis*, privare hoc jure asyli; quin insuper prohibet, ex aliis etiam *urgentissimis* ac *necessariis causis* extensionem fieri ad alia crimina a se non excepta, immo aufert omnem *aliter judicandi* & interpretandi facultatem: atqui inter octo crimina non reperitur furtum in Ecclesia commissum; quia de hoc ne unico quidem verbulo fit mentio; sed solum de homicidio, aut mutilatione Membrorum in Ecclesia commissa &c. ergo propter furtum in Ecclesia commissum non potuit fur privari asylo &c. nec ejici ex Ecclesia sine gravi hujus injuria. Accedit, quod odiosa semper sint restringenda, favores vero extendendi per *Reg. 15. J. in 6.* atqui memorata lex, in quantum malefactores privat jure asyli, est odiosa; e contra in quantum concedit immunitatem, favorabilis tum Ecclesiæ, tum etiam delinquentibus: ergo nullatenus est extendenda ad casum furti in Ecclesia commissi, sed potius in favorem Ecclesiæ & ipsius delinquentis decidendum: ac per consequens dicendum, quod Ecclesiæ Rector vel Episcopus teneantur a Judice sæculari hujusmodi delinquentem repetere, restituendum loco Sacro, unde fuit confusibiliter ejectus. Ita *DD. cit.*

518. Oppositam tamen sententiam velut probabilem defendunt Decianus, Boerius, & alii relati a Farinacio *de Carceribus q. 28. n. 246.* quibus accedunt Covarruv. Suarez, & alii multi cum Laymanno *lib. 4. tr. 9. cap. 3. n. 6.* eamque plausibiliter in publica disputatione Ingolstadii 1727. fuisse defensam a Magnifico Domino Anton. de Chlingensperg, testatur idem P. Pichler *loc. cit.* fundatur hæc sententia in eo potissimum; quia præcipua & unica ratio, ob quam Gregorius Pontifex homicidas & mutilatores membrorum in Ecclesia voluit esse privatos asylo, fuit, quod tales videantur spe immunitatis deliquisse, veluti colligitur etiam ex *cap. fin. h. tit.* neque enim homicidium vel mutilatio membrorum ratione sui fuerunt excepta, sed quia in Ecclesia sub spe immunitatis supponuntur facta, vel fieri: atqui eadem ratio est de furto in Ecclesia commisso: ergo &c.

Confirmatur amplius ex eo; quia si furantes in Ecclesia gauderent immunitate Ecclesiastica, hoc daret ansam, & quasi incitamentum malignis hominibus furandi in Ecclesia; sic enim secum ratiocinari possent sacrilegi fures: vel deprehendar in furto, vel non? si non: habebo meum intentum, & ditescam secure ex bonis Ecclesiæ: si autem deprehendar, prætendam privilegium immunitatis, & sic puniri non potero, immo libenter me dimittent, ne Ecclesia cogatur me alere non sine magnis expensis, & incommoditate &c. at, non videtur fuisse mens Ecclesiæ, per hanc immunitatem fovere hujusmodi fures, & gravare Ecclesiam: ergo &c. &c.

Ex his, aliisque rationibus hæc sententia videtur probabilis, quæ posset Episcopo vel Rectori Ecclesiæ servire in tantum, ut si prævideret, hujusmodi furem sine magnis offensis aut tricis repeti non posse, eo facilius persuaderi valeat ad dissimulandam, seu intermittendam repetitionem furis ad locum sacrum.

Sed quid, si talis asylans in loco sacro v. g. Monasterio pergeret furari, vel aliis insolentiis turbare Communitatem, teneretur ne nihilominus Rector Ecclesiæ illum conservare in loco asyli?

519. R. Quod non, sed posset tuta conscientia expelli, si monitus nolit se emendare, & desistere a similibus. Ita cum Delbene La Croix *l. 4. n. 1696.* item Sanchez, Salmanticenses, & Pelizarius, quos citat & sequitur noster Holzmann. *l. cit. n. 555.* Ratio est: quia hoc est privilegium locale, seu loco concessum: *quod* autem *ob gratiam ali-*

cujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. juxta *Reg.61. J. in sexto*: cum ergo Rector Ecclesiæ teneatur ex jure naturali, servare propriam habitationem, ac pacem communitatis, debet hæc obligatio præterri juri Ecclesiastico de immunitate &c. deinde per Bullam Gregorianam illi duntaxat excommunicantur, qui *temere* ac *dolose* reos ex asylo expellunt: at, in nostro casu non expelleretur temere (nam agere temere est agere sive rationabili causa *l. eum qui temere. ff. de re judic.*) neque dolose (dolo enim agere dicitur, qui malo animo operatur *l. dolo ff. de dolo*) ergo &c.

CASUS TERTIUS.

CAjus miles dum debuisset cum aliis proficisci in Hungariam pugnaturus contra Turcas, in itinere clam auffugit, divenditoque equo suo & armis Patriam repetit, haud multo post Dux per speciales litteras ad Prætorem ejusdem loci datas, postulavit, ut fugitivum desertorem restitueret exercitui unde defecerat; quod, ubi Cajus a bono quodam amico inaudiit, clam secessit in certum quoddam Canonicorum Collegium, asyli causa. Prætor hoc rescieus eundem prosecutus fuit armata manu, sed quia fugitivus jamjam intraverat Monasterium, hinc a Præposito postulavit extraditionem ejus, minitando graviora mala Religiosis inferenda, nisi illico redderetur. Quæritur jam, an tuta conscientia talis fugitivus possit extradi, vel quid agendum in hujusmodi circumstantiis ac pressuris?

520. R. Ad hunc Casum valde practicum 1. Cajum a Præposito extradi non posse, nisi 2. Capitaneus vel Prætor nomine ipsius præstet juramentum de servando Cajo impune quo ad vitam ac membra. Ratio prioris est: quia crimen infidelitatis, seu desertionis, vel etiam furti &c. simplicis (quale Cajus commisit) non est unum ex octo mox supra *n.* 507. recensitis, jure asyli privantibus: ergo Cajus gaudet jure asyli, quo contra voluntatem suam a nullo Prælato Pontifice inferiore privari potest. Ratio autem posterioris deducitur ex *cap. Inter alia de Imm. Eccl.* ubi Innocentius III. hac super re consultus, legitur Regi Scotiæ rescripsisse in hæc verba: *si servus confugerit ad Ecclesiam, postquam de impunitate sua Dominus ejus Clericis juramentum præstiterit, ad servitium Domini sui redire compellitur, etiam invitus; alioquin a Domino poterit occupari.* Similia habentur *can. Metuentes* 32. *can. Id constituimus* 36. *C.* 17 *q.* 4. & *l. præsenti* 6. §. 5. *C. de his, qui ad E. Conf.* ergo etiam in nostro Casu Cujus extradi potest, si Dux, vel loco hujus Prætor præstiterit juramentum; secus non. Hinc Doctores communiter monent, servos (quales etiam reputantur Milites) ad Ecclesias confugientes a Prælatis Ecclesiasticis non esse restituendos, nisi juratoria, a iave Cautione (utputa interposita fide Nobilium) idonea præstita. Videatur W~~eftner~~ *l.* 3. *tit.* 49. *n.* 84. vel Haunoldus *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 166.

Sed quid, si talis Dux aut Prætor nolint juratam præstare cautionem de impunitate delinquentis, simulque gravia minitentur incommoda Monasterii superioribus, nisi quantocyus criminosum desertorem extradant, prout aliquoties præsertim, ab Acatholicis factum fuisse comperimus?

521. R. His stantibus poterit Prælatus permittere, ut eripiatur asylans violenter e loco sacro (non tamen eum positive extradere) tacta prius sollenni protestatione contra hujusmodi violentiam, & injuriam Ecclesiæ inferendam. Ratio est: quia his suppositis facit, quantum moraliter potest pro tuenda Ecclesiastica libertate, cujus violationem moraliter impedire non potest: sane nec tenetur cum tanto sui, suorumque periculo defendere Ecclesiæ jura; quia ad impossibile nemo tenetur. Videmus profecto quo ad hoc punctum multa dissimulari a Prælatis Majoribus, quibus præprimis incumbit stare pro Ecclesia, & hujus jura manu tenere: si ergo hi ob evitanda majora mala, & moralem impossibilitatem tuendi Ecclesiasticam libertatem similia dissimulare possint tuta concientia: quidni idem possit Prelatus inferior, cui naturali jure incumbit suæ, suorumque saluti præprimis consulere?

Dices

Dices adhuc : sed quid agendum in casu, quo Miles recens conscriptus priusquam juramentum fidelitatis deposuit, confugiat ad Monasterium asyli causa, e contra vero a Ducibus suis repetitur instanter a Superiore Monasterii ?

522. R. Tales possunt, immo debent restitui, modo Dux præstando juramentum de impunitate (id est, de non infligenda morte, vel æquivalente, vel alia gravi pœna) Superiorem certum reddat : neque etiam erit tam grande periculum inferendi pœnam tam gravem, quando tales nondum deposuerunt juramentum fidelitatis; quia, nisi alia gravia crimina perpetraverint, ex eo solum, quod quærant se ab onere liberare ac subducere, ad pœnam corporalem gravem condemnari non possunt, præsertim si ad dandum nomen militiæ fuere coacti, aut ab aliis fraudulenter v. g. in crapula vel ebrietate inducti, uti frequenter accidit. Ratio autem quod tales Ducibus (præstito juramento) reddi debeant est hæc : quia milites personaliter sunt adstricti Ducibus sicut servi Dominis : quemadmodum ergo servi a suis Dominis aufugientes reddi debent iisdem, ubi abest periculum, ne ob grave delictum tradantur Judici ; ita & milites restitui debeat Ducibus suis ; secus ab his poterunt occupari *argum. cit. c. 6. in fine*. Videatur Pichler *in Candid. abbrev. hoc tit. n.* 4.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

523. Colliges ex hactenus dictis primo, etiam illum gaudere asylo, qui forte e manibus satellitum elapsus confugit ad Sacerdotem portantem Eucharistiam extra Ecclesiam v. g. ad infirmum. Ita *communior DD.* sententia. La Croix *cit. loc.* Bockhn *ubi supra n.* 14. Engel *l.* 3. *tit.* 49. *n.* 12. & alii.

Ratio est : quia si Ecclesiis propter Venerabile Sacramentum & celebrationem Divinorum fuit concessum privilegium asyli, a fortiori concessum censeri debet ipsi Vener. Sacramento ; nam *propter quod unumquodque tale, illud magis tale*. Et certe non cum minori irreverentia aliquis per lictores a Venerabili, quam ab Ecclesia abstraheretur.

Neque necessum est, ut confugiens tangat ipsum Sacerdotem, vel vestes sacerdotales, aut hastam baldachini, sed sufficit, si sese associet personis comitantibus Eucharistiam ; quia cum his unam quasi Ecclesiam constituit.

Dices : ergo pariter gaudebit asylo & immunitate, qui jamjam ad mortis supplicium condemnatus, apprehendit vestimenta Sacerdotis, dum in Carcere SS. Eucharistiæ Sacramento velut ultimo Viatico munitur.

523. R. Cum Covarruv. Reiffenstuel *l.* 3. *decret. tit.* 49. *n.* 50. nostro Kazenberger *in supplem. Theolog. decal.* P. Sporer *c.* 2. *sect.* 2. *n.* 86. & aliis negando illatum ; tum quia hoc non habet consuetudo, bene vero illud prius ; tum quia, ut ait Barbosa, Captivus non potest fugere ad Ecclesiam ; consequenter nec ad Eucharistiæ Sacramentum. Et certe si hoc semel ab Ecclesia approbaretur, quivis reus (inter Catholicos saltem) hoc medium amplecteretur in ordine ad evadendam mortem, vel aliam pœnam æquivalentem, & per consequens criminosi deberent manere impuniti, vel certe privati hoc ultimo Viatico ad felicem transitum salubriter instituto ; quod Ecclesia nunquam permittet. Ob eandem rationem non gaudet asylo, qui vinctus per locum sacrum (alia via non accommoda) deducitur ad mortis supplicium. Ut tradit Peregrinus, Diana, & alii apud nostrum Kazenberger *cit. n.* 89.

525. Colliges secundo, hoc immunitatis privilegio gaudere posse 1. Adulteros. 2. Sodomitas, 3. Bestiarios, 4. Bannitos, 5. illos etiam, qui propter contracta debita civilia incarcerandi aut gravius puniendi &c. fugiunt asyli causa ad Ecclesiam. Ratio horum facile erui potest ex dictis *num.* 507. quia scilicet hæc crimina non fuerunt excepta, neque in Bulla Gregoriana, neque in Benedictina superius allegata. Idipsum ob eandem rationem tenendum de iis, qui in Ecclesia quempiam percu-

percusserunt vel vulnerarunt graviter, sed absque homicidio vel mutilatione inde secuta.

Sed quid, ais, si dubium oriatur, sitne crimen exceptum & privans asylo, nec ne?

526. R. In hoc casu cognitionem causæ pertinere ad solum Episcopum, unde hujusmodi Reus ante hujusmodi disquisitionem vel decisionem causæ conservari debet in loco asyli, neque potest extradi curiæ sæculari; nam ita habetur expresse decisum in Constitutione Gregoriana. Et licet jam prius, antequam Reus ad Ecclesiam confugerit, processus plenus fuisset formatus a Judice laico, non tamen tenetur, immo nec potest simpliciter statim huic acquiescere Judex Ecclesiasticus, nisi ex ordine processus certo cognoverit, nil deesse ejus perfectioni ac fidei; quo casu posset suo quoque judicio accedere, prout respondisse fertur S. Congregatio Episcoporum *in una Papiensi* 16. *Octobr.* 1595. Vid. Bockhn *cit. n.* 24.

Petes adhuc, quid agendum, casu quo fœmina confugit ad Monasterium vel Ecclesiam Virorum, aut vice versa Vir ad Monasterium fœminarum asyli causa?

527. R. Si Vir alibi tuto latere nequeat, nisi in Monasterio fœminarum, aut fœmina, nisi in Monasterio Virorum &c. equidem tuta conscientia illud ingredi possent; quia jus tuendi vitam, aut vitandi grave incommodum, censentur prævalere legi Ecclesiasticæ, vel saltem licitum reddere talem ingressum. Oporteret tamen hujusmodi personas potius in Ecclesia vel Sacristia, vel in alio loco a Communitate sequestrato collocari. Et quia indecens est, ut Vir stabiliter habitet in Monasterio Monialium, aut vice versa fœmina in Monasterio Religiosorum; hinc omnimodis laborandum erit, ut hujusmodi invisi hospites quantocyus ad alium convenientiorem, securum tamen, locum, transferantur, prout sapienter monent Pellizarius, Kazenberger, Kerckove *in statut. nostra Gener.* c. 5. §. 8. *n.* 53. & alii.

528. Colliges pro praxi tertio, casu quo quis recurrit ad Ecclesiam, & postulat asylum, a Superiore vel Rectore Ecclesiæ bene attendendum esse ad duo, scil. 1. ad qualitatem personæ, 2. ad qualitatem criminis, an scil. hoc sit unum de exceptis, vel non. Ratio prioris est: quia si non attendat ad qualitatem personæ, poterit facile decipi ac prostitui. Itaque si talis homo non sit antecedenter notus, oportebit eum ponere in loco securo, & diligenter examinare 1. quis sit? 2. unde venerit? 3. ubi, vel quomodo hoc vel illud delictum perpetraverit? an 4. in præsentia aliorum? 5. an constet, quod huc confugerit asyli causa? &c. Quod si talis homo depræhendatur suspectus in aliquo, non illico repellendus erit, sed potius in aliqua Camera recludendus, aut certe vigili oculo custodiendus usque dum pleniori indagine de veritate rei evidentius constiterit: nullatenus vero permittendum ut libere hinc inde vagetur intra septa claustri; nam sæpius contigit, quod tales Nebulones finxerint se commisisse delictum, propterea que asylum quærere, eo duntaxat fine, ut postea possent deprædari Monasterium, vel Superioribus alio modo fraudulenter imponere, prout scio, quandam Monialium nostræ Provinciæ Superiorissam ob nimiam credulitatem fuisse a quodam insigniter deceptam.

Ratio autem posterioris est: quia si crimen non sit exceptum, tenebitur illum servare intra limites loci sacri, si autem supponatur exceptum, non poterit illi promittere securitatem. Supposito igitur, quod certo constet, crimen illud esse unum de exceptis, vel certe de hoc rationabiliter dubitare liceat; tunc.

529. Colliges ex his quarto, idipsum intimandum esse delinquenti, atque bello modo suadendum, ut sibi opportuna fuga consulat, priusquam Monasterium vigilibus circumdetur, vel a Magistratu repetatur, certo certius extradendus fortassis non sine periculo vitæ: & hoc vel maxime observandum, quando ad aliquod Monasterium recurrit persona diversi sexus, prout mox supra monuimus; quandoquidem tales sine maximis incommoditatibus & periculis conservari nequeant, prout multiplex ex-

pe-

perientia ad nauseam usque docuit. Ratio horum est: quia prudentia & charitas suadent, ut talis Rector aut Superior tam delinquentis, quam suo ac suorum commodo consulat, modo, quo fieri potest, meliore: at, melius consulet asylanti, si huic veritatem candide aperiat; faciliori quippe negotio hic evadet prius, quam Monasterium omni ex parte fuerit Custodibus circumvallatum, quam postea: consulet insuper hoc modo proprio bono &c. &c.

530. Colliges quinto, etiam in casu, quo constat, crimen exceptum fuisse commissum, rem non illico deferendam esse ad Episcopum; quia fortassis non constat, Reum confugisse ad hunc locum; vel etiamsi de hoc constaret, fortassis ex aliis rationibus Magistratus sæcularis non postulabit Reum. Cum primum tamen Rector Ecclesiæ vel Superior etiam Regularis fuerit a Magistratu aut Principe sæculari requisitus, ut Confugam extradat, oportebit, ut quantocyus Episcopum de hoc certiorem reddat; quia ad hunc solum spectat, de qualitate Criminis ferre censuram, & Reum extradere, si fuerit inventus non gaudere privilegio asyli. Videatur de his P. Reiffenstuel *l.* 3. *decret. tit.* 49. *n.* 190. & 191. Kazenbenger *ubi supra sect.* 2. *n.* 91.

531. Colliges sexto, hujusmodi asylantibus fieri posse magnam injuriam, non solum si vi extrahantur, verum etiam si fraudulentis persuasionibus technis aut dolis moveantur ad egrediendum; quia talis persuasio aut dolus redundat in grave damnum delinquentis; hinc putant Felix Potestas *in Exam. Confess. tom.* 1. *p.* 2. *c.* 3. *num.* 699. & alii plures, etiam per hujusmodi dolum vel dolosam persuasionem extractum esse restituendum Ecclesiæ; quod posterius tamen Suarez, Farinacius, Palao *pu.* 11. *n.* 3. & alii melius negant; eo quod sola violenta extractio specialiter prohibeatur, & repugnet immunitati Ecclesiasticæ: at, qui dolose persuasus sponte exit, dici nequit violenter extractus: ergo. Si tamen Judex punitionis immunitatem promittat, & delinquens sub hac promissione exierit, Azorius, Farinacius, Navarrus, Palao *l. cit.* & alii merito dicunt, esse restituendum Ecclesiæ; quia talis supponitur non aliter cessisse huic privilegio immunitatis, nisi sub conditione securitatis, seu immunitatis a Judice sibi promissæ.

532. Colliges tandem septimo, immunitatem Ecclesiæ violari non solum per violentam extractionem Personarum, sed etiam rerum & bonorum: liquet hoc ex *can. sicut antiquitus* 6. *Caus.* 17. *quæst.* 4. ubi dicitur: *qui personam, vel bona ejus inde* (id est, e loco asyli) *subtraxerit, quousque emendet, &, quod rapuerit, reddat, excommunicetur*. Hinc etiam injuste extrahentes tenentur compensare omnia damna, quæ taliter extracto vel hæredibus ejus intulere, vel in persona, vel in bonis propriis; omnis quippe injuste damnificans tenetur resarcire damnum illatum. Dixi: *in bonis propriis* illata; nam si secum attulisset bona aliena v. g. arma, pecuniam &c. vel alia in præjudicium aliorum v. g. creditorum redundantia, tunc ad instantiam Magistratus, auctoritate Episcopi (non tamen alterius Principis sæcularis) forent consignanda Judici sæculari, ut creditoribus extradantur; ita enim habetur tum ex Constitutione Gregoriana, tum etiam ex declaratione S. Congregat. Episcop. *in una Barensi* 12. *Martii* 1600. teste *Felice Potestate n.* 674. Videantur de his Reiffenstuel ubi supra *num.* 210. vel Laymann *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *num.* 14.

CONFERENTIA

DECIMA SEXTA.

De Immunitate personali & reali.

SUMMARIUM.

533. *Nomine Immunitatis personalis intelligitur exemptio Personæ Ecclesiasticæ a jurisdictione sæcularium.*

534. *Quinam hic veniant nomine Clericorum?*

535. *Et quinam nomine Personarum Ecclesiasticarum.*
536. *In quo consistat Immunitas realis.*
537. *Onera a quibus Ecclesiastici eximuntur, alia sunt mere personalia, alia mere realia, & alia mixta.*
538. *Datur etiam triplex genus bonorum Ecclesiasticorum.*
539. *Bona Clericorum etiam patrimonialia sunt exempta ab oneribus sæcularium, quæ vi jurisdictionis imponuntur.*
540. *Non item ab illis, quæ imponuntur titulo dominii particularis in ejusmodi bona.*
541. *Neque ab illis, quæ jam fuere imposita hujusmodi bonis, prius, quam hæc in dominium Ecclesiæ fuerant translata.*
542. *Possunt subin Principes sæculares Ecclesiasticis imponere onera v. g. tributa &c. sed non, nisi subsistentibus certis quibusdam conditionibus.*
543. *Præsertim quando id exigit necessitas publica.*
544. *Resolvitur Casus I. de quodam Clerico, ab Apparitoribus visitato, an non penes se portaret tabacum.*
545. *Solvitur quædam instantia contra resolutionem hujus casus.*
346. *Nec obstat, quod subin ab uno vel altero contigerit fraus circa pedagia, vel gabellas, &c.*
547. *Resolvitur Casus II. de quodam Parocho, e cujus area frumentum fuerat violenter abstractum.*
548. *Hinc hujusmodi Apparitores probabilius inciderunt in excommunicationem majorem.*
549. *A qua minime excusat contraria praxis iniqua.*
550. *Resolvitur Casus III. de quodam Apostata Religioso, quem Princeps voluit restituere Religioni, sed cum onere refundendi omnes expensas in carceribus intuitu ejusdem Religiosi factas.*
551. *Hunc tenebatur Princeps restituere gratis, posteaquem certo constitit, eum esse Religiosum.*
552. *Non item quamdiu de statu Religioso exstitit dubitatum.*
553. *An Clericus sine habitu & tonsura deprehensus amittat privilegium immunitatis Ecclesiasticæ.*
554. *Parochus vel Beneficiatus vendens fructus e suo Beneficio perceptos, non tenetur solvere gabellas.*
555. *Neque propterea dici debet Negotiator.*
556. *Nec tenentur Clerici solvere accisas pro vino, Serevisia &c.*
557. *Si tamen alteri non excepto cooperentur ad defraudandum gabellas &c. peccant.*
558. *Vel si assumat habitum aut tonsuram Clericalem præcise ex fine defraudandi gabellas &c.*
559. *Clericus coram tribunali laico conveniri nequit.*
560. *Si tamen delinquat cum persona laica, potest hæc conveniri coram Judice sæculari.*
561. *In certis quibusdam circumstantiis, Laicis licet capere Clericum, Judici Ecclesiastico præsentandum.*
562. *Non tamen potest puniri a Judice laico.*
563. *Satisfit cuidam objectioni in contrarium.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de Immunitate Personali & reali.

QUæres primo, quid intelligatur nomine Immunitatis personalis?

533. R. Intelligitur jus seu privilegium, vi cujus personæ Ecclesiasticæ ab omni jurisdictione & superioritate potestatis sæcularis liberæ habentur. Ita Bockhn *cit. n.* 26. & in re *alii DD. communiter*. Porro hanc Immunitatem seu exemptionem personis Ecclesiasticis jure divino competere, monstrant Canonistæ communiter, ubi agunt *de foro competente*. Et quod jure humano sint exempti a jurisdictione sæcularium, nec non ab aliis sæcularium publicis functionibus aut muneribus, vel potius gravaminibus, constat ex jure Ecclesiastico *tot. tit. de Immunit. Eccles.* &c. &c. præcipue vero ex *Bulla Cænæ* §. 18. vi cujus etiam Principes imperiali vel Regali dignitate fulgentes vinculo excommunicationis innodantur, si præsumant Clericos sibi subjicere &c. &c. Jam

Quæres secundo, quinam hic veniant nomi-

nomine Clericorum, & quinam nomine personarum Ecclesiasticarum?

534. R. 1. Nomine Clericorum veniunt omnes, nedum Sacris seu *Majoribus*, sed etiam *minoribus* Ordinibus, immo & prima tonsura initiati, modo hi sint præditi conditionibus a Concilio Tridentino requisitis *SS.* 23. *de Reform. c.* 6. scilicet, *ut beneficium Ecclesiasticum habeant, aut clericalem habitum & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel Universitate de licentia Episcopi quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versentur.* Ita Trident. *loc. cit.*

535. R. secundo. Nomine personarum Ecclesiasticarum veniunt personæ ad cultum divinum specialiter deputatæ; quales censentur omnes Regulares utriusque sexus, cujuscunque Religionis a sede Apostolica approbatæ, non tantum professi, sed etiam Novitii ac Novitiæ; quia cum versemur in hac materia favorabili, hinc debet late interpretari, & nedum ad Professos, sed & ad Novitios extendi, prout habet *communis Doctorum*, signanter Pirhing, Barbosa *l.* 1. *J. E. U. c.* 39. § 1. *n.* 21. Laymann *l.* 4. *c.* 7. *n.* 1. veniunt insuper hoc nomine fratres & sorores tertii Ordinis S. Dominici, & S. Francisci, collegialiter vel cum claustralibus viventes, habitumque gestantes, esto etiam Claustrales non sint, neque vota substantialia emiserint, modo mulieres tales emiserint votum simplex castitatis. Secus tamen dicendum est de illis Tertiariis, qui, vel quæ dispersim & in propriis domibus vivunt; quia tales accensentur personis sæcularibus *ex Constitut. Leonis X. dum intra* 22. *edita* in Concilio Lateranensi, prout videre licet apud KerKhove *super statut. nostra General. c.* 7. §. 25. *n.* 9. *& seqq.* Holzmann *part.* 3. *tr.* 3. *n.* 503.

Quæres tertio, quidnam intelligatur per Immunitatem realem?

536. R. Intelligitur jus seu privilegium concessum rebus Ecclesiarum & Clericorum, vi cujus a censu, tributis & aliis præstationibus, a potestate sæculari imponi solitis, immunes redduntur. Ita *in re communissime* omnes Theologi, Canonistæ ac Juris Consulti Catholici. Et quod talis exemptio præfatis personis competat jure humano positivo, certum atque exploratum habetur ex *cap. Non minus de Immun. Eccles.* ubi etiam laici, collectas Clericis vel Ecclesiis imponentes, aut jurisdictionem in eos usurpantes, si moniti non desistant, una cum fautoribus suis ipso facto excommunicantur. Quod insuper sit fundata in jure divino, habetur *ex cap. quamquam* 4. *de cens. in sexto* expressum sequentibus verbis: *cum igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ ac res ipsarum non solum jure humano, quin immo & divino a sæcularium personarum exactionibus sint immunes*: id ipsum habetur ex Concil. *Trident. SS.* 25. *c.* 20. *de Reform.* Et ratio est: quia adimere alicui jus proprietatis (imponendo scilicet hujusmodi onera) supponit potestatem jurisdictionis in illum, cui adimitur, juxta illud *Rom.* 13. *necessitate subditi estote, ideo enim & tributa præstatis*: atqui Magistratus & Principes sæculares non habent potestatem jurisdictionis in Clericos; quia cum hi sint Patres ac Pastores Principum ac Magistratuum sæcularium, non convenit, ut ipsis velut ovibus subjiciantur: ergo &c.

Ergone, inquies, omnia bona Clericorum sunt exempta a communibus oneribus sæcularium, utputa Accisis, Vectigalibus, Portatoriis, &c. &c.

537. Ante resolutionem hujus Quæstionis Notandum est primo, dari triplex genus onerum, quæ communiter imponi solent laicis; alia quippe sunt *mere personalia*, uti sunt census personales, seu capitatio Kopff-Steuer / angariæ & parangariæ, seu operæ vulgo Schawerck / Frondienst / nec non ire ad bellum, agere vigilias &c. &c. Alia sunt *mere realia*, quæ ipsis rebus v. g. agris, vineis, fundis, domibus &c. &c. imponuntur sine respectu ad Personas ea possidentes, uti sunt tributa, & contributiones ordinariæ, vulgo Ordinari Steuer und Anlagen zc. item *Accisæ* Aufschläg, quæ imponuntur rebus usu consumptibilibus vendendis v. g. car-

carnibus, vino, cerevisiæ &c. &c. nec non *Indebita* Umgeld quando scilicet ultra accisas seu gabellas pecuniarias de potulentis, utputa vino vel cerevisia certa quantitas v. g. de singulis urnis 6. mensuræ Magistratui, vel Principi pendenda imponitur.

Alia denique appellantur *onera mixta*, quæ scilicet vel exigunt laborem personalem simul & sumptus, uti ire ad Bellum, & militare propriis stipendiis vel expensis vel imponuntur subditis cum respectu ad ipsorum bona, veluti redditus annui personis immediate, rebus vero mediate imponi solent, vocanturque collectæ, & contributiones extraordinariæ, außerordentliche Steueren une Anlagen &c.

538. Notandum est secundo, similiter dari triplex genus bonorum Ecclesiæ, seu etiam personarum Ecclesiasticarum. Primi generis sunt ipsæmet Ecclesiæ materiales, cum cæmeteriis, item vestes seu Paramenta Ecclesiastica, vasa Sacra, & alia instrumenta ad cultum Dei dedicata vel consecrata: hæc vero bona ab omnibus sæcularibus oneribus & tributis esse immunia, apud omnes in confesso est, & habetur ex *cap. Non minus* 4. *de Immunit. Eccles.*

Secundi generis bona sunt bona Ecclesiæ tum mobilia, tum etiam immobilia, quæ licet consecrata non sint, sunt tamen a fundatoribus, aliisve fidelibus Ecclesiæ oblata, & eo fine donata, ut per Prælatos Ecclesiarum in pios usus, utputa in ornatum aut conservationem Ecclesiæ, vel Ministrorum ejus, pauperumque sustentationem impendantur. Et hæc pariter sunt ab omni onere laicali immunia ex *cap. Sancitum* 1. *de Censibus*. Tertii denique generis bona sunt illa, quæ ad Ecclesiam & Ecclesiasticas personas pervenerunt aliis titulis v. g. hæreditate, arte, labore manuali, alio-ve quocunque demum titulo temporali; & de his potissimum, maxime vero de patrimonialibus Clericorum bonis intelligi debet dubium propositum. His prænotatis

539. R. Jam. Tam bona Ecclesiæ, quam Ecclesiasticorum (etiam patrimonialia) sunt exempta ab illis oneribus realibus & mixtis, quæ titulo jurisdictionis de novo imponuntur a Principibus vel Magistratibus laicis. Ita *communissime* omnes Orthodoxi. Barbosa *l.* 1. *J. E. V. c.* 39. *§.* 5. *n.* 6. Laymann *l.* 9. *tr.* 9. *c.* 6. *n.* 9. Reiffenstuel *l.* 3. *tit.* 49. *a num.* 227. Engel *eod. tit. n.* 24. BocKhn. *n.* 33. Pichler *in Candid. abbrev. eod. tit. n.* 10. Ratio hujus exemptionis patet ex jure Canon. *cap. Non minus* 4. *h. t. c. Quamquam* 4. *de cens.* ex Trident. *SS.* 25. *de Reform. c.* 20. ex *Bulla Cœna* §. 18. item ex Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex* 5. *Junii* 1641. Idipsum habetur in jure civil. *Auth. Item nulla C. de Episc. & Cler. ibi: Item nulla communitas vel persona publica vel privata collectas, vel exactiones, angarias vel Ecclesiis vel aliis piis locis aut Ecclesiasticis personis imponere, aut invadere bona Ecclesiastica præsumat, quod, si fecerit, & requisiti ab Ecclesia vel Imperio contempserint, triplum refundant, & nihilominus bona imperiali banno subjaceant; quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur.*

Accedit insuper ratio hujus exemptionis; quia hæc bona sunt *res Domini: accessorium* etiam *naturam sequi congruit Principalis* juxta *Reg.* 42. *J. in sexto* & *magis dignum trahit ad se minus dignum arg. cap. quod in dubiis de consecrat. Eccles:* atqui bona Clericorum etiam patrimonialia vel labore, arte &c. comparata sunt quid accessorium ad personas Ecclesiasticas, simulque personæ multo digniores sunt rebus ad se pertinentibus: ergo cum personæ gaudeant exemptione ab oneribus, dicendum, quod etiam earum bona gaudeant. Huc collimat illa *L. Quæ Religiosis* 43. *de Rei vendicat* qua dicitur: *quæ Religiosis adhærent, religiosa sunt.*

540. Dixi autem signanter 1. *ab oneribus realibus, quæ titulo jurisdictionis imponuntur;* nam secus est dicendum 1. si quid petatur *titulo dominii particularis in ejusmodi bona*; utputa si Ecclesia vel persona Ecclesiastica a sæcularibus acquirat rem feudalem vel emphyteuticam, tenebitur ad onera feudi, vel ad canonem emphyteuticum, laudemium; quia res transit cum suo onere reali *c. Ex litteris* 5. *de pignioribus*. Aut 2. si injungan-

gantur *titulo pacti*, *vel reservationis*; ut si quis Sæcularium donet aut vendat Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ prædium, cum reservatione pensionis, vel annuatim, vel pro casu necessitatis sibi solvendæ; cum enim quilibet possit disponere de re sua, hanc transferendo in alium cum, vel sine onere, hinc etiam Ecclesia tenebitur ad portandum hujusmodi onus, si non aliter rem accepit, approbante id ipsum Ecclesia *c. verum* 4. *de condit. appos.* & *c. cum dilecti de donationib.* Tertio demum ubi a Republica fiunt quædam opera publica, e quibus Clerici referunt privatum & particulare commodum, ut si fiat reparatio viarum, aut ripæ, fluminis, quod alias agrum adiacentem alicujus Ecclesiæ aut Clerici inundasset &c. tum pro rata commodi juxta æstimationem superioris Ecclesiastici conferre tenentur Ecclesia aut Clericus, prout pluries declaratum existit a Sacra Congregatione *in una Anconitana* 16. *Julii* 1627. & *in una lucensi* 4. *Augusti* 1654. teste P. BocKhn *l. cit. n.* 35. *ad IV.*

541. Dixi secundo *ab oneribus, quæ de novo imponuntur*; novis etenim tributis, collectis, vel exactionibus bona Ecclesiarum, vel personarum Ecclesiasticarum onerari non posse a laicis, evincit ratio nostra mox superius data; quia hæc supponunt potestatem jurisdictionis in Clericos & Ecclesias; quæ tamen laicis certe non competit. Nihilominus si hujusmodi onera fuerunt a laicis titulo jurisdictionis stabiliter imposita talibus bonis, prius quam hæc ad Ecclesiam vel personas Ecclesiasticas fuere devoluta, probabilius existimo cum WagnerecK, Engel, Pichler & aliis, ea etiam esse præstanda ab Ecclesia, vel personis Ecclesiasticis, idque potissimum ex hoc capite; quia juxta *cit. cap. Ex litteris* 5. *de pignor.* & *l.* 20. *Traditio* §. 1. *ff. de acquir. Rer. dom.* res transit cum onere, nempe talis, qualis est: Cui consonat *Reg.* 79. *Jur. in sexto* qua dicitur: *Nemo potest plus juris in alium transferre, quam sibi competere dignoscatur*: ergo si Ecclesiæ vel Clericis obveniant bona prius obnoxia tributis vel Collectis a Principe aut Magistratu sæculari impositis, tenebuntur hujusmodi onera portare; quia transferens dominium non potuit aliter transferre. Id ipsum praxis hodie (extra Italiam saltem) receptissima confirmat. Et utinam præter antiqua illa onera, non frequenter nimis nova imponerentur.

Quæres quarto, an igitur Princeps sæcularis non possit imponere gabellas, pedagia, vel alia onera solvenda, nedum a suis subditis laicis, verum etiam ab aliis Clericis, aut personis Ecclesiasticis in suo territorio degentibus.

542. R. Equidem hoc fieri posse, sed NB. concurrentibus duntaxat 5. conditionibus sequentibus. 1. ut utilitas vel necessitas imponendi sit magna, & evidens. 2. ut ad hanc sublevandam facultates Laicorum non sufficiant. 3. ut talis necessitas vel utilitas sit æque communis laicis, & Clericis. 4. ut Episcopus & Clerus deliberent & consentiant. 5. ut prius de tali contributione consulatur Summus Pontifex, & hujus licentia accedat. Ita habetur *ex cap. Non minus* 4. *de Immunit. cap. Adversus* 7. *eod. tit.* Insuper his omnibus concurrentibus talis exactio non potest fieri a Judice laico, sed fieri debet per Personas Ecclesiasticas ab Episcopo deputandas, prout constat ex Bulla Urbani VIII. mox supra *cit.* videnda tum in Bullario, *Cherub. n.* 159. tum etiam apud Reiffenstuel *l.* 3. *Decret. tit.* 49 *n.* 274.

At, inquies, quandonam publica necessitas & utilitas censentur id exigere?

543. R. Tunc censentur exigere, quando id expostulat Reparatio pontium, fontium, viarum publicarum, alluvionum ex rivis, aut fluminibus cum damno agrorum, aut Urbium: item tempore famis, belli, pestis &c. patriæ imminentis &c. in his ac similibus circumstantiis possunt etiam a Clericis exigi collectæ vel contributiones, modo observentur simul quinque conditiones mox recensitæ. Videantur de his Diana *p.* 1. *tr.* 2. *Res.* 133. & *p.* 5. *tr.* 1. *Resol.* 11. Felix potestas *tom.* 1. *Exam. Confess. p.* 2. *c.* 4. *a n.* 807. Reiffenstuel ubi *supra a n.* 254. Pignatelli *tom.* 2. *Consult.* 54. *n.* 68. 85. 86. & *seqq.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Immunitate personali & reali Clericorum.

CASUS PRIMUS.

Titius Clericus dum nuper ex alieno territorio fuit regressus ad proprium, a quibusdam apparitoribus fuit jussus descendere de suo curru: miratus desuper, & sciscitans rei causam, audiit, fuisse generaliter mandatum a Principe territoriali, ut omnes, cujuscunque demum conditionis aut status personæ quam accuratissime lustrarentur, an non tabacum, vinum, vel aliud id genus mercium sine gabellarum vel accisæ persolutione asportarent. Protestabatur e contra Titius 1. se nil prorsus de talibus asportare. 2. se absque præjudicio immunitatis Ecclesiasticæ non posse permittere hujusmodi visitationem, eo præsertim, quod Clerici ad solutionem gabellarum vel accisarum a Principibus sæcularibus nequeant obligari: his non obstantibus cogebatur Titius descendere, sed quia Apparitores visitando nil prorsus invenerunt, hinc causa vindicandæ injuriæ sibi illatæ unum vel alterum baculo excepit. Quæritur jam ad hanc speciem facti non ficti, an Princeps territorialis sæcularis possit præcipere, ut etiam Clerici visitentur, vel puniantur, casu quo nolint pro tabaco aut vino solvere gabellas vel accisas?

544. R. A Principe sæculari præcipi non posse, ut Clerici visitentur &c. Ratio est: quia, ut bene respondit Titius, Clerici obligari nequeunt ad solutionem gabellarum vel accisarum, prout constat ex juribus jam superius allegatis *n.* 538. & 541. præcipue vero ex *c. Quanquam de cens. in sexto* ubi expresse dicitur: *Ecclesias & Ecclesiasticas personas ad pedagia, & quidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum, vel solvendum talia pro rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, aut transmittunt, contraria consuetudine quorumcunque, quæ dicenda est corruptela verius, non obstante &c.* id ipsum a Congregatione sæpius jam exstitit declaratum, prout videre licet apud Jacob. Pignatelli *t. 2. Consult. 54. n. 68. & seqq.* Accedit communis omnium ferme Orthodoxorum Canonistarum ac Theologorum consensus: at, eo ipso, quod Clerici non teneantur ad solvandas gabellas, quidagia ac pedagia, accisas &c. sine causa visitarentur: ergo &c. Accedit secundo, quod talis visitatio sine permagna irreverentia erga statum Clericalem fieri nequeat, dum Clericus ab Apparitoribus detinetur violenter, vel jubetur descendere, immo ad hoc cogitur eo fine, ut visitari possit; talis quippe coactio est quædam violenta manuum injectio in Clericum, veluti constare potest ex dictis supra *Confer. tertia n. 79.* quæ violenta manuum injectio sine gravi peccato, & incursu excommunicationis fieri nequit, prout liquet ex dictis in mox allegata Conferentia.

Dices tamen contra hanc resolutionem, ex Orthodoxorum Canonistarum & Theologorum consensu mox allegato in hac materia parum, vel nihil omnino probari, immo ne quidem ex auctoritate SS. Canonum; quia Summi Pontifices similia decernentes egerunt in causa propria, sicut & reliqui Canonistæ decisionibus Pontificiis ex hac parte inhærentes.

545. Contra enim est 1. quod eodem jure dici posset, Principes sæculares oppositum statuentes & practicantes agere in causa propria, adeoque eorum constitutiones nullius esse valoris. Contra est secundo, quod hæc materia sit causa spiritualis, utpote tangens immunitatem Ecclesiasticam: at, in hac materia solum Summum Pontificem esse legitimum Legislatorem ac Judicem, agnoverunt etiam Imperatores, velut constat ex *l. Sacris canonibus 45. Vers. Quoniam, & vers. quod enim, Cod. de Episcopis & Cler.* item ex *Novell. 6. c. 1. §. sed etiam 8.* eamque innuit Christus *Matth. 17.* dum dixit, *a tributis Principibus solvendis liberos esse filios.* Quin immo Artaxerxes Rex Gentilis in favorem Sacerdotum & Ministrorum templi Dei Israel decretum immunitatis edidit, prout videre licet *1. Esdræ 7. v. 24.* ideoque æquitatem hujus exemptionis vel solo rationis lumine instructus agnovit & approbavit: quidni ergo a fortiori

Sacer-

Sacerdotes N. Testamenti, utpote ob sublimitatem Sacrificii & Ministerii altaris multo præstantiores Sacerdotibus Veteris Testamenti, a Principibus Catholicis eximantur ab hujusmodi oneribus? Puto proin hanc responsionem quorundam pseudopoliticorum homine Christiano prorsus esse indignam, utpote vergentem in omnimodam subversionem Sacrorum Canonum, & potestatis Ecclesiasticæ.

Dices secundo. Constat experientia, sub hoc prætextu exemptionis a Clericis multas contigisse fraudes, dum unus v. g. tabacum, alter vinum, Tertius cerevisiam invexit in Provinciam sine gabellis, portariis, quidagiis aut pedagiis, & postea ipsimet vendiderunt aliis sæcularibus non exemptis a similibus oneribus, sibique injustum lucrum, utpote soli Principi debitum, inique attribuerunt: atqui hujusmodi iniquæ machinationes ac praxes aliter tolli nequeunt, nisi per universalem sublationem hujus immunitatis, & disquisitionem seu lustrationem omnium, qui aliquid invehunt in Provinciam: ergo Principes sæculares juste agunt, statuendo universalem visitationem seu disquisitionem rerum, vel etiam exactionem vectigalium ab omnibus solvendam.

546. R. Transmissa Majore, quod hujusmodi abusus ab aliquibus contigerint, *negando min*; enimvero vitium quorundam non est illico trahendum in calumniam & maximum præjudicium omnium reliquorum; quemadmodum ex eo, quod v. g. unus vel alter civis abutatur privilegio toti Communitati gratiose concesso, non illico tale privilegium omnibus simpliciter est auferendum; neque ex eo, quod aliquis Princeps, Magistratus, aut superior abutatur potestate gubernandi sibi concessa, illico omnibus adimenda est potestas gubernandi &c. Itaque in tali Casu admonendus erit Episcopus, seu immediatus ac legitimus superior Clericorum, ut ipsis hujusmodi abusus interdicat, quod, si is non faciat, vel Clericorum quispiam hujusmodi justæ prohibitioni morem non gerat, tunc primum poterit Princeps contra talem procedere v. g. visitando merces &c. &c. idque non titulo jurisdictionis in Clericum, sed titulo justæ defensionis, jure naturali concessæ cuilibet Principi contra injustum jurium aggressorem, veluti notant Reiffenstuel *ubi supra num.* 261. Laymann *lib.* 4. *tr.* 9. *cap.* 4. *n.* 3. Pichler & alii DD.

CASUS SECUNDUS.

Sempronio Clerico a Principe sæculari territoriali demandatum fuit, ut ad Cameram aulicam ducentos florenos in vim collectæ proxime mitteret: renuit Sempronius, causatus, hujusmodi collectas a Principe sæculari Clericis imponi non posse absque consensu Episcopi & Clericorum, immo ipsius S. Pontificis, de quo quia non satis constabat, noluit quidquam præstare, eo quod hoc sine maximo præjudicio immunitatis Ecclesiasticæ neutiquam fieri posset: e contra Princeps id inaudiens incunctanter misit aliquot Satellites, qui ruptis repagulis aream Sempronii ingressi inde plus quam pro ducentis florenis de frumento asportarunt. Quæritur 1. *an juste? Secundo an non solum Princeps, sed etiam reliqui Consiliarii, immo & Satellites Principis & aliorum mandatum in hoc casu exequentes incurrerint aliquam pœnam?*

547. R. Ad primum quæsitum hujus Casus, Principem injuste egisse, Semproniumque merito sese opposuisse. Ratio hujus colligi potest ex hactenus dictis, præsertim *num.* 538. & 541. quia hujusmodi collectæ Clericis imponi nequeunt absque consensu Episcopi & S. Pontificis: ergo quamdiu de hoc consensu non satis constitit, Sempronius debuit relinqui in quieta possessione suorum bonorum. Esto etiam probabiliter hujusmodi edictum emanaverit de consensu Summi Pontificis, nihilominus de hoc debet sufficienter constare, & collectatio fieri non a Judice laico, vel a Satellitibus, sed per personas Ecclesiasticas ab Episcopo deputandas, prout liquet ex *cap. Adversus* 7. *de Immun.* nec non ex Bulla Urbani VIII. mox superius allegatis.

548. R. Ad secundum quæsitum, dato & supposito, quod Princeps ille a Summo Pontifice non obtinuerit facultatem specialem exigendi collectam, dicendum,

dum, quod non solus ipse, sed etiam alii consentientes, aut mandatum exequentes *per se loquendo* inciderint ipso facto excommunicationem latæ sententiæ, tum per Bullam Urbani VIII. proxime allegatam, tum præsertim per Bullam Cœnæ, in qua excommunicationis sententia quotannis fulminari solet in omnes, *qui Collectas, Decimas, Tallias, Præstationes & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis absque Romani Pontificis speciali & expressa licentia imponunt &c.* Dixi tamen: *per se loquendo* inciderint &c. minime enim dubitandum, quin rudiori præsertim de plebe homines (quales plerumque sunt satellites) partim ob inculpabilem jurium ignorantiam, partim etiam, & præcipue ob duram & inevitabilem necessitatem, qua coguntur hujusmodi mandata exequi, nisi se & suos velint præcipitare in extremam egestatem, similia subin, fortassis plerumque, faciant sine gravi peccato formali, & per consequens sine incursu excommunicationis, quæ velut gravissima pœna Canonica supponit peccatum mortale formaliter tale, & notitiam pœnæ incurrendæ; de quo videantur dicta superius *Confer.* 1. *n.* 13. *& seqq.*

Dices. Doctrinæ hactenus traditæ & resolutionibus mox datis repugnat Consuetudo & praxis receptissima, qua quotidie videmus Clericos nedum a Principibus sæcularibus novis identidem oneribus, contributionibus & collectis gravari, sed etiam a Principibus Ecclesiasticis exigi vectigalia, pedagia &c. &c. intuitu bonorum Ecclesiasticorum: atqui consuetudo est optima legum interpres: neque ullatenus præsumendum de Principibus Christianis, præsertim Ecclesiasticis, quod similia unquam attentarent, nisi sese in conscientia ab omni culpa ac pœna immunes existimarent: ad quid ergo nos Eos arguamus culpæ gravioris, vel Excommunicationis condemnemus?

549. R. Equidem haud ignoro huic doctrinæ repugnare praxin, sed scio etiam illud verbi verbium: *praxis est multiplex*: scio insuper hanc consuetudinem vocari *corruptelam c. Quamqnam* 4. *de cons. in sexto*. Scio hanc consuetudinem singulis annis revocari, & annullari per Bullam Cœnæ Domini, & omnes *qui collectas, Decimas, talias, Præstationes & alia onera, Prælatis & aliis Personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi absque simili Romani Pontificis speciali & expressa licentia imponunt &c. Cujuscunque sint præminentiæ & dignitatis, - - aut quavis, etiam Pontificali dignitate insigniti &c.* excommunicationis vinculo innodari. Ex quibus liquet distinctio *min. in forma*: consuetudo legitime recepta, est optima legum interpres, *concedo*. Consuetudo quæ est *corruptela verius*, uti hæc appellatur, *neg. min. cum conseq.* liquet insuper, quod nos hanc consuetudinem non damnemus, neque oppositum practicantes excommunicationis condemnemus, sed eam a Summis Pontificibus reprobatam, & oppositum practicantes excommunicationis vinculo subjici monstramus. Cetera cuiuslibet conscientiæ relinquentes, qua via evadere, vel quo modo ab hoc vinculo exonerare se velit. Ego saltem cum P. Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 49. *num.* 272. nullum solidum scio fundamentum, aut justum titulum, nisi quis supponatur a Summa Sede specialia obtinuisse indulta seu privilegia, quæ aliquando ob singularia in Ecclesiam merita Magnis Principibus fuere indulta, teste P. Bockhn *eod. tit. n.* 35. *fin.*

CASUS TERTIUS.

C*Ajus Religiosus abjecto habitu abiit in malam crucem, & adhæsit cuidam meretrici, qua velut Conjuge utendo viginti circiter annorum spatio, aliquot proles inde suscepit. Tandem ob quamplura, & attrocia quidem crimina hinc inde commissa, una cum putatitia sua Uxore ac liberis in quadam civitate catholica captus, in vincula conjectus, & ad infame mortis supplicium condemnatus fuit; quod, ubi inaudiit, contra sententiam excepit, asseverans se esse Religiosum, & a sua Religione ac Conventu N. anno N. defecisse apostatando. Suspensa proin executione sententiæ, & rei veritate comperta,* Prin-

Princeps scribi fecit Superiori Caji, se ad parcendum honori Ordinis equidem vitam Cajo condonaturum, ea tamen lege ac conditione, ut Superior vel ipsa Religio omnes expensas tempore captivitatis intuitu tum Caji, tum meretricis etiam ac prolium spuriarum factas solvi curaret, quod, si Superior recusaret, sciret pro certo sententiam mortis executioni mandatum iri. Quæritur jam 1. an Princeps Catholicus salva immunitate Ecclesiastica possit juste prætendere expensas intuitu Caji ac meretricis factas? secundo an superiore has recusante possit juste Cajum condemnare ad mortis supplicium?

550. R. Ad primum quæsitum hujus Casus, Principem non potuisse de jure prætendere ab Ordine vel superiore Regulari refusionem expensarum factarum in alimenta & alias necessitates Caji, ejusdemque meretricis, tempore captivitatis. Ratio hujus est: quia Monasterium aut Superior Ordinis non tenetur alere Religiosum, quamdiu is fugitivus aut oberrans extra Monasterium existit, sicut Pater non tenetur alere filium sua culpa a Patris consortio recedentem, nec Maritus Uxorem a se sine justa causa divertentem; prout ex diversis juribus probant Pinellus, Ascanius, & alii apud Sanchez *in decalog. l. 6. c. 9. n.* 11. ergo nec tenetur Superior refundere expensas a quocunque demum factas in alimenta talis Religiosi, multo minus in alimenta meretricis, vel spuriarum prolium.

Secus dicendum existimant Sanchez & alii de alimentis & expensis factis in itinere vel captura talis Religiosi, immediate reducendi ad suum Monasterium (NB. non tamen ipsius meretricis aut prolium spuriarum) quia cum superior Regularis ipsusmet teneatur ad reducendos & capiendos hujusmodi fugitivos; hinc alter, qui cæpit, censetur utiliter gessisse negotium Superioris Regularis. Videantur de hoc Sanchez *l. cit.* Hyacinthus Donatus *tom. 1. tr. 6. q. 16. per tot.* Emmanuel Rodriquez *t. 1. QQ. Reg. q. 30. art. 11.* Miranda *in Manuali Prælat. Regul. tom. 1. q. 51. art. 18.* Laymann *l. 4. c. 4. n. 11.*

551. R. Jam ad secundum quæsitum. Supposito quod certo constiterit, Cajum esse Religiosum Apostatam, non potuit a Principe sæculari condemnari ad mortem. Ratio hujus est: quia Laicus in causis criminalibus non potest esse Judex (saltem ordinarius) Clericorum veluti ex communi DD. tenent Abbas, Vivianus, Barbosa & Reiffenstuel *l. 2. decret. tit. 1. num.* 83. constat hoc ex *Can. Nullus Judicum C. 11. q. 1.* & ex *c. Clerici 8. de Judic.* enim vero sæcularis Judex vel Princeps nullam habet jurisdictionem in Clericos, utpote gaudentes privilegio fori *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. de constit.* atqui sententia lata ab eo, qui nullam habet jurisdictionem, nec est Judex legitimus, nullius est valoris: per *cap. A. si Clerici de Judic.* ergo hæc sententia a parte rei fuit nulla; esto Judex sæcularis eam ferendo non peccaverit; tum quia supponitur decidisse sententiam qualitati delictorum commensuratam; tum etiam quia supponitur ignorasse Cajum esse Clericum, ac per hoc a potestate sæculari exemptum.

552. Dixi: *supposito, quod certo constiterit Cajum esse Religiosum.* Quamdiu enim dubium prudens exstitit de statu Religioso, vel Clericatu Caji, Judex sæcularis potuit eum detinere in vinculis; quia fuit in possessione Malefactoris capti, qua ob nudam assertionem delinquentis privari nullatenus debuit juxta DD. communiter, signanter Felix potestas *tom. 1. Exam. confess. part. 2. num.* 725. ubi etiam ait, in casu, quo deveniri non posset in certam notitiam Clericatus hujusmodi delinquentis, posse Judicem sæcularem procedere ad condemnationem ejusdem juxta demerita causæ, ob rationem mox datam. Quamdiu tamen est spes perveniendi in omnimodam notitiam, debet Judex sæcularis abstinere ab ulteriori processu contra captivum; quia probato Clericatu vel statu Religioso causa tota debet devolvi ad Judicem Ecclesiasticum, prout habetur *cap. si Judex 12. de sent. Ex comm. in sexto*, & ita observari testantur Afflictus & Clarus apud Reiffenstuel *l. 2. tit. 2. n. 276. fin.*

Dices contra hanc Resolutionem. Clericus (idem est de Religioso) sine habitu & tonsura incedens, & sese enor-

mibus criminibus immiscens, non gaudet privilegio immunitatis quoad forum, prout aperte colligitur ex *cap. Praeterea* 1. *de Apostatis*, & *cap. Perpendimus* 23. *de sent. Excomm.* at, hoc ipso, quod non amplius gaudeat hoc privilegio Clericali, potest tuta conscientia a quovis Principe aut Judice saeculari condemnari ad poenam commeritam: ergo in nostro Casu Cajus fuit merito condemnatus ad supplicium mortis &c.

553. R. Disting. & explicando *Maj.* non gaudet privilegio fori *secundum quid*, in quantum scilicet Judex saecularis talem, de quo supponitur non constare, quod sit Clericus, sine periculo excommunicationis potest capere, & violentas eidem injicere manus, *concedo*, hoc enim & non plus evincitur ex capitulis citt. (ut videre licet apud WagnerecK & alios) non gaudet, ita ut propterea *simpliciter sit exclusus*, nec restituendus Judici Ecclesiastico, casu quo constiterit, eum vere esse Clericum, *neg. Maj.*

Nam oppositum reperitur aperte decisum in allegato *cap. Judex* 12. *de sent. Excomm. in sexto*. Neque huic doctrinae obstat praxis quorundam etiam Catholicorum, qui contra hujusmodi Clericos delinquentes processerunt usque ad infame mortis supplicium inferendum; non enim hic agimus de eo, quod hinc inde factum fuit, sed quod de jure fieri debet. Videantur de hoc Barbosa *in cit. cap. Judex nu.*2. Felix potestas *l.cit. num.* 787. Castropalao *part.* 1. *tract.* 12. *pu.* 6. *num.* 5.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

554. COlliges ex hactenus dictis primo, Parochum vel Clericum beneficiatum non teneri ad solvendas gabellas, si fructus ex suo Beneficio perceptos v. g. frumentum, lanam, linum, vinum, oleum, animalia &c. vendat, vel alio vehi curet, ut vendantur. Ratio hujus petenda est ex dictis *num.* 538. & 539. quia bona Clericorum sunt exempta ab hujusmodi oneribus: at, hoc ipso non tenentur solvere gabellas &c. ergo &c. Barbosa *in cap. Quanquam, de cens. in sexto num.* 6. Engel *l. t. n.* 29. Reiffenstuel *ubi supra n.* 251. & alii communiter, esto fortassis praxis repugnet pluribus in locis.

Dices contra hoc: *Cap. Qumaquam de cens. in sexto* a Gabellis & pedagiis &c. excipit illas duntaxat Clericorum res, *quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, aut transmittunt*: ergo si Beneficiatus hujusmodi fructus transmittit, aut deferri facit eo fine, ut vendantur &c. tenetur ad solvendas gabellas, pedagia vel pontagia &c. &c.

555. R. Cum Guttierez *de Gabellis q.* 9. *num.* 16. & *aliis communiter neg. Conseq.* Nam negotiari ille duntaxat dicitur, qui more Mercatorum rem aliquam mutatione, emptione, vel alio contractu aquirit & comparat eo animo, ut eam revendendo lucrifaciat: at, hoc non facit Beneficiatus vendendo fructus sui Beneficii, ut de se liquet: ergo cum haec materia aliunde noscatur esse odiosa, decidendum, quod non teneatur ad solvendas gabellas. Hinc idem Guttierez *l. cit. n.* 17. Sylvester *V. Excommunicatio* 9. *num.* 46. *fin.* Navarrus *in Man. Cap.* 27. *num.* 128. aliique plures recte dicunt, dici non posse quod Clericus negotietur, si prius rem aliquam v. g. equum vel vinum emit pro se, id est, eo animo, ut iisdem utatur, etsi postea mutato animo denuo vendat aliis; quia non supponitur emisse eo animo, ut rursus revendendo quidquam lucrifaceret, ad instar alicujus Mercatoris aut Negotiatoris.

556. Colliges secundo, ex eo, quod v. g. lanionibus aut Cauponibus a Magistratu permittatur, ut propter *Accisas* singulas carnis libras, aut cerevisiae vel vini mensuras carius possint vendere, hujusmodi tamen victualia ratione hujus Accisae carius vendi non possint Clericis, vel aliis personis Ecclesiasticis. Ratio liquet: quia secundum hactenus dicta personae Ecclesiasticae non tenentur solvere Gabellas: at, si hujusmodi merces tenerentur carius emere, hoc ipso indirecte saltem cogerentur ad solvendas Gabellas: ergo &c. Hinc si

talis

talis Clericus habeat plures famulos vel domesticos sibi necessarios, quos sustentare cogitur, non tenetur pro his cariori pretio emere merces v. g. carnes, cerevisiam aut vinum &c. Ratio est: quia cum teneatur hujusmodi domesticos alere ex propriis, quidquid comparat pro congrua eorum sustentatione, non immerito censetur pro se comparare, ita ut reapse hujusmodi vinum, cerevisia dici non possint cerevisia famulorum, sed Beneficiati, aut Parochi &c. &c. Sanchez *Consil. mor. l. 2. c. 40 dub. 54. n. 2.* asserens ita sentire *doct. s Recentiores*.

557. Colliges tertio. Vix, autne vix quidem fieri posse tuta conscientia, ut Clericus alteri sæculari det Chyrographum, quo testetur hoc vel illud genus mercium v. g. vinum, frumentum &c. emi pro se; cum tamen a parte rei non pro se, sed pro alio sæculari non exempto ematur viliori pretio, detractis scil. gabellis &c. Ratio hujus est: quia longe probabilius (si non omnino certa) est illa sententia Sanchezii *in Consil. l. 2. c. 4. dub. 1. n. 8.* Sporer *tr. 5. c. 5. n. 150.* La Croix *l. 3. p. 2. n. 269.* & aliorum, quæ tenet, quod vectigalia & Gabellæ debeantur Principi aut Magistratui in conscientia, & ex justitia; cum enim Princeps vel Magistratus serviant Reipublicæ, habent jus strictum ad ea exposcenda, quæ sibi sunt necessaria ad suam sustentationem, & ad sustinenda onera, ad quæ vi sui officii tenentur; hac de causa Apostolus *ad Rom. 13.* ait *Reddite omnibus debita; Cui tributum tributum, Cui vectigal vectigal* & *Matth. 22.* Christus ipse dixit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari &c.* ergo si Clericus juvet sæcularem non exemptum ad defraudanda vectigalia vel gabellas, probabilissime peccat, & contrahit onus (saltem in defectum ipsius sæcularis) resarciendi hujusmodi damnum Principi, vel Magistratui illatum.

558. Colliges quarto, neque illos sat esse tutos in conscientia, qui habitum Clericalem assumunt solum in fraudem gabellarum, id est, absque animo perseverandi in statu clericali, sed solum animo subterfugiendi onera laicorum; item qui acceptant a Parentibus bona sub schemate donationis, quatenus Clericorum scuto vel pallio tecta reddantur immunia ab exactionibus.

Ratio est eadem, quæ præcedenti numero fuit data: deinde fraus & dolus nemini patrocinari debent: patrocinarentur autem in tali casu, si hæc tuta conscientia fieri possent: ergo &c. Videantur Felix potestas *tom. 1. part. 2. Exam. Confess. n. 806.*

559. Colliges quinto, Clericum coram Judice sæculari conveniri non posse, neque in causa civili, neque in criminali, multo minus ab hoc fine violatione immunitatis Ecclesiæ, & incursu excommunicationis Bullæ Cœnæ §. 15. *latæ* puniri. Ita *ex communi DD.* Felix potestas *l. cit. n. 726.* Ratio est: quia secundum dicta Clerici gaudent privilegio fori ex *cap. si diligenti 12. de for. compet.* at, privilegium fori hoc importat: ergo &c. Necessum proin est, ut Clericus conveniatur coram Judice Ecclesiastico seu Ordinario suo. Si tamen Clericus fiat actor contra laicum in causa pure temporali, tunc adire debebit ejusdem superiorem, & consequentur Judicem sæcularem, si is supponatur Superior: nam *Actor sequi debet forum Rei. Cap. si Clericus 5. & c. cum sit generale 8. de foro compet.*

Sed quid (ais,) si Clericus fiat complex criminis cum persona laica v. g. in furto, adulterio &c. eritne in tali casu complex uterque conveniendus coram Judice Ecclesiastico, vel coram sæculari?

560. R. In tali casu unumquemque delinquentem esse conveniendum coram suo Judice competente, Clericum scilicet coram Ecclesiastico, laicum e contra coram sæculari. Ita Laymann. *l. 4. cap. 4. num. 11.* Wiestner *l. 2. tit. 2. num. 154.* & alii plures. Ratio est: quia in causa separabili socius delicti non gaudet privilegio complicis, si is sit exemptus, prout colligitur ex *l. si quis Uxori 52. §. 2. pr. ff. de furtis*. Et licet delictum physice loquendo videatur unum, v. g. homicidii, furti, adulterii &c., est tamen moraliter multiplex pro numero personarum delinquentium, & ad idem concurrentium; hinc nec mirandum, quod delinquentes secundum diver-

diversitatem qualitatis personæ trahi possint vel debeant ad diversa tribunalia, id, quod praxis recepta & probata monstrat, testibus Marochio, Laymanno, *loc. cit.* Holzmann ubi supra *num.* 555. R. *secundo in fin.* & aliis pluribus.

561. Colliges sexto, quod, tametsi Personæ Ecclesiasticæ sint exemptæ a Juridictione sæcularium, nihilominus in certis quibusdam casibus etiam Clericus a sæculari Judice possit violenter detineri, aut capi ob commissum delictum, haud equidem eo fine, ut a sæculari Judice puniatur, sed ut puniendus præsentetur suo Superiori legitimo, Ecclesiastico scilicet. Ex gr. si deprehendatur actu in flagranti crimine, vel si velit actu cuipiam inferre gravissimam injuriam, aut sit magnus debitor, & solvere potens, non tamen volens, vel si tempore nocturno incedat sine habitu & tonsura cum armis &c. &c. Ita Wiestner *l.* 2. *tit.* 2. *nu.* 186. *& seqq.* Laymann *l.* 4. *cap.* 4. *n.* 6. Felix Potestas *n.* 739. Ut tamen hoc licite fiat, necessum est 1. ut delictum sit notorium. 2. ut Clericus sit suspectus de fuga. 3. ut a Superiore Ecclesiastico non possit peti licentia, adeoque talis captura fiat potius nomine ipsius Superioris Ecclesiastici. 4. Ut, quamprimum moraliter loquendo fieri potest, talis Clericus statim suo Superiori Ecclesiastico præsentetur, nec ultra 24. horas in carcere detineatur. 5. ut abstineatur ab infligendis verberibus, vel aliis injuriosis tractationibus &c.

Ratio est: quia hujusmodi apprehensio in similibus circumstantiis non censetur fieri titulo jurisdictionis in Clericum, sed potius titulo justæ defensionis & indemnitatis, in quam sub præfatis conditionibus Ecclesiastica potestas consentire præsumitur, ut hoc modo bono Reipublicæ, & insontium indemnitati consulatur.

Dices contra hanc resolutionem. Clericus, de quo constat, quod delictum enorme commiserit v. g. homicidium, assassinium & similia &c. non aliam ob causam a potestate sæculari restitui deberet Judici Ecclesiastico, nisi ut is cognosceret de veritate & gravitate delicti: ergo si Clericus a Judice sæculari captus propria sponte fateatur, se commisisse enormia crimina, uti fert casus supra *n.* 550. positus, nulla prorsus est ratio, cur Ecclesiastico Judici præsentetur, sed poterit auctoritate sæculari condigne puniri.

Confirmatur. Non est conveniens, immo perniciosum prorsus foret Reipublicæ, si hujusmodi delicta enormia a Clerico perpetrata deberent manere impunita, eo præsertim, quod quo magis conspicua sunt, eo magis sint perniciosa Reipublicæ ob malum exemplum sæcularibus datum: at, si talis Clericus criminosus deberet extradi Judici Ecclesiastico, hujusmodi crimina manerent impunita; rarissime enim Superiores Ecclesiastici solent Clericum extradere, a potestate laica puniendum: ergo præstat, tales neutiquam extradi, sed potius auctoritate civili puniri secundum demerita.

562. R. Ad instantiam *negando antecedens*; non enim ideo præcise talis Clericus criminosus restituendus est Judici Ecclesiastico, ut is cognoscat de veritate & qualitate delicti, sed vel maxime ideo etiam, ne immunitas Ecclesiastica contra præscriptum Sacrorum Canonum violetur, & potestas Laica usurpando, vel extendendo ultra quam oportet suam jurisdictionem, falcem mittat in alienam messem. Nec refert, quod Clericus supponatur de enormi crimine convictus & confessus; nam quemadmodum Sententia a non suo Judice lata nullius est valoris *cap. Ad nostram Audientiam* 3. *de consuet* & *l. ult. C. si a non compet. Jud.* ita nec tenet facta coram ipso confessio per *c. Etsi Clerici* 4. *de Judiciis*. Videatur de hoc Reiffenstuel *ad tit. de Judic. n.* 88.

563. Ad Confirmat. R. *negando minorem*. Non enim manebunt impunita hujusmodi crimina; quia delinquens exigente qualitate delicti certo certius condemnabitur saltem ad carceres perpetuos; quæ pœna multis longe videtur intolerabilior ipsa morte.

Tametsi vero rarius Clerici delinquentes soleant extradi, a potestate laica puniendi, fortassis quia rarius hujusmodi delicta enormia a Clericis committun-

tur,

tur; nihilominus si delictum nimis atrox sit & scandalosum, ac a viris piis & prudentibus judicatur, Reipublicæ convenire, tale committentem e gremio Ecclesiasticarum personarum pelli, & ultimo supplicio affici, ut de facto sæpe judicatum est (ait Castropalao *part.* 2. *disp. un. tr.* 12. *pu.* 6. *n.* 6.) alienum esset a ratione, hanc pœnam executioni non mandari. Neque enim privilegium Ecclesiasticæ Immunitatis, in favorem & honorem status Clericalis introductum, in illius indecorem convertendum est. Ita Palao ex Covarruvia, *loc. cit.* Et quidem practicatum videmus Clericos rebelles curiæ sæculari tradi, & ultimo supplicio affici, nulla monitione prævia, nullaque incorrigibilitate exspectata; inquit Felix Potestas *Exam. Cleric. tom.* 1. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 789.

CONFERENTIA DECIMA SEPTIMA.

De statu Regularium & Novitiis in specie.

SUMMARIUM.

564. *Nomine Regularium intelliguntur illi, qui sub certa Regula vivunt.*
565. *Quid sit status Religiosus.*
566. *Religio communiter dividitur in contemplativam, activam, & mixtam.*
567. *Rursus in eam, quæ est Clericorum, Monachorum, & Mendicantium.*
568. *Quinam Superiores valeant suscipere Novitios ad Religionem.*
569. *Et quinam possint suscipi valide ac licite.*
570. *Nequit Filius tuta conscientia ingredi Religionem, quando Parentes in vere gravi, vel extrema necessitate constituti, indigent ipsius subsidio.*
571. *Secus, quando non indigent, esto etiam contradicant.*
572. *Qualis debeat esse habitus Novitiorum.*
573. *Et qualis locus pro Novitiatu.*
574. *Annus Novitiatus debet esse integer, & continuus de momento in momentum;*
575. *Quo semel expleto, professio non est de facili differenda.*
576. *Novitius per se loquendo non tenetur sub culpa ad Observantiam Regularum, vel statutorum.*
577. *Per accidens tamen tenetur, ne aliis Scandalum præbeat.*
578. *Potest Novitius quolibet tempore disponere de rebus suis dispositione mortis causa; dispositione vero inter vivos non, nisi duobus mensibus ante professionem.*
579. *Declaratur motivum hujus diversitatis.*
580. *Valeret tamen dispositio antecedenter facta de rebus exigui tantum momenti.*
581. *Resolvitur Casus I. Cujusdam studiosi, Cui Mater suasit, ut postposita vocatione amplecteretur statum sæcularem.*
582. *An Novitius teneatur regredi ad sæculum, ut possit succurrere inopiæ Parentum suorum.*
583. *Et quid, si Parentes incidant in talem inopiam posteaquam filius suam professionem jam jam deposuit.*
584. *Resolvitur Casus II. cujusdam Novitii ex Ordine Mendicantium, sciscitantis, an reversurus ad sæculum teneretur solvere expensas pro victu & vestitu a Religione factas.*
585. *Quid, si animo ficto duntaxat fuisset ingressus Religionem, aut solutionem expensarum antecedenter promisisset.*
586. *Eccur Mendicantes non possint, nec debeant prætendere hujusmodi expensas in alimenta Novitiis factas.*
587. *Occurritur Cuidam instantiæ in contrarium factæ.*
588. *Resolvitur Casus III. de quodam studioso opulentissimo, qui ante ingressum Religionis bona sua liberalissime distribuit inter amicos.*
589. *Quid Consilii tali ad sæculum reversuro dandum a Confessario.*
590. *Et quid, si amici nolint amplius restituere illa bona.*
591. *Qui se non obligant ad tria vota substantialia, non sunt vere Religiosi.*
592. *Religiosus nolens tendere ad perfe-*

ctionem sui status, graviter delinquit.

593. *Prælatus dando repulsam Candidato supplicanti pro Ordine, raro peccat contra justitiam.*

594. *Quandonam Novitiatus censeatur moraliter interrumpi.*

595. *Et quid, si Novitius intra Monasterium manens deponat suum habitum, paulo post vero eundem reassumat.*

596. *Novitius valide confitetur cuilibet Confessario ab Episcopo approbato.*

597. *Immo & approbato a Prælato Regulari pro solis Religiosis.*

598. *Possunt Novitii puniri ob defectus in S. Regulam commissos.*

599. *Reversuris ad sæculum, restituenda sunt omnia, quæ secum attulerunt ad Monasterium.*

600. *Utrum approbanda, vel toleranda sit consuetudo, recipiendi prandium solenne in die investitionis.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de statu Regularium, & de Novitiis.

QUæres primo, quidnam intelligatur nomine Regularium, & quid, ac quotuplex sit status Religiosus?

564. R. Ad primam partem hujus quæsiti, nomine *Regularium* illos intelligi, qui sub certa quadam Regula viventes vota Deo nuncupant, & se ipsos ad cultum divinum quodammodo consecrant; unde & ab aliis *Religiosi* appellantur, id est, ad Dei cultum (quem Religio seu præcipua inter morales virtutes respicit) ordinati; tametsi in rigore loquendo inter Regulares ac Religiosos nonnulla versetur differentia; nam *Regulares* appellari possunt omnes illi, qui sub aliqua Regula vivunt; Religiosi vero illi duntaxat appellari merentur, qui per vota substantialia castitatis, paupertatis, & obedientiæ se ipsos manciparunt ad cultum divinum, veluti cum Miranda in *Manuali Prælator. tom.* 1. *q.* 1. *a.* 1. notat Engel *l.* 3. *Decret. tit* 31. *n.* 1.

565. R. Ad secundam partem hujus quæsiti. Status Religiosus bene describitur, quod sit status immobilis hominum ad perfectionem tendentium per vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ, ac sui traditionem sub certa regula ab Ecclesia approbata. Ita in terminis Henno *tom.* 2. *tr.* 3. *disp. un. q.* 1. *concl.* 1. & in re alii Doctores *communiter*. Explico breviter singulas particulas. Dicitur 1. *Status*, id est certa conditio & modus vivendi; & quidem 2. *immobilis*, id est, perpetuus; tres enim sunt status, Episcopalis, Religiosus & conjugalis; unde quemadmodum Episcopus vi sui status perpetuo adstringitur Ecclesiæ, & conjux conjugi; ita pariter Religiosus per sua vota substantialia perpetuo adstringitur ad cultum Dei. Dicitur tertio: *hominum ad perfectionem tendentium*: tametsi enim Religiosus vi suæ professionis non teneatur esse perfectus, nihilominus tenetur sub gravi obligatione tendere ad Religiosam perfectionem, per observantiam votorum, Regularum, & statutorum suorum assequendam; hinc additur quarto: *per vota castitatis &c.* non enim tenetur Religiosus per omnium consiliorum Evangelicorum opera quærere perfectionem, sed sufficit, quod illam quærat per exactam votorum, & constitutionum suarum executionem. Dicitur quinto: *ac sui traditionem* quia cum Religiosus vi professionis non amplius sit sui juris, sed alieni, hinc debet seipsum totaliter tradere Deo, vel Superiori (loco Dei) a cujus nutu & jurisdictione dependeat: ad hoc autem necessum est, ut talis traditio a Superiore acceptetur. Dicitur sexto: *sub certa regula*; esto enim sola mandatorum ac votorum observantia possit hominem ad perfectionem deducere, non solet tamen Ecclesia Ordinem Religiosum approbare, nisi ejusdem professores certam videndi formulam assumpserint. Additur denique septimo: *ab Ecclesia approbata*; tametsi enim olim Sacri Religiosorum Ordines fuerint sola Episcoporum &c. probatione aut conniventia introducti, postea tamen Innocentius III. *cap. Ne nimia 9. de Religios. Domibus* statuit, ut nullus, præter Romanum Pontificem, posset Religio-

ligionem aliquam approbare. Ita Henno *loc. cit.*

566. R. Jam ad tertiam partem ejusdem quæsiti. Status Religiosus vel (ut alii loquuntur) Religio secundum speciales fines & regulas tanquam media ad illos perveniendi, communiter dividi solet a DD. I. in contemplativam, activam & mixtam. *Contemplativa* dicitur, quæ ex suo Instituto principaliter ordinatur ad contemplationem rerum divinarum, & ad vacandum Deo per S. meditationes, orationes, & lectiones: talis censetur Religio S. Basilii, S. Benedicti, S. Bernardi, S. Brunonis &c. *Activa* appellatur, quæ ex suo fine & instituto principaliter ordinatur ad vacandum proximo propter Deum, per opera charitatis & misericordiæ, sive corporalia, sive spiritualia: talis censetur Religio Equitum Teutonicorum, Melitensium, seu Rhodiensium, qui habent tria vota substantialia. Item Religio fratrum *de Misericordia*, ordinata ad servitium infirmantium &c. *Mixta* denique dicitur illa Religio, quæ ex suo fine utramque, id est, tam vitam contemplativam, quam activam complectitur, ad vacandum scilicet Deo per orationem, & proximo per charitatem, seu opera misericordiæ spiritualia aut corporalia: talis censetur Religio Augustinianorum, Dominicanorum, Franciscanorum, Societatis JESU &c. &c. Verum hæc statui Religioso potius accidentalia sunt; nam quoad substantialia Religiosi omnes conveniunt; quandoquidem omnes eundem scopum ac finem respiciunt, qui est *tendere ad perfectionem Christianam, & totum sese addicere ad servitium & cultum divinum, per nuncupationem votorum substantialium*.

567. II. Accidentalis pariter est illa divisio Religionis in Clericorum, Monachorum, & Mendicantium: *Clericorum* quippe dicitur illorum Regularium, qui ex sua institutione & fine principali obeunt ministeria Clericis propria, utputa servitia circa Altare & chorum præstanda. *Monachorum* illa est, quæ ex instituto suo principalius tendit ad vitam solitariam. Tales sunt Carthusiani & Benedictini &c. quia tamen quilibet Religiosus intra clausuram degens suo modo solitarius, & a consortio sæcularium remotus est, neque id pro suo arbitrio frequentare potest; ideo omnes ferme Religiosi dicuntur *Monachi*, etiam in jure, nisi in aliqua materia specialis ratio diversitatis assignari valeat, ait Engel *loc. cit. n.* 15. Denique *Mendicantium* illorum Religio nuncupatur, qui ex primæva institutione nulla possident bona immobilia, nequidem in communi, uti Dominicani, Franciscani, Eremitæ S. Augustini, & Carmelitæ &c. qui tamen omnes ex dispositione Concilii Tridentini *SS.* 25. *cap.* 3. *de Regular.* bona immobilia, eorumque dominium in communi obtinere possunt, exceptis domibus fratrum Sancti Francisci, Capucinorum, & eorum, qui Fratres Minores de observantia vocantur; quos imitantur *Domus professæ* Societatis JESU, quam Pontifices annumerarunt Ordinibus Mendicantium, ait P. Pichler *in Candid. abbrev. Jur. Can. l.* 3. *tit.* 31. *n.* 2.

Quæres secundo, quinam possint suscipere Candidatos ad Religionem aspirantes?

568. R. Id possunt 1. Generales pro toto suo Ordine. 2. Provinciales pro sua quisque Provincia. 3. Abbates item; aliique Rectores cum consilio & consensu majoris partis suorum Conventualium pro suis respective Monasteriis, nisi speciali lege aut constitutione prohibeantur. Ita Henno ubi supra *q.* 3. *concl.* 1. Miranda *in Manuali Prælat. tom.* 1. *q.* 15. *art.* 1. Ratio clara est: quia illi duntaxat possunt recipere Religiosos, quibus id munus competit ex jure vel privilegio: atqui Generalibus ac Provincialibus id competit *ex c. Exiit* 3. *de Verb. signif. in sexto*; Abbatibus vero ex *cap. fin. de Regular. in sexto*, ergo &c. Dixi tamen: *nisi speciali lege, vel constitutione prohibeantur*; quia juxta varietatem diversarum Religionum varie fuit restricta hæc potestas: sic etenim solus Præpositus Generalis Jesuitarum potest vel per se, vel per alium suscipere alumnos Societatis: in nostro vero Seraphico Ordine præter Generalem Ministrum solus Minister Provincialis pro sua respective Provincia potest suscipere ad S. Ordinem, prout expresse cavent no-

stra

ſtra ſtatuta Generalia *cap.* 1. §. 2. ſequentibus omnino verbis: *Prohibemus, ne Miniſtri Provinciales Guardianis, aut quibuſcunque aliis Religioſis hujuſmodi facultatem Novitios recipiendi ullo modo committant*. Ex quo Marchantius, Henno *loc. cit.* & KercKhove *in ſtatut. c.* 1. §. 2. *n.* 2. inferunt, Miniſtros Provinciales, ubi hoc ſtatutum eſt in vigore, peccare mortaliter, qui hanc poteſtatem aliis committere præſumunt, eo quod talis admiſſio, utpote facta a non habente legitimam poteſtatem, ſit nulla. Mihi tamen videtur (ſalvo aliorum meliore judicio) ex eo, quod dicatur: *prohibemus, ne Miniſtri Guardianis &c.* committant, non bene inferri nullitatem receptionis; multa etenim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent roboris firmitatem, ut dicit Pontifex *cap. ad Apoſtolicum* 16. *de Regular.* & *c. cum jam dudum* 18. *de Præbend.* Adde, quod hæc poteſtas reſpectu Provincialium ſit ordinaria, jure claro ipſius Regulæ noſtræ c. 2. conceſſa ut advertit Mirando *loc. cit. concluſ.* 3. §. *ſecundo eſt &c.* atqui poteſtatis ordinariæ ea eſt natura, quod poſſit delegari aliis: ergo ex eo, quod ſtatuta dicant: *prohibemus, ne ullo modo committant &c.* plus inferre non licet, quam quod per ſe loquendo illicite committatur aliis, non item invalide. Poſſet inſuper emergere caſus, ubi talis commiſſio ſeu delegatio eſſet omnino neceſſaria; ut ſi Candidati eſſent petendi, vel ſuſcipiendi ex aliena Provincia longe remota, ad quam Provincialis ipſe non poſſet, niſi difficillime accedere: qua de cauſa a RR. AA. Patribus Provincialibus Transſylvaniæ, Hungariæ, Poloniæ &c. fuit hæc poteſtas ſuſcipiendi Candidatos pro illis Provinciis, jam aliquoties commiſſa Patribus quibuſdam Diſcretis ex noſtra Provincia argentina. Non tamen ſuaſerim ſine urgentiſſima cauſa delegationem hujus poteſtatis, ob probabilitatem oppoſitæ ſententiæ doctiſſimorum Virorum.

Quæres tertio, quinam poſſint vel debeant ſuſcipi in Monaſteria?

569. R. Omnes illi, & ſoli poſſunt valide ac licite recipi ad Religionem, qui ſunt ſui juris, nec aliquo impedimento juris naturalis aut poſitivi ligati: 2. e contra vero invalide, vel certo illicite recipiuntur, qui laborant aliquo impedimento ſive jure naturæ, ſive poſitivo dirimente. Ita in re *communiter DD.* Miranda *l. cit. q.* 17. & Henno *ubi ſupra q.* 4. *concl.* 1. *&* 2. Ratio prioris eſt: quia omnibus illis, qui ſunt ſui juris, nec aliquo impedimento ligati conceſſum eſt, honeſtum vitæ genus & ſtatum arripere: ergo ſi ad S. Religionem aſpirent, poſſunt ſuſcipi. Ratio autem poſterioris: quia debemus loqui (ait Henno) de ſtatu Religioſo cum proportione ad matrimonium: ergo quemadmodum ligatus aliquo impedimento dirimente illicite & invalide amplecteretur ſtatum matrimonialem, ita & ſtatum Religioſum. Ex quibus ſequitur I. poſſe recipi 1. pueros ac puellas poſt annum decimum quintum: item 2. Subdiaconos, Diaconos & Sacerdotes 3. Sponſos de futuro, immo & de præſente primo bimeſtri, ſi matrimonium nondum conſumarunt 4. poſt conſummatum vero non amplius, niſi altera pars conſentiat, vel commiſerit notorium adulterium, vel ſit per divortium judiciale ſeparata. Sequitur e contra II. recipi non poſſe 1. qui nondum habent annos diſcretionis, vel uſum rationis. 2. qui ſunt ſervi, ſeu mancipia &c. antequam libertatem adipiſcantur a ſuis Dominis. 3. qui ſunt infames, aut 4. obnoxii ratiociniis, vel 5. nimio ære alieno gravati, aut 6. corpore vitiati, & graviter infirmi &c. Ratio horum eſt: quia hi poſteriores laborant impedimento vel jure naturali, vel poſitivo dirimente, non item priores, prout videre licet apud Doctores proxime allegatos &c. ergo &c. Videatur de his Reiffenſtuel *l.* 3. *tit.* 31. §. 3. *a n.* 68.

Quæres quarto, an Filia vel Filius poſſit amplecti ſtatum Religioſum ſine conſenſu Parentum?

570. R. Valide quidem certo amplecteretur, immo & licite, niſi 1. Parentes ſint conſtituti in vere gravi, aut extrema neceſſitate, proptereaque filii in ſæculo remanentis ſublevamine indigeant. Ita rurſus præter Doctores pro priore reſolutione citatos Rodriquez *QQ. Reg. tom.* 3. *quæſt.* 13. *art.* 5. Hyacinth.

cinth. Donatus *tom.* 2. *part.* 2. *tr.* 3. *q.* 2. Engel *ubi supra n.* 17. Ratio prioris est: quia quilibet post adeptos annos pubertatis libertatem habet amplectendi statum, ad quem se vocatum a Deo, ac per hoc salutem suam operaturum se sperat, maxime in iis, quæ Deum spectant & cultum divinum: ergo si filia vel filius se sentiat vocatum ad statum Religiosum, potest illum amplecti per se loquendo, quantumvis Parentes contradicant. Ratio autem posterioris est: quia opera præcepti (quale est honor Parentum) propter nulla opera consilii sunt prætermittenda: at, succurrere Parentibus in gravissima vel extrema necessitate constitutis est opus præceptum, ingredi vero Religionem, est Casus consilii duntaxat, juxta illud *Matth.* 19. *c. si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes & sequere me &c.* ergo huic debet præferri illud prius.

571. Dixi autem notantur: *Si parentes sint constituti in vere gravi vel extrema necessitate, propterea que filii sublevamine indigeant &c.* Nam, si parentum necessitas vel nulla vel certe gravis non est, seu talis, e qua proprio conatu facile levari possint, aut si sint alii, qui possint & velint succurrere &c. vel si nulla aut exigua, aut omnino incerta spes affulgeat, fore, ut filius manens in sæculo &c. eos sublevare possit; & a fortiori, si Parentes non nisi vanis, aut futilibus motivis, carnali aut politico affectu contra nitantur filius nullatenus tenebitur eisdem morem gerere, præsertim si prævideat, se in sæculo pluribus & gravioribus periculis corporis aut animæ expositum iri; in talibus enim circumstantiis flocci pendendæ sunt Parentum vel amicorum lamentationes vel lachrymæ, sed potius fortiter contemnendæ, juxta consilium D. Hieronymi *in Epist.* 1. *ad Heliodor.* ubi ait: *per calcatum perge Patrem, per calcatam perge Matrem; nam summum genus pietatis est, in hac re fuisse crudelem.* Videatur Reiffenstuel *l. cit. num.* 78. vel ea, quæ diximus *part.* 3. *Theolog. dec. Confer.* 19. *num.* 538. & 539.

Quæres quinto, qualis debeat esse habitus, & locus Novitiorum educandorum?

572. R. Breviter ad primum membrum hujus quæsiti. Habitus Novitii per se loquendo debet esse talis, qualis præscribitur in constitutionibus illius ordinis, quem vult amplecti: Ita *ex communi DD.* Panormitanus *in cap. super eo de Regul.* Henno *q.* 5. *concl.* 1. Ratio est: quia omnino congruum videtur, ut Novitius volens probare Religionem, portet habitum illius, secus non posset experiri difficultates Religionis, e quibus non minima est portatio habitus: hanc ob causam Sylvester, Miranda & alii nonnulli existimant, portationem habitus esse de substantia novitiatus; quod tamen KerKhove, Krimer, Pichler, Holzmann, aliique probabilius negant; eo præsertim, quod nec in jure antiquo, neque Tridentini novo aliquid præceptorie, aut irritatorie statuatur circa gestationem habitus, proptereaque in Hibernia & Anglia, aliisque hujusmodi locis hæresi infectis, Benedictini, Jesuitæ, & Recollecti Novitios suos probant in habitu sæculari, nemine reclamante, inquit Henno *l. cit.* Neque vero absolute necessum est, ut Novitius ante professionem omnes omnino austeritates Ordinis experiatur, veluti patet de Novitiis multo Novitiatus tempore infirmantibus: hac de causa Provinciales in ordine Seraphico quoad formam habitus dispensare possunt cum Novitiis, quando secundum Deum iisdem visum fuerit esse expediens.

573. R. Jam ad alterum membrum ejusdem quæsiti. Locus Novitiatus debet esse vel in aliquo Monasterio, vel in aliqua domo ejusdem Religionis. Henno *l. cit. concl.* 2. Ratio est: quia Novitii debent posse competenter instrui secundum ritus, & observationem Religionis propriæ: hoc autem extra Monasterium, vel aliam domum ejusdem Religionis, vix, aut ne vix quidem poterit fieri: ergo &c. hac de causa *in nostris statutis Generalibus c.* 1. §. 6. ordinatur, ut seligantur tales Conventus, qui sint a sæcularium commercio sequestrati. Sapienter etiam monet Rodriquez *cit. tom.* 3. *q.* 14. *art.* 5. Novitiatus esse instituendos in Conventibus magis reformatis, id est, in illis, in quibus disciplina claustralis magis flo-

ret;

ret; quemedmodum enim in aliis minus disciplinatis facile possent scandalizari; ita e contrario in aliis, ubi disciplina claustralis accuratius observatur, ædificabuntur, & odorem regularis disciplinæ, quo fuerint semel imbuti in sua juventute, servabunt diu immo diffundent in posteros.

Quæres sexto, utrum annus Novitiatus debeat esse integer, ac continuus, ita, ut si interrumpatur moraliter, vel non expleatur, non valeat?

574. R. Annus Novitiatus debet esse continuus de momento in momentum, & ita integer, ut si vel hora deficiat, professio probabilius sit nulla. Ita Fagnanus, Azorius, Navarrus, Lessius *l.* 2. *cap.* 41. *n.* 59. Miranda *tom.* 1. *q.* 22. *a.* 3. *concl.* 2. & alii *communiter*. Ratio hujus desumitur ex Concilio Trident. *SS.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* ubi requirit ad valorem professionis, *ne minori tempore, quam per annum Novitia in probatione steterit*: at, cui vel unica hora deficit, minori tempore, quam per annum stetit &c. ergo Unde hic non valet illud proverbium, *parum pro nihilo reputatur*, eo quod lex aliter de hoc disposuerit. Quod autem debeat esse continuus de momento in momentum, Ratio hæc est: quia quoties in aliquo decreto determinatur tempus, id necessario debet esse continuum, nisi ex subjecta materia, vel præsumpta voluntate aliud habeatur, prout tradit Guttierez *l.* 1. *QQ. canon. cap.* 12. *num.* 24. Wiestner *l.* 3. *tit.* 31. *n.* 26. ergo cum Tridentinum requirat ad valorem integrum annum Novitiatus, is omnino debet esse continuus: propterea que in nostris constitutionibus generalibus *cap.* 1. §. 11. *num.* 3. ordinatum fuit, ut si Novitius hoc anno sacro induatur habitu 4. Octobris, anno sequenti non emittat S. professionem, nisi quinta die ejusdem mensis: idque etiam observatur in anno bissextili.

Quæres septimo, utrum completo anno probationis professio possit differri?

575. R. Potest, subsistente tamen vere gravi, & rationabili causa, utputa, si Novitius diu fuerit ægrotus, ut de ejusdem idoneitate merito dubitare liceat, vel si Novitia dotem promissam adferre nequeat, aut Parentes nolint stare promissis &c. &c. Lessius *l. cit. n.* 59. Henno *ubi supra q.* 5. *post conclus.* 4. *Petes &c.* Ratio est; quia cum intersit Monasteriis, non recipere homines ineptos, inusuales, vel sine dote &c. atque ob hujusmodi causam Novitius omnino posset expelli, a fortiori poterit differri professio. Minime tamen indulgendum est, ut professio differatur diutius ob futilia motiva, utputa ideo duntaxat, ut Parentes & amici possint interesse professioni, vel, ut possint hospites lautius, vel delicatius tractari in mensa, aut ut possit parci sumptibus &c. &c. Cum enim Novitius habeat jus quæsitum ad professionem, hinc non debet diu privari hoc suo jure: & quid, si talis Novitius interea incideret in gravem infirmitatem, nunquid incurreret periculum excidendi sua vocatione, non sine dispendio salutis?

Quæres octavo, an Novitius teneatur ad observantiam S. Regulæ, præceptorum, aut statutorum illius Religionis, quam cogitat amplecti?

576. R. Per se loquendo non tenetur sub culpa, licet 2. Prælatus transgressorem possit punire. Ita *communis DD.* Sanchez *l.* 16. *mor. c.* 10. *n.* 7. Sylvester *Verb. Religio* 5. *q.* 6. Pirhing *l.* 3. *tit.* 31. *n.* 69. Ratio prioris est: quia Novitii nulla lege, aut promissione, aut voto sese obligasse supponuntur, proptereaque ipsis semper manet integrum reverti ad sæculum, vel non reverti: ergo non est, cur dicamus eos in conscientia obligatos ad observantiam Regulæ, aut statutorum &c. &c. Ratio autem posterioris est hæc: quia probatio religiosa Novitium subjicit Prælato tanquam Clericum Episcopo, ut proin Prælatus habeat in ipsum jurisdictionem quasi Episcopalem, quantum opus est ad debitum Monasterii, & ipsius etiam Novitii regimen: ergo potest delinquentem corrigere ac punire; secus enim disciplinæ monasticæ non foret satis consultum.

577. Dixi etiam, quod Novitius per se loquendo non teneatur sub culpa &c. Nam si Novitius transgrediatur Regulam aut statuta ex contemptu, vel

cum

cum scandalo, & malo exemplo aliorum, aut perturbatione disciplinæ regularis, incurrit reatum conscientiæ; quia hæc repugnant legi naturali, ad cujus observantiam etiam Novitii tenentur: Profecto *dignum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam*, *cap. Recollentes*, 3. *de statu Monach.* Æquitas insuper postulat, ut Novitii gaudentes privilegiis professorum, pariter sentiant onera eorundem *arg. Cap. Qui sentit.* 55. *de Reg. Jur. in sexto*, ergo congruum omnino est, ut si velint degere in Monasterio, communemque vivendi regulam profiteri, eandem observare discant tempore Novitiatus; secus dimitti merentur; cum de talibus nil boni sperandum sit. Vid. Azorius *punt.* 1. *lib.* 12. *cap.* 9. *quæst.* 10. Reiffenstuel *ubi supra num.* 125. & 126. Wiestner *l.* 3. *tit.* 31. *num.* 41.

Quæres nono, an, vel quo tempore Novitius valeat disponere de rebus suis?

578. R. Potest Novitius quolibet probationis tempore disponere de bonis suis liberis 1. dispositione *mortis causa* fieri solita utputa condendo testamentum, vel codicillum &c. &c. e contra 2. tamen de illis disponere nequit dispositione, quæ solet fieri *inter vivos*, utputa contrahendo, aut donando rem magni momenti, remittendo obligationes, aut debita notabilia, renuntiando juribus &c. nisi intra duos menses proximos ante professionem: & quidem cum licentia Episcopi, sive Ejus Vicarii. Ita *communiter* sentiunt Doctores.

Ratio primi est, quia Novitius toto probationis tempore retinet dominium, possessionem, & usum bonorum suorum, neque ulla lex ostendi potest, qua prohibeatur de illis disponere dispositione causa mortis: ergo hoc modo potest de illis disponere.

Ratio autem secundi petenda est ex decreto Concilii Tridentini *SS.* 25. *de Regular. c.* 16. ubi ita habet: *nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiamsi cum bujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita & nullius effectus.* Hactenus Concilium: ex quibus liquet veritas secundæ partis.

Sed cur, inquies, valent dispositiones mortis causa a Novitio factæ, & non etiam dispositiones fieri solitæ inter vivos?

579. R. Hæc est ratio: quia Concilium per præsentem dispositionem voluit consulere libertati Novitiorum & viam præcludere extortis professionibus: Dispositio enim inter vivos illa dicitur, *qua quis vult rem suam etiam se vivente esse alterius*: jam, si Novitius de rebus suis magni momenti disponeret, vel donando, vel renuntiando &c. & talis dispositio esset valida, fieri posset sæpius, ut talis Novitius disponeret in maximum sui præjudicium, & tandem in Novitiatu animadvertens se jam destitutum omnibus mediis ac subsidiis, non amplius auderet reverti ad sæculum, sicque nolens volens cogeretur deponere professionem in Claustro: e contra dispositiones quæ mortis causa duntaxat fiunt, *non transferunt dominium iu alium, nisi post mortem disponentis*: ergo per talem dispositionem mortis causa factam nihil omnino præjudicatur libertati Novitii, quo minus hic, utpote gaudens adhuc dominio bonorum suorum, libere possit reverti ad sæculum.

580. Dictum insuper fuit, quod Novitius disponere nequeat dispositione inter vivos *de rebus magni momenti & ponderis*; nam secus dicendum est de dispositione circa res exigui momenti; propterea namque egressus e Religione Novitio non redderetur difficilis, sicut nec ex contractu inter vivos oneroso, vi cujus idem Novitius tantum aquirit, quantum dedit, proptereaque hujusmodi contractus vel etiam renuntiationes, dispositiones &c. essent validæ &c. prout animadvertunt Sanchez *in Decal. l.* 3. *c.* 5. *n.* 28. Lezana *tom.* 1. *c.* 24. *de Novit. n.* 35. Augustinus Michel *tom.* 2. *de statu Religios. q.* 2. *pu.* 3. *per tot.* quem vide, si placet.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de statu Religioso.

CASUS PRIMUS.

Titius honestus juvenis poeseos studiosus vocatum sese sensit ad certum quendam statum Religiosum, verum cum eodem anno quo vacavit studio poeseos Parens opifex fuerit e vivis sublatus; hinc Mater vidua & aliquot prolibus onerata instantissime urget & vult, ut Titius velut natu major filius abjecto studio addiscat artem mechanicam, qua sibi & aliis prolibus a parente relictis lueretur panem quotidianum, vel certe resolvat se ad statum Petrinum, in quo major apparet spes suo tempore lucrandi tantum, quantum & ipse, & Mater ac reliqui consanguinei opus habebunt. Venit propterea Titius multum consternatus ad arbitrum conscientiæ suæ, sciscitatus, an in his teneatur deferre Matri suæ, an vero neglecto Matris imperio tuta conscientia possit prosequi propositum suæ voluntatis, vel potius divinæ vocationis. Quid Titio interroganti respondebit Confessarius?

581. R. Confessarius dicat, Titium non teneri deferre Matris imperio de addiscenda arte mechanica. Ratio est: quia filius non tenetur neglecta sua vocatione manere in sæculo, nisi sit certa spes sublevandi necessitates Parentum &c. at, hic non apparet certa, vel certe non magna spes; quia cum artem mechanicam nondum sciat, profecto hanc intra tam breve temporis spatium tam perfecte non apprehendet, uti & sibi & aliis consanguineis sufficiat ad lucrandum panem necessarium, præsertim cum Mechanicorum, artem suam etiam bene callentium lucra hisce temporibus sint valde exigua: ergo non est, cur propterea & studia, & vocationis suæ negotium postponat. Utrum vero teneatur deferre Matri quo ad amplectendum statum Petrinum, colligendum est 1. an appareat certa spes obtinendi aliquod Beneficium suæ, aliorumque sustentationi congruæ sufficiens, vel non? si non: rursus non tenebitur amplecti statum Petrinum, ob rationes mox datas, sed poterit tuto amplecti statum religiosum, præsertim talem, in quo solent exponi, seu promoveri ad Parochias & Beneficia &c. &c. vel certe magnam erga egentes exercere liberalitatem. Si autem appareat certa spes obtinendi Beneficium, & per consequens sublevandi Matrem graviter indigentem, suadendum omnino erit, ut in hoc deferat imperio; nam charitas ac reverentia Parentibus debita hoc consulit, immo præcipit secundum dicta *num.* 570. Videatur de hoc Sylvester *Verb. Relig.* 2. *qu.* 7. Lessius *de Jur. & Just. lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 34. ubi bene animadvertit, non esse eandem obligationem in tali filio erga Fratres & sorores, quæ est erga ipsos Parentes; eo quod non sit inter illos ulla depredentia, sicut est inter Parentes & Proles, utpote a quibus acceperunt suum esse ac vivere &c. &c.

Sed quid, si Titius dicat, Patrem ex mera incuria, vel potius ingluvie conjecisse & seipsum & Matrem ac reliquam sobolem in tantam egestatem, eo quod nil laboraverit, sed potitando ac ventri indulgendo omnia dilapidaverit, atque hoc modo vitam sibimet præsciderit?

582. R. Hoc non obstante tenetur nihilominus filius succurrere Matri indigenti, si nemo alius sit, qui innopiam velit & possit sublevare simulque id possit filius efficaciter sine dispendio salutis. Ratio est: quia adhuc verum manet, quod Parens sit constitutus in vere gravi vel extrema necessitate, e qua se ipsam sublevare non potest; hinc quemadmodum si Parens propria culpa se-ipsum & Matrem conjecisset in gravem infirmitatem, e qua liberari non posset, nisi a filio, teneretur is ex lege naturali charitatis ac pietatis parentibus debitæ iisdem succurrere, etiam cum permagno suo incommodo; ita pariter tenebitur succurrere Parentibus, qui propria culpa se ipsos præcipitarunt in tantam indigentiam.

Dices adhuc. Quidsi autem Parentes incidant in talem necessitatem, posteaquam filius jam jam deposuit solennem professionem in aliquo Monasterio?

583. R. Ad hoc dubium breviter cum Cajetano, Navarro, Filliucio *tr.* 28. *n.* 9. & aliis equidem talem Religiosum adhuc teneri quantum moraliter potest succurrere v. g. rogando suum Præsulem, vel alios Patronos, quatenus velint inopiam eorum sublevare &c. non tamen tenetur propterea egredi e Monasterio. Ratio est: quia per solennem professionem jam mutavit statum, ita, ut non amplius subsit patriæ potestati, sed Prælato suo; ergo non amplius tenetur hunc statum deserere, esto adhuc debeat, quantum salvo suo statu potest, modo jam dicto succurrere. Casu quo tamen Parens incideret in extremam necessitatem, quæ aliter vel ab alio sublevari non posset, nisi a tali Religioso, teneretur is, petita tamen prius licentia etsi non obtenta, egredi; quia etiam extraneo in extrema necessitate constituto teneretur succurrere: quidni a fortiori proprio Parenti? Nihilominus in tali statu teneretur ad portandum habitum, & ad reliquas ordinis sui Constitutiones, quantum fieri moraliter potest, observandas: cessante vero necessitate extrema Parentum ocyus regredi ad suum Monasterium & pristinam obedientiam, quia tunc cessat causa excusans vel eximens talem Religiosum. Crediderim tamen, hunc casum omnino fore rarissimum; quia procul dubio inveniri poterunt, qui constitutis in extrema necessitate & possint & velint succurrere, quantum opus est absque eo quod talis Religiosus egrediatur e Monasterio. Videatur Filiucius *l. cit. n.* 10. Lessius *ubi supra n.* 34.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius in certo quodam Conventu Mendicantium Novitius, existimans, hoc genus vivendi genio suo non esse satis accommodum, postulavit sua vestimenta: sed quia credebatur id fecisse ex quadam animi levitate tantum, hinc eidem datum fuit tempus hac super re deliberandi, ne fortassis contingeret, eum hujus sero nimis pœnitere: elapso 24. *horarum spatio Sempronius iterato postulavit dimitti ad sæculum, cui superior respondit, eum incunctanter dimissum iri, ea tamen conditione ac lege* 1. *ut solveret habitum durante Novitiatus cursu valde attritum* 2. *ut pariter pro victu in singulas septimanas solveret florenum & medium. Venit proin Sempronius ad suum Instructorem, sciscitans, an revera ad hæc in conscientia teneretur? Quid respondebit Instructor Novitio?*

584. R. Instructor Novitio respondebit, eum ad hæc nullatenus posse obligari in conscientia. Ita *ex communi Doctorum* tenent Sylvester *V. Religio* 5. *q.* 8. Azorius, Suarez, Sanchez, quos citat & sequitur Pirhing. *l.* 3. *decret. tit.* 31. *n.* 65. Wiestner *eod. tit. n.* 37. Ratio hujus colligitur ex *c. pen. de Regular.* & *c.* 2. *eod. in sexto* nec non ex Trident. *SS.* 25. *de Regular. c.* 16. quibus in locis dicitur, quod Novitius nullatenus debeat impediri, quo minus libere intra annum (Novitiatus scilicet) ad sæculum redire possit: hæc autem libertas exeundi vel maxime impediretur in nostro casu; in quo supponitur, quod Superior non velit dimittere Sempronium, nisi persolutis prius expensis in victum & vestitum: ergo ad hoc (secluso speciali pacto) non potest, neque debet adstringi. Et ratio fundamentalis est hæc: quia probatio fit, non solum in bonum Novitii, sed etiam ipsius Religionis, cui Novitius sua servitia & obsequia vicissim impendit: nec refert, quod fortassis ob aliquam infirmitatem non potuerit multa præstare obsequia; hoc enim per accidens evenit. Hinc teste Barbosa *in cap. super. eo. de Regular. n.* 5. Sacra Congregatio Cardinalium declaravit, quod, si habitus pretio Novitii fuerint comparatus, eidem ad sæculum reversuro debeat restitui, non quidem habitus ipse, sed pretium valoris pro illo tempore, quo discedit, ita scilicet, ut si eundem notabiliter attrivit, pretium sit existimandum secundum deteriorationem habitus de præsenti attriti, veluti sapienter animadvertit Pellizarius *tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 28. apud Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 31. *n.* 122.

Limitant tamen Doctores non nihil hanc resolutionem 1. in casu, quo Novitius ficto duntaxat animo fuisset ingressus Religinoem, quia tunc censeretur expensas quasi suffuratus, ideo-

que teneretur has refundere. Ita Michel ubi supra *p.* 2. *n.* 13. Limitant 2. in casu, quo Novitius specialiter spopondisset se refusurum omnes expensas, vel 3. in Monasteriis, ubi viget consuetudo legitima refundendi hujusmodi expensas; prout (teste Reiffenstuel) vigetin nonnullis Monasteriis Monialium. Ita Engel & Holzmann *p.* 3. *tr.* 3. *n.* 577. Limitant denique tertio pro casu, quo habitus non fuit comparatus expensis ipsius Novitii, utpote pauperis, sed ex eleemosynis piarum personarum, eo fine datis, ut Novitius posset habitum solvere &c. &c. Ita Pellizarius *l. cit. n.* 29. Peyerinis, & Reiffenstuel *n.* 123. Ratio est: quia in hoc casu, ubi Novitius revertitur ad sæculum, cessat finis, ob quem Novitio ingrediendi Religionem eleemosynæ datæ sunt, nec immerito præsumitur, fuisse voluntatem Benefactorum, ut talis habitus potius Monasterio, quam Novitio ad sæculum revertenti cederet.

Dices. Ex hac ratione sequitur quod Mendicantes possint a Novitio revertente ad sæculum prætendere expensas pro victu; quia pariter præsumendum, quod Benefactores voluerint suas eleemosynas cedere pauperculis Religiosis potius, quam Novitio fortassis diviti, seu habenti unde solvat victum.

Confirmatur. Concilium Trident. *cit. cap.* 16. *de Regular.* prohibens ne a Parentibus aliquid de bonis Novitii ante professionem Monasterio tribuatur, addit expresse *excepto victu & vestitu*, ergo etiam Mendicantes possunt prætendere expensas pro victu, si Novitius revertatur ad sæculum.

586. R. Negando illatum & paritatem; nam eleemosynæ pro habitu non in alium finem fuerunt datæ, nisi ut Novitius illo utatur in ordine ad profitendam Religionem, minime vero ut eodem utatur in sæculo: e contra eleemosynæ pro victu v. g. frumentum, vinum, panis &c. offeruntur a Benefactoribus indifferenter, non solum ad sustentandos professos, sed etiam Novitios, eo fine, ut Deum laudent, & pro Benefactoribus fideliter orent; quod cum etiam Novitius faciat, quamdiu in Religione manet, non est, cur postea cogatur victum suum solvere. Unde nec refert, quod fortassis expensæ excedant servitia Novitii; hoc enim mere per accidens est; tum quia eleemosynæ a Benefactoribus dantur intuitu Religionis & suffragiorum, non vero intuitu servitiorum a Novitio præstitorum Religioni; tum etiam, quia si servitia a Novitio præstita excederent valorem expensarum, propterea is non posset aliquid exigere a Religione: ergo nec vicissim.

587. R. Jam ad Confirmationem, negando rursus consequentiam vel illatum; nam ex constitutione allegata plus inferri non potest, quam, a Parentibus vel propinquis &c. *aliquid Monasterio posse offerri de bonis Novitii, aut Novitiæ* pro victu & vestitu; quod & gratis fassi sumus; ast, longe diversa sunt *posse* offerri, & *debere* offerri, vel (secluso pacto singulari) posse velut de jure debitum prætendi, præsertim a Mendicantibus, intuitu eleemosynæ consumptæ a Novitio: & hoc posterius est, quod negamus, ob rationem proxime allegatam, ex mente Benefactorum eleemosynas offerentium. Nec facile crediderim, ullo unquam tempore a Mendicantibus dominii bonorum temporalium, etiam in communi incapacibus, quidpiam de solvendis alimentis pro Novitio in pactum fuisse deductum, multo minus invaluisse consuetudinem legitimam, deducendi expensas pro victu; corruptelam potius existimarem, quam consuetudinem legitimam, attentis præsertim declarationibus Cardinalium, mox præcedente numero allegatis.

CASUS TERTIUS.

Cajus studiosus opulentissimus ad certam Religionem Mendicantium susceptus, & Mundo proxime valedicturus, a suis propinquis lautissimo convivio fuit exceptus. Inter convivandum, dum solito latiorem jamjam animadvertissent, cœperunt singuli postulare, quæ sibi crediderant proficua & commoda: Cajus e contra omnibus gratificari desiderans, annuit singulis, uni donando agrum, alteri vineam, ter-

tertio remittendo ingens debitum, in favorem alterius renuncians certæ hæreditati vel juri succedendi, idque tanto liberiore animo, quanto majori æstu tunc anhelabat ad S. Religionem. Ast currente anno probationis incæpit sentire varias difficultates ac tentationes, prius prorsus improvisas, ita ut sibi plane persuaserit, se non posse sufferre Religionis hujus rigorem nunquam prius expertum; hinc tandem tentationibus inimici, vel etiam difficultatibus succumbens, repetit sæculum: paulo post egressus Monasterium cœpit gravioribus adhuc tentationibus obrui, & parum profecto abfuit, quin laqueo sese suspendisset ob nimiam pusillanimitatem, in quam incidit, dum apprehendit sero, se jam & sua vocatione excidisse, & amissis opibus, ad summam egestatem reductum fuisse; hinc totus quantus desperabundus venit ad Confessarium, sciscitans, an ergo non amplius possit evincere bona sua, amicis absolute quidem, sed intuitu Religionis amplectenda relicta. Quid Confessarius interroganti dabit responsi, vel consilii?

588. R. Confessarius Cajum jubeat bono esse animo, insinuando eidem, superesse adhuc magnam spem bona sua, saltem immobilia, & quæ ab amicis nondum sunt consumpta, denuo recuperandi. Ratio est: quia tametsi probabile sit, valuisse illam dispositionem, nihilominus non minus probabile, immo probabilius videtur, hujusmodi dispositiones ab ingressuris aliquam Religionem, intuitu Religionis ingrediendæ factas, nullius esse valoris; quandoquidem Concilium Trident. *SS.25. de Regular. c.16.* generaliter & absolute loquendo declarat, *nullas, seu irritas esse donationes vel renuntiationes* (intellige inter vivos) *factas intuitu Religionis, ante duos menses professionem præcedentes*, idque non ex alio fine, quam *ne Novitius hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel majorem partem substantiæ Monasterium, vel alii possideant, nec facile, si discesserit, id recuperare possit*: atqui etiam hæ donationes, renuntiationes &c. supponuntur factæ *ante duos menses professionem præcedentes*, & pro nullitate harum pugnat eadem ratio: ergo cum lex Tridentina loquatur universaliter & indistincte, de omnibus donationibus, renuntiationibus &c. ante duos menses factis, aliunde vero notum sit, quod, *ubi lex non distinguit, nec non distinguere debeamus, l. de pretio. ff. de publicia in rem act.* simulque urgeat finis legis, & mens legislatoris; hinc videtur probabilius, omnes illas donationes esse invalidas. Et ita tenent Navarrus *lib. 3. consil. de Regular. nu.* 81. & 82. Rodriquez *QQ. Reg. tom. 2. quæst. 84. art. 8.* Molina *tr. 2. de Just. disput. 139. n. 14.* Lessius *l. 2. c. 41. num. 40.* Guttierez *in cap. Quamvis factum. de Pact. in 6. §. dum nuptui tradebatur.* Laymann. *lib. 3. tr. 5. c. 7. n. 7.* referens pro hac re declarationem Cardinalium sequentis tenoris: *si donatio vel renuntiatio facta fuerit intuitu Religionis ingredienda, tunc tanquam facta in fraudem hujus Canonis* (Tridentinæ scilicet *loc. cit.*) *videtur subesse ejus dispositioni*, id est, nulla. Et dato etiam (non concesso) hanc nostram opinionem non esse probabiliorem, sed probabilem duntaxat (ut omnes admittunt) cum in dubio hoc speculativo potior sit conditio ejus, qui certat de damno vitando, quam qui de lucro captando; hinc æquitati consentaneum videtur, ut tali Juveni per beneficium restitutionis in integrum & possit, & debeat subveniri, idque non tantum si minorennis esset, sed etiam si majorennis, ait Engel *l. 3. tit. 31. n. 29.* ex illa generali clausula Prætoris in *lib. 1. ff. Ex quibus causis Majores*, ubi dicitur: *siqua alia mihi justa causa videbitur, in integrum restituam*: ad quam clausulam toties descendendum monet Ulpianus in *lib. sed etsi 26. §. item inquit ff. jam dict. tit. quoties equitas restitutionem suggerit.* Hinc

589. R. Jam secundo, Cajo a Confessario consulendum esse, ut prius amicos suos conveniat amicabiliter, exponendo mutationem status sui, & indigentiam præsentem, in qua ob distributionem bonorum suorum actu versatur, simulque eos requirendo, quatenus hæc sibi velint restituere. Casu quo autem hi recusarent restitutionem, jubeatur adire Episcopum, & ab hoc humiliter petere beneficium restitutionis in integrum: puto enim, inquit Laymann

loc. cit. fin. quod Episcopus re ad ipsum delata rescindere possit donationem, si ante ingressum facta videatur in fraudem Canonis Tridentini, idque ad tuendam intentionem & finem, quem Tridentinum Concilium spectabat. Nec dubium, quin sit exaudiendus &c.

Sed quid, si amicus absolute nolit aquiescere prætensioni Caij, eritne tutus in conscientia, ita, ut non peccet retinendo illa bona sibi donata?

590. R. Erit tutus in conscientia, quamdiu a Judice non fuerit condemnatus ad restitutionem; 2. minime vero post sententiam condemnatoriam Judicis. Ratio prioris est: quia sententia afferens valere hujusmodi donationes, est vere probabilis, utpote nixa auctoritate Doctorum, & rationum pondere, prout videre licet apud Donatum *in praxi Regular. tom. 2. p. 2. tract. 7. q. 20.* ergo cum supponatur ille amicus in possessione bonæ fidei, non tenetur amplius se ipsum spoliare, vel restituere possessa. Et ita tenet Laymann *loc. cit.* Ratio autem posterioris est: quia Episcopus vel Judex Ecclesiasticus ferendo sententiam condemnatoriam in ordine ad restituendum Cajum in integrum, juste agit, veluti constare potest ex proxime dictis: atqui sententiæ justæ judicis tenetur unusquisque acquiescere, nisi fundetur in sinistra præsumptione facti particularis, prout diximus: *de Restitut. Conf. 1. n. 15.* & habetur ex *l. 38. ff. de legibus, communique DD. sententia*: ergo supposita sententia condemnatoria Judicis, tenebitur talis amicus ad restitutionem bonorum. Si tamen bona illa præsertim immobilia, jamjam consumpsisset bona fide, nec inde esset factus ditior, ad nullam amplius refusionem teneretur, neque posset a Judice ad hoc compelli, secundum dicta *de Restitut. Conf. 2. num. 31.* Videatur, si placet La Croix *lib. 4. n. 1496.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

591. Colliges ex hactenus dictis primo, non esse censendos veros Religiosos, qui vel non emittunt tria vota substantialia, vel non sese obligant in perpetuum ad certam Regulam a sede Apostolica approbatam. Ita ex communi DD. Henno *tom. 2. tr. 3. q. 1. Resol. 1. & seqq.* Ratio horum patet ex supra dictis *n. 564. & 565.* quia emissio solennis votorum est de substantia Religiosi proprie dicti; ergo hac deficiente deficit substantia Religiosi. Hinc fit, ut Equites Hispani S. Jacobi, Alcantaræ &c. dici non valeant veri Religiosi; eo quod non voveant castitatem perfectam, sed conjugalem duntaxat. Idipsum tenendum est de Tertiariis S. P. N. Francisci, qui non emiserunt vota solennia, immo & de Eremitis, qui tria quidem vota emittunt, sed non solennia, ita scilicet, ut hæc ab aliquo Superiore, sub cujus directione ac jurisdictione stabiliter vivant, fuerint acceptata. Videantur de his Henno *l. cit.* vel Holzmann ubi supra *n. 559.*

592. Colliges secundo, quemvis Religiosum vi suæ professionis obligari, ut tendat ad perfectionem per media suæ Religionis (non per alia) hoc est, servando sua vota substantialia, nec non Regulas seu constitutiones particulares ita, ut per voluntatem contrariam, scilicet non tendendi ad perfectionem, graviter peccet: censetur autem habere voluntatem contrariam non solum ille, qui positive dicit seu intendit non tendere &c. sed & ille, qui Regulas vel constitutiones Ordinis contemnit, vel qui vult solum servare ea, ad quæ sub mortali obligatur, econtra venialia peccata deliberate admittit &c. Videatur Henno *l. cit.* La Croix *lib. 4. nu. 57. & 58.*

593. Colliges tertio, non peccare Prælatum contra justitiam, si ex justa causa non recipiat Candidatum ad S. Religionem aspirantem, esto is etiam supponatur dignus susceptione, vel omnino dignior alio, quem suscipit. Ratio

tio est: quia nullus Candidatus habet jus *ad Rem* seu Religionem, multo minus *in re*: ergo huic non fit injuria, dum repellitur; neque etiam Religioni; quia supponitur id fieri ex justa causa; quales possunt esse sequentes 1. quia locus non vacat; vel 2. quia fratres nimis multiplicarentur; vel 3. quia media sustentationis deficiunt, vel 4. quia suscipiendus noscitur esse malæ indolis, utputa capitosus, aut excessivo potui, discordiis, pigritiæ, aliisve vitiis deditus, aut infirmitatibus subjectus, vel 5. quia Prælatus urgetur violentis recommendationibus &c. proptereaque cogitur quasi relicto digniore suscipere minus dignum: & quia hujusmodi causæ rarius abesse solent; hinc fit, ut Prælati rarius peccent, dando repulsam supplicantibus pro S. Ordine; tametsi fatendum, quod posset peccare, saltem contra charitatem proximo debitam, si absque omni justa causa Candidatum vere dignum reppelleret, immo & contra justitiam respectu Religionis, quam subjecto digno privaret, & hoc ipso male uteretur potestate sibi concredita. Videatur Henno *cit. q. n. 3. conclus. 3.*

594. Colliges quarto, Novitiatum moraliter toties interrumpi, quoties Novitius secundum moralem existimationem, seu prudens judicium, censetur mutasse suum statum, & non esse amplius in probatione, uti fit non solum tunc, quando deposito habitu Religionis positive egreditur e Monasterio, reversurus ad sæculum, sed etiam tunc, quando retento habitu furtive egreditur animo non amplius revertendi, esto etiam post modicum tempus v. g. post unam alteramve horam facti sui pœnitens reverteretur. Ratio est: quia talis revera mutavit statum suum, quem per ingressum assumpserat, & exercuit actum continuationi probationis contrarium. Ideoque teneretur annum Probationis de novo inchoare. Hinc in nostris statutis Generalibus *Cap. 1. §. 11. n. 2.* expresse dicitur; *nec Novitii Conventum exeant ullo modo, sive cum habitu, sive sine illo, nisi ratione translationis ad alium Conventum, aut inevitabilis causæ, auctoritate R. P. Ministri cum consilio P. Guardiani & discretorum approbanda: alias vel omnino dimittantur, vel annum probationis de novo incipere cogantur.* Videantur de hoc Kerkhove *in statut. loc. cit.* vel Holzmann *n.* 568.

Sed quid, ais, tenendum de illo Novitio, qui vel ex iracundia, vel ex vehementia tentationis in Monasterio existens abjecit habitum & induit sua vestimentia sæcularia, sed mox pœnitens factus reassumpsit habitum Religionis, prius, quam e Monasterio egrederetur?

595. R. Propterea probabiliter non fuisse inrerruptum annum probationis. Ita Henno *ubi supra q. 5. Resol. 4. post. Concl. 4.* Kerckhove *l. c. n.* 18. Suarez, Peyerinus, & alii. Ratio est: quia talis nondum censetur perfecte statum suum mutasse, aut Religionem deseruisse, quandiu necdum e Monasterio exivit, & ideo posset etiam a Superiore habitu Religionis exutus, & indutus sæculari, continuare probationem, si ante egressum iterum paulo post de licentia Superioris eodem Religionis habitu reindueretur.

596. Colliges quinto, Novitium valide confiteri posse confessario sæculari, vel Regulari ab Episcopo approbatis. Ita Miranda *tom. 2. q. 34. art. 16.* Portel. *dub. Reg. V. Novitii absolutio n. 34.* Kerkhove *cit. §. 7. n. 4.* Hyacyntus Donatus *in praxi Regul. tom. 2. par. 2. tr. 6. q. 20. & alii communiter.* Ratio est: quia Novitii in odiosis non veniunt nomine Religiosorum, sed habentur velut laici, prout communiter tenent DD. & constat ex *Reg. 15. de R. I. in sexto*, nec non ex *Cap. 21. §. quamvis, de Sent. Excomm. in sexto*: atqui obligatio Confessionis censetur quid odiosum: ergo sicut alii laici possunt confiteri cuilibet Sacerdoti ab Episcopo approbato: Ita & Novitii, possent absolvi a casu in Religione reservato v. g. voluntarie procurata pollutione; quia secundum dicta superius *num.* 576. Novitii nondum sunt obligati ad observantiam Regulæ, aut statutorum, & hoc ipso nec obligatio confitendi v. g. soli Magistro Novitiorum (ut plerumque moris est) neque reservatio Casuum in Ordine præcise, Novitium afficit. Putat tamen Donatus *loc. cit. n. 5.*

n. 5. Confessarium Regularem non approbatum in Religione pro confessionibus Novitiorum graviter peccaturum, absolvendo hujusmodi Novitium sine vere gravi causa; tum quia usurpat sibi munus deputati pro Novitiis; tum etiam, quia in re gravi agit contra intentionem sui Superioris &c. &c.

Verum id colligendum erit ex voluntate Superioris; de quo (meo judicio) non est facile præsumendum, quod sit graviter invitus, interveniente rationabili causa, præsertim si hoc una duntaxat vel altera vice fieret, nec ex parte confessarii vel Novitii occurrant aliæ circumstantiæ prohibitionis.

At (inquies) ponamus, in Conventu aliquem Confessarium, qui ab Abbate vel suis Superioribus sit approbatus pro *solis Religiosis*, non vero pro excipiendis Confessionibus sæcularium, poteritne valide saltem absolvere talem Novitium ad se recurrentem v. g. ex speciali confidentia &c. &c.?

597. R. Affirmative (contra Hyacintum *l. cit. q.* 21. qui negat id fieri posse extra casum necessitatis.) Ratio hujus resolutionis est: quia *secundum communissimam Doctorum* nomine Religiosorum veniunt etiam Novitii *in favorabilibus*, licet non *in odiosis*: atqui posse confiteri, vel *posse* Novitium *absolvi* a tali Confessario pro solis Religiosis deputato, est quid favorabile, licet odiosum sit *debere confiteri*: ergo tametsi non teneatur confiteri Confessario Religioso, potest tamen, si velit. Secus dicendum foret, si Prælatus talem Religiosum ab Episcopo non approbatum expresse voluisset privare jurisdictione in Novitios; quo casu procul dubio nedum illicite, sed & invalide absolveret.

598. Colliges sexto, Novitios propter defectus contra Regulam vel statuta Ordinis suscepti commissos posse a Prælato puniri. Ita *ex communi Doctorum* Holzmann *num.* 575. Henno *q.* 7. *concl.* 3. Laymann *lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 4. *num.* 3. Ratio est: quia dum Novitius sese Religioni gubernandum tradit ac probandum, e contra Religio in se suscipit onus providendi &c. eidem de necessariis, Prælatus jurisdictionem quasi Episcopalem in eundem accipit: & omnino justum est, ut dum exeundo e sæculo eximitur a jurisdictione Episcopali, intrando Religionem subjiciatur jurisdictioni Regulari: ergo licet ante professionem nondum teneatur ad observantiam Regulæ vel statutorum, nihilominus propter horum transgressionem potest puniri; ita, ut si nolit pœnam subire, possit expelli; secus enim bono disciplinæ regularis non foret satis provisum, si Novitii possent eam impune infringere. Unde Superior potest ipsum cogere, etiam per censuras, ut in casibus occurrentibus veritatem aperiat, leges Dei & Ecclesiæ &c. custodiat, & si secus fecerit, secundum gravitatem delicti, nedum expellere, sed & aliis gravioribus pœnis v. g. carceris in eum animadvertere.

599. Colliges septimo, Novitio reversuro ad sæculum a Superiore Religioso omnia esse restituenda quæ secum tulit, immo etiam illa quæ Parentes aut alii consanguinei, Curatores &c. de bonis ejusdem Monasterio donarunt, excepto eo, quod datum est pro victu & vestitu. Ita Sanchez *in decalog. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 22. Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi p.* 3. *alleg.* 101. *num.* 37. Ratio hujus patet ex constitutione Trident. *de Reg. ss.* 25. *cap.* 16. ubi hoc clare decisum legitur. Hoc tamen intelligi debet solum de rebus majoris momenti, non item de illis, quæ attentis facultatibus Novitii sunt exigui momenti, prout bene advertit Sanchez *loc. cit. num.* 22. Concilium enim prohibendo hujusmodi donationes, nil aliud intendit, quam consulere libertati Novitiorum, ne scilicet, vel inviti detinerentur in Religione, qui finis cessat, ubi donatio est exigui momenti, nam propter talem nullus cogetur manere in Monasterio: cessante autem fine legis, cessat obligatio ejusdem *argum. l. quod dictum ff. de pactis*: ergo &c.

600. Colliges denique octavo, non esse absolute condemnandam praxin certarum Religionum, quæ in die investitionis Novitii aut Novitiæ prandium quoddam commune recipiunt; Ita Henno *tom.* 2. *tr.* 3. *disp. un. q.* 6. *Resol.* 3. *post. concl.* 1. Ratio est: tum quia non appa-

apparet verisimile, hoc fuisse a Concilio Tridentino reprobatum; præsertim quia secundum Toletum & multos alios hoc venit nomine victus, cujus intuitu aliquid offerri vel recipi potest. Dixi autem: *prandium quoddam commune*; enimvero improbanda videtur praxis illa nonnullarum Monialium, quæ pro Convivio in die investitionis adornando exigunt, vel potius extorquent quinquaginta, sexaginta, vel amplius adhuc florenos a Parentibus (& singulis quidem, si plures Novitias simul vestiri contigerit) solvendos &c. quia per solutionem talis summæ hæreditas aut dos talis puellæ fortassis non nisi mediocriter divitis, notabiliter diminuitur, & hoc ipso regressus ad sæculum notabiliter redderet difficilior; quod utique repugnat menti ac fini altefatæ constitutionis Tridentinæ, proptereaque statuta nostra generalia *cap.* 1. §. 2. *num.* 8. sapienter prohibuere ad puriorem nostræ Regulæ, & Concilii Tridentini observantiam, *ne ullatenus convivia, pitantiæ, cibi vel potus, occasione vestitionis Novitiorum admittantur*. Videantur de hoc Barbosa *in hunc locum Trident. n.* 47. vel Kerckhove *in statut. c.* 1. §. 2. *n.* 16.

CONFERENTIA
DECIMA OCTAVA

De professione Regularium, nec non de voto Obedientiæ, & Castitatis.

SUMMARIUM.

601. *Professio Religiosa est promissio libere facta &c. & acceptata;*
602. *Eaque duplex, scilicet expressa, vel tacita.*
603 *Recensentur breviter variæ conditiones, ad valorem Professionis necessariæ.*
604. *Rursus aliæ necessariæ ad hoc, ut licite deponatur.*
605. *Nos fratres Minores probabilius non tenemur sub voto ad omnia in S. Regula contenta.*
606. *Satisfit fundamento principali Adversariorum.*
607. *Cuilibet Religioso invalide professo fas est, intra quinquennium a die professionis reclamare.*
608. *Recensentur breviter duplicis generis impedimenta, professionem irritantia.*
609. *Fas est etiam Religioni, invalide professum expellere.*
610. *Sed hoc cum præscitu, & consensu Ordinarii.*
611. *Superiorum præcepta alia dantur secundum Regulam, alia supra, & alia infra Regulam.*
512. *Vi Voti Obedientiæ Religiosus tenetur obedire Superiori suo in omnibus, quæ præcipiuntur secundum Regulam.*
613. *Non item (per se, & regulariter loquendo) in iis, quæ sunt supra, vel infra Regulam.*
614. *Vi Voti Castitatis quivis Religiosus tenetur perpetuo abstinere ab omni actu venereo, tam inquam externo.*
615. *Fratres Minores insuper ex speciali præcepto Regulæ tenentur abstinere ab omni suspecto consortio cum Mulieribus.*
616. *Resolvitur Casus I. de quodam Religioso, reclamante contra suam professionem solenniter factam.*
617. *Quidnam tali a Confessario consulendum sit;*
618. *Præsertim si prævideatur, cum defectu probationis sufficientis Romæ auditum non iri.*
619. *Resolvitur Casus II. de quadam Moniali, post professionem ob morbum epilepsiæ subdole reticitum ejecta e Monasterio;*
620. *Sed male; quia sine præscitu, & consensu Episcopi.*
621. *Hinc, si Moniales fateantur, se jam tempore Novitiatus aliquid notasse in tali Novitia, vix, aut ne vix quidem audientur Romæ.*
622. *Resolvitur Casus III. de quodam Religioso, qui jussus assistere Confratri moribundo, tergiversabatur parere, ob periculum infectionis.*
623. *Hinc potuit a suo Superiore cogi ad hoc.*
624. *An quivis Superior posset ad hoc obli-*

obligare subditos suos, v. g. tempore contagionis.

625. *Professio ante expletum annum Novitiatus est nulla, nisi fiat causa mortis.*
626. *Nulla etiam est professio, nisi acceptetur a Superiore legitimo, tametsi optima fide fuerit facta.*
627. *Reclamandi facultas illis duntaxat permittitur, qui certo sciunt, suam professionem esse nullam &c. neque ratificatam.*
628. *Ad valorem ratificationis necessum est, ut Ratificanti constiterit de nullitate professionis.*
629. *Non tamen opus est novo consensu ex parte Ordinis, multo minus novis ceremoniis.*
630. *Reclamans contra professionem validam peccat graviter, manetque obligatus tam Deo, quam Religioni.*
631. *Quidnam importet Solennitas votorum.*
632. *Religiosus transgrediendo mandatum Superioris in materia gravi, peccat graviter, per se loquendo.*
633. *Quando Superior juste præcipit.*
634. *Et hoc a fortiori, si Religiosus ex contemptu moveatur ad non parendum.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos, tum de professione, tum etiam de votis Obedientiæ &c.

QUæres primo, quid, & quotuplex sit professio Religiosa?

601. R. Ad primam partem hujus quæsiti. Professio Religiosa est promissio libere facta, & legitime acceptata, qua fidelis in debita ætate constitutus, post annum probationis expletum sese adstringit certæ Religioni ab Ecclesia approbatæ. Ita cum *communi DD.* noster Kazenberger *in suplem. decalog.* P. Sporer *c. 2. nu.* 128. tota hæc descriptio patebit ex proxime dicendis de conditionibus validæ professionis; unde ulteriori terminorum explicationi supersedeo. Et

602. R. Ad secundam partem hujus quæsiti. Religiosa professio est duplex, videlicet *expressa* & *tacita*. Ita rursus *communiter DD.* & habetur *ex cap.* 1. *de Regular. in sexto*. Explico breviter: *Expressa* dicitur, quæ fit verbo vel scripto, vel alio consimili modo satis expressivo, prout fit in ordine nostro Fratrum Minorum sequentibus verbis: *Ego Frater N. voveo & promitto Deo omnipotenti --- servare Regulam Fratrum Minorum per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate;* vel, uti fieri solet in S. Ordine Prædicatorum (teste Donato) *Ego Frater N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo --- & quod ero obediens tibi, tuisque successoribus usque ad mortem.* Tametsi Doctores communiter fateantur, non esse necessariam aliquam certam formulam professionis. *Tacita* vero professio, quando quis signo, vel alio facto (præscindendo ab omnibus verbis, aut scriptura) manifestat suam mentem, obligandi scilicet sese ad tria vota, & certam Regulam, prout fieri censetur, si quis post peractum Novitiatus annum gestet habitum professis proprium *c.* 22. *de Regular.* vel si exerceat actum solis professis competentem, utputa suffragando in capitulo &c. &c. Verum, hæc tacita professio hisce temporibus non amplius invenit locum, nisi in casu valde raro, quo quis professionem expressis verbis nulliter factam vellet ratificare, prout DD. satis communiter animadvertunt. Videantur de his Miranda *in Manuali Prælat. tom. 1. q. 25. a. 2. & 3.* Donatus *tom. 2. p. 2. tr. 10. qu. 2.* Wiestner *l. 3. Decret. tit. 31. n. 73. & seqq.*

Quæres secundo, quænam conditiones requirantur ad validam, & quænam ad licitam professionem?

603. R. 1. Ad validam professionem varii varias congerunt conditiones, quas majoris claritatis causa puto congrue reduci posse ad tria capita. Et quidem præ ceteris requiritur.

I. Qualitas, seu aptitudo personæ profitentis: ad hoc vero, ut censeatur apta, necessum est 1. ut sit Baptizata. 2. ut sit compos rationis, nec mente capta. 3. ut integro anno moraliter non interrupto post susceptum habitum in probatione steterit. 4. ut mathematice compleverit annum decimum sextum ætatis. 5. ut, si fuerit ligata matrimonio,

nio, & quidem jam consummato, obtineat consensum alterius conjugis, exceptis casibus in jure expressis. 6. Ut si fuerit servus proprie dictus, seu mancipium, prius a suo domino obtinuerit libertatem. Si sit Episcopus jam confirmatus vel consecratus, impetret licentiam Papæ. Rationes horum potissimum petendæ sunt ex jure Ecclesiastico, Concil. Trident. *SS.* 25. *de Regular. c.* 15. prout videre licet apud Laymann *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 3. *& seqq.* Azorium *to.*1. *l.* 12. *c.* 2. *qu.* 6. *&* 7. Lessium, & alios passim.

II. Requiritur ad valorem professionis, ut fiat sponte, seu libere, id est, sine metu injusto seu gravi, cadente in constantem virum; quia talis professio se habet ad instar cujusdam matrimonii spiritualis vi cujus professus ponitur in statu perpetuo, ut habetur ex *c.* 14. *de his, quæ vi &c.* quemadmodum ergo matrimonium carnale non subsistit, ubi intervenit metus gravis, seu cadens in constantem virum, & quidem injuste incussos in ordine ad extorquendum consensum matrimonii *cap.* 14. *de sponsal.* ita pariter subsistere nequit professio, ceu matrimonium spirituale. Quinimmo, si ad metum reverentialem accedant minæ, gravis indignatio v. g. Parentum, aliave pericula magnorum incommodorum, rationabiliter metuenda, & ex tali metu professio fiat, suo carebit valore, prout in simili diximus de matrimonio carnali *part.* 3. *Theolog. Sacram. Confer.* 8. *num.* 192. Laymann *l. cit. n.* 6. referens pro hac doctrina Covarruv., Veracrux, Sanchezium, & alios plures.

III. Requiritur, ut professio fiat ex animo, & cum consensu tum ipsius profitentis, tum etiam Superioris, cujus est incorporare Religioni. Ratio est: quia professio solennis consistit in quodam contractu mutuo, quo ex una parte Religiosus profitendo sese obligat ad obediendum, ex altera vero parte Superior, cujus est incorporare, nomine Religionis se obliget ad curam illius, id est, ad victum ac vestitum, aliave necessaria tali Religioso professo procuranda, veluti explicat more suo eleganter Doctor Angelicus *quodl.* 1. *art.* 15. *in corpore ad primum*, atqui contractus nequit fieri sine consensu partium, promittentis & acceptantis &c. ergo &c. Necessum tamen minime est, ut talis Superior semper per se ipsum, seu in propria persona acceptet professionem, sed sufficit, quod hoc faciat per alium a se delegatum, veluti praxis docet, præsertim in nostra Religione seraphica. Videantur de his Augustinus Michel *de statu Religios. quæs.* 2. *pun.* 4. *per tot.* Donatus *lib. cit. q.* 6. Kazenberger *n.* 129. Reiffenstuel *l.* 3. *Decret. tit.* 31. *a. n.* 167.

604. R. Jam secundo: Ad licitam professionem præter conditiones mox recensitas insuper desiderantur sequentes conditiones 1. ut non sit corpore notabiliter vitiatus, utputa cœcus, claudus, lepra, morbo gallico, vel alio multum præjudicioso affectus. 2. ut non sit infamis, aut saltem reus alicujus gravis criminis in foro externo probabilis, cui pœna mortis, mutilationis, exilii, vel carceris perpetui est taxata in jure. 3. ut non sit obligatus ad ratiocinia, neque ære alieno gravatus. 4. denique ut Parentes ipsius ope & opera non indigeant. Rationes horum desumuntur ex diversis juribus, videndis apud nostrum P. Kerckhove *in statut. gener. cap.* 1. *§.* 1. *num.* 28. *& seqq.* Reiffenstuel *lib. cit. num.* 72. Holzmann *cit. cap.* 3. *a num.* 582. & alios plures.

Quæres tertio, utrum nos Fratres Minores ad omnia in S. Regula contenta teneamur sub voto, ita, ut si quis transgrediatur v. g. jejunium, nedum contra virtutem temperantiæ, sed etiam contra votum, seu virtutem Religionis delinquat, & committat duplex peccatum?

605. R. Non tenemur ad omnia in Regula contenta sub voto, sed solum ad obedientiam, paupertatem & castitatem, ad reliqua vero vel sub præcepto Regulæ, vel sub consilio respective, secundum diversitatem scilicet materiarum. Ita tenent noster Miranda ubi supra *q.* 25. *art.*2. *concl.* 2. Kerckhove *l. c. c.* 1. *§.* 14. *n.* 16. Kazenberger *n.* 144. & alii plures contra nonnullos, præsertim Thomistas. Ratio nostra est:

est : quia Frater Minor vovendo seu promittendo servare Regulam, nil aliud intendit, quam sese subjicere Regulæ sub ea obligatione, sub qua hæc vult obligatos sui sequaces : atqui ex declaratione Nicolai V. *in cap. Exiit : de Verb. sign. in sexto*, Regula nostra vel potius Legislator S. P. Franciscus non voluit suos sequaces obligatos sub voto ad omnia quæ in Regula continentur, sed solum ad obedientiam, paupertatem, & castitatem sub voti obligatione, ad aliqua vero sub præcepto, ad alia denique sub nulla obligatione, sed solum sub consilio &c. ergo non tenemur ad omnia sub voto &c.

Confirm. Quia vel teneremur ad observationem, v. g. jejunii &c. ex voto solenni, vel ex voto simplici? at, deponendo professionem solennem, nullus cogitat de deponendo voto aliquo simplici : ergo non ex voto simplici. Sed neque ex voto solenni : quia in nostra S. Religione non dantur nisi tria vota solennia, scil. obedientiæ, paupertatis, & castitatis ; sub quibus certe intelligi non petest obligatio jejunandi ; secus enim ceteri omnes Religiosi voventes hæc tria, vel saltem obedientiam explicite secundum regulam, tenerentur ex voto servare, quæ in eorundem Regulis proponuntur : ergo &c. Adde, ex hoc sequi, quod si Superior dispensaret cum aliquo subdito in jejunio, in horis dicendis &c. deberet dici dispensare in voto solenni : at hoc nullus sanæ mentis dixerit : quia nullus Superior Regularis dispensare valet in voto solenni : ergo &c.

Dices contra hoc : Frater Minor deponendo professionem dicit : *voveo & promitto servare Regulam* : at, qui promittit servare Regulam, promittit servare omnia, quæ in regula continentur : ergo Frater Minor vi voti, seu promissionis Deo factæ tenetur servare omnia, quæ in S. Regula continentur.

606. R. *Distinguendo minorem*, qui promittit servare Regulam, promittit servare omnia sub obligatione voti necessario, *nego*, sub obligatione vel voti, vel præcepti, eo scilicet modo; quo in S. Regula continentur, *concedo min. & nego Conseq.* Quia, ut sapienter explicat Kerckove cum S. Thoma, qui profitetur Regulam, propterea non vovet servare omnia quæ sunt in Regula sub obligatione voti, sed sub tali obligatione, sub qua in Regula proponuntur, seu, sub qua Legislator voluit obligatos sui sequaces, ita scil. ut ad tria vota substantialia teneamur sub voto, ad alia vero sub obligatione præcepti, prout amplius declaravit Clemens V. *in Clementin. Exivi de Paradiso* expresse dicendo, *hujus Regulæ professores non esse æqualiter obligatos ad omnia, quæ continentur in ipsa Regula, sed inæqualiter &c.* Quemadmodum ergo v.g. Dominicanus transgrediendo constitutiones suas, per se loquendo non incurrit reatum culpæ, (esto in professione dicat : *promitto obedientiam secundum Regulam B. Augustini Episcopi, & secundum institutiones Fratrum Prædicatorum*) eo quod Legislator non voluerit eos obligatos ad has constitutiones in conscientia sub culpa, sed sub pœna duntaxat; ita pariter Frater Minor transgrediendo v. g. præceptum jejunii non peccat contra votum, sed contra præceptum jejunii, eo quod Legislator ad hæc non voluerit nos obligare sub voto, sed sub præcepto tantum. Profecto si Frater Minor vi professionis vellet se obligare ad omnia in Regula contenta sub voto, frustra videretur addere hæc verba specificantia : *vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate*; sufficeret enim dicere : *promitto servare Regulam* : quia & hæc tria in Regula continentur, prout notat Kerckhove *cit. n. 18. in fine*. Videatur de hoc Miranda *loc. cit. concl. 1. & 2.*

Quæres quarto, utrum Religiosus invalide professus possit reclamare contra suam professionem?

607. R. Potest, sive Religiosus sit, sive etiam Monialis, quæcunque demum ex causa professio fuerit nulla, modo observet sequentes tres conditiones 1. ut causam nullitatis suæ professionis coram superiore suo, & loci Ordinario legitime deducat ac probet. 2. ut ante hanc deductionem & probationem irritæ professionis coram legitimo Superiore (illo scilicet, cujus erat admit-

mittere ad professionem) & Ordinario faciendam habitum non deponat, nec etiam absque licentia superioris cum habitu propria auctoritate discedat 3. ut causas nullitatis intra quinquennium a die professionis proponat. Ita decisum legitur in Concilio Tridentino *SS.* 25. *de Reg. cap.* 19. Fatentur nihilominus Doctores, etiam illos, qui ante deductionem nullitatis habitum deposuere ex eo duntaxat, quod in habitu non potuissent pervenire ad legitimum suum Superiorem; vel qui ex mera ignorantia nullitatis intra quinquennium non reclamarunt, vel alias a reclamando impediti fuere, audiendos esse, & in integrum restituendos. Ita Navarrus, Rodriquez, Lezana, & alii; non enim videtur æquitati consentaneum, ut quis sine omni culpa jure privetur suo. Verum post elapsum quinquennium non, nisi difficillime impetrari posse hoc beneficium restitutionis, advertit Hyacint. Donatus *tom.* 2. *tract.* 12. *q.* 13. *&* 14. quia nunquam concedi solet, nisi Orator præter causas nullitatis simul demonstret causam, ob quam intra quinquennium non potuit reclamare. Videantur de hoc Pirhing. *lib.* 3. *Decret. titul.* 31. *num.* 151. *& seqq.* Reiffenstuel *eod. titul. a num.* 196.

Quæres quinto, utrum fas sit, expellere Religiosum nulliter professum?

608. Ante responsionem notandum est, dari duplicis generis impedimenta professionem irritantia; nam alia sunt temporanea duntaxat, quæ scilicet amoveri possunt a persona, uti est defectus ætatis, vel consensus, vel libertatis &c. alia vero sunt perpetua, quæ scilicet personam inseparabiliter comitantur, eamque semper ad professionem inhabilem reddunt; talia sunt v. g. sexus fœmineus ad profitendum inter viros. 2. Matrimonium consumatum, quamdiu vivit compars. 3. morbus caducus vel contagiosus, uti lepra &c. quæ saltem ex particularibus constitutionibus auctoritate Papæ approbatis reddunt hujusmodi personas inhabiles ad professionem legitimam. Ita Lezana *tom.* 2. *verf. Professio Religiosa, n.* 20. hoc not.

609. R. Ad quæsitum. Invalide professus cum impedimento temporaneo duntaxat, potest expelli a Religione, sed intra quinquenium a die professionis tantum. 2. Invalide vero professus cum impedimento perpetuo, potest omni tempore, quo constat de invaliditate professionis e Religione ejici, saltem cum interventu Ordinarii. Ratio primæ partis (quam tenent, Bordonus, Donatus, Reiffenstuel ubi supra *num.* 238.) est: quia Religio & Religiosus sunt correlativa secundum omnes; quandoquidem contractus mutuo consensu debet perfici: ergo quemadmodum Religioso permissum est intra quinquennium a professione reclamare contra valorem professionis, nisi defectus supponatur interea suppletus, & professio ratificata saltem tacite, sicque convalidata, ita & Religio potest reclamare, & nulliter professum ejicere: & hoc pluries declaratum fuisse a S. Congregatione Cardinalium, testatur Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 89. *n.* 17. referens declarationes in terminis. Ratio autem posterioris (quam tenent Miranda *tom.* 1. *q.* 52. *a.* 2. *concl.* 5. Rodriquez; Pellizarius & alii) est: quia actus a principio nullus, nullum producit effectum, prout constat de contractu matrimonii, & aliis pluribus, & habetur expressum *cap. Præsentiam. de Appellat. l.* 4. *§. condemnatum ff. de re judicat*. Atqui talis professio supponitur ab initio fuisse nulla, nec potuit interim convalescere, eo quod impedimentum supponatur perpetuum: ergo taliter professus potest quolibet tempore NB. quo de invaliditate certo constat, ejici, seu dimitti.

610. Dixi tamen: *saltem cum interventu Ordinarii*. Quamvis enim Miranda *loc. cit.* Rodriquez *tom.* 3. *q.* 17. *art.* 9. Peyrinis, Barbosa & alii plures probabile teneant, hujusmodi expulsionem fieri posse quovis tempore absque interventu Ordinarii; quia oppositum cederet in grave Religionis detrimentum, cogeretur enim hæc retinere homines inhabiles, & fortassis indignos ac perniciosos, proptereaque decretum a Concilio Tridentino *SS.* 25. *de Regular. c.* 19. in favorem Religionis

edi-

editum redundaret in ipsius detrimentum, contra Regulam 61. *J. in 6.* ubi dicitur: *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium tetorquendum*; nihilominus in praxi nunquam prorsus attentanda est ejectio cujuspiam ex Ordine, sive intra, sive post elapsum quinquennium, nisi cum interventu Ordinarii, & deductis prius causis nullitatis coram Superioribus legitimis; & ita a Sacra Congregatione Cardinalium pluries fuisse decisum, testatur Pignatelli *loc. prox. cit.* & Pellizarius *tom.* 1. *c.* 2. *n.* 53. apud nostrum Kerckhove *in statut. gen. c.* 1. §. 1. *n.* 98. referentem geminam declarationem in terminis.

Nullatenus proin suaserim alicui Superiori Religioso, ut attentet ejectionem sine interventu Ordinarii; experientia quippe mutiplici constat, hoc sine scandalo in populo, sine periculo animarum, & prostitutione S. Religionis fieri non posse: Superior enim cogetur infallibiliter ejectum recipere, & restituere in integrum, omnesque expensas ab ejecto factas solvere, usque dum causa coram Ordinario & superiore simul fuerit disquisita, & inhabilitas ejecti, vel nullitas professionis plene probata.

Quæres sexto, ad quidnam teneantur Regularis vi voti obedientiæ?

611. Ante responsionem rursus notandum hic venit, Doctores communiter distinguere inter præcepta Superiorum, alia namque dicuntur præcepta secundum Regulam, & alia contra Regulam. Rursus alia dicuntur supra, & alia infra Regulam.

Præceptum *secundum Regulam* vocatur, quando id, quod præcipitur, vel expresse in Regula continetur, vel saltem implicite: ut si Frater Minor jubeatur serviri infirmo fratri sicut vellet sibi serviri &c. vel moribundo assistere &c. e contra vero *contra Regulam* dicitur, quando id, quod præcipitur, Regulæ positive adversatur; ut si Frater Minor juberetur colligere pecunias &c. Præceptum *supra Regulam* appellatur, quando Superior præcipit majora, ac duriora, quam Regula exigat, utputa frequentius aut strictius jejunium &c. flagella, longas abstinentias &c. *Infra Regulam* denique appellari consuevit, quando jubentur laxiora, quam Regula præscribit. Ita Lessius *l.* 2. *c.* 41. *n.* 76. Holzmann *ubi supra c.* 4. *n.* 589. hoc notato.

612. R. Ad præsens quæsitum primo. Vi voti obdientiæ Religiosus tenetur obedire in omnibus, quæ Superior præcipit *secundum Regulam*. Ita Doctores *proxime cit.* Ratio est: qui profitendo Regulam censetur sese obligasse ad omnia ea, quæ ad observationem Regulæ & Ordinis suscepti necessaria sunt: ergo tenetur obedire in omnibus quæ secundum Regulam præcipiuntur: & quia secundum diversitatem Religionum variæ reperiuntur Regulæ vel constitutiones; hinc fit, ut & potestas præcipiendi ex parte Superiorum, & obligatio obtemperandi ex parte subditorum ad plura vel pauciora, prout Regula disposuerit, valeat extendi. Sic Sacra Regula nostra *cap.* 10. præcipit ut nos Fratres Minores obediamus *in omnibus quæ non sunt contraria animæ, & Regulæ nostræ*. In constitutionibus vero Societatis Jesu præcipitur, *ut obediant in omnibus, in quibus non cernitur manifestum peccatum*: hinc ubi justa præcipiendi causa subest, ea quæ peccatum non sunt, censentur secundum Regulam præcipi, & nos tenemur obedire: in aliis Ordinibus obligatio obediendi non tam lata patet, inquit Lessius *n.* 77. ℣. *Alterum est*.

613. R. Jam secundo. Quando Superior aliquid præcipit, quod est contra, vel supra, aut infra Regulam, subditus vi voti obdientiæ non tenetur obedire per se loquendo, nisi in certis quibusdam casibus. Ita Herincx *par.* 3. *tr.* 4. *disp.* 5. *n.* 55. & alii *communiter*. Ratio est: quia cum Snperior non sit auctor Regulæ, sed custos duntaxat, hinc solum habet potestatem & obligationem, ut subditos secundum Regulam dirigat, & hujus observationem urgeat, non vero ut pro mero libitu aliquid præcipiat, quod sit vel contra, vel supra, vel etiam infra Regulam, nisi Superior habeat legitimam potestatem & causam dispensandi in aliquo præcepto Regulæ, vel nisi observantia voto-

torum, vel necessitas publica exigat, ut subin aliquid supra Regulam v. g. abstinentiæ vel extraordinariæ mortificationes, jejunia, assistentiæ apud infirmos peste infectos &c. præcipiantur. Videantur de his Laymann *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 9. *n.* 2. Palao *tom.* 1. *tr.* 16. *disp.* 4. *pu.* 4. *n.* 4. & 5. Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 10. *c.* 8. *n.* 8.

Quæres septimo, ad quidnam Regularis teneatur vi voti Castitatis Evangelicæ?

614. R. Vi hujus voti Regularis tenetur perpetuo & illimitate abstinere ab omni actu venereo, tam in-quam externo, scilicet a turpibus cogitationibus, delectatione morosa & pravis desideriis, ab omni contactu lascivo tam proprii, quam alieni corporis, ab omni impudico aspectu, verbis, colloquiis & osculis ex libidinoso affectu profectis, a pollutione, & fornicatione tam reali, quam mentali &c. Ita ex *communi* & certa sententia Lessius *l. cit. n.*78. Herincx ubi supra *q.* 7. *n.* 67. Ratio est: quia vovens solenniter castitatem censetur sese obligare ad hanc servandam juxta receptam ab omnibus in Ecclesia significationem hujus vocabuli *Castitas*, & hoc ipso sese obligat ad abstinendum ab omnibus, quæ huic virtuti repugnant: atqui hic virtuti *castitatis* scilicet simpliciter dictæ repugnant omnes illi actus mox enumerati: ergo quivis Regularis, qui castitatem simpliciter (uti moris est) vovit, tenetur ab omnibus illis abstinere, ita ut secus agendo nedum contra virtutem castitatis (ut ceteri homines) sed insuper contra virtutem Religionis peccet peccato Sacrilegii mortalis vel venialis, prout peccatum contra castitatem fuerit mortale, vel veniale.

615. Porro nos Fratres Minores non solum tenemur vi voti hujus abstinere ab omnibus mox recensitis actibus (uti ceteri Religiosi omnes) sed insuper ex speciali præcepto S. Regulæ *cap.* 11. tenemur abstinere ab omni suspecto consortio cum mulieribus, ut proin mortaliter peccet Frater Minor contra hoc præceptum Regulæ, qui aliis fundatam præbet causam suspicandi alicujus lascivi consortii cum aliqua muliere: fundatam vero suspicionem (ait S. Bonaventura in hunc loc.) generare possunt 1. *locus*, utputa si sit solitarius, sequestratus aut obscurus. 2. *tempus*, præsertim nocturnum. 3. *Modus*, ut si quis converſetur solus cum sola 4. *gestus*, ut si sit levis, dissolutus, nimis propinquus ad fœminam. 5. Actus; ut si aspectus fiunt fixi & incontinentes, verba dissoluta & scurrilia, aut immunditiam sapientia, accedentibus præsertim tactibus vel compressione manuum, vel aliis jocis nimium familiaribus 6. Insuper ad fundatam suspicionem contribuere possunt *ætas* & *conditio tam mulieris, quam fratris* &c. item 7. *frequentia conversationis* & *colloquiorum* 8. denique præcipue suspectum reddere potest conversatio cum tali persona *post prohibitionem a superiore jam factam*; nam, ut Hugo de Diana, Herincx & alii plures animadvertunt, eo ipso quis suspectum se reddit, quo dissuasum, maxime a Prælatis, non vitat consortium, negligit enim obdientiam & honestatem voluptas.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de reclamantibus contra valorem suæ Professionis, & de obedientia præstanda &c. &c.

CASUS PIMUS.

Titius opulentus juvenis certam Religionem fuerat ingressus, naturalibus ac politicis motivis potius, quam superna vocatione ductus: & quia tempore probationis vita regularis nedum difficilis, sed nimis rigorosa & genio suo intolerabilis visa fuit; hinc non semel, sed sæpius vestimenta sua sæcularia repetiit ab Instructore Novitiorum, quo regressum ad sæculum dissuadente, expleto tandem probationis anno potius timore Parentis, quam amore Religionis professionem solennem deposuit. Verum cum temporis successu senserit crescere dæmonis tentationes, carnisque stimulos in dies acui, se vero tam supernis, quam humanis consolationibus destitui, cæpit miseram suam conditionem deplorare, cæpit maledicere diei, qua

Religionem intravit, vel professionem deposuit; & quia talis vita ipsa morte, immo inferno gravior sibi visa fuit, hinc rejecto cucullo clam abiit ad partes Acatholicorum, haud equidem animo amplectendi hæresin, sed potius fruendi mundi deliciis; quem in finem Uxorem duxit, & aliquot ex ea proles suscepit, dum ecce continuis conscientiæ stimulis exagitatus venit ad aliquem Confessarium, rem totam aperiens, & consilium postulans, quo non quidem ad pristinum monasterium redire, sed potius Uxori suæ adhærere, etiam inter Catholicos impune permitteretur. Quid remedii aut Consilii Confessarius administrabit Titio in hoc casu?

616. R. Ante omnia in tali casu inquirendum esse ex pœnitente, utrum is ante, vel post quinquennium primum a die professionis reclamaverit; nam si ante quinquennium facilius, post quinquennium vero, non nisi difficillime sententia de nullitate professionis impetrari poterit, secundum dicta superius *n.* 607. secundo inquirat, cur habitum deposuerit, & apostataverit? & quare non in Monasterio manens laboraverit pro impetranda sententia de nullitate professionis? tertio, eidem candide aperiat, necessarium fore ad impetrandam hanc sententiam, ut Romæ nedum causas nullitatis, scilicet timorem Parentis rationabiliter conceptum, & defectum vocationis supernæ &c. demonstret; sed 4. insuper demonstret, se existentem adhuc in Monasterio reclamasse, vel si hoc non contigit, demonstret saltem, se habuisse justas causas deponendi habitum, & aufugiendi potius, quam eo retento in Monasterio laborandi pro declaratione nullitatis &c. &c.

Ratio horum facile colligi potest ex dictis *n.* 607. quia nisi hæc omnia præstiterit, declarationem nullitatis nunquam impetrare poterit; tum quia in facie Ecclesiæ præsumptio stat pro valore professionis; tum etiam quia si Ecclesia exhiberet se facilem in declaranda nullitate, timendum foret, ne subin aliqui sine justa causa reclamarent, non sine scandalo & perturbatione Ecclesiæ, & animarum periculis.

R. Jam secundo, consilii causa suadendum esse Titio 1. ut ad demonstrandum defectum libertatis ad valorem professionis necessariæ curet impetrare authenticum testimonium de nimia austeritate vel rigore Parentis, intentantis minas, duriorem tractationem, casu quo e Monasterio reverteretur ad sæculum, secundo, procuret insuper ad demonstrandum defectum supernæ vocationis, testimonium authenticum a suo Instructore, quod sæpius repetierit sua vestimenta sæcularia, animo redeundi ad sæculum, quodque nunquam se monstraverit quietum, aut consolatum in statu Religionis &c. tertio demonstret insuper, si quas habet causas legitimas sive e Monasterio discessus & depositionis habitus religiosi. Cum vero sine interventu Ordinarii examinantis vel disquirentis allegata Romæ dari non soleat sententia nullitatis; immo vero regulariter disquisitio talis processus soleat committi Ordinario loci illius, in quo casus contigit &c. hinc suadeat Confessarius Titio, ut vel ipsum Reverendissimum Ordinarium, aut hujus Vicarium Generalem adeat, eidem animæ suæ statum aperiat, instrumentorum suorum authentizationem, & alia necessaria ad impetrandam sententiam nullitatis humiliter exoret, consilium & auxilium in casu tam desperato petat &c. &c. Videantur de hoc Donatus *tom.* 2. *tr.* 12. *q.* 19. Henno *tom.* 2. *tr.* 3. *q.* 8. *concl.* 2. Reiffenstuel *l.* 3. *tr.* 31. *n.* 205. & *seqq.*

Sed quid ais si talis Religiosus Romæ non audiatur, vel prævideat se auditum non iri, eo quod nullitatem suæ professionis satis probare non valeat?

618. R. In eo casu expedire, ut Confessarius talem disponere satagat ad ratificandam in Monasterio professionem (si tamen affulgeat spes aliqua obtinendi ad hoc consensum a suo Uxore:) si vero de hoc nulla affulgeat spes, aut ipse redire nolit, vel non audeat timore pœnarum, vel quia vocatum se non sentit, nec libenter Uxorem aut proles susceptas deserit, poterit tuta conscientia in suo connubio permanere: ad evitandum tamen periculum ani-

mæ vel scandali omnimodis suadendum erit, ut e partibus acatholicorum discedat in aliam Regionem longinquam, ibique latitet. Ita Sanchez *l. 7. de Matr. disp. 37. n. 11.* Navarrus *lib. 3. Consil. 89. de Regular.* Laymann *lib. 4. tr. 5. c. 5. n. 7.* Ratio est: tum quia professio Religiosa est arduum opus consilii, ad quod nemo tenetur, neque cogi potest invitus; tum etiam quia professio supponitur nulla: ergo non obstat valori matrimonii, nisi aliud subsit impedimentum dirimens. Nec refert, quod Ecclesia tales cogat manere in Religione *arg. Concil. Trident. ss. 25. de Regular. c. 19.* hoc enim non facit eo fine, ut ad professionem adigat, vel eam validet, aut validam declaret, sed quia præsumit, eam ab initio valuisse, vel certe ratificatam fuisse a Religioso, quæ præsumptio in foro conscientiæ debet cedere veritati, ut bene notant *DD. cit.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronia in quodam Monasterio solennem professionem deposuerat, sed quia elapso postea uno vel altero anno non semel, sed sæpius deprehensa fuit cecidisse in terram, toto corpore tremens, frendens, & ore spumans, non absque horrore aspicientium; hinc re melius discussa ac examinata per Medicos conclusum fuit, Semproniam laborare epilepsia; quam ob causam ceteræ Moniales multum consternatæ ob periculum infectionis sciscitabantur e suo Confessario, an non liceat Semproniam ejicere e Monasterio; ne totam Communitatem inficiat: præsertim cum ipsamet fateatur, se hoc affectu jamjam laborasse in sæculo, noluisse autem id manifestare ob timorem, ne ante professionem claustro expelleretur. Confessarius respondit, eam tuta conscientia posse ejici; tum quia Superiorissa non semel, sed sæpius (secundum constitutiones Ordinis) protestata fuerat, professionem fore nullam, casu quo deprehenderetur laborasse aliquo morbo occulto; præsertim infectivo, & ceteris pernicioso; eo quod Superiores Ordinis non soleant, nec velint consentire in receptionem talium; tum etiam quia Leo X. prout videre licet apud Cordubam in cap. 2. Reg. q. 21. pu. 4. & Mirandam *tom. 1. art. 3. q. 52. concl. 5. concessit Generali, & Provinciali Ordinis Minorum ut fratres, etiam professos, qui gravissimis delictis notati fraudolenter & dolose ea reticuissent in eorum receptione & professionis emissione, monitione super his per prædictos Prælatos præmissa, non obstante, quod jam professionem emiserint, e Conventibus dicti Ordinis expellere & removere libere & licite possint, & valeant: quidni ergo & talem Monialem ob morbum fraudolenter reticitum? Quæritur jam quid de hoc casu, & responso Confessarii sic tenendum?*

619. R. Breviter 1. professionem Semproniæ a parte rei fuisse nullam, & ob id, 2. responsum Confessarii esse approbandum, si per hoc velit, Semproniam posse ejici cum præscitu & approbatione Episcopi, non item si velit, eam ejici posse absque præscitu, consensu, vel approbatione Episcopi. Ratio primæ partis est: quia secundum dicta *n. 603. III.* professio consistit in contractu, de cujus essentia est, ut fiat *mutuo paciscentium consensu*: ergo cum hic deficiat consensus ex parte Superiorum Ordinis, quippe qui semper solent protestari, se nolle acceptare professionem alicujus, qui hujusmodi defectum perniciosum subdole reticuisset, vel omnino negasset tempore Novitiatus, prout etiam in nostro casu contingit, consequens est, Professionem a parte rei nullam fuisse. Ratio autem posterioris partis, quod scilicet sine præscitu & approbatione Episcopi fieri nullatenus possit, colligi potest ex dictis *n. 610.* quia Concilium Tridentinum statuit, ut annullatio professionis, vel ejectio alicujus professi e Monasterio nunquam fieret, nisi re prius per Ordinarium loci & Superiorem Ordinis cumulative examinata, & nullitate probata, idque propterea, ne a Superioribus cuipiam fieret injuria, aut sine sufficiente causa quempiam ejici contingeret, præsertim cum talis ejectio vix unquam sine scandalo, vel periculis animarum fieri valeat.

Dices. In illo privilegio a Leone X. Superioribus Ordinis concesso nulla prorsus fit mentio, quod talis expulsio vel ejectio fieri nequeat sine interventu & approbatione Episcopi: ergo nec nos debemus eam adstruere; secus enim fieri

fieri posset, ut Episcopo contradicente, Ordo cogeretur servare personam noxiam & inhabilem, immo perniciosam, non sine maximo gravamine; quod sane æquitati consentaneum non est.

620. R. Esto etiam in illo privilegio nulla fiat mentio de interventu Episcopi, fit tamen in Constitutione Concilii Tridentini *ss.* 25. *de. Regular. c.* 19. quæ utpote posterius emanata hodie habet vim legis, prout liquet ex declarationibus Cardinalium supra *n.*610. allegatis. Hinc Donatus *tom.* 2. *tr.* 12. *q.*19. *n.*7. recte scribit, quod *si Superior per se solum professionem nullam declaret, & Religiosum* (idem dicito de Moniali) *e Monasterio ejiciat, illum teneatur ad Monasterium revocare, eo quod processerit contra formam a Tridentino præscriptam, & hoc ipso actus sit nullus, teneturque ejectus redire; quia formæ actui præscriptæ nihil addi, vel detrahi potest ex l.* 1. §. *opus novum ff. de oper. novi nunc.* Ita Donatus *loc. cit.* Cui tanto facilius adstipulor, quanto certius compertum habeo, jam in duobus casibus hujusmodi ejectiones Romæ fuisse improbatas, & Superiores in expensas condemnatos.

Sed quid, si Moniales fateantur, se tempore Novitiatus jam una vel altera vice reperisse Semproniam in terra jacentem, nullatenus tamen credidisse, hujusmodi motus vel gestus provenire ab epilepsia?

621. R. Hoc supposito vix ulla supererit spes impetrandi sententiam nullitatis: enimvero si tempore Novitiatus jam deprehenderunt talem infirmitatem, & nihilominus admiserunt Semproniam ad professionem, tacite consensisse videntur; debuissent enim tunc cautius inquirere; *quia ubi majus est periculum, ibi cautius est agendum l.* 1. §. *sed etsi quis ff.* 1. *de carb. edicto &c. ubi de Elect. in* 6. quod, cum non fecerint, sibi imputare debent, *arg. Cap. damnum* 86. *de R. J. in* 6. Nec refert, quod Superiorissa ante professionem fuerit protestata, se nolle admittere laborantem tali defectu; nam hæc protestatio fuit facto (admissionis scil. ad solennem professionem in his circumstantiis) contraria. Ex quibus hoc saltem conficitur, quod valor professionis reddatur dubius, non autem incertus, aut certo nullus: atqui *in dubio præsumitur pro valore actus l. si pars ff. de inofficios. testam.* ergo & in hoc casu, præsertim cum aliunde constet, quod, *cum sunt partium jura obscura, Deo potius favendum sit, quam Actori, per Reg.* 11. *Jur. in sexto.*

CASUS TERTIUS.

CAjo Religioso ex Ordine Fratrum Minorum Superior demandaverat, ut assisteret cuidam alteri Confratri gravissime decumbenti, cui jam dudum fuerat a Confessionibus. Verum cum Cajus sciverit jam plures ob assistentiam fuisse eodem morbo (maligna scilicet febre) correptos, fatisque concessisse, hinc illorum vestigiis territus, & suæ pelli timens, surdum se præbuit auditorem mandati: e contra Superior timens saluti decumbentis, denuo præcepit Cajo in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut illico adiret infirmum, eidemque ad extremum usque halitum vitæ fideliter assisteret, sua deferendo obsequia: quod & fecit, sed paulo post eadem infirmitate correptus adiit æternitatem.

Quæri jam potest 1. *Utrum, vel qualiter Cajus peccaverit tergiversando ad primum mandatum Superioris? secundo. An Obedientiæ Sanctæ mandato potuerit obligari ad hujusmodi assistentiam, tametsi præviderit evidens periculum incidendi in eandem infirmitatem, & moriendi?*

622. R. ad primum quæsitum hujus casus, Cajum exhibendo se auditorem surdum ad primum mandatum peccasse contra virtutem obedientiæ, sed probabiliter non, nisi venialiter. Ratio est: quia Superior imponendo mandatum non intendit consulere aut suadere duntaxat sed aliquo modo præcipere: quia tamen non præcepit *in virtute S. Obedientiæ*; hinc non censetur voluisse obligare, quantum potuit, atque adeo sub peccato mortali, sed sub veniali duntaxat; valde enim probabile est, inquit Lessius *de Jur. & Just. l.* 2. *c.* 41. *n.* 76. *V. Tertio*, Superiorem posse suam potestatem, suumque præceptum ita moderari, ut solum ad peccatum veniale obliget,

get, etiamsi alioquin materia sit gravis. Tametsi igitur Cajus certo deliquerit contra obedientiam; nam ipsa ratio disciplinæ religiosæ postulat, ut inferior obtemperet, etiamsi illi extremum præceptum, seu formale obedientiæ mandatum, (quo Superiores ex more in Religionibus usitato censentur velle graviter obligare) non fuerit impositum, videtur tamen ob tergiversationem vel cunctationem non nisi venialiter deliquisse.

623. R. Ad alterum quæsitum, potuisse Cajum a Superiore obligari ad assistendum Fratri infirmo, esto etiam præviderit certum infectionis, & mortis periculum. Ratio hujus petenda est ex dictis supra *n.* 612. quia Inferior tenetur obedire in omnibus, quæ Superior præcipit secundum regulam, & Frater Minor in omnibus, quæ non sunt contra Regulam & animam nostram: atqui assistere Confratri infirmo est secundum Regulam, vi cujus unusquisque jubetur alteri infirmo servire, sicut vellet sibi serviri, neque hoc est contra animam: ergo Superior Cajum ex Ordine Fratrum Minorum potuit obligare, immo & graviter voluisse obligare censendus est, dum in virtute S. obedientiæ eidem hoc demandavit. Videatur Rodriquez *QQ. regul. t.* 3. *q.* 31. *art.* 3. *&* 4. Suarez *t.* 4. *de Relig. tr.* 10. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 29. Kerckove *c.* 5. *§.* 6. *n.* 3.

Ergone, inquies, quivis Superior Religiosus posset subdito suo præcipere, ut assistat hujusmodi infirmis v. g. tempore contagionis peste correptis?

624. R. 1. Per se loquendo non potest quivis Superior, nisi, 2. talem assistentiam exigat vel bonum commune Monasterii vel Religionis, vel, nisi Regula ad hoc obliget. Ratio prioris est: quia Religiosi solent duntaxat vovere obedientiam secundum regulam, hæc autem communiter loquendo non solet obligare ad ea, quæ sunt nimis difficilia, & hoc ipso moraliter impossibilia, quæ scilicet sine periculo vitæ fieri nequeunt. Hinc Superior vi talis voti obtient solum limitatam jurisdictionem ac dominium in subditum, propptereaque D. Bernardus *lib. de præcept. & dispensat. c.* 5. ait; *Prælati jussio, vel prohibitio non prætereat terminos promissionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi intra. Nil me probibeat eorum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi. Vota mea non augeat sine mea voluntate, ne minuat, sine certa necessitate.*

Ratio autem posterioris est: quia bonum commune præferendum est bono privato alicujus Religiosi: ergo sicut ob exigentiam boni communis Princeps potest suos subditos obligare ad bellandum vel ad periculosam navigationem, immo ad assistendum infirmis peste infectis &c. ita & Superior Religiosus subditum vi voti obedientiæ sibi adstrictum. Consideranda tamen est in tali casu conditio infirmorum, & inservientium; nam si adsint alii, qui minus meticulosi, sine periculo possent hujusmodi ministerium subire, prudentia ac charitas suaderet, curam infirmorum talibus potius demandandam, quam aliis meticulosis Religioni fortassis magis necessariis ac proficuis. Videantur de hoc Rodriquez *lib. cit. q.* 31. *art. ult.* Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 2. *num.* 57. Palao, *tr.* 16. *disp.* 4. *pu.* 4. *n.* 7. Kerckhove *l. cit. num.* 4.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

625. Colliges ex hactenus dictis primo, invalidam, & nullius roboris esse professionem, quæ fit anno probationis nondum emenso seu expleto; quia supponitur contra formam a Conc. *Trident. ss.* 25. *de Regul. c.* 15. præscriptam. Et licet Pius V. in sua Bulla *Summi Sacerdotii Cura* videnda apud Rodriquez *tom.* 3. *q.* 16. *art.* 6. Monialibus Novitiis S. Dominici (quo privilegio etiam ceteri Mendicantes gaudere possunt & solent) indulserit, ut quoties aliqua ex iis, nondum professa de alicujus Medici consilio ab hoc sæculo transitura conspicitur, pro consolatione animæ suæ, & in ordine ad lucrandas indulgentias plenarias ante elapsum professionis annum possit deponere suam professionem, probabilius tamen talis professio reconvalescentem non stringeret ad observantiam votorum

vel Regulæ, nisi postea elapso probationis termino sponte repeteretur, prout animadvertunt Reiffenstuel *l.* 3. *tit.*31. *n.* 183. Rodriquez, Miranda, Fagnanus, & alii plures, & habetur expressum in Concilio Trident. *l. cit. in fin.*

626. Colliges secundo, etiam illam professionem, quæ quidem optima fide facta fuit, sed nec a Prælato, neque ab alio quopiam, cujus intererat, accepta, nullam, ne simplicis quidem voti parere obligationem. Ita Sylvester, Miranda, Lessius, Laymann *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 5. & alii plures ab hoc relati. Ratio est: quia professio Religiosa secundum dicta consistit in quodam contractu reciproco, & oneroso inter profitentem & Monasterium seu Ordinem, cui incorporatur: ergo si Ordo non consentiat in talem professionem, contractus seu professio nulla est, & nullum prorsus parere potest effectum; nam *non entis nullæ sunt qualitates*, *l. si servum* 4. *ff. de act. empt. & vend.*

627. Colliges tertio, ea quæ diximus *n.* 607. de facultate reclamandi contra valorem professionis, esse duntaxat intelligenda de illis, qui certo sciunt, professionem fuisse nullam v. g. ob defectum consensus aut libertatis, vel ætatis requisitæ &c. nam si solum dubitent de valore, præsumendum erit pro valore, secundum dicta *n.præcedenti*. Insuper intelligenda esse duntaxat de illis, qui professionem suam postea cessante defectu vel impedimento nunquam ratificarunt; nam si supponantur semel ratificasse, jam erit valida, & hoc ipso non amplius poterunt reclamare; hanc ob causam (teste Hyacint. Donato *tom.* 2. *tr.* 12. *q.* 14.) in Rescriptis, quibus reclamantes restitui solent in integrum, solet semper apponi hæc clausula: *dummodo professionem tacite, vel expresse non ratificaverit*. Censetur vero quis expresse ratificare, dum conceptis verbis declarat, se velle se obligare ad obediendum secundum Regulam &c. &c. tacite vero, dum sciens & volens exercet actus solis professis proprios, uti jam dictum fuit supra *n.* 602.

628. Illud porro notandum hic venit, ad hoc, ut quis suam professionem vel expresse, vel tacite etiam ratificet, necessum omnino esse, ut sciverit priorem professionem fuisse nullam, seu invalidam, secundum *communem DD.* apud Pellizarium, Navarram, Laymann & alios. Ratio est: quia sicut ad emittendam, ita non minus ad ratificandum professionem requiritur consensus: atqui, *ignorantis nullus est consensus, neque aliquid magis contrarium sit voluntati, quam error. l. si per errorem ff. de Jurisdict. omnium Jud.* Hinc tametsi nulliter professus suam professionem per annum centies approbasset, vel repetiisset, ob defectum tamen scientiæ de nullitate prioris professionis non reputaretur valida, nisi talis ratificans expresse apud se statuisset, quod velit modo professionem valide ratificare, etsi ab initio fuisset invalida, prout bene notant Pellizarius *tom.* 3. *tr.* 3. *c.* 5. *n.* 57. Pirhing, & Reiffenstuel *l. cit. n.* 216.

Sed, nunquid (inquies fortassis) ad ratificationem professionis requiritur etiam novus consensus ex parte Ordinis seu Superioris, cujus interest incorporare, & novæ ceremoniæ, vel solennitas?

629. R. Probabilius nec opus est novo consensu Ordinis seu Superioris, neque novis ceremoniis, sed sufficit, ut ipse Religiosus prius invalide professus suam professionem in secreto & privato coram Deo ratificet, seu renovet: nec opus est, ut de hoc vel Superiori, vel aliis quidpiam dicat: idque verum est non solum in casu, quo prior professio fuit nulla defectu consensus ex parte profitentis se tenente, sed probabiliter etiam, quando fuit nulla ex defectu alterius necessario requisiti, utputa quia profitens nondum expleverat annum decimum sextum, vel non fuit integro, aut certo non continuo anno in Novitiatu: & ita sentiunt Navarrus *l.* 3. *consil.* 27. & 28. Barbosa *in Concil. Trident. n.* 16. Herincx *ubi supra disp.* 5. *n.* 33. Ratio hujus est: quia consensus Superioris aliquando datus moraliter perseverat, quamdiu non revocatur: hic autem supponitur nunquam revocatus; quin immo Summus Pontifex haud immerito præsumitur consensum Superioris semel datum ratificare, dum post quinquennium primum reclamantes con-

contra valorem professionis nunquam vult audiri; eo quod supponantur saltem *tacite ratificasse suam professionem*: ergo supponit, sufficere tacitam ratificationem ex parte professi, esto non intervenerit novus consensus ex parte Superioris.

Ceterum, cur novæ ceremoniæ non requirantur ad hujusmodi ratificationem, ratio communiter redditur hæc: tum quia ceremoniæ non sunt de substantia professionis: ergo sine his valet; tum etiam, quia sine nota plerumque ceremoniæ non possent iterari.

Multo minus opus est, ut propterea repetatur Novitiatus; quia hic solum requiritur, ut Novitius Religionem, ac vice versa Religio Novitium probet, hoc autem jam supponitur semel fuisse legitime factum: ergo &c. Videatur Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disp.* 32. *a. num.* 25. Pellizar. *tom.* 1. *tr.* 3. *c.* 5. *quæst.* 20. Henno *ubi supra quæst.* 8. *concl.* 1.

630. Colliges quarto, Religiosum, qui contra professionem validam reclamat, & ad id probandum utitur falsis testibus, peccare mortaliter, & manere obligatum Religioni, tenerique nedum ad observantiam Votorum ac Regulæ, sed etiam ad resarcienda damna, si quæ propterea Religioni intulit. Ita post Bonacinam Hyacint. Donatus *t.* 2. *tr.* 12. *q.* 18. Ratio est: quia quemadmodum si professio a parte rei nulla fuit, taliter professus non est obligatus ab observantium Regulæ ac votorum, tametsi ob defectum probationis ab Ecclesia judicaretur valide professus, propterea que ad observantiam condemnaretur, ita e contrario sola erronea existimatio Ecclesiæ non potest facere, ut talis non fuerit valide professus: quare cum in foro Dei sinistra præsumptio debeat cedere veritati, etiam talis absolutio a votis vel ab observantia Regulæ coram Deo nulla est: proindeque quamdiu talis Impostor non redit ad suam Religionem, est verus Apostata, & Apostatarum pœnis subjectus.

631. Colliges quinto, quod tametsi secundum dicta superius *n.* 564. nuncupatio trium votorum obedientiæ scil. paupertatis & castitatis sit de substantia veri Religiosi, ipsam tamen solennitatem votorum non esse de substantia Regularis, sed importare aliquid statui Regulari mere extrinsecum, & accidentale. Ratio hujus inde deducitur: quia Scholastici & Coadjutores Societatis Jesu sunt veri Religiosi, veluti constat ex declaratione Gregorii XIII. Bulla *Ascendente Domino*, & tamen hi nondum nuncuparunt vota solennia, sed simplicia duntaxat. Itaque solennitas hæc votorum aliud non importat, quam constitutionem Ecclesiæ, vi cujus persona hujusmodi votum emittens inhabilitatur ad certos effectus, utputa ad contrahendum matrimonium, ad non habendum dominium rerum, ut alibi explicatum fuit. Alii vero dicunt, hanc solennitatem voti importare hoc, quod Religiosus in Ordine a S. Sede Apostolica approbato juxta formulam ab Ecclesia præscriptam, emittendo tria vota substantialia obliget se irrevocabiliter Religioni, ac vice versa Religio se eidem obliget, de nunquam dissolvendis aut irritandis votis, prout tradit Sanchez *lib.* 5. *mor. c.* 1. *n.* 11. cum Vasquezio, Ribadeneira, & aliis passim. Hinc vota Scholasticorum e Societate JESU non dicuntur solemnia, tametsi enim hæc nuncupando sese obligent Religioni irrevocabiliter, Religio tamen vicissim non se obligat in perpetuum ad non relaxanda vota ipsorum. Videatur Holzmann *part.* 3. *tract.* 3. *n.* 588. vel ea, quæ diximus *part.* 3. *theolog. decalog. Confer.* 7. *n.* 181.

632. Colliges sexto, semper graviter delinqui a subdito, præsertim Religioso, qui justum Superioris mandatum transgreditur *ex contemptu*, id est, ideo, quia non vult subesse, quia non curat, sed potius contemnit potestatem Superioris præcipientis, prout tunc fit, si subditus suo Superiori dicat: eo ipso, quod Tu mihi præcipias vel hoc mandes, non faciam. Ita communis, & certa sententia, quam tenet Lessius *l.* 2. *cap.* 41. *n.* 76. *&* *cap.* 46. *n.* 41. Ratio est: quia cum omnis potestas sit a Deo, resistens Superiori qua tali, convincitur resistere potestati a Deo traditæ, eandemque contemnere; unde non simplex duntaxat, sed duplex ad minus pec-

peccatum committit, quando id, quod a Superiore prohibetur, ex se non est indifferens, sed aliunde illicitum, aut debitum: videlicet unum contra præceptum, cui talis violatio opponitur, alterum contra votum: ut si Frater Minor jubeatur assistere infirmo &c. peccabit contra præceptum Regulæ, & simul contra votum obedientiæ, si hoc ex contemptu intermittat.

633. Dixi tamen 1. *qui justum Superioris mandatum transgreditur*, non enim integrum vel liberum est Superioribus, præcipere quidquid lubet, prout jam insinuavimus *n.* 613. & 624. quia Superiorum præcepta debent esse rationabilia, & fieri ex justa causa, spectata gravitate, vel necessitate aut utilitate rei ad finem a Superiore intentum. Hinc S. P. Franciscus legitur improbasse & annullasse præceptam per Fratrem Eliam generaliter carnis abstinentiam, quarum usum liberum permittit Regula. Et S. Bonaventura *in cap.* 12. *Regulæ* monet, non esse injungendam ex obedientia missionem inter Saracenos & alios infideles, nisi iis, qui voluerint ire &c. Possent tamen Superiores præcipere, quæ sunt necessaria ad conservationem disciplinæ Regularis ac votorum, ad quæ quivis Regularis sese obligasse censetur. Ex quo Doctores inferunt, Moniales teneri admittere reformationem Bonifacii VIII. *cap. unic. de statu Regul. in sexto*, innovatam a Tridentino *SS.* 25. *cap.* 5. *de Regul.* de servanda clausura, vel ea introducenda, eo quod hæc omnino necessaria videatur fœminis ad plenam voti Castitatis observantiam. Videatur de hoc Sanchez *l.* 6. *mor. cap.* 2. *num.* 35. Marchantius *in Resol. Casu. Reg. Casu* 1. Herincx *p.* 3. *tr.* 4. *disp.* 5. *n.* 57. & 58.

634. Dixi insuper secundo, qui justum Superioris mandatum transgreditur ex contemptu; aliud quippe est peccare ex contemptu: & aliud peccare cum contemptu; cum contemptu ille dicitur peccare, qui vehementi passione v. g. concupiscentiæ vel iræ inductus movetur ad transgressionem legis: ex contemptu vero ille, qui ex vilipensione ipsius potestatis legislativæ vel præceptivæ, vel Superioris qua talis, & non qua est v. g. persona defectibilis, movetur ad transgressionem, prout explicuimus in *part.* 1. *Theolog. Decalog. Conf.* 20. *n.* 574. & 575. Et talis transgressio ex contemptu semper est graviter peccaminosa, cum contemptu vero non, nisi materia rei præceptæ fuerit vere gravis. Videantur Oviedo *tract.* 6. *Controv.* 3. *num.* 68. vel Herincx *part.* 2. *tract.* 3. *num.* 63.

CONFERENTIA

DECIMA NONA.

De Voto paupertatis Religiosæ, & de Clausura Regularium.

SUMMARIUM.

635. *Religiosus vi voti paupertatis non potest habere dominium in particulari.*

636. *Insuper tenetur abstinere a receptione cujuscunque rei, independenter a consensu, seu licentia sui Superioris.*

637. *Quod tamen solum intelligendum est de rebus temporalibus externis.*

638. *Licentia Superioris alia dicitur expressa, alia tacita, & alia præsumpta.*

639. *Ubi hæc rationabiliter præsumitur, subditus probabiliter excusatur a peccato proprietatis.*

640. *Traduntur nonnullæ Regulæ, e quibus rationabiliter præsumere licet de consensu Superioris.*

641. *Rursus aliæ, e quibus colligere licet, eum non esse invitum quoad substantiam, sed quoad modum duntaxat.*

642. & 643. *Solvitur gemina instantia contra hanc Doctrinam de consensu præsumpto.*

644. *Quod de licentia præsumpta tantum acceptatum fuit, postea superiori monstrandum, vel intimandum est.*

645. *Transgressio paupertatis est species Sacrilegii, & peccatum mortale ex genere suo.*

646. *Quænam quantitas sit necessaria ad peccatum mortale contra votum paupertatis.*

647.

647. *Clausura Regularium sumi potest vel active, vel passive.*
648. *Nomine Clausuræ passive sumptæ intelligitur primario ipsum Monasterium.*
649. *Ingressus in Clausuram, seu Monasteria Virorum, est prohibitus quibusvis Mulieribus;*
650. *Nisi sint specialiter exemptæ.*
651. *Vel justa necessitas, aut determinata pietas ingressum legitimet.*
652. *Similiter ingressus in clausuram Monialium, est gravissime prohibitus omnibus personis utriusque sexus non exemptis.*
653. *Omnes Moniales vero tales tenentur ad Clausuram, saltem in actu primo.*
654. *Resolvitur Casus I. de quodam Religioso, lusui dedito.*
655. *Quantum talis Religiosus sine læsione paupertatis possit lusui exponere.*
656. *Et quid, si lusu honesto notabilem quantitatem lucretur.*
657. *Resolvitur Casus II. de quodam alio Religioso, qui, ne a Superiore suo repulsam pateretur, solum usum simplicem pecuniæ ab amico acceptavit.*
658. *Ad reliquum vero depositum apud Superiorem, velut rem suam recurrit, sed male;*
659. *Esto etiam Benefactor pecuniam pro ipsius necessitatibus deposuerit.*
660. *Resolvitur Casus III. de quadam honesta Matrona, quæ sæpius joci causa invitata, tandem clausuram Monasterii Virorum intravit.*
661. *Solvitur quædam instantia contra resolutionem hujus Casus.*
662. *Utrum Religiosi cum eadem Muliere intra Clausuram colloquentes incurrerint Excommunicationem.*
663. *Quivis Religiosus tenetur ita esse comparatus animo, ut nihil velit habere tanquam proprium.*
664. *Hinc non sunt tuti in conscientia, qui Superiori suo nolunt manifestare, quæ ipso inscio acceptarunt.*
665. *Quilibet Religiosus tenetur servare paupertatem juxta modum in sua Regula, & Religione approbatum.*
666. *Acceptans superflua de licentia sui superioris, peccat quidem contra paupertatem, non tamen fit proprietarius.*
667. *Appropriansr sibi aliquam rem Communitatis v. g. librum &c. contra voluntatem Superioris, incurrit culpam proprietarii.*
668. *Recensentur breviter tres pœnæ proprietariorum.*
669. *Religiosus plura minuta de rebus Monasterii subtrahendo, potest tandem graviter peccare.*
670. *Utrum sine violatione Clausuræ Mulieribus permitti possit ingressus in Residentias, vel domos privatas Religiosorum.*
671. *Quoad observantiam Clausuræ oportet attendere consuetudines receptas.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos de voto Paupertatis religiosæ, nec non de clausura Regularium.

QUæres primo, ad quidnam Regularis teneatur vi voti paupertatis?

635. R. Quivis Religiosus vi voti paupertatis tenetur 1. non solum abstinere a receptione proprietatis seu dominii in particulari, cujuscunque rei temporalis externæ, sed etiam 2. a receptione, detentione, alienatione, & usu cujuscunque rei temporalis sine licentia Superioris. Ita Doctores *unanimiter*, nominatim Herincx *p.* 3. *tr.* 4. *disp.* 5. *n.* 74. & 75. & habetur in Concilio *Trident. SS.* 25. *c.* 2. *de Regular.* Ratio hujus est: quia quivis Religiosus nuncupando votum paupertatis Evangelicæ vovet, quod in particulari nihil velit habere, seu possidere: at, hoc ipso a se abnegat non solum omne dominium cujuscunque rei temporalis externæ in particulari, sed etiam receptionem, detentionem & alienationem vel usum sine licentia Superioris; nam hæc omnia si fiant sine legitima Superioris licentia sunt actus proprietatis, prout innuitur *cap. cum ad Monasterium 6. de statu Monach.* ergo &c. Hinc idem Concilium *loc. cit. c.* 2. ait: *nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eo-*

rum supellex statui paupertatis, *quam professi sunt*, *conveniat &c. &c.*

636. Dixi tamen 1. quod *quivis Religiosus teneatur abstinere a receptione proprietatis*, *seu dominii in particulari*; id enim commune est omnibus Religiosis (si scholasticos Societatis Jesu excipias, qui tamen etiam habent dominium ita vinculatum, ut de bonis suis absque facultate Superiorum suorum nihil disponere possint, saltem licite) paupertatem professis, quod scilicet saltem ex dispositione juris Ecclesiastici nullus sit capax dominii in particulari, ne quidem in panem, quo vescitur, nec in vestimentum, quo operitur. Communitates tamen Religiosæ omnes, etiam Mendicantium (exceptis duntaxat Fratribus Minoribus de observantia, & Capucinis, ut habetur in Concilio Trident. *l. cit. c.* 3.) capaces sunt dominii rerum temporalium, tam mobilium, quam immobilium etiam, prout pluribus dicemus *part. 6. Confer.* 5. *n.* 128. *& seqq.*

637. Dixi secundo, *cujuscunque rei temporalis externæ*; quia nullus Religiosus vi hujus voti censetur abdicare dominum rerum & jurium spiritualium, aliorumque, quæ sunt alterius ordinis, quam res temporales, seu bona fortunæ. Hinc cuilibet Religioso manet integrum dominium ad suam famam, honorem, potest insuper gaudere jure suffragandi, eligendi, item jure sepulturæ tam activæ, quam passivæ, Sacramenta percipiendi vel administrandi, concionandi &c. uno verbo, exercendi actus, qui pertinent ad jurisdictionem spiritualem &c. prout fusius explicat Henno *tom.* 2. *disp. un. tract.* 3. *art.* 2. §. 1. *post. concl.* 1. Verum quia diximus, necessarium esse consensum Superioris ad hoc, ut Religiosus privatus aliquid acceptet, donet &c. &c. hinc non abs re

Quæres jam secundo, Utrum etiam sufficiat licentia præsumpta Superioris ad hoc, ut subditus Religiosus aliquid acceptando, donando, vel utendo &c. non peccet contra votum paupertatis?

638. Ante resolutionem necessario præmittendum, & bene notandum est, aliam dici licentiam *expressam*, aliam *tacitam*, & aliam *præsumptam*. *Expressa* dicitur, quæ verbo vel scripto aperte conceditur; & hæc potest esse vel expressa formalis, vel virtualis; ut si Superior dicat subdito: *concedo tibi*, *ut possis advocare Medicum*, erit licentia formalis expressa in ordine ad vocandum vel consulendum Medicum, quia hæc conceptis verbis Superioris fuit expressa: in hac vero licentia formali expressa continetur alia expressa virtualis, scilicet utendi opportunis ac congruis Medicamentis a Medico præscribendis; secus enim frustra, & sine causa consuleretur Medicus. Ceterum apud omnes in confesso est, licentiam expressam sufficere ad excusandum subditum a peccato proprietatis. *Tacita* dicitur, quando ex consuetudine, signis, vel aliis circumstantiis rationabiliter concluditur, usum rei, vel ejus receptionem, donationem &c. a Superiore nedum dissimulari, sed approbari, ita ut Superior quodammodo manifestet, id sibi non displicere; propterea que etiam hæc licentia tacita, utpote supponens actualem voluntatem Superioris communiter reputatur sufficere, & excusare subditum a peccato proprietatis: secus esset, si Superior solum taceret & dissimularet rem, ad impedienda majora mala, discordias &c. &c. talem enim taciturnitatem, utpote supponentem voluntatem Superioris contrariam, non sufficere, fatentur omnes.

Denique licentia *præsumpta* appellatur, quando ob occurrentem aliquam necessitatem, aliamve justam causam creditur seu præsumitur, quod Superior consentiret, seu daret licentiam, si hæc peteretur in his circumstantiis &c. &c. ideoque hæc licentia non supponit actualem consensum seu voluntatem Superioris (uti supponit expressa & tacita) sed supponit solum futuram sub conditione, id est, quod *daret* licencentiam *si sciret* has circumstantias, vel *si peteretur*. Atque de hac licentia præsumpta potissimum dubitatur inter Doctores, variis varie sentientibus, ut videre licet apud Henno *lib. cit.* §. 2. *post concl. secundam*. His præmissis, & bene notatis.

639. R. Jam ad quæsitum propositum.

Licentia NB. *rationabiliter præsumpta* sufficit, & excusat subditum, ut non delinquat in paupertatem, dummodo Superior non sit invitus quoad substantiam, esto etiam modus ei aliqualiter displiceat. Ita cum S. Thoma 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1. & Suarezio *tom.* 3. *de Relig. l.* 8. *c.* 11. *n.* 4. aliisque pluribus noster Holzmann *p.* 3. *tr.* 3. *num.* 599. Ratio est: quia illa licentia sufficit, & excusat a peccato proprietatis, quæ facit, ut expensio vel acceptio rei non fiat nomine proprio, sed cum dependentia, & subordinatione ad voluntatem legitimi Superioris: atqui hoc facit licentia rationabiliter præsumpta, dum scilicet subditus rationabiliter seu fundate sibi persuadet, Superiorem, si rogaretur, in his circumstantiis facile consensurum, nec esse invitum quoad rem ipsam, ejusque acceptionem, vel omissionem petendæ licentiæ, licet sit quodammodo invitus quoad modum: ergo talis licentia rationabiliter præsumpta excusat a peccato proprietatis.

640. Dixi autem notanter *licentiam rationabiliter præsumptam sufficere*, ut per hoc excluderem licentiam imprudenter, & irrationabiliter, seu etiam temerarie præsumptam; quæ, cum nulla sit, & contra voluntatem Superiorum, eo ipso excusare nequit Subditum a vitio proprietatis. Ad hoc autem, ut licentia rationabiliter præsumatur, attendendum est ad objecta, personas &c. & præcipue ad inclinationem Superioris; quem in finem sequentes servire poterunt quasi Regulæ.

I. *Ubi Superior passim & sine difficultate solet concedere licentiam pro hac vel illa re, ibi fit prudens præsumptio.*

II. *Quanto strictior est Religio, & disciplina major, præsertim quoad observantiam paupertatis, tanto minus præsumendum est de licentia Superioris.*

III. *Ubi agitur de receptione aut donatione esculentorum tantum, aut poculentorum, facilius præsumi potest consensus Superioris, quam ubi agitur de receptione pecuniarum.*

IV. *Facilius præsumere licet de consensu Superioris Viro seni, quam Juveni, item Viro prudenti, ac bene merito, quam alteri minus prudenti, & minus digno tali favore.*

V. *Potius præsumere licet Æconomis & Officialibus, quibus partialis saltem cura Monasterii incumbit, quam aliis officio destitutis.*

641. Dixi insuper secundo: *dummodo Superior non sit invitus quoad substantiam*; id est, supponi debet, & rationabiliter quidem, Superiorem fore contentum non solum de acceptatione, vel administratione aut donatione hujus vel illius rei, sed insuper de hoc, quod hic & nunc non petatur licentia pro similibus, esto sit aliquo modo invitus quoad modum, id est, quod hoc vel illo modo fuerit res procurata, acceptata, vel donata &c. &c. Unde pro hoc discernendo, an scilicet Superior sit invitus quoad modum duntaxat, vel quoad ipsam substantiam, servire rursus poterunt sequentes Regulæ.

I. Ubi ex circumstantiis objecti, vel personæ &c. præsumi quidem liceret, Superiorem fore contentum, si actu peteretur licentia, minime vero, nisi actu petatur, censeri debet invitus quoad substantiam, & hoc ipso temerarie, & sine sufficienti fundamento præsumeretur de tali licentia.

II. Ubi constat Superiorem communiter negare licentiam in his circumstantiis, & a fortiori, si constet, eum publice fuisse protestatum contra receptionem talium &c. præsumi debet invitus quoad substantiam.

III. Ubi vero constat, quod non soleat negare licentiam dum petitur pro hac vel illa re, urgere tamen, & desiderare, ut subditus utatur debito candore & confidentia, petendo licentiam expresse, dum commode potest, hac non petita censeri debet invitus quoad modum potius, quam quoad ipsam substantiam.

Verum contra resolutionem *n.* 639. datam

Dices. Quod non existit actu, nihil prorsus potest operari: atqui licentia præsumpta actu non est, sed tantum esset sub conditione, si peteretur: ergo nihil potest operari, nec quipiam juvat &c. ad excusandum a peccato proprietatis.

Con-

Confirmatur. Jurisdictio præsumpta duntaxat, quæ solum daretur, & actu nondum supponitur data, non sufficit ad absolutionem validam: ergo similiter licentia præsumpta non sufficit ad excusandum peccatum proprietatis.

642. R. Ad objectionem. *Distinguendo Majorem*: quod nihil est nec in re, neque in morali apprehensione, nihil potest operari, *concedo*, quod nihil est physice quidem, & in re, bene tamen in morali existimatione, nihil potest operari *nego Maj.* sic enim sola apprehensio vel credulitas de existentia legis v. g. audiendi Missam, servandi jejunium, potest hominem moraliter permovere ad audiendum Sacrum &c. esto a parte rei lex non existat, quidni ergo etiam licentia Superioris rationabiliter præsumpta possit hominem movere, ut aliquid acceptando vel donando &c. agat non proprio nomine, sed cum dependentia & subordinatione ad voluntatem Superioris rationabiliter (uti supponimus) præsumptam; enimvero necessum minime est ad impediendum peccatum proprietatis, ut voluntas Superioris positive influat in talem usum, sed sufficit, quod positive non sit contraria, seu, quod prudenter præsumi possit, Superiorem non esse contrarium, propterea que subditum illa re uti, alias non usurum; per hoc enim satis liquet, eum potius dependenter a voluntate Superioris, quam auctoritate propria agere. Ex quo patet distinctio in forma.

Ad Confirmationem R. *negando conseq. & paritatem*; in Confessario enim ad hoc, ut valide absolvat, necessaria est potestas specialis agendi, qualis est sola jurisdictio de præsenti, seu actu data, non vero primum danda: e contra ad evitandum peccatum proprietatis non requiritur specialis potestas ad agendum, sed hoc solum, ut subditus agat nomine alieno, & non proprio, id est, cum dependentia ad voluntatem Superioris; quod etiam fit, ubi de hujus voluntate & consensu rationabiliter licet præsumere.

Dices rursus: si semel demus, sufficere licentiam Superioris præsumptam, introducetur nimia laxitas, & dissolutio in Religionibus; quilibet enim subditus posset præsumere Superiorem, saltem mediatum v. g. Provincialem, fore consensurum, si ab eo postularet licentiam: at, tales sententiæ sunt prorsus eliminandæ e Sacra Theologia: ergo &c.

643. R. *Distinguendo Major.* si semel demus, sufficere licentiam præsumptam quomodocunque, etiam irrationabiliter, temerarie & sine sufficienti fundamento, introducetur nimia laxitas, *concedo*, si demus, sufficere licentiam præsumptam rationabiliter tantum, & cum sufficienti fundamento, prout nos notanter asseruimus *num. 639.* nego *Maj. cum conseq.* Neque etiam de facili præsumi debet, Superiorem majorem consensurum; quia, cum ad Superiores majores non soleat fieri recursus, nisi in causis gravioribus; hinc præsumendum potius est, eos velle, ut subditi in similibus eventibus postulent licentiam a Superioribus immediatis, vel certe absque horum licentia rationabiliter præsumpta nihil faciant; secus non solum quoad modum, sed quoad ipsam substantiam erunt inviti.

Sed quid, inquies, si cum licentia præsumpta Superioris aliquid acceptavi: eritne postea necessarium ut, si illud retinere velim, Superiori monstrem, vel petam expressam licentiam?

644. R. Cum P. Herincx *cit. disp. 5. nu. 90.* affirmative, nisi perseveret eadem causa in retentione, quæ fuit in acceptatione. Ratio est: quia cum retentio sit continuata acceptatio, non minus ad retinendum, quam acceptandum necessaria erit facultas seu licentia Superioris; hinc si ob defectum commoditatis cum præsumpta licentia aliquid acceptasti, quod alioquin sine expressa licentia acceptare non potuisses, teneberis postea ad illud licite, & sine nota proprietatis retinendum, insinuare tuo Prælato, & ab hoc postulare expressam licentiam, si res adhuc exstet; secus, si non.

Quæres tertio, quale peccatum sit transgressio paupertatis Religiosæ?

645. R. Est species Sacrilegii, & quidem peccatum mortale ex genere suo. Ita Doctores *communiter*. Ratio est:

est: quia talis transgressio repugnat Voto, ceu cuidam legi ex virtute Religionis obliganti. Quin immo non raro contingit, ut talis transgressio simul contrahat alias specie diversas malitias, v. g. scandali, aut furti &c. ut si Religiosus aliquid subtrahat de bonis Monasterii, sibique approprict, vel aliis donet, vendat &c. sine licentia &c. quia in tali casu fit contrectatio rei alienæ Domino rationabiliter invito. Dixi tamen, esse peccatum mortale *ex genere suo*; ubi enim materia vel res acceptata, donata &c. contra voluntatem Superioris est exigui duntaxat momenti, non ascendet ad gravitatem culpæ mortalis.

Quæres quarto, quænam igitur quantitas sit necessaria ad hoc, ut Religiosus transgrediendo paupertatis limites peccet mortaliter?

646. R. Cum distinctione; nam 1. si talis transgressio supponatur non habere annexam malitiam furti, sed solius Sacrilegii, tunc erit solum mortaliter peccaminosa, quando fiet cum gravi detrimento disciplinæ Religiosæ. At vero secundo, ubi talis prævaricatio simul habet adjunctam speciem furti, tunc illa materia censebitur gravis, & ad mortale sufficiens, quæ sufficeret in Filiofamilias respectu Parentis ad committendum peccatum mortale furti. Ita Holzmann *n.* 595. Henno, & alii. Ratio prioris est: quia si non accedat species furti ad transgressionem hujus voti, gravitas hujus dimetienda est penes dissolutionem, aut detrimentum disciplinæ regularis, vel penes scandalum, quod aliis inde præbetur: ergo ubi non est grave periculum dissolutionis disciplinæ regularis, aut scandali, ibi non tam facile argui debet transgressio gravis.

Ratio autem posterioris hæc est: quia, ut ait Henno, Prælati respectu suorum succedunt in locum Parentum, tam quoad corporalia, quam spiritualia: ergo non est credibile, quod respectu suorum, aliquid de bonis Monasterii subtrahentium, sint magis inviti, quam Parentes respectu suorum Filiorum, præsertim cum oporteat eos esse minus tenaces circa patrimonium Christi, quod nec suo labore aut industria, neque Parentum suorum hæreditate acquisiverunt. Fatendum tamen est, circa hanc materiam regulam universalem non posse dari, præsertim cum neque redditus Monasteriorum, neque propensio Superiorum, neque pericula dissolutionis aut scandali ubivis locorum sint æqualia: oportebit proin hæc relinquere arbitrio Viri prudentis ac discreti.

Quæres quinto, quidnam intelligatur nomine Clausuræ?

647. R. Ante responsionem directam notandum hic venit, Clausuram sumi posse dupliciter, scilicet 1. active & 2. passive. Nomine clausuræ active sumptæ intelligitur prohibitio Ecclesiastica, vi cujus sub gravibus pœnis interdicitur egressus & ingressus in Monasteria Regularium, tam virorum, quam Mulierum. Nomine clausuræ passive sumptæ, intelliguntur Monasteria seu loca illa, in quæ ingredi, vel sine licentia egredi nefas est. Ita in re Doctores *communiter*, ut videre licet apud Miranda *tract. de Sacris Monialibus q.* 2. *art.* 1. Palao *tr.* 16. *disp.* 4. *pu.* 7. *& seqq.* Et vero, quod egredi non liceat Regularibus, habetur aperte in Concilio Tridentino *ss.* 25. *c.* 4. *de Regular.* ibi: *Non liceat Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab his missi, aut vocati fuerint.* Quod autem intra terminos clausuræ ingredi sit prohibitum, constat ex pluribus Bullis SS. Pontificum, nominatim Pii V. *Regularium Personarum* 1566. item ex alia Ejusdem: *Romanum Pontificem* 1570. 6. *Julii*. Nec non ex Bullis Gregorii XIII. *Ubi gratiæ* 1575. *Iddibus Junii*, & alia ejusdem declaratione: *Dubiis, quæ emergunt* 1581. 23. *Decembris*, prout videre licet in Bullario Romano. Quæstio igitur proposita potissimum solet moveri de locis, ad quænam accessus prohibeatur. Unde

648. R. Ad eandem quæstionem, Nomine clausuræ, in quam prohibitus fuit accessus, intelligitur primario ipsum Monasterium Regularium. Secundario autem omnia illa loca, quæ intra muros seu septa Monasterii continentur, scilicet non solum officinæ & ha-

habitacula interiora, sed etiam horti, & similia, quæ intra Monasterii muros consistunt; non tamen horti vel prædia extra ambitum seu muros Monasterii sita. Ratio est: quia officinæ ac horti prioris generis censentur esse pars Monasterii, non item horti vel domus aut officinæ posterioris generis, esto stent sub dominio Regularium.

Quantum ad Sacristiam attinet, breviter dicendum est, eam comprehendi sub nomine clausuræ, quando, & ubi ita est situata, ut ad eam non detur ingressus, nisi per claustra Monasterii; quia tunc reputatur pars Monasterii: at vero quando, & ubi ita est situata, ut ad eam pateat ingressus per Ecclesiam, aut per hanc, & Ecclesiam simul, potius reputatur pars Ecclesiæ, ac proin non comprehenditur sub nomine clausuræ. Videantur de hoc Reiffenstuel *l. 3. decret. tit. 35. n. 27.* Lezana *tom. 1. cap. 10. num. 11.* KercKhove *in statut. gener. c. 4. §. 5. n. 10.*

Quæres sexto, an, vel quibus prohibitum sit intrare in Monasteria, seu clausuram Virorum?

649. R. Ingressus in clausuram virorum sub gravibus pœnis est prohibitus omnibus Mulieribus non exemptis, nisi subsit justa necessitas, vel determinata pietas. Ita in re *communiter Doctores*, signanter Henno *tr. 3. de statu Religioso disp. un. q. 10. Conclus. 1.* Explico breviter singula. Quod enim Mulieribus sit prohibitus ingressus sub gravibus pœnis, patet ex Bulla Pii V. *Regularium Personarum*, & ex alia Gregorii XIII. *Ubi gratia* mox allegatis, in quibus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda interdicitur Mulieribus, ne claustra virorum ingrediantur. Ipsis vero Regularibus, præsertim Superioribus sub eadem pœna excommunicationis, nec non sub pœna privationis Officiorum, quæ de præsenti obtinent, & inhabilitatis ad eadem, & alia in posterum obtinenda interdicitur, ne illas introducere, & admittere præsumant: has autem graves esse pœnas, nemo prudentum de facili inficias ibit: ergo &c.

650. Dixi tamen 1. *Mulieribus non exemptis:* quales censentur 1. Imperatrices, Reginæ, earumque filiæ, esto sint nuptæ viris inferioris conditionis, itemque Archi-Ducissæ, & Electrices S. R. Imp. quia hujusmodi Personæ, cum sint speciali nota dignæ, non veniunt sub generali nomine Mulierum, nisi specialiter exprimantur. 2. Insuper excipiuntur fundatrices (quo nomine intelliguntur illæ, quæ fundum ad situm Monasterii concesserunt, aut Monasterium propriis sumptibus fabricari fecerunt, vel redditibus ad victum & vestitum Fratrum dotaverunt) quippe quæ sunt quasi Dominæ Monasteriorum. Hisce Mulieribus ingredientibus clausuram permittitur, cuique pro conditione status sui, major aut minor comitatus aliarum fœminarum, etiam non gaudentium privilegio ingrediendi; non enim verosimile est, quod introitus non sit aliter permissus, quam sine ejusmodi convenienti comitatu, judicio prudentum juxta consuetudines locorum determinando &c. Reliquis vero Mulieribus Ducissis, Comitissis, Baronissis, alteriusve cujuscunque gradus aut conditionis, si nactæ sint usum rationis, esto pubertatem nondum adeptæ, immo etiam amentibus, septennium jam egressis, utpote in quibus non cessat periculum &c. interdictus censetur ingressus in claustra Virorum sub pœnis jamjam enumeratis. De quo videri possunt Sanchez *lib. 6. mor. c. 16. & 17.* Rodriquez *tom. 1. q. 48. a 1.* Miranda *ubi supra q. 2. a 1. concl. 1.* & alii passim.

651. Dixi secundo: *nisi subsit justa necessitas, vel determinata pietas.* Et necessitas quidem raro urgebit, nisi in casu, ubi mulier a satellitibus quæsita ad necem, non posset aliter effugere, nisi intrando clausuram, vel ubi deficientibus Medicis nemo, nisi Mulier perita posset Religioso infirmanti & graviter decumbenti succurrere; qui tamen casus rarissimus erit. Pietatis vero causa ingredi permittuntur, dum in claustris Religiosorum Missæ, aut divina Officia celebrantur, processiones fiunt, fidelium Cadavera sepeliuntur, Item, dum tantus sit populi concursus ut Ecclesiæ porta non sufficiat ad commodum ingressum; tunc enim Mulieribus quibuscunque permittitur ingressus in claustra, sed tempore officii divini & qui-

& quidem ad illa duntaxat loca, ubi divina celebrantur; ita indulsit Pius V. in sua Bulla *Decet Romanum Pontificem &c.*

Notant tamen Henno, aliique plures posse mulieres graviter delinquere, si tempus officii notabiliter præveniant aut subsequantur, vel si ad alia loca progrediantur; licet propterea excommunicationem non incurrant; quippe quæ solum lata est in mulieres indebite ingredientes, non item contra debite ingressas diutius commorantes, aut ultra quam oportet, progredientes.

Quæres septimo, an, vel quibus prohibitum sit intrare in clausuram Monialium?

652. R. Ingressus in clausuram Monialium sub gravissimis pœnis est prohibitus omnibus utriusque sexus personis non exemptis, vel a Superioribus legitimis non licentiatis, nisi excuset necessitas. Ita rursus *communis DD.* & habetur decisum tum in Bulla Pii V. *Cura pastoralis*, tum etiam in Concilio Tridentino *ss.* 25. *c.* 5. *de Regular.* Explico brevissime terminos. Dicitur 1. *sub gravissimis pœnis*; quia sub iisdem, sub quibus *n.* 649. diximus, omnibus Mulieribus esse prohibitum ingressum in clausuram Virorum. Dicitur *secundo. Omnibus personis utriusque sexus*; quia non solum viris, sed etiam fœminis, præsertim sæcularibus, interdictus est talis ingressus. Additur *tertio non exemptis*; ab hac enim lege exempti censentur tum pueri ac puellæ nondum septennes (licet etiam tales consultius excludantur) tum etiam Imperatrices, Reginæ &c. & Fundatrices, prout *n.* 650. declaratum fuit. Dicitur *quarto*, vel a Superioribus legitimis non licentiatis; talem enim licentiam, & quidem in scriptis obtinendam, præscribit Concilium Tridentinum *loco cit.* & Prælati sine legitima ac justa causa eam concedentes, graviter peccant, licet propterea non incurrant recensitas pœnas *n.* 649. eo quod hæ fuerint latæ in ingredientes, non vero in permittentes intrare in clausuram Monialium: nisi id faciat Superior sub prætextu licentiæ Apostolicæ; quo casu etiam incidere in excommunicationem latam a Gregorio XIII. Bulla, *Ubi gratia*. Subditur tandem: *nisi excuset necessitas*; huic enim cedere debet lex Ecclesiastica de clausura servanda. Sub hoc vero justo necessitatis titulo ingredi possunt 1. Opifices necessarii pro reparando, aut construendo ædificio, pro fodienda terra, vel aperiendo sepulcro &c. pro sopiendo vel extinguendo incendio &c. 2. visitatores ad subeundum munus visitationis necessariæ. 3. Confessarius pro administrandis Sacramentis infirmis non potentibus accedere ad communem cum aliis locum, ubi solent communicari &c. 4. Medici, Chyrurgi, & generaliter omnes illi, qui sunt necessarii ad gubernationem, aut conservationem Monasterii &c.

Quæres tandem nono, an vel quomodo Moniales ipsæ teneantur ad servandam Clausuram?

653. R. Omnes omnino Moniales vere tales saltem in actu primo, tenentur ad servandam clausuram perpetuam, nisi ex fundatione aliqua, aut contractu legitimo obligentur exire ad obsequium infirmorum &c. vel alia necessitas gravis postulet egressum. Ita rursus *Doctores communissime*. Et habetur clarissimis juribus *Cap. un. de statu Regular. in sexto*. Item in Tridentino *ss.* 25. *de Regular. cap.* 5. nec non ex constitutionibus Pii V. *circa pastoralis Officii*, Gregorii XIII. *Deo Sacris &c.* ubi non solum Moniales egredientes Clausuram, sed etiam ipsimet Superiores hujusmodi egressum sine justis ac legitimis causis permittentes subiiciuntur excommunicationi ipso facto incurrendæ.

Dixi tamen 1. saltem *in actu primo*; negari enim minime potest, dari hodie quamplures Monialium Conventus, præsertim in hisce partibus nostris, quæ vel ob defectum fundationis sufficientis ad congruam sustentationem, vel ob susceptam aliquando in se obligationem assistendi infirmis &c. vel ob alias oppositiones clausuram non observant: tenentur nihilominus saltem in actu primo, & possunt ad eam obligari, prout Doctores communiter notant: profecto salubrius longe, earumque saluti æternæ longe consultius esset, si

hodie

hodie introduceretur; longe enim majori pace ac tranquillitate spiritus fruerentur. Dixi secundo, *vel alia necessitas gravis postulet egressum &c.* cujusmodi causæ possent esse 1. gravissima infirmitas v. g. pestis, lepræ, epidimiæ, &c. ob quam intra clausuram non retineri, aut curari non possent &c. 2. magnum incendium &c. 3. incursio hostilis, præsertim gentilium aut hæreticorum &c. 4. Aquarum inundantia Monialibus periculosa. 5. Electio vel deputatio alicujus Superiorissæ ad fundandum novum aliquod Monasterium, vel ad reformandum antiquum. Sexto denique universaliter, quoties bonum commune postulat talem egressum. De quibus videri possunt Hyacint. Donatus *tom.* 4. *tr.* 4. *q.* 2. Pirhing. *lib.* 3. *tit.* 35. *n.* 34. *& seqq.* Gutierez *lib.* 1. *Can. qq. q.* 14. Reiffenstuel *eod. tit. n.* 29. *& seqq.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de paupertate Religiosa, nec non de clausura Regularium.

CASUS PRIMUS.

Titius Religiosus post Novitiatum a suo Prælato ad certam quandam Universitatem studiorum causa missus, plus temporis vel otio, vel recreationibus, præsertim lusui (cui a puero semper erat apprime addictus) impendere consuevit, quam studiis: & quia plerumque fortunam experiri cogitur novercantem sibi; hinc nedum illam pecuniam a Reverendissimo suo recreationis causa sibi donatam, sed multo majorem Summam ludendo perdidit, propterea que Matrem suam Viduam sat equidem opulentam non tamen adeo liberalem frequentius per literas sollicitavit pro succursu in ære, quatenus debita hinc inde contracta posset expungere. Tandem conscientiæ stimulis exagitatus (eo præsertim, quod alios Convictores nonnihil inde offensos animadverterit) sciscitabatur ab alio Theologo, an id genus vivendi salva conscientia & paupertate Religiosa protinus continuare possit? Quid Theologus prudens, vel Confessarius ad hanc quæstionem?

654. R. Prudens Theologus vel Confessarius dicet Titio interroganti, id genus vivendi protinus salva conscientia & paupertate Religiosa practicari non posse. Ratio hujus de facili potest colligi ex dictis supra *n.* 639. quia Religioso privato salvo paupertatis voto non licet plus acceptare, præsertim de pecuniis, quam prudenter de consensu sui Reverendissimi Abbatis potest præsumere: atqui prudenter præsumi non potest, Reverendissimum velle, ut tantam pecuniæ quantitatem Titius expendat in lusum, & quidem cum offensa (ne dicam scandalo) aliorum, cum detrimento haud exiguo, vel potius neglectu studiorum, & denique cum mortificatione Matris Viduæ, quæ velut tenax rerum, fertur ac supponitur non, nisi admodum ægre subministrare pecuniam.

Et dato etiam, quod hæc lubens ac volens vellet Filio suo subministrare pecunias, supponi tamen prudenter nequit, Reverendissimum consentire, præsertim cum cedant in detrimentum Titii: atqui sine consensu expresso vel tacito, aut certe prudenter præsumpto, Religioso privato nil licet acceptare aut expendere, nisi velit impingere in votum paupertatis Religiosæ: ergo &c.

Quantum igitur (inquies) licebit Titio acceptare, vel expendere in lusum?

655. R. Certam quantitatem universaliter determinari non posse; quia cum circumstantiæ tam ex parte dantium, quam ex parte acceptantium non sint ubivis æquales, eo ipso æqualiter præsumere non licet de consensu Superiorum. Sanchez *lib.* 7. *in decalog. cap.* 19. *n.* 79. & alii nonnulli apud Cardinalem de Lugo *tom.* 1. *de Just. disp.* 3. *sect.* 7. *n.* 144. existimant, Religiosum qui studiorum, vel alterius negotii causa extra Monasterium alitur, & pro annua sustentatione accipit 100. aureos, posse ex illis quatuor vel 5. honeste ludendo consumere, dummodo in aliam recreationem, vel alios usus non necessarios, eodem anno nihil expenderit: sapienter tamen Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 3. *art.* 8. *num.* 43. ait, tum ex consuetudine Ordinum, tum etiam ex constitutione Monasteriorum esse

esse colligendum, quænam hic quantitas debeat censeri moderata. Facilius etiam putarem præsumendum de consensu Prælati, ubi tales expensæ fiunt in usus honestos, sine offensa aliorum, vel sine detrimento studiorum, aut periculo dissolutionum &c. quam ubi fiunt cum tali præjudicio, offendiculo, aut scandalo. Tutissime, ni fallor, aget Confessarius in tali casu, jubendo, ut Titius sese conformet aliis suæ conditionis Religiosis timoratis & exemplaribus; quia ut sapienter notat Sanchez *loc. cit. n. 99.* tacita voluntas Superioris est, ut talis subditus recepta sibi similium consuetudine stet.

Dices adhuc. Quid si autem supponamus, Titium nostrum ludendo intra terminos honestatis fuisse lucratum aliam majorem summam v. g. 5. 6. vel 7. aureos, licebitne eidem totum hoc lucrum rursum exponere in ludum?

656. R. Licebit, quamdiu durat idem moraliter lusus, non autem posse, quando prior lusus jam fuit finitus.

Ratio est: quia priusquam lusus est finitus, lucrum nondum censetur simpliciter aquisitum: illo autem semel finito jam est aquisitum Monasterio, ac proin citra Superioris consensum vel licentiam non potest amplius exponi periculo: immo si summa supponatur respective excessiva, Superior non posset dare licentiam, ut bene advertunt Sanchez *l. cit. n.* 84. Illsung *tr.* 4. *disp.* 2. *n.* 228. Babenstuber *loc. cit.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Religiosus fatetur, sibi a quodam bono amico gratis omnino fuisse oblatam Summam centum florenorum, timuisse autem rationabiliter, ne Prælatus non consentiret in acceptationem tantæ Summæ, proptereaque rogasse eundem amicum, quatenus solam medietatem 50. scilicet florenos apud Superiorem pro se deponeret, alterius vero medietatis dominio sibi reservato, solum usum concederet; quod & lubens præstitit; hinc Sempronius de quinquaginta in suis manibus depositis liberaliter providet suis necessitatibus, vel potius commoditatibus, aliquoties vero Superiorem accedit, postulans aliquid de suo deposito, & si Superior tergiversetur dare, murmurat, & incusat eum tenacitatis nimiæ, præsertim cum illa pecunia non fuerit ab amico deposita pro Conventus, sed pro necessitatibus suis, scilicet Sempronii. Quæritur jam ad hanc speciem facti 1. an Sempronius salva paupertate potuerit acceptare medietatem ad solum usum? 2. an a Superiore possit quidpiam prætendere de altera medietate, scilicet 50. florenis, tanquam de jure sibi debitum?

657. R. Ad primam partem hujus quæsiti negative. Ratio est: quia non solum dominium, sed etiam usus rerum independens a consensu legitimi Superioris repugnat voto paupertatis, prout liquet ex dictis supra *n.* 635. atqui Sempronius fertur acceptasse usum quinquaginta florenorum independenter a consensu sui Superioris, immo contra voluntatem, utpote credens ac prævidens, Superiorem non consensurum, propetereaque solum usum, & non ipsum dominium voluit acceptare: ergo graviter impegit contra paupertatem Evangelicam. Secus dicendum foret, si Religiosus non acceptaret hujusmodi usum aliter, nisi, ut si aliquando indiguerit, possit inde accipere, obtenta prius Prælati licentia; quod tamen longe alienum supponitur a nostro Sempronio, quippe qui noluit de tali acceptatione usus quidpiam suo Superiori manifestare, timens, ne contradiceret.

Videatur de hoc Sanchez *lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 50. Lugo *ubi supra nu.* 150. & *nu.* 153. Azorius *t.* 1. *l.* 12. *c.* 12. *q.* 2.

658. R. Ad alterum quæsitum, Sempronium nil posse prætendere a Superiore tanquam de jure sibi debitum.

Ratio pariter deduci potest ex hactenus dictis; quia votum paupertatis ita spoliat Religiosum omni proprietate, ut citra vel contra licentiam sui Prælati vel Superioris nil possit acceptare, ne quidem usum rei cujuspiam temporalis externæ: ergo si quid contra voluntatem sui Superioris prætendat, si Superiore contradicente vel prohibente usum rei obmurmuret, contradicat, conqueratur &c. violat votum paupertatis.

Id-

Idipsum tenendum de illo, qui nimia importunitate, minis & technis quodammodo cogit Superiorem ad consentiendum vel concedendum usum talium rerum; nam quemadmodum ille, qui importunitate vel insolentia &c. nimia efficit, ut Superior cogatur quodammodo revocare suum mandatum, violat obdientiæ legem, nec dici potest vere obediens Religiosus; ita pariter ille, qui sua importunitate consensum Superioris quodammodo extorquet, in ordine ad usum hujus vel illius rei temporalis, violat votum paupertatis, & vere pauper non est; quia consensu extortus est nullus, uti probat Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. dispu.* 10. *num.* 4. & rursus *l.* 7. *mor. c.* 19. *n.* 16. Palao *tr.* 16. *disp.* 3. *pu.* 23. *n.* 1. Suarez & alii *communiter*.

At, inquies fortassis, Benefactor talem pecuniam non deposuit apud Superiorem in alium finem, nisi ut hæc Sempronio adveniat, minime vero, ut cedat in utilitatem Monasterii, Superior autem præcise ob nimiam tenacitatem non velut consentire; quia libentius videret eam expendi in utilitatem Conventus: ergo hic male facit, contra æquitatem & voluntatem Domini Benefactoris, cujus voluntas potius attendenda est.

659. R. Explicando & distinguendo *anteced.* Benefactor pecuniam deposuit, ut hæc Sempronio adveniat, dependenter tamen a voluntate & consensu Superioris, *concedo*, ut adveniat independenter, & contra voluntatem Superioris, *nego antec.*; nam hoc modo nec Sempronius, neque etiam Superior potuissent consentire in tale depositum, utpote repugnans statui paupertatis, ad quem sese alligavit Religiosus; inde fit, ut si Religiosus contra voluntatem sui Superioris (esto etiam ex mera tenacitate, vel nimio paupertatis Zelo contradicentis) aliquid accipiat, pro qualitate materiæ in paupertatem impingat, juxta *communissimam Doctorum*, quam tenent Herincx *par.* 3. *tr.* 4. *disp.* 5. *num.* 93. Castropalao *loc. cit. n.* 10. Holzmann *ubi supra tr.* 3. *n.* 610. quia scilicet agit nomine proprio, & non Superioris, Hinc communiter tradunt Doctores, quod, si aliquid Religioso tradatur, aut legetur sub hac conditione, ut sit ipsius, & non Monasterii, hanc conditionem esse explicandam in eo sensu, ut sola commoditas vel usus, dependenter tamen a consensu Prælati, pertineat ad talem Religiosum, tum quia actus, præsertim ultimarum voluntatum oportet ita interpretari, ut valeant potius, quam ut pereant: non valeret autem talis dispositio, nisi deberet legatum Religioso obvenire dependenter a voluntate sui Superioris; tum etiam, quia verba Testatoris (ut volunt jura) debent intelligi secundum conditionem personæ; id, quod satis evidenter colligere licet ex *c. Exiit qui de Verb. sign. in sexto. §. Non enim*. Ita pariter ex *communi DD.* tenent Babenstuber *tract.* 7. *disp.* 3. *art.* 8. *n.* 42. Engel *l.* 3. *tit.* 35. *n.* 3. Sanchez *lib.* 7. *mor. c.* 17. *n.* 4. Videantur dicenda *part.* 6. *Confer.* 5. *n.* 58. & 59.

CASUS TERTIUS.

Caja honesta Matrona a quodam Superiore Religioso sæpius joci causa fuerat invitata, ut & ipsa aliquando cum suo Marito (cui haud infrequens erat negotium in eodem Monasterio) compareret in Refectorio; unde factum, ut, cum Caja aliquando transiens portam Monasterii vidisset apertam, subito intraverit usque ad culinam & ad refectorium, in quo etiam cum uno vel altero Religioso colloquendo sese tamdiu detinuit, usque dum Superior hac super re admonitus, non sine rubore proprio eam exire jussit: Cui & ipsa jocando respondit: Pater Reverende, si nolit habere fœminas in suo Refectorio, deinceps nullam amplius invitet, subitoque discessit. Jam ad nostrum propositum circa hanc speciem facti dubitare licet 1. Utrum Superior joci causa invitando, & Caja intrando clausuram non peccaverint graviter, & incurrerint excommunicationem latæ sententiæ? secundo, utrum Patres Cajæ colloquentes, & cum eadem nonnihil moram trahentes in Refectorio, non peccaverint graviter, aut inciderint in aliquam censuram Ecclesiasticam?

660. R. Ad primum quæsitum hujus

jus Casus Superior non peccavit graviter, & hoc ipso neque incurrit pœnam excommunicationis, aut suspensionis ab officio; Caja tamen per se loquendo graviter deliquit intrando Clausuram, & nisi laboraverit ignorantia etiam incurrit pœnam excommunicationis. Ratio prioris est: quia invitatio Mulieris joci causa duntaxat facta non fuit graviter, fortassis neque venialiter peccaminosa; probabilius enim talem ingressum non prævidit, multo minus intendit Superior; cum feratur illico expulisse Cajam, quam primum intellexit, eam intrasse clausuram: ergo cum pœna excommunicationis majoris supponat culpam gravem, locum invenire nequit in nostro casu ex parte Superioris; tametsi & iste consultius ac prudentius egisset abstinendo ab hujusmodi invitatione.

Ratio autem posterioris peti debet ex dictis supra *n.* 647. & 649. quia ingressus in Clausuram sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ fuit prohibitus nedum in jure communi *Cap. Pervenit* 20. *Caus.* 18. *q.* 2. *c. Periculoso, de statu Regular. in sexto*, & Trident. *SS.* 25. *c.* 5. *de Regular.* sed insuper specialibus constitutionibus Pii V. & Gregorii XIII. supra allegatis.

Dixi tamen: *nisi Caja laboraverit ignorantia &c.* quia allegatæ constitutiones, præsertim Pii V. *Regularium Personarum &c.* expresse continent, quod illi duntaxat præfatas pœnas incurrant, qui *literarum* (Apostolicarum scilicet de prohibitione sub gravi pœna) *notitiam habuerint:* cum ergo fœminæ plerumque laborent inculpabili, vel certe non crassa ignorantia similium constitutionum ac pœnarum (esto etiam sciat generaliter ingressum in Clausuram Virorum esse prohibitum) hinc probabiliter Caja non incurrit excommunicationem; præsertim cum non supponatur, nisi solius joci, aut, si mavis, cujusdam curiositatis causa ingressa. Profecto cum supponatur esse Matrona honesta, credibile fit, eam nunquam fuisse intraturam, si credidisset, se propterea reatum peccati mortalis, vel pœnam excommunicationis contracturam, proindeque in praxi ad hoc discernendum opus erit, ut Confessarius eandem examinet, quo animo intraverit? an putaverit se graviter peccare? &c. &c. Videatur Kerkhove proxime citandus *num.* 17.

Dices contra hanc resolutionem. Juxta probabilem sententiam Laymanni, Rodriquez, Portel, Engel, Pirhing & aliorum, illæ duntaxat Mulieres incurrunt censuram excommunicationis, quæ clausuram intrant *sub prætextu privilegiorum, vel exemptionum &c.* atqui Caja hoc non fecit sub tali prætextu: ergo nullatenus incurrit hanc pœnam excommunicationis, esto etiam habuisset notitiam pœnæ &c.

661. R. Cum P. Azorio, Suarez, Donato, Navarro, Sanchez, Reiffenstuel *l.* 3. *Decret. tit.* 35. *n.* 74. Illi Sententiæ hodie vix aliquid probabilitatis remanere, ob plures declarationes in contrarium factas; sic enim Pius V. declarando Bullam *Regularium Personarum* supra allegatam, statim subjunxit (ut videre licet *in Bullario Cherub.*) *auctoritate Apostolica tenore præsentium dicimus & declaramus, fuisse, & esse mentem, & intentionem nostram, quod dictæ litteræ non solum comprehenderent, & comprehendant Mulieres, habere prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi Monasteria, sed etiam NB. & quascunque mulieres alias, tam in genere, & in specie.* Videatur Reiffenstuel *loc. cit.*

662. R. Jam ad alterum quæsitum ejusdem Casus, illos Patres Cajæ in culina aut Refectorio colloquendo non peccasse graviter, neque incidisse aliquam pœnam, nisi fuissent tales, qui ex officio tenebantur arcere omnes Mulieres. Ita Sanchez *lib.* 6. *mor. cap.* 16. *num.* 95. Pellizarius *tom.* 2. *tr.* 10. *c.* 5. *sect.* 3. *nu.* 97. Portel *in dub. Regularibus vers. Clausura Viror. n.*3. Kerckhove *in stat. Gen. c.* 4. §. 5. *n.* 15. Ratio est: quia ex constitutionibus Apostolicis illi duntaxat Superiores, aut Religiosi incurrunt pœnam excommunicationis, & suspensionis ab Officio &c. *qui in Clausuram fœminas introducere, admittereve præsumunt*, id est, cooperantur vel directe, vel indirecte ad talem ingressum, utputa jubendo, invitando, consulendo, vel etiam

non prohibendo, si ex officio prohibere teneantur, uti tenentur Superior, & Janitor &c. atqui hoc non fecerunt Patres in Refectorio præcise colloquendo fœminæ jamjam propria sponte ingressæ: ergo cum aliunde constet, leges pœnales restringendas potius esse, quam extendendas, dicendum, quod illi Patres non inciderint præfatas pœnas.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

663. COlliges ex hactenus dictis primo, quemlibet Religiosum vi Voti paupertatis debere ita esse constitutum, & affectum animo, ut nil velit habere, possidere vel usurpare tanquam proprium, id est, affectu retinendi jure suo, seu independenter a voluntate Superiorum; unde etiam debet esse paratus quovis momento exui usu & possessione rei ad nutum superioris. Ratio patet ex dictis supra *num.* 635. Ex quo per se fluit, non esse in bono statu illos Religiosos (idem dic de Monialibus) qui ad pecuniam pro suis necessitatibus a Parentibus, amicis, vel Benefactoribus in manibus Superiorum depositam recurrunt, tanquam suam; qui, si Superior renuat aliquid dare de illo deposito, non solum murmurant, sed etiam totam domum vel Monasterium querelis adimplent, vel, quod adhuc pejus foret, Superiorem apud amicos & Benefactores nimiæ tenacitatis incusant &c. Vera etenim paupertas omnem adimit affectum ad aliquid temporaneum possidendum velut proprium, neque admittit, ut aliquid velut proprium & tibi in particulari debitum possideas in manibus tui Superioris, veluti ex hactenus dictis, præsertim *n.* 658. liquet. Videatur Herincx *part.* 3. *tr.* 4. *disp.* 5. *n.* 76.

664. Colliges secundo, illos Religiosos in conscientia tutos non esse, qui acceptando res temporaneas infideliter agunt cum suis Superioribus, eisdem vel omnino nihil, vel non, nisi ex parte manifestando id, quod acceperunt, vel qui ex professo occultant, clavem subtrahunt &c. ne Superior possit auferre &c. Ratio est: quia tales sunt actus domini independentis, sive juris proprietatis, ut notat Laymann *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 8. ergo repugnant voto paupertatis. Secus dicendum, si talis Religiosus obtinuisset licentiam a Superiore majore, & ideo solum abscondat, ne ab inferiore quopiam Superiore possit auferri; quia talis non possideret rem independenter a voluntate sed potius ex voluntate sui Superioris majoris, respectu cujus Prælatus inferior se habet ad instar alterius privati subditi, ut ait Lugo *cit. n.* 156. eumque secutus Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 3. *art.* 8. *n.* 41.

665. Colliges tertio, unumquemque Religiosum teneri ad servandam paupertatem juxta modum in sua Religione receptum & approbatum, & Regulæ seu instituto conformem. Ratio est: quia quivis Religiosus tenetur servare paupertatem eo modo, quo illam promisit Deo: atqui supponitur illam promisisse juxta modos in sua Regula expressos & approbatos: ergo &c. Hinc nos Fratres Minores tenemur ad rerum usus arctos & pauperes in Regula contentos, prout declaravit Clemens V. *Clem. Exivi de Paradiso*, item Nicolaus III. *cap. Exit de Verb. sign. in sexto*. Reliqui Religiosi pariter tenentur in rebus ad usum concessis vitare superfluitatem, curiositatem, & pretiositatem, ita, ut secus faciendo lædant paupertatem Evangelicam vi voti promissam, graviter aut leviter, juxta proportionem materiæ gravis aut levis. Ratio est: quia non sufficit præcise, ut Religiosus servet paupertatem quo ad substantiam, nihil velut proprium, & independenter a licentia Prælati possidendo, sed necessum insuper est, ut servet paupertatem etiam quoad modum, & accessoria seu proprietates, id est, cum debita & statui proportionata temperantia ac modestia, inquit Henno *tr.* 3. *de statu Religioso*, *disp. un. q.* 9. §. 1. *concl.* 3. Circa hunc modum tamen Regula universalis præscribi non valet, quia cum Rigor vel tenor Regularum respectu omnium æqualis non sit; hinc quod respectu unius modestum ac moderatum, respectu alterius excessivum haud immerito videbitur.

Sed

Sed quid (inquies) si Superior ipse indulgeat usum immoderatum , utputa concedendo res superfluas, aut nimis pretiosas v. g. picturas, horologia &c. ac similia?

666. R. In tali casu Religiosum adhuc peccaturum contra paupertatem 2. non tamen fore proprietarium . Ratio prioris est : quia paupertatis votum per se obligat ad non habenda superflua , vel nimis pretiosa , utpote ex sua natura repugnancia paupertati: quemadmodum ergo licentia Superioris efficere nequit, quin sint superflua & nimis pretiosa ; ita nec efficere potest , quin talis Religiosus peccet contra votum paupertatis . Ratio autem posterioris hæc est : quia Religiosus hujusmodi rebus non utitur tamquam propriis , sed velut alienis, seu de licentia & voluntate sui Superioris , ad cujus nutum supponitur paratus relinquere talem rem, vel usum illius: ergo dici nequit proprietarius . Et licet Superior ipse nedum positive concedendo usum superfluorum, aut rerum nimis pretiosarum, sed etiam permittendo & indulgendo similia, ubi tamen de facili posset ac deberet contradicere, peccet, cum licite non possit similia concedere , velut contraria voto, nihilominus concedendo hujusmodi potestatem, valide agit; propterea que contractus circa rem superfluam , aut nimis pretiosam de licentia Superioris initus valet , secundum communem Doctorum ; quo fit, ut talis Religiosus dici nequeat proprietarius : & ita contra Palao , Lessium, Henno, Schmalzgrueber & alios tenet Illsung. *tr.* 4. *d.* 2. *n.* 207. La Croix *lib.* 4. *n.* 114. Holzmann *ubi supra n.* 604. & alii plures DD.

667. Colliges quarto , etiam illum Religiosum delinquere contra paupertatem 1. qui contra voluntatem Superioris res communitatis sibi apropriat, v. g. librum e Bbliotheca &c. 2. qui res ad usum sibi concessas per negligentiam vel culpam perire sinit , vel destruit , inutiliter consumit , vel juxta voluntatem Superioris non distribuit inter Fratres; aut extraneos. 3. qui contra voluntatem Superioris acceptat etiam ab extraneis vel amicis esculenta , aut poculenta &c.; & 4. a fortiori ille, qui de rebus Monasterii etiam comestibilibus furando , vel sibi , vel aliis applicat; quo casu nedum committit peccatum proprietatis, sed etiam furti , secundum dicta superius *n.* 645. Ratio horum omnium jam fuit data : quia hoc modo Religiosus agit velut Dominus , aut certe velut usufructuarius , nedum sine licentia rationabiliter præsumpta , sed & contra voluntatem Superioris : ergo peccat contra votum suum & si materia fuerit gravis , etiam incurrit pœnas proprietariorum secundum *communem Doctorum* . Videatur de his Sporer *tr.* 6. *c.* 1. *n.* 64.

Sed quænam sunt illæ pœnæ Proprietariorum? inquies.

668. R. Pœnæ Proprietariorum, pecunias , vel aliud quidpiam notabile seu grave penes se retinentium, sunt tres sequentes 1. Pœnitentiæ causa recludi debent per *cap. fin. de Regular*. 2. Privantur voce activa & passiva in ordine ad electiones per biennium, per Concilium Trident. *SS.* 25. *c.* 2. *de Regular.* 3. Privari debent sepultura Ecclesiastica, & humari in sterquilinio, si velut proprietarii sine pœnitentia discesserint. *cap. Monachi. de statu Monach.* Quin immo jam sepulti in loco Sacro , exhumari jnbentur , ubi id absque gravi scandalo fieri potest, *cap. super quodam eod. tit.* Ubi tamen notandum est, has pænas non incurri , nisi post sententiam declaratoriam criminis a Judice dandam, prout tradunt Laymann *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 22. Palao *tr.* 16. *disp.* 3. *pu.* 25. & alii plures.

669. Colliges quinto , fieri posse, ut Religiosus subtrahendo aut furando de rebus Monasterii tandem graviter peccet , esto non peccaverit graviter contra paupertatem in singulis furtis minutis . Ratio est : quia secundum dicta *par.* 4. *Theolog. Decalog. Conf.* 11. *n.* 311. furta minuta , vel potius materia furtorum minutorum censetur moraliter concrescere , quando Domino per similia damnum grave infertur. At vero ubi Religiosus præter , vel contra voluntatem sui Superioris acceptat plura successive de voluntate Benefactoris, quorum singula non sunt gravis adeo mo-

momenti, hujusmodi acceptationes non censentur in morali hominum existimatione coalescere, nisi (ut prudenter limitat Kerckhove *in cap. 6. Regulæ nostræ*) talis Religiosus haberet intentionem positivam per hujusmodi repetitas parvas acceptiones tandem perveniendi ad rem magnam, aut certe præcisa etiam tali intentione tandem animadverteret, se acceptando jamjam congregasse materiam notabilem; quod in poculentis vel esculentis, utpote usu consumere natis ac solitis, de raro contingent, & ob id etiam Religiosi rarius delinquere solent graviter, nisi specialiter ob alias rationes hoc fuerit interdictum, prout præter alios advertit Henno, Lessius, Babenstuber *ubi supra art.* 8. *num.* 38. & alii plures ab eo relati.

670. Colliges sexto, leges clausuræ non violari ex eo præcise, quod mulieres permittantur intrare in domos privatas vel residentias, ubi unus vel alter Religiosus duntaxat habitare consuevit. Ita cum Sanchezio, Laymanno, Sorbo, & aliis Palao *tr.* 16. *disp.* 4. *pu.* 8. *num.* 6. Ratio est: quia in constitutionibus Pontificiis Mulieribus solum prohibetur ingressus in Monasteria, seu Conventus Religiosorum, ubi scilicet Religiosi regulariter & claustraliter vivunt; atqui domus privata vel Residentia, ubi unus duntaxat vel alter habitat, dici non potest Monasterium aut Conventus Religiosorum: ergo &c. Idipsum tenendum est, si in aliqua domo vel loco causa ædificandi Conventum Religiosi habitationem sumant; quia nondum dici potest Conventus Religiosorum: si tamen supponantur sufficientia habitacula ædificata, ita, ut ibi Communitas Religiosorum regulariter vivere possit, censet Kerckhove *in statut. general. cap.* 4. §. 5. *num.* 13. Religiosos peccaturos contra leges Clausuræ, admittendo fœminas in hujusmodi loca jamjam ædificata & clausa; quia (inquit ipse) revera fratres ibi Conventum habent, non minus, quam in aliis Monasteriis ex toto ædificatis.

671. Colliges denique septimo, quoad modum observandi clausuram, & vel maxime etiam quoad licentiam ingrediendi, vel egrediendi Monasteria &c. ab Episcopo ac Superioribus dandam, attendendas esse consuetudines receptas, prout sapienter notant Sanchez *l. 6. mor. cap.* 15. *num.* 28. Castropalao *l. cit. pu.* 9. *num.* 9. La Croix *lib.* 4. *num.* 69. Ratio est: quia obligatio servandi clausuram solum oritur ex lege Ecclesiastica, seu Constitutionibus Pontificiis: legibus autem positivis humanis per consuetudines legitimas derogari potest secundum *omnes*: ergo &c. Unde videmus hodie, in pluribus Monasteriis Germaniæ Moniales ad nullam adstringi Clausuram: in aliquibus vero permitti egressum vel ingressum ex causis non ponderosis; Similiter in Hispania (teste Sanchezio *cit.*) consuetudo habet, ut solus Superior Regularis Monialibus exemptis possit concedere licentiam egrediendi: idipsum Abbates Germaniæ solent concedere Monialibus suæ jurisdictioni vel Gubernio subjectis, idque subin oretenus tantum, sine interventu scripturæ, vel Episcopi Diœcesani. Itaque quoad hæc & similia vel maxime attendendæ sunt consuetudines, non quidem irrationabiles, vel potius corruptelæ, sed rationabiles, auctoritate Superiorum approbatæ: de quo videri possunt *Doctores proxime citati*.

CONFERENTIA VIGESIMA.

De statu laicali, præsertim judiciali, & in specie de Judice.

SUMMARIUM.

672. *Judex est persona publica, prædita potestate &c.*

673. *In quovis Judice necessariæ sunt quatuor qualitates.*

674. *Contra reum procedi potest triplici via, scilicet accusationis, denunciationis, & inquisitionis.*

675. *Inquisitio rursus potest esse triplex, scilicet 1. generalis, 2. specialis, vel 3. mixta.*
676. *Ad inquisitionem generalem duntaxat, non debet necessario præcedere infamia Rei.*
677. *Ad inquisitionem vero specialem vel accusatio, vel infamia, vel alia criminis indicia supponi debent.*
678. *Quidnam hic nomine infamiæ, vel indiciorum intelligatur*
679. *Aliter tamen discurrendum, ubi inquisitio solum fit ad correctionem rei, vel evitationem damni &c.*
680. *Qualis modus vel Ordo observandus sit Superiori, dum velut Judex vult procedere ad inquisitionem.*
681. *Nomine Torturæ intelliguntur Cruciatus corporis &c.*
682. *Quæ potest licite adhiberi, suppositis certis conditionibus.*
683. *Judici nunquam licet condemnare illum, qui crimen nunquam confessus, neque de hoc convictus fuit.*
684. *Multo minus illum, quem privata scientia certo novit innocentem, esto in foro externo fuisset probatus nocens.*
685. *Præcluditur quædam Adversariorum responsio.*
686. *Satisfit principali fundamento adversæ opinionis.*
687. *Non licet Judici acceptare munera proprie dicta.*
688. *Fas tamen est Judici sæculari, acceptare sportulas, & Xenia.*
689. *Ad quid teneatur Judex, qui animadvertit, se errasse in suo munere, vel Officio.*
690. *Resolvitur Casus 1. de quodam Judice, qui personam fornicationis ream dolose induxerat ad confessionem complicis.*
691. *Et ulterius inquirendo in alios etiam complices male fecit.*
692. & 693. *Expeditur gemina instantia contra datam resolutionem.*
694. *Resolvitur Casus II. de quodam Visitatore Religioso, cui in actu visitationis detecta fuere nonnulla crimina contra certum quendam subditum.*
795. *Quem tamen propterea non licuit publice corrigere;*
696. *Bene vero vi hujus depositionis absolute loquendo licuit procedere ad inquisitionem juridicam.*
697. *Resolvitur Casus III. de quodam Judice, qui suspectum de adulteratione monetæ, jussit comprehendi.*
698. *Immo & graviter torqueri.*
699. *Utrum talem pertinaciter negantem liceat sæpius subjicere torturæ.*
700. *Nequit Judex reum illico obligare ad juramentum de dicenda veritate circa omnia causam concernentia.*
701. *Neque Superiori Regulari licet specialiter inquirere in subditum, contra quem scriptæ fuerunt literæ suppresso nomine Auctoris &c.*
702. *Poterit tamen Superior inde sumere ansam instituendi inquisitionem generalem, vel paternam.*
703. *Judex tenetur ferre Sententiam pro ea parte, cui jura magis favent.*
704. *Ubi vero jura videntur utrinque paria, debet facere transactionem, vel compositionem;*
705. *Nisi altera pars jam sit in actuali possessione bonæ fidei.*
706. *Nec Carnifici, neque aliis licet occidere certo innocentem.*
707. *Judex, priusquam descendat ad Torturam rei, debet tentare omnia media mitiora &c.*
708. *Et quid, si reus post Torturam in banco juris revocet suam confessionem?*
709. *Judices excedendo modum in Tortura, possunt graviter peccare.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debite resolvendos Casus practicos de Judice.

QUæres primo, quidnam intelligatur nomine Judicis, & quænam conditiones ad hoc munus requirantur?

672. R. Ad primam partem hujus quæsiti. Nomine Judicis intelligitur persona publica, habens potestatem de sibi subditorum controversiis & criminibus cognoscendi, eorumque causas per sententiam terminandi secundum leges. Ita Henno *tom.* 2. *tract.* 2. *disp. accessor. qu.* 1. *concl.* 1. Fundatur hæc descriptio in *cap. forus de Verb. signif.* Explico brevissime singulas particulas. Dicitur 1. *Persona publica*, id est, auctoritate publica instituta &c ad distin-

distinctionem Judicis privati, vel arbitri potius. Dicitur secundo: *habens potestatem*; quia in Judice necessaria est potestas jurisdictionis, eaque vel ordinaria, & tunc dicitur *Judex Ordinarius*; vel delegata; & tunc dicitur *delegatus*, id est, talis, cui Judex Ordinarius vices suas commisit, sive ad universitatem causarum, sive ad aliquam causam specialem terminandam. Dicitur tertio: *de sibi Subditorum &c.* quia sententia in non subditum lata nulla est. Dicitur quarto: *controversiis & criminibus*; quia ad pacem Reipublicæ conservandam nedum justitia distributiva aut commutativa (uti fit in judiciis civilibus) sed etiam vindicativa (uti fit in judiciis criminalibus) administrari debet. Dicitur quinto. *Cognoscendi*, sive per viam accusationis, sive per viam inquisitionis &c. sine cognitione enim seu disquisitione causæ prudenter nequit ferri sententia. Additur sexto: *eorumque causas per sententiam terminandi*; in hunc enim finem instituuntur judicia, ut per decisionem causarum pax & tranquillitas Reipublicæ conservetur, vel instauretur, dum æqua Judicis sententia redditur cuique quod suum est. Subditur denique septimo: *secundum leges*; debet enim Judex nedum inferior, aut delegatus, sed etiam Ordinarius vel supremus decidere controversias, non pro suo libitu, aut ex mero arbitrio, sed secundum legem naturalem, & positivas, divinas, vel humanas &c. Unde.

673. R. Jam ad alteram partem hujus quæsiti. In Judice necessariæ sunt quatuor conditiones vel qualitates 1. potestas 2. scientia 3. æquitas 4. constantia. Ita in re *communiter DD.* & sequitur ex proxime dictis. Ratio primi est: quia sententia se habet ad instar legis particularis: ergo quemadmodum in Legislatore necessaria est potestas legislativa; ita & in Judice potestas discretiva &c. Necessum tamen est, ut Judex non solum habeat potestatem judicandi in personam, sed insuper in materiam, de qua controvertitur, vel agitur; hinc si Judex laicus præsumat ferre sententiam in Clericum, vel in laicum quidem, sed in materia mere spirituali &c. non solum peccat pro ratione materiæ, sed insuper acta nullius sunt valoris, utpote non procedentia a legitima potestate. Ratio secundi & tertii est: quia Judex debet causam decidere secundum leges, ut dictum, & secundum exigentiam justitiæ: at, si non habeat scientiam competentem legum seu jurium, non poterit decidere secundum leges &c. aut si non procedat secundum exigentiam justitiæ, huic nunquam fiet satis: ergo in Judice necessaria est competens scientia, & æquitas.

Ratio denique quarti est: quia nisi Judex sit firmus & constans in exequendo sententiam a se latam, parti læsæ nunquam satisfiet, nec obtinebitur pax & tranquillitas Reipublicæ, immo expensæ factæ erunt frustraneæ, cum majori detrimento litigantium. Hac de causa *Eccl. 7. dicitur*; *noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.*

Quæres secundo, quid, & quotuplex sit inquisitio?

674. Ante responsionem notandum, contra Reum triplici via procedi posse, scilicet 1. Accusationis. 2. Denunciationis, & 3. Inquisitionis. *Via accusationis* dicitur procedi, quando Actor Reum defert apud Judicem, & incusat de aliquo crimine, simulque spondet, se id probaturum. *Via denunciationis* appellatur, quando quis Superiori seu Judici refert crimen, non tamen vult suscipere onus probandi suum assertum; & hæc denunciatio potest esse vel *Evangelica*, vel *Judicialis*. Evangelica dicitur, quando talis denunciatio fit apud Superiorem velut Patrem duntaxat, non in ordine ad vindictam, aut punitionem criminis, sed solum in ordine ad emendationem fratris, vel delinquentis. Judicialis vero appellatur, quando fit apud Superiorem velut Judicem, in ordine ad punitionem criminis, vel ad impedienda damna imminentia &c. Denique *via inquisitionis* dicitur, quando Judex vel Superior procedit ad Provinciam, vel locum sibi subjectum reformandum, visitandum, &c. aut ad investigandum criminis commissi Auctorem. Hinc

inquisitio describi solet, quod sit *criminis*, *vel criminosi*, *vel utriusque simul per Judicem ex Officio procedentem legitime facta investigatio*: per quod patet Responsio ad primam partem Quæsiti. Descriptio hæc amplius constabit ex dicendis.

675. R. Jam ad alteram partem ejusdem quæsiti. Inquisitio triplex est, nempe 1. generalis, 2. specialis, & 3. mixta. Ita Lessius, Illsung. & *alii communiter*. *Generalis* dicitur, quando Superior solum inquirit in geuere, nulloque nominato delicto vel persona v. g. an in tali loco, Conventu &c. serventur leges, Concilium Tridentinum, statuta seu Ordinationes? &c. hanc vero inquisitionem generalem licite fieri, nemo est, qui ambigat, confirmante eam receptissima consuetudine ac praxi ferme in omnibus Monasteriis bene regulatis. *Specialis* inquisitio appellatur, quando in particulari de aliquo determinato delicto, determinataque persona inquiritur v. g. an Titius commiserit furtum calicis, homicidium, procurationem abortus &c.?

Mixta denique inquisitio dicitur, quando inquiritur de persona determinata, non tamen determinato delicto v. g. an Titius regulariter vivat? vel e contra quando inquiritur de delicto determinato, non tamen de aliqua persona v. g. an in tali loco commissum fuerit furtum calicis? &c.

Quæres tertio, quænam requirantur ad hoc, ut Judex vel Superior licite procedat ad inquisitionem?

676. R. 1. Ad hoc, ut Superior vel Judex licite procedat ad inquisitionem generalem tantum, opus non est, ut præcesserit infamia &c. 2. ad hoc autem, ut licite procedat ad inquisitionem specialem, vel ad mixtam, per quam de persona aliqua in particulari inquiritur, in ordine ad punitionem criminis, necessum est, ut præcesserit vel accusatio, vel denunciatio, vel diffamatio, seu infamia, vel saltem haud obscura indicia contra personam, in quam inquiritur. Ita Doctores citandi. Ratio prioris, quam tenent Henno *cit. concl.* 3. Passerinus & alii, est; quia inquisitio generalis duntaxat vergit in bonum communitatis, ut nempe vitia exterminentur, & studia virtutum augeantur, et quia nullus in particulari, immo nec ipsa communitas per eam diffamatur vel læditur; hinc etiam nullus potest prudenter esse invitus.

Monent tamen Doctores communissime, in tali inquisitione generali duntaxat non posse a subditis tuta conscientia Superiori manifestari crimina secreta illorum, qui non laborant infamia, nisi id facerent deferendo ad Superiorem non qua Judicem in ordine ad vindictam, sed qua Patrem, præcise in ordine ad emendationem, & quidem (quod bene notandum) tunc solum, quando præmissa correctio fraterna nihil profuisset. Ita Pichler, Kerckhove, Holzmann *n.* 654.

677. Ratio autem posterioris partis (quam tenent S. Thomas 2. 2. *q.* 67. *art.* 3. Babenstuber, Holzmann & alii) est; tum quia ita decernunt jura *c. Inquisitionis §. tertiæ de Accusat*, & *c. qualiter*, *eodem tit.* tum quia Judex non potest simul esse actor: ergo necessario supponi debet alius, vel accusans, vel denuntians, vel fama volans, quæ fictione juris habetur pro tali &c. tum denique quia per juridicam inquisitionem læditur quodammodo fama illius, in quem inquiritur: ergo quisquis hactenus possedit integram suam famam, de jure conqueri posset contra Judicem procedentem ad inquisitionem sine omni accusatione aut denunciatione, vel infamia præcedente.

678. Dixi autem notanter 1. sub particula disjunctiva *vel*, necessum esse ut præcedat *vel* accusatio, *vel* denuntiatio &c. pro cujus pleniori intellectu notes velim, nomine *infamiæ* hic intelligi *communem rumorem*, *ortum non a malevolis*, *sed a probis*, *&* *honestis hominibus*, *de aliquo delicto commisso v.* g. *a Titio &c.* qui rumor a nonnullis etiam vocitari solet *clamorosa insinuatio*, criminis scilicet apud Judicem &c. Nomine vero *judiciorum* intelliguntur tales circumstantiæ, e quibus cum fundamento colligi potest, quis sit auctor criminis. Videatur de hoc Kerckhove *in Methodo Corrigendi Regulares cap.* 2. §. 1. *num.* 16. qui

l. cit. n. 10. cum Claro *lib.* 5. *Pract. crim.* §. *fin. q.* 4. *n.* 1. & aliis *communiter* advertit, quod, si crimen sit *facti permanentis*, id est, tale, quod post se relinquit vestigium v. g. vulnus, mutilationem, furtum cum effractione factum &c. Judex nequeat incipere processum per inquisitionem, nisi prius de tali delicto sibi constiterit, & quidem per inspectionem facti, id est, vulneris, mutilationis &c. si vero delictum sit *facti transeuntis*, id est, tale, quod post se nullum relinquit vestigium, v. g. blasphemia, sodomia, furtum absque effractione &c. &c. sufficiet, quod de tali constet per testes idoneos, aut per indicia, & conjecturas fundatas.

679. Dixi insuper secundo: ad hoc ut Judex vel Superior procedat ad inquisitionem in ordine *ad punitionem criminis*; enim vero, ut Superior licite inquirat solum *ad correctionem Rei*, vel *ad avertenda damna &c.* necessum non est, ut præcesserit vel accusatio, vel denuntiatio, vel infamia &c. cum nemo possit esse rationabiliter invitus propterea, hinc non insipienter, sed prudenter agere censentur, qui volentes conducere v.g. famulum, aut inire matrimonium, vel conferre beneficium &c. prius indagant, an tales sint integræ vitæ, non vitiosi &c.

Excipiuntur insuper crimina læsæ Majestatis, hæreseos, apostasiæ &c. & similia, quæ cum Reipublicæ sint summopere perniciosa, non prærequirunt infamiam publicam, sicut nec talis requiritur, ubi delictum est notum notoreitate facti &c. Ita præter *DD. cit.* Laymann *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 2. *n.* 3. Sayrus *Clav. Reg. lib.* 12. *c.* 11. *a n.* 11. Illsug. *tr.* 4. *disp.* 2. *n.* 25.

Quæres quarto, qualis modus vel ordo sit observandus, dum instituitur inquisitio contra aliquem v. g. in puncto furti?

680. R. Ubi Superior qua Judex vel contra talem diffamatum, aut sufficienter indiciatum vult procedere inquirendo 1. assumere debet Notarium, qui omnia annotet, & in scripturam redigat, præmittendo titulum causæ, v. g. *Descriptio Processus de furto commisso per N.* dein annum, mensem, diem, locum &c. in quo fit inquisitio, 2. Postea in præsentia duorum aut plurium testium Reum citatum ac præsentem serio admoneat de veritate dicenda, delato (ubi gravitas causæ postulaverit) eidem juramento, vel (ut in Religionibus moris est) imposito mandato S. obedientiæ de dicenda veritate. 3. Incipiat interrogare *personalia Rei*, utputa nomen, cognomen, Patriam, conditionem status &c. 4. Progrediatur ad examinanda *realia*, prius generaliora, postmodum magis propinqua facto v. g. 1. an sciat causam suæ vocationis seu citationis? 2. an nihil audiverit de furto aliquo commisso? 3. ubi vel a quo, & qua occasione? 4. an nil sciat de Auctore talis furti? 5. an ipse nunquam fuerit in loco, ubi furtum fuit commissum? &c.

Denique quinto. Descendat ad particularia & circumstantias delicti (de quibus ex fama, vel accusatione aut denuntiatione constare supponitur) v. g. an non rem furto ablatam habuerit in suis manibus? an non vendiderit, vel voluerit vendere tali N. tanto pretio? quibus omnibus bene examinatis, & per Notarium annotatis, constitutum prælegatur Reo, & interrogetur, an velit aliquid addere vel demere? si nihil; jubeatur subscribere propria manu, si id possit &c. tandem Notarius scribendo subjungat solitam clausulam sequentem: *acta sunt hæc Anno, Die, Mense &c. quibus supra &c.*

Quæres quinto utrum aliquando liceat Judici Reum examinare per Torturam?

681. Ante responsionem notandum ac supponendum, nomine *torturæ* intelligi tormenta & cruciatus corporis, v. g. flagella, virgas, inediam seu famem &c. &c. quibus Judex intendit a Reo exprimere confessionem delicti, & veritatem, quam fateri non vult; tortura enim describitur, quod sit subsidium quoddam, in defectum probationis criminis, supplens id, quod ad plenam probationem deficit; adeoque introducta est non ad punitionem criminis, sed ad probationem ejus; nam reus per torturam confitendo veritatem, supplet quod ad plenam probationem deficiebat. Ex quo patet (inquit perbene Ker-

Kerckhove *l. cit. c.* 4. §. 5. *n.* 1.) torturam non esse adhibendam, si crimen aliunde plene probari possit; hæc enim est ultimum remedium in defectum testium. Hoc notato

682. R. Jam ad quæstionem. Licitum est Judici procedere ad inquisitionem criminis per torturam rei, suppositis tamen tribus conditionibus. 1. Ut crimen sit revera grave. 2. ut jam habeatur semiplena probatio criminis, & tamen Reus nolit aliter fateri. 3. ut persona non sit privilegiata seu exempta a tortura.

Ita *communissime* tenent Doctores, signanter Lessius *l.* 2. *de J. & J. c.* 29. *n.* 151. *& seqq.* Illsung *disp.* 2. *n.* 26. Reiffenstuel *l.* 5. *decret. tit.* 1. *a. num.* 472. Ratio primi (quod scilicet crimen debeat esse grave) est: quia tortura est gravis pœna: ergo adhiberi non debet, nisi ob gravia delicta, ita quidem, ut quanto minus atrox aut minus grave delictum est, tanto minor debeat adhiberi tortura, & hæc prorsus nunquam debet esse tanta pœna, quantam mereretur ipsum delictum; quia repugnat æquitati, Reum nondum convictum castigari tanta pœna, vel omnino majori illa, ad quam mereretur condemnari jam convictus ac confessus. Ratio secundi est: quia tortura instituta est in subsidium plenæ probationis: ergo debet supponere probationem semiplenam, id est, talem, seu talia indicia, quæ reddant rem plus, quam probabilem, prout fit 1. dum Vir omni exceptione major de visu testatur &c. vel 2. si Reus ipse extra judicium crimen fassus fuit coram aliis, vel 3. si duo aut tres socii seu complices criminis fassi sunt &c. aut 4. si de tali crimine commisso constet ex fama a viris honestis orta, ac per testes probata, cum adminiculo indiciorum gravium. Ita Busenbaum apud La Croix *lib.* 4. *num.* 1440. qui numero mox sequenti refert indicia triplicis generis scilicet 1. *magna* quæ reddunt factum valde credibile. 2. *majora*; quæ reddunt factum quasi moraliter certum: 3. *maxima*, quæ undequaque convincunt, & plenam faciunt probationem.

Ratio tertii est: quia si Judex procederet ad Torturam contra Personam privilegiatam, ageret contra jus. Ceterum personæ privilegiatæ ex jure censentur & sunt 1. impuberes, ob defectum ætatis. 2. senes, ob debilitatem ad torturam graviorem saltem perferendam. 3. Mulieres prægnantes, ob periculum abortus. 4. Nobiles, & Doctores, eorumque liberi, & milites, quos ne leviter quidem torquere licet, præterquam ob crimen hæreseos, proditionis, vel alterius similis v. g. læsæ Majestatis. Ita Lessius *l. cit. n.* 154. Laymann *ubi supra n.* 12. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 8. *art.* 2. *n.* 9.

Quæres sexto, utrum Judex semper & in omnibus causis, tam civilibus, quam criminalibus debeat procedere secundum allegata & probata, ita, ut teneatur etiam illum condemnare ad mortem, qui in foro externo de gravi crimine v.g. mortis fuit convictus, esto certissime sciat, illum in conscientia & coram Deo esse omnino innocentem a tali crimine? Et e contrario absolvere illum, quem certo scit esse Reum criminis, in foro externo tamen nec confessus nec convictus fuit, aut potuit?

683. R. Ad hanc quæstionem 1. Judex in ferenda sententia debet procedere secundum allegata & probata, ita, ut in nulla causa possit tuta conscientia condemnare Reum, antequam is de crimine juridice fuerit convictus, vel illud confessus, esto etiam privata scientia certo sciat, eum esse nocentem, seu reum criminis. Ita cum S. Thoma 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. *unanimiter Doctores*. Ratio hujus desumitur tam ex jure canon. *cap. Judex C.* 2. *q.* 1. ubi dicitur: *Judex criminosum discutiens, non ante sententiam proferat Capitalem, quam aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes testes convincatur*. Tum inde etiam, quia si Judex ob privatam scientiam præcise quempiam nec convictum, neque confessum condemnaret, ageret simul partes Judicis & Accusatoris, propterea que ingentia pericula injustarum condemnationum imminerent Reipublicæ; quivis enim posset dicere, sibi ex privata scientia certo constare hunc esse reum criminis, & sic innocentes pos-

possent condemnari, hoc autem est contra omne jus & æquum: ergo &c. &c.

684. R. Jam secundo ad eandem quæstionem. Quem Judex certo scit esse innocentem, esto etiam secundum allegata & probata in foro externo sit convictus, immo (vi tormentorum fortassis) falso ac mendaciter confessus, in causis criminalibus majoribus, ubi agitur de pœna mortis infligenda &c. nequit illum tuta conscientia condemnare, sed tenetur potius eum absolvere, ac dimittere, vel certe, quantum potest, laborare pro dimissione & demonstratione innocentiæ. Ita contra S. Thomam & alios plurimos, etiam insignes Doctores, asserentes, posse hujusmodi Reum condemnari, saltem in casu, quo Judex eundem liberare, ejusve innocentiam demonstrare non potest &c. tenent Scotistæ *Communiter*, & plurimi Recentiores, Lessius, Filliucius, Bonacina, Laymann &c. & quam plures ex Tomistis, Gormaz, Schmier & alii. Ratio nostra est: quia cum solus Deus habeat potestatem in vitam & mortem, sine hujus permissione aut mandato nulli hominum licet occidere innocentem; atqui Deus nullibi legitur dedisse hominibus potestatem, quempiam innocentem per se & directe occidendi, quin potius positive illud prohibuit *Exod.* 23. dicens: *innocentem & justum non occides, nec in judicio plurimorum aquiescas sententiæ, ut a vero devies*: ergo nulli Judici fas est, occidere illum, quem privata notitia certo novit innocentem, prout fieri posset in casu, quo Judex ipse quempiam occidisset, & hujus homicidii alius quidem innocens probaretur reus &c.

Confirmatur: quia innocentem per se ac directe occidere humana auctoritate est intrinsece malum, non minus, quam accedere ad non suam: ergo quemadmodum nunquam licet accedere ad illam, quam quis certo scit esse non suam; ita etiam in nullo casu licet occidere innocentem.

Nec dicant Adversarii, in hoc casu Reum esse quidem innocentem materialiter, & a parte rei, non autem formaliter; quia in foro externo supponitur probatus nocens: cum proin Judex debeat agere ut persona publica, & quâ talis nullam habeat notitiam innocentiæ, hinc tenetur talem velut formaliter reum ac nocentem condemnare ad mortem.

685. Contra enim est: si ad condemnationem justam alicujus, a parte rei & materialiter saltem innocentis sufficiat, eum esse reum formaliter, id est, in foro judicii externo probatum nocentem, tunc etiam sufficiet aliquam mulierem esse formaliter conjugem, id est, in foro externo probatam ut conjugem, ad hoc, ut Judex Ecclesiasticus, cui de contrario certo constat, eam possit juste condemnare ad reddendum debitum Marito putatitio; eodem enim modo dici posset, Judicem Ecclesiasticum debere procedere velut personam publicam, secundum probata & allegata: at hoc Adversarii neutiquam fatebuntur esse licitum: ergo sicut in tali casu Judex Ecclesiasticus condemnare nequit ad reddendum debitum; ita nec potest Judex civilis condemnare ad mortem. Certe hac retorsione & exemplo pleraque Adversariorum argumenta enervantur, prout bene ponderanti patebit.

Dices tamen adhuc. Certum est, quod Deus velut Auctor & supremus Dominus vitæ necisque omnium potuerit hanc potestatem conferre Judicibus; certum insuper & indubitatum videtur, quod illis voluerit conferre omnem illam potestatem, quam exigit salus, pax, & tranquillitas Reipublicæ: atqui hanc exigit salus & pax; secus enim orirentur maxima scandala in populo, si Communitas videret ipsosmet legum vindices postposito juris ordine publice & juridice de crimine convictum dimittere impunitum: ergo &c.

686. R. Ad hunc Achillen Adversariorum *concessa Majore negando minor*. Ratio negandi est; tum quia Judex in tali casu posset ac deberet sese offerre ad deponendum juramentum, quod scilicet certo sibi constet de innocentia comdemmandi; quo facto communitas scandalizari non posset prudenter; tum præsertim quia, ut ipsimet Adversarii, signanter P. Babenstuber *cit. art.* 2. *n.* 14.

n. 14. ingenue fatetur, hic casus est tam rarus, *ut nullus Judex hactenus fuerit auditus, qui hujus quæstionis decisione indiguisset; eo quod suppetant tot modi, talem reum liberandi, ut moraliter vix possibile videatur, aliquod tribunal in ejusmodi angustias aliquando conjectum iri.* Si ergo casus iste tam sit rarus, tam inauditus, & vix moraliter loquendo possibilis, quæso quomodo propterea pax, salus, & tranquillitas Reipublicæ tantum subeat discrimen, ut Deus propterea debuerit dispensare in generali lege: *insontem non occides?*

Et nunquid major pertubatio, majusque periculum imminet Communitati ex eo, quod centum flagitiosi & perniciosi homines, quorum crimina satis in foro externo probari nequeunt, impune dimittantur, quam ex eo, quod dimittatur unus innocens, cujus innocentia tamen in foro externo probari nequit? & tamen non obstante tanto periculo Judex, cui certo ex privata notitia constaret de commissis criminibus (qui Casus haud infrequens est) debet illos flagitiosos dimitttere, ne vel uni faciat injuriam: cur ergo non deberet dimittere innocentem, ex cujus dimissione multo minus, immo plane nullum periculum imminet communitati, eo ipso, quod Casus hic rarissimus sit, inauditus, & moraliter quasi impossibilis?

Profecto hæc ratio ita me convincit, ut cum P. Pichler *in Candidat. Jur. Can. l.* 1. *tit.* 32. *n.* 4. existimem, Judicem ne quidem in causis civilibus, vel criminalibus minoris momenti, ubi scilicet agitur solum v. g. de mulcta pecuniaria, vel alia simili pœna, tuta conscientia condemnare posse illum, quem certo novit innocentem; tametsi haud ignorem, a Doctoribus satis communiter id asseri velut licitum. Verum ne contra morem sim prolixior in discussione hujus quæstionis potius speculativæ, quam practicæ, me verto ad alia magis practica. Unde jam.

Quæres septimo, Utrum Judici liceat acceptare munera?

687. R. Non licet Judici acceptare munera, præsertim ante sententiam. Ita *communissime Doctores*. Ratio est: quia munera solent excœcare Judices & per hoc pervertere viam justitiæ, prout habetur *Exod.* 22. & *Deuter.* 16. habent enim, nescio quam occultam vim, flectendi animum Judicis, & inclinandi in favorem remunerantis, juxta illud Poetæ: *Munera, crede mihi, placant hominesque, Deosque.*

Dixi tamen: *præsertim ante sententiam;* nam si post sententiam juste (ut supponi debet) decisam, aliquid liberaliter offeratur, licebit Judici illud acceptare, & quidem sine omni onere restitutionis; tum quia supponitur liberaliter donatum; tum etiam, quia post sententiam non amplius subest periculum subversionis.

688. Insuper animadvertunt Engel *l.* 1. *tit.* 32. *n.* 11. aliique Doctores *communiter*, licitum esse Judici præsertim sæculari acceptare munera *improprie dicta*, id est, *sportulas*, aut *Xenia;* quo nomine veniunt esculenta, & poculenta, paucis diebus consumptibilia, prout habetur *c.* 11. *de Rescript.* §. 4. *in sexto*, modo hæc liberaliter offerantur; quia cum sint exigui vel minoris momenti, non creditur Judicis animus tam facili negotio corrumpendus. Nihilominus Judici integro (inquit sapienter Henno *ubi supra q.* 2. *concl.* 4.) etiam ab his abstinendum est; quia cum animus hominis sit infirmus, per hæc modica saltem debilitari solet, sin minus moveri aut corrumpi? A fortiori abstinere debet Judex a sportulis aut Xeniis virtualiter extortis: quod tunc fieri merito censetur, cum data opera judicium protrahitur, ut per hujusmodi munera sollicitetur acceleratio; quæ cum injuste accipiantur, manent restitutioni obnoxia. Videantur de his *Doctores citati*.

Quæres tandem octavo, ad quid teneatur Judex, qui sinistre seu male judicavit?

689. R. Cum distinctione. Vel enim supponitur male judicasse ex malitia vel ignorantia graviter culpabili, vel solum ex fragilitate humana, & errore, vel oblivione inculpabili? Si primum, tenetur non solum revocare sententiam, utpote injustam, sed insuper parti læsæ, cui injuriam intulit, compensare omnia damna inde secuta. Ratio est:

est : quia ex læsione juris alieni formaliter injusta, oritur stricta obligatio restituendi, & compensandi damna; quod fieri non poterit, nisi sententiam injustam revocet &c. ergo. Si autem supponatur posterius, non tenebitur quidpiam restituere ex propriis; quia obligatio restituendi ante Judicis sententiam, & in conscientia supponit culpam Theologicam: ergo si Judex talem non commmisit, condemnari nequit ad restitutionem ex propriis: tenebitur nihilominus ob damnum saltem materialiter injustum revocare suam sententiam, si possit sine suo gravi incommodo, suggerendo parti læsæ, ut vel appellet, vel si hoc non possit, causæ revisionem, vel in integrum restitutionem postulet. Denique si sententia fuit justa *quoad substantiam*, & Judex culpabiliter erraverit in *modo* duntaxat, tenebitur solum ad resarcienda illa damna, quæ ex indebito procedendi modo parti læsæ fuere illata. Videantur Bonacin. *tom.* 2. *disput.* 10. *de præcept. q.* 2. *pu.* 4. Laymann *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 2. *a n.* 10. Babenstuber *ubi supra disp.* 8. *art.* 2. *n.* 33.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de Judice, ejusdemque officio.

CASUS PRIMUS.

Titio *Judici sæculari denuntiata fuit quædam persona soluta, quam Titiam baptizamus portans uterum, quare ad se vocatam, & coram apparentem interrogavit; cuinam hactenus fuisset a servitiis? 2. a quo fuerit impregnata? Cui, cum Titia Dominum suum manifestasset, etiam addidit, se ab aliquo soluto* (NB. *quem nominaverat*) *fuisse imprægnatam; huic vero Titius, mentiris, ajebat, non hic, quem falso nominasti, sed Dominus tuus, cui ad servitia fuisti, te imprægnavit, simulque e bursa extrahens litteras fictitias, easdemque monstrans, subjunxit; nisi fatearis genuine, ut proin cogar tibi has litteras prælegere, subire debebis publicam infamiam, seu prostitutionem, immo & relegationem ex Urbe, absque misericordia. Titia hisce minis perterrita procedit in genua, veniamque postulans, fassa fuit, se a Domino suo portare uterum; Cui Judex: ast, non semel duntaxat, sed sæpius (inquiebat) procul dubio babuisti rem cum tuo Domino: immo & cum aliis pluribus: fateare candide, & impetrabis misericordiam, ut tibi, & honori tuo pro possibili parcam. Titia id inaudiens, partim timore prostitutionis subeundæ perculsa, partim spe veniæ sibi promissæ allecta, nominavit plures, tam solutos, quam conjugatos, quibus potestatem corporis sui hactenus fecerat; quos omnes Judex ad se vocari fecit, & secundum qualitatem demeritorum punivit. Quæritur jam* 1. *an juste processerit, præfato modo Titiam examinando? secundo, an tuta conscientia potuerit illos omnes punire?*

690. R. Ad primum quæsitum hujus Casus quod non: quia contra ordinem juris: nam in primis Judex interrogatoria suggestiva, velut gravissime prohibita in jure *l.* 1. §. 21. *ff. de Quæstion.* omnimodis vitare debet, prout cum Ameno & aliis notat Reiffenstuel *l.* 5. *Decret. tit.* 1. *n.* 429. Deinde judici non licet instituere inquisitionem specialem contra aliquem, nisi vel infamia publica, vel alia indicia vere gravia, vel accusatio præcesserit, ut habetur *lib.* 1. *ff. de Quæstion.* §. 21. & *in Constitut. pœnali Carolina a* 31. §. 1. atqui contra Dominum Titiæ nihil horum præcessit: ergo cum in hunc specialiter nedum inquisiverit, sed potius temerarie eundem incusaverit hujus criminis, graviter procul dubio peccavit. Accedit, quod fictitias seu falsas litteras exhibendo, simulque minitando gravissimam diffamationem ac prostitutionem, immo & relegationem ex Urbe dolose induxerit Titiam ad confessionem, vel proditionem sui Domini: atqui hoc fieri nequit sine gravi injuria; immo confessio tali metu gravi, vel dolo extorta nulla est *l. non dubium C. de legibus* & *l. penult. ff. de quæstion*: ergo Titius Judex hoc modo procedendi, inquirendi, vel potius dolose extorquendi confessionem, gravem intulit injuriam nedum Titiæ, sed etiam hujus Domino, &, probabilius

lius etiam reliquis complicibus. Videatur Lessius *de J. & Just. l.2. c. 29. n.* 173. Laymann *l. 3. tr. 6. c. 5. n. 5.* La Croix *l. 4. n.* 1467.

691. R. Ad alterum quæsitum, non potuisse tuta conscientia a Titio illos Complices citari ad judicium, multo minus ob confessionem Titiæ puniri, nisi Titia fuisset denuntiata, vel accusata tamquam publica Meretrix. Ratio est: quia hujusmodi confessio, utpote gravi metu ac injusto dolo etiam extorta, nulla est, prout advertit Lugo *disp. 37. n.*157. Busenbaum apud La-Croix *lib. 4. n.* 1440. at, ubi confessio est nulla, nequaquam procedi potest contra Reos, ita ut secus faciendo teneatur Judex ad omnia damna compensanda secundum Lugo *lib. cit.* & alios: ergo &c.

Dices tamen contra hanc resolutionem: Judex bona fide processit, & licet fortassis erraverit procedendo contra juris Ordinem in inquisitione, juste nihilominus complices illos secundum eorum demerita punivit: ergo nullatenus tenetur ad aliquam compensationem.

Confirmatur. Fornicatio & adulterium sunt talia crimina, quæ necessario supponunt complicem: ergo cum Titia fuerit accusata de fornicatione, immo actu portaverit uterum, potuit Judex justissime inquirere in complices.

692. R. Ad instantiam *negando antecedens*: quia talis inquisitio supponit in Judice dolum, vel certe crassam ignorantiam jurium; at, neque dolus, neque crassa ignorantia in tali Judice excusari possunt a culpa; nam si jura nesciat, nullatenus in se suscipere debet officium Judicis, sed tenetur vel sufficientem comparare notitiam, vel officium Judicis omnino deponere: ergo ob bonam fidem nequaquam excusari valet; neque dici potest, quod juste puniverit complices; quandoquidem contra jus processit ad punitionem.

693. Ad Confirmationem R. *Negando Conseq.* Equidem verum est, quod adulterium & fornicatio sint talia crimina, quæ necessario supponunt complicem, non tamen supponunt necessario plures complices. Esto igitur Judex juste potuerit inquirere in complicem, seu in parentem prolis, quam Titia portabat sub pectore, nequaquam tamen ob id licuit quempiam in individuo, Dominum scilicet Titiæ, incusare, vel in alios plures inquirere; quemadmodum enim deprehensus in furto, examinari non potest, an non etiam commiserit homicidium; immo convictus de homicidio, examinari non potest, an non commiserit plura homicidia, nisi de his occurrant alia indicia graviora; ita pariter deprehensa in fornicatione vel adulterio, examinari non potest, an non cum pluribus vel sæpius, & cum quibus fuerit fornicata, nisi de his haberentur alia indicia, vel nisi constaret, quod egerit Meretricem publicam, uti jam diximus. Videantur de hoc Petr. Navarra *l. 2. c. 4. n.* 170. *arg. c. Inquisitionis de Accusat. §. tertiæ*, Laymann *l. cit. n. 5. & 8.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronio Visitatori certi cujusdam Monasterii in actu visitationis delatus fuit quidam Religiosus de nonnullis criminibus non adeo levis momenti, signanter, 1. in puncto Sexti de suspecto consortio cum quadam persona alterius Sexus. 2. de furtiva subtractione quarundam Rerum Monasterii. 3. de meditata fuga, seu apostasia cum eadem persona. Verum Religiosus iste desuper interrogatus seu examinatus a Sempronio, absolute negavit omnia, simulque contra delatorem velut injustum calumniatorem postulavit pœnam talionis, nisi crimina sibi objecta probaverit, præsertim cum contra mandatum Christi Domini Matth. 18. non præmiserit fraternam correctionem. Hactenus species facti, ex qua consurgit jam dubium practicum 1. Utrum Religiosus ille deliquerit graviter, deferendo suum Confratrem ad Visitatorem, non servato Ordine correctionis fraternæ? 2. Utrum Sempronius Visitator propter talem declarationem potuerit accusatum, vel potius delatum punire? vel certe 3. inquisitionem criminalem ac juridicam contra eundem instituere?

694. R. Ad primum dubium hujus Casus. Delator in hoc casu probabilius non peccavit per se loquendo, esto

etiam

etiam non servato ordine fraternæ correctionis rem immediate aperuerit Visitatori. Ratio est: quia non est necessum servari hunc ordinem in criminibus exceptis, id est, talibus, quæ per se tendunt in grave præjudicium aut infamiam totius communitatis, prout communiter tenent Doctores, signanter Sanchez *l. 6. Consil. c. 2. dub. 5. n. 2. & 5.* Reiffenstuel proxime citandus *n. 66.* atqui suspectum consortium Religiosi cum persona alterius Sexus, præsertim cum meditata jamjam Apostasia, & ablatione furtiva rerum Monasterii est tale crimen, quod non solum cedit in ipsius delinquentis, sed etiam in totius Religionis gravissimam infamiam: ergo delator probabilius non peccavit deferendo suum Confratrem ad Visitatorem, præsertim cum videatur subfuisse periculum in mora, & talis delatio non fuerit facta animo illum deferendi ad Visitatorem velut Judicem, sed velut Patrem, cetera relinquendo hujus prudentiæ ac discretioni modum obviandi hujusmodi malis totius Ordinis honori impendentibus. Si tamen Delator prævidisset, fore, ut delinquens ob solam correctionem & admonitionem fraternam corrigatur, & abstineat a similibus, probabilius contra charitatem fraternam deliquisset, intermissa tali admonitione eundem deferendo ad Visitatorem, præsertim si absque periculo alicujus incommodi aut detrimenti potuisset ipse corrigere. Videantur quæ de hoc puncto diximus *par. 2. Theolog. decalog. Conferent. 10. num. 302.* item *num. 312. & seqq.* Sanchez *lib. 6. mor. cap. 18. num. 46. & 50.* Castropalao *tract. 6. disput. 3. punct. 10. n. 2. & 3.* Reiffenstuel *l. 5. Decret. tit. 1. n. 71.*

695. R. Ad secundum dubium. Visitator non potuit tale delictum punire publice, nisi prius fuisset probatum sufficienter, prout relinquitur ex dictis *n. 683.* Potest tamen & debet vi muneris sui hujusmodi delatum paterne dehortari, corrigere, vel si de delictis constet privatim, proportionatam pœnitentiam secreto peragendam imponere. Potest insuper, immo debet talem subditum a loco, vel (si absque infamia fieri queat) ab officio amovere, ad subtrahendam occasionem delinquendi, vel causa amovendi petram scandali. Ita Reiffenstuel *loc. cit. num. 302. & 303.* Ratio est: quia Visitatio etiam paterna non instituitur in eum duntaxat finem, ut delicta vel delinquentes cognoscantur, sed vel maxime ut corrigantur & opportuna remedia in eorundem emendationem adhibeantur; ergo si in hunc finem necessaria sint ejusmodi media, Visitator non solum potest, sed etiam tenetur eadem adhibere, quandoquidem finis sine mediis necessariis obtineri nequit, & hoc ipso is, qui efficaciter vult finem, debeat pariter velle media necessaria. *Arg. l. Nam, ut ait 13. ff. de legib.*

696. R. Jam ad tertium dubium. Potuit Sempronius Visitator absolute loquendo contra delatum in visitatione paterna instituere inquisitionem criminalem ac juridicam. Ratio est: tum quia crimina per se vergentia in publicum detrimentem (uti sunt 1. Hæresis 2. crimen læsæ Majestatis 3. Sacrilegii 4. Falsificationis monetæ &c. & in Religione Apostasia, fornicatio, adulterium &c.) reputantur in jure *publica*, prout publicum opponitur *privato*: ergo cum oporteat scandala præpedire, ac punire in aliorum exemplum, poterit Visitator non quidem præcise vi depositionis apud se qua Patrem factæ, sed vi *Notorii* occasione denuntiationis paternæ cogniti velut Judex procedere ad inquisitionem juridicam, ut advertit Reiffenstuel *cit. num. 305. & 309.* Tum etiam quia denuntiatus fertur postulasse pœnam talionis delatori inferendam, nisi crimina objecta, seu deposita in visitatione probaverit: ergo in hunc finem necessum erit, ut Visitator per viam inquisitionis juridicæ experiatur, an revera probari possint. Magna nihilominus in tali processu cautela opus erit; quia cum crimen suspecti consortii cum altero Sexu, subtractionis seu furti, vel etiam Apostasiæ &c. absque interventu personarum sæcularium vix, aut certe difficul-

ficulter probari valeant; hinc merito timendum, ne dum Visitator qua Judex ad inquisitionem procedendo scandala, & prostitutionem publicam avertere nititur, per hujusmodi strepitum juridicum delicta magis innotescant, ac propterea non solus delinquens, sed & tota Religio magis diffametur, ac prostituatur; quod Visitatoris prudentiæ ac discretioni bene ponderandum relinquo; propstereaque dixi solum, *absolute loquendo* posse procedi ad inquisitionem juridicam occasione depositionis in paterna visitatione factæ. Videatur de hoc Rodriquez *tom. 1. q. 5. art. 9.*

CASUS TERTIUS.

Cajo Judici deuuntiatus fuit Titius velut suspectus de hæresi; quam ob rem Cajus mandavit quibusdam Commissariis, ut totam domum Titii in hujus absentia quam diligentissime lustrarent, inquirendo, an non habeat libros hæreticos; quod, dum præfati Commissarii perfecerunt, en! præter omnem exspectationem in quodam angulo Domus (cujus visitationem Uxor Titii neutiquam volebat permittere) repererunt quoddam vasculum plenum moneta spuria, seu adulterina, recenter quidem excusa, nondum tamen ex integro perpolita, unacum quodam instrumento, ad perpoliendum apto. Hoc, dum Cajus Judex (referentibus Commissariis) inaudiit, & propriis oculis perspexit: jussit illico comprehendi Titium, una cum Uxore sua; & quia hac super re examinatus, nihil prorsus fateri voluit; hinc torturæ non semel tantum, sed secunda & tertia vice subjectus fuit. Cœptum dein fuit dubitare primo an Titius tuta conscientia potuerit comprehendi, utpote de hoc crimine nec denuntiatus, nec accusatus, neque unquam diffamatus? secundo: Utrum sine gravi injuria potuerit subjici torturæ, non semel duntaxat, sed sæpius?

Quid ad hoc Confessarius, vel Theologus moralis?

697. R. Ad primum dubium affirmative. Ratio est: quia ad capturam sufficiunt indicia magna, id est, talia, quæ reddunt factum credibile: atqui talia intervenerunt in nostro casu: partim, quia moneta illa spuria in magna copia fuit inventa, nondum quidem perpolita, (ut Casus fert) cum instrumento tamen ad perpoliendum apto; tum præsertim, quia Uxor Titii noluit permittere visitationem illius anguli; ex quo prudenter suspicari licet, quod hoc fecerit ex timore propalationis, & hoc ipso habuerit notitiam de illa pecunia latente: & quia Mulieres regulariter non solent excudere pecunias, hinc pronum fuit suspicari, quod vel Maritus id fecerit, vel, quod ambo Conjuges (alii enim plures incolæ non erant in eadem domo) sint conscii, & complices ejusdem criminis; quod, cum sit unum e summe perniciosis Reipublicæ, non postulat antecedentem accusationem vel diffamationem auctoris: ergo Judex prudenter fecit comprehendendo utrumque Conjugem, in ordine ad indagandam omnimodam veritatem, præsertim cum fuerit periculum, ne uterque fuga sibi consuleret, nisi illico comprehenderetur. Quemadmodum ergo opus non est diffamatione, vel accusatione prævia, ubi Judex aliquem deprehendit in flagranti crimine, sed potest illico procedere ad capturam delinquentis, uti bene docet Reiffenstuel ubi supra *num. 312.* Ita & in nostro casu, ubi invenerunt tam magna criminis perniciosi indicia, potuit Judex procedere ad capturam.

Illud nihilominus fatendum est, ad licitam capturam vel inquisitionem in aliquem velut criminosum, tanto majora requiri indicia, quanto persona est dignior, vel captivitas aut inquisitio ignominiosior, aut damnosior; nam capi, aut specialiter inquiri in aliquem tamquam reum, affert gravem infamiam, & magna incommoda: ergo charitas & justitia vetat ad ista procedi, nisi ex magnis indiciis, prout post P. Spe sapienter animadvertit La Croix *l. 4. n. 1443.* consequenter &c. &c.

698. R. Jam ad secundum dubium, potuisse Titium subjici Torturæ, saltem semel. Ratio est: quia tametsi ad subjiciendum quempiam Torturæ non sufficiant indicia magna, sufficiunt tamen majora, seu talia, quæ reddunt factum quasi moraliter certum: prout credit La Cro-

Croix *l. cit.* aliique DD. atqui ex indiciis proxime recensitis, eorumque combinatione ac ponderatione fit quasi moraliter certum, quod Titius, & ipsius Uxor vel illam monetam spuriam excuderint, vel certe in eodem crimine fuerint complices: ergo Titius noster potuit subjici Torturæ *arg. l. 1. ff. de quæstion.* ubi habetur: *ad tormenta servorum ita demum venire oportet, cum suspectus est reus, & aliis argumentis ita probationis admovetur, ut sola Confessio servorum deesse videatur.*

699. Dixi tamen: *saltem semel potuisse subjici &c.* Enimvero constans est & Juristarum, & Theologorum opinio, signanter Clari, Lessii, Azorii, *l. 3. tr. 6. c. 5. n.* 10. semel tortum sine expressione confessionis, non posse de novo subjici Torturæ, nisi superveniant nova indicia, & quidem diversi generis, ac prioribus evidentiora, & nisi Reus sit adeo fortis & robustus, ut animo & corpore ad priora tormenta perduraverit. Ratio est: quia priora indicia per sufferentiam Torturæ censentur purgata. Si tamen commissi criminis indicia gravissima adsint, ut vehementem præsumptionem pariant, crimen a Reo malitiose atque obstinate negari, tunc (teste Laymanno *l. c.*) sæpius Judices, quamvis nullo accedente indicio, Torturam adhibere solent. Unde etiam in nostro casu Titium tertia vice subjectum Torturæ, nihil tamen confessum fuisse (licet ex post facto omnia distincte fassus, & se criminis hujus auctorem confessus sit) mihi certo constat: an vero semper accesserint nova indicia, me prorsus latet: noverint illi, quorum intererat. Videatur Laymann *l. cit.* Lessius *cit. c. 29. n.* 168. vel La Croix *l. 4. n.* 1458.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

700. COlliges ex hactenus dictis primo, Judicem peccare contra justitiam, qui Reum, mox ut comprehendit, adstringit juramento ad dicendam veritatem de omnibus ad causam; propter quam fuit comprehensus, pertinentibus. Ita cum Navarro, Cassiano a S. Elia *in Theolog. mor. expurg. V. Judex 1. c. 7. n.* 63. Babenstuber *tr. 5. disp. 8. art. 2. n.* 12. Ratio est: quia Judex non habet potestatem juridice interrogandi de crimine, multo minus de omnibus ad causam pertinentibus, nisi præcesserit infamia, vel probatio semiplena, aliudve sufficiens indicium, prout dictum fuit supra *n.* 690. Ob eandem rationem peccat Judex, qui quidem citra juramentum procedens, attamen minis, terroribus, vel ostensione tormentorum hominem turbat, & implicat, ut sibi contradicens revelet aliquam circumstantiam, ex qua convincatur, & puniatur. Cardin. de Lugo *disp. 40. n. 1.* apud Babenstuber *cit. l.*

701. Colliges secundo, neque Prælato Regulari fas esse specialiter inquirere in aliquem Religiosum subditum, ex eo præcise, quod contra illum scriptæ sint litteræ sine nomine Auctoris, vel cum nomine quidem Auctoris, sed ficto duntaxat, etiamsi in talibus litteris notati sint aliqui testes conscii. Ratio est: quia tales litteræ nullam gigunt infamiam, neque ullum indicium exhibent circa ea, quæ in ipsis denuntiantur, prout habetur *cap. Inquisitionis de Accusat.* hisce formalibus; *nec ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt in occulto, procedendum est ad inquisitionem super contentis ibidem criminibus.* Ita Rodriquez *QQ. Reg. tom. 2. q. 6. art.* 10. Peyrinis *formul. litt. P. c. 16. n.* 17. ubi is notat, quod processus fabricatus super hujusmodi litteris sit ipso jure nullus per *cap. Inquisitionis cit.* Caveat ergo Prælatus (ait recte noster Kerckhove *in Methodo corrigend. c. 2. §.1. n. 19.*) ne litteris talibus credat, & ideo suo subdito plus solito invigilet, aut gravamen aliquod inferat; sed illas comburere, vel lacerare debet, juxta *cap. Qui in alterius 5. quæst. 1.* nisi Prælatus velit eas conservare ad inquirendum scriptorem, vel ad generalem inquisitionem. Ex quo tamen

702. Colliges tertio, hujusmodi litteras posse Prælato deservire, non quidem ad inquisitionem juridicam, vel specialem, bene tamen ad inquisitionem pater-

paternam & generalem, ideoque universaliter omnino rejiciendas non esse. Tametsi enim verum sit, hujusmodi litteris nihil probari vel evinci, immo potuisse scribi ex mera invidia, & animo calumniandi &c. nihilominus fateri cogimur, potuisse etiam scribi ab amica manu, quæ quidem scandala abolire, seipsam tamen manifestare noluit. Magna igitur circumspectione opus est in tali casu, & vel maxime ponderandæ circumstantiæ delati subditi, an scilicet sit bonus Religiosus? an hactenus fuerit integræ famæ? & alia similia; quibus bene ponderatis primum procedet vel ad lacerationem, vel ad aliam paternam provisionem.

703. Colliges quarto, haud quaquam fas esse, ut Judex ferat sententiam secundum opinionem minus probabilem, aut ex affectu vel favore erga suum amicum &c. sed tenetur ferre sententiam pro illa parte, cujus fundamenta seu motiva vel jura præponderant. Ita *communissime* Doctores; & colligitur ex decreto Innocentii XI. damnantis sequentem propositionem: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*. Accedit ratio: quia Judex non in alium finem constituitur a Republica, nisi ut ferat judicium secundum id, quod magis æquum videtur: atqui æquitati magis consentaneum videtur, ut ferat sententiam secundum opinionem verosimiliorem, id est, secundum illam, cui magis favent jura; secus enim faciendo convinceretur esse Personarum acceptor: ergo tenetur ferre sententiam pro eo, pro cujus causa rationes ac jura magis pugnant. Vid. Mattheuccius *in Cautel. Confessar. l. 2. c. 2. n. 4.*

Sed quid, ais, si pensatis omnibus jura partium, seu litigantium videantur paria, & utraque pars æque ponderosa pro se afferat fundamenta?

704. R. Neque in tali casu liberum esse Judici ferre sententiam pro eo, cui libet, vel favet, adhuc enim convinceretur acceptor Personarum; cum ipse nullum habeat ius in illa bona, de quibus litigatur inter partes. Et certe, si pro tali casu staret res in arbitrio Judicis, posset pro hoc favore, utpote indebito, acceptare pecunias ab illa parte, in cujus favorem causam decideret: atqui, hoc esse falsum, convincitur ex decrero Urbani VII. damnantis sequentem propositionem: *quando litigantes pro se habent opiniones æque probabilis, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio*: ergo &c. Debet igitur Judex in tali casu rem dividere inter partes litigantes, si res divisibilis sit, sin minus facere compositionem inter illas, prout tenent Terillus, Elizalde, La Croix *l. 4. n.* 1480. & alii Doctores *communiter*.

705. Excipiendus tamen est ab hac regula 1. Casus, quo una pars litigantium jam est in actuali possessione bonæ fidei; quia in *pari causa melior est conditio possidentis*, ut habetur *Reg. 65. J. in sexto*. 2. Casus, quo agitur de infligenda pœna, vel absolutione rei; tunc enim in favorem rei judicandum esse, constat pariter ex illa altera *Regula 11. J. in sexto: cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori*. Henno ubi supra *q. 2. conclus. 3. circa finem*.

706. Colliges quinto, Carnifici, aliisque justitiæ, quibuscunque Ministris non minus interdictum esse quam Judici, sententiam mortis exequi in eum, quem privata notitia certo noscunt esse innocentem. Ratio est: quia talis executio, seu occisio innocentis est intrinsece mala, ideoque nunquam cohonestabilis, nisi Deus ceu vitæ & necis supremus Dominus, talem facultatem concedat, quam tamen pro hoc casu concessisse nullibi constat.

Debent igitur a tali executione sese excusare, vel subducere, nisi ipsimet innocentiam condemnati possint patefacere. Ita contra plures Thomistas tenent nostri P. Panger *in Theologia Scholastica lib. 3. disput. 3. q. 12. n.* 98. Holzmann ubi supra *n.* 673. aliique plures.

707. Colliges sexto, Judicem graviter peccare, si non prius, quam ad Torturam descendit, omnia alia media mitiora veritatis expiscandæ causa adhibeat. Ratio patet ex dictis supra *n.* 681. quia Tortura solum adhiberi debet in subsidium aliarum probationum; ergo quamdiu aliæ probationes suppetunt, adhiberi nullatenus debet. Debent

bent insuper tormenta non esse excessiva, seu talia, quæ Reus spectata naturæ & virium complexione moraliter loquendo sustinere non posset; unde *L. de Minore §. 3. ff. de quæstion.* dicitur: *Tormenta adhibenda sunt, non quanta accusator postulat, sed, ut moderatæ rationis temperamenta desiderant.* Ex quo Busenbaum, Laymann & La Croix *l. 4. n.* 1464. inferunt, Judices oppositum practicando graviter delinquere, neque posse ex confessione ita injuste extorta procedere.

Dices adhuc. Sed quid, si reus in Tortura fateatur crimen, post Torturam vero denuo illud neget, asserens se solum fuisse confessum, ut a Tortura liberaretur?

708. R. Talem non obstante revocatione posse iterato torqueri. Ratio est: quia per hujusmodi revocationem indicia criminis non sunt elisa; tum etiam quia, si hujus farinæ homines semel scirent, se ob revocationem criminis non posse amplius torqueri, nullus plane inveniretur, qui suam confessionem factam in Tortura non revocaret; quo fieret, ut hic modus inquirendi suo frustraretur fine, & sceleratissimi quique homines deberent impune dimitti, non sine maximo præjudicio Reipublicæ Christianæ. Quod si reus tortus & confessus similiter secundo retractet, quæ fuit confessus, tertio torqueri potest, sed non sæpius, neque condemnandus, sed absolvendus erit, si tertio etiam (ut moris est) ductus ad ratificandum, quod in tertia tortura confessus fuit, revocet.

Ratio est: quia tunc rationabiliter præsumitur, confessionem vi tormentorum fuisse coactam, adeoque nullam. Videatur Lessius *cit. n.* 168. Filliuc. *tr.* 40. *n.* 198. Babenstuber ubi supra *n.* 10. Vel *Constitut. pœnal. Carol. art.* 58.

709. Colliges denique septimo, illos Judices graviter errare, ac peccare (idipsum dicas velim de Principe id præcipiente aut approbante, vel permittente) qui modum Torturæ notabiliter excedunt, ut Reum non velut creaturam rationalem, sed pejus, quam bestiam tyrannico, aut brutali modo torqueant, cum periculo vitæ, extrema dolorum acerbitate, & membrorum; ac compaginum dissolutione, vel ossium confractione in tantum, ut miselli e carceribus tandem dimissi, prorsus existant inutiles & inhabiles ad panem vel sibi, vel suis lucrandum. Ita R. P. Stanislaus Karg *in Manuali part. 4. §. 1. n.* 27. Ratio hujus patet ex dictis *n.* 707. homines enim humano modo, & non brutorum instar tractandi sunt in tribunalibus. Hinc in torquendis reis vel maxime oportet attendere qualitates, & circumstantias personarum, sexus, complexionis &c. &c. ne carnifices potius, quam Judices agere videantur, ut monet Tuschus apud Konig *ad tit. de accusat. n.* 92.

CONFERENTIA
VIGESIMA PRIMA
De Accusatore, Testibus, & Reo.

SUMMARIUM.

710. *Nomine accusationis intelligitur juridica delatio Rei de aliquo crimine;*
711. *Unde Accusator dicitur ille, qui reum defert publicæ punitionis causa.*
712. *Accusare possunt omnes, qui jure non sunt probibiti.*
713. *Et omnibus absolute licet, delicta vel injurias sibi illatas denuntiare, satisfactionis impetrandæ causa.*
714. *Hinc regulariter loquendo accusari possunt omnes delinquentes.*
715. *Recensentur breviter conditiones ex parte testis legalis necessariæ.*
716. *Specificantur jure inhabiles ad testificandum.*
717. *Ordinarie tenetur quivis idoneus agere testem, quoties Judex legitime interrogat.*
718. *Qui falsum testatur in materia gravi, peccat mortaliter per se loquendo.*
719. *Quando reus non examinatur legitime, non tenetur fateri crimen;*
720. *Bene tamen, ubi legitime interrogatur, nisi ex tali confessione timendum habeat grande malum.*

721.

721. *An, vel quandonam fas sit, Actori imponere crimen grave, ad labefactandam ejus fidem.*
722. *Non tenetur reus prodere complices criminis omnino occultos.*
723. *Nec acceptare sententiam injuste, bene vero juste contra se latam.*
724. *Resolvitur Casus I. de quodam Officiale Principis, qui a Rusticis accusatus negavit omnia sibi objecta.*
725. *Utrum vitia carnis sufficienter probaverint contra ipsum.*
726. *Et quid in tali casu Judici agendum.*
727. *Resolvitur Casus II. de quodam Judice, qui domesticos Accusatoris noluit admittere in testes;*
728. *Bene tamen in consortio alterius cujusdam civis, seu extranei.*
729. *Et quid, si ille extraneus noluisset perbibere testimonium veritati.*
730. *Resolvitur Casus III. de quodam Reo, qui vi Torturæ intolerabilis nedum sibi, sed & alteri cuidam innocenti imposuerat falsum crimen.*
731. *Propterea que Confessarius tenebatur hunc obligare ad revocationem.*
732. *An Judex revocanti teneatur adhibere fidem, an vero possit eum de novo subjicere Torturæ.*
733. *Talis revocatio non est omnino frustranea.*
734. *Obligatio quempiam accusandi raro admodum emergit.*
735. *Neque cujusvis testis depositioni illico a Judice est acquiescendum.*
736. *Recensentur nonnulli Casus, in quibus nemo tenetur agere testem.*
737. *Reo ad carcerem damnato licitum est fugere;*
738. *Nisi juramentum, vel aliud vinculum obstet.*
739. *Hinc nec ipse peccat corrumpendo, vel potius decipiendo custodes, neque alii, eidem ad hoc præbentes consilium, vel auxilium ad fugam.*
740. *Nisi hi ratione sui Officii prohibeantur.*
741. *Reus, qui sibi vel alteri falsum crimen imposuit, tenetur tempestive, & ante sententiam a Judice ferendam revocare,*
742. *Quantum moraliter loquendo fieri potest.*
743. *Et quid tali a Confessario suadendum, si moraliter prævideat, se vel de novo tortum, vel non auditum iri.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos, de Accusatore, Testibus, & Reo &c. &c.

QUæres primo, quid sit accusatio, & quid Accusator?

710. R. Ad primum membrum hujus quæstionis. Accusatio est juridica delatio Rei de crimine ad vindictam publicam, cum onere probandi sub pœna talionis. Ita Mezger *t.* 3. *tr.* 13. *disp.* 47. *a* 3. *n.* 1. Dicitur autem 1. *juridica delatio*, id est, conformis juribus; in quo convenit cum denuntiatione: dicitur secundo, *ad vindictam publicam*; in quo differt a denuntiatione, quippe quæ fit, aut fieri solet vel ob emendationem delinquentis, vel ob satisfactionem privatam v. g. in causa civili &c. &c. e contra accusatio semper fit ob bonum publicum, & quidem in ordine ad punitionem criminis: dicitur tertio, *cum onere probandi*; in quo pariter differt a denuntiatione; quandoquidem denuntiator non tenetur, nec suscipit in se onus probandi, prout jam superius *n.* 674. dictum fuit. Additur quarto *sub pœna talionis*; id est, cum onere subeundi eandem pœnam, qua afficeretur Reus convictus: & hoc statutum fuit propterea, ne quis assumeret occasionem calumniandi, si sciret, id fieri posse absque omni periculo alicujus pœnæ. Hæc tamen conditio hodie non amplius videtur in usu, neque in foro sæculari, neque in curia Romana, teste Henno, eo quod multos retraxerit ab accusando, & quidem non raro cum magno Reipublicæ detrimento: immo modernis temporibus (fortassis ob eandem rationem) non amplius opus est, ut accusatio fiat in scriptis, seu in libello, cum subscriptione Accusatoris &c. ut olim statuere jura *cap.* 1. 2. & 3. *Caus. II. q.* 8. sed sufficit, eam fieri verbis, ita tamen, ut omnia a Notario statim redigantur in scriptum: & in foro civili loco pœnæ talionis imponitur pœna arbitraria, petiturque

cautio de prosequenda lite, usque ad finem judicii; uti & de expensis, damno, ac injuria causata accusato, si Accusator delictum non sufficienter probaverit &c. prout testatur Reiffenstuel *l.* 5. *tit.* 1. *n.* 11. Ex quibus

711. R. Jam ad alterum membrum quæsiti. Accusator recte describitur quod sit persona in criminalibus delictum deferens publicæ punitionis causa. Tota hæc descriptio facile patet ex descriptione accusationis. Illud duntaxat notandum est, quod Accusator dicatur *in criminalibus* delictum deferens; si enim delictum deferat Judici in causa mere civili v. g. quod ab alio in contractu fuerit læsus ultra dimidium &c. vel in ordine ad obtinendam solutionem debiti &c. &c. non *Accusator*, sed *Actor* appellari consuevit. Insuper solent Doctores distinguere inter Accusatorem *formalem* & *virtualem*. Formalis dicitur vera persona accusans. Virtualis vero appellatur infamia de crimine, vel criminoso, vel evidentia facti, aliave indicia violenta de crimine perpetrato, quæ in morali hominum existimatione quodammodo vindictam clamant contra criminosum; quo sensu Deus ad Cain dixisse fertur *Gen.* 4. *v.* 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*.

Quæres secundo, quinam accusare possint?

712. R. Accusare possunt omnes illi, qui jure non sunt prohibiti. Ita *omnes*: & liquet de se. Sunt tamen aliqui, qui jure civili prohibentur accusare. Et quidem jure canonico prohibentur accusare 1. Clerici in judicio sæculari, præsertim in causa sanguinis; quia hoc dedecet statum clericalem. 2. Laici Clericos, nisi crimen sit immane, vel cedat in grave præjudicium Ecclesiæ. 3. Pagani & Hæretici non tolerati Christianos & Catholicos. 4. Inimici capitales, vel alias valde infensi; quia qui aliquem odit, contra eum fidem non meretur in judicio. 5. Excommunicati. Porro jure civili prohibentur accusare sequentes. 1. Pupilli, impuberes, minorennes & mulieres ob defectum ætatis, vel debilitatem judicii, sexusve imbecillitatem. 2. Magistratus. 3. infames & suspectæ fidei, & qui aliquando reddiderunt falsum testimonium in judicio. 4. Pauperes, quos honestas vitæ non purgat a suspicione infamiæ, vel fidei corruptæ. 5. Valde conjuncti sanguine, vel specialiter ad gratitudinem obligati; uti sunt liberi respectu Parentum, Fratres respectu fratrum, Uxor respectu Mariti, ac vice versa, servus item, libertus, vasallus respectu Domini. Textus & jura videri possunt apud Reiffenstuel, & alios passim.

713. Quocirca tamen notat Pichler, Holzmann, aliique Doctores communiter, quod omnes mox recensiti (exceptis fere solis excommunicatis, capitalibus inimicis, & rationis usu destitutis) accusare permittantur 1. quando suam vel suorum (id est, conjunctorum usque ad quartum gradum) causam prosequuntur. 2. quando crimen est valde atrox, vel 3. quando illud cedit in grave præjudicium Reipublicæ, aut Ecclesiæ, vel 4. quando accusans a Judice non repellitur. Immo, tametsi accusare nequeant, permitti tamen ipsis debet, ut possint crimen vel delicta, injuriasve sibi illatas denuntiare, vel simplicem querelam deponere apud Judicem, qui postea debet instituere inquisitionem, & administrare justitiam. Ita Pichler *in Candidat. abbrev. l. Can. l.* 5. *tit.* 1. *n.* 7.

Quæres tertio, quinam possint accusari? vel non?

714. Accusari regulariter loquendo possunt omnes delinquentes, nisi in jure excipiantur, prout excepti sunt sequentes. 1. Pupilli, furiosi, & mente capti. 2. Semel accusatus, & a Judice jam punitus, vel absolutus, amplius accusari non potest de eodem crimine 3. Accusari nequeunt illi, quorum delicta lapsu temporis jamjam sunt antiquata, sicut delicta carnis regulariter abolentur lapsu quinquennii, excepto crimine Raptus, item adulterii cum incestu, vel violenta oppressione conjuncti: alia vero delicta antiquantur lapsu vicennii, id est, viginti annorum, licet multi Doctores existiment, nonnulla gravissima delicta v. g. læsæ Majestatis, Parricidii, falsificatæ monetæ &c. nunquam antiquari in tantum, ut hujusmodi crimine implicatus accusari non amplius valeat. 4. Accusari non potest

Ma-

Magiſtratus temporalis durante officio, niſi circa officium delinquat, vel crimen notorium ſit: in reliquis autem criminibus debet accuſatio differri uſque ad depoſitionem Officii, data interim cautione de judicio. 5. Denique abſens a loco judicii accuſari non poteſt; hoc tamen eſt intelligendum ſic, quod contra abſentem deduci & finiri non poſſit accuſatio: proponi tamen poteſt, ut accuſatus citetur a Judice: quod ſi legitime citatus non comparuerit, hodierna conſuetudine (teſte Brunnemanno *ad l. 5. de pœnis* apud Pichler *cit. n. 9.*) contra abſentem etiam in graviſſimis delictis fit proceſſus ad bannum uſque. Sed relinquamus hæc Juriſtis, penes quos jura & rationes latius deductæ videri poſſunt.

Quæres quarto, quid ſit teſtis judicialis, & quinam poſſint agere hujuſmodi teſtem? quinam vero non?

715. R. primo. Teſtis eſt perſona, quæ ad inſtantiam partis evocatur, & examinatur a Judice ad faciendam fidem de re controverſa. 2. Teſtem vero agere, vi juris poſitivi, illi duntaxat poſſunt, qui habent conditiones ſeu qualitates in jure requiſitas, ſequentibus verſiculis comprehenſas.

Condito, ſexus, ætas, diſcretio, fama.
Et fortuna, fides; in teſtibus iſta requires.

Ita *communiſſime Doctores* tam Juriſperiti, quam Theologi. Ratio prioris deſumitur ex *cap. 1. de teſtibus*, unde eruitur hæc deſcriptio teſtis judicialis. Ratio ſecundi pariter ex jure poſitivo variis in locis petenda eſt, uti patebit amplius ex dicendis. Dixi autem *vi juris poſitivi* requiri hujuſmodi conditiones; nam quantum eſt de jure naturæ, quivis homo ratione præditus, & habens notitiam certam rei controverſæ, poſſet de eadem reddere teſtimonium; nihilominus ob evitandas fraudes, & alia multa inconvenientia jure poſitivo excluduntur multi ab hoc munere; pro cujus majori dilucidatione

716. R. Jam ſecundo ad tertiam partem hujus quæſiti. Vi juris poſitivi a munere teſtium excluduntur ſequentes. 1. Minores viginti annis excluduntur in criminalibus in ordine ad torturam, aut condemnationem; judicium tamen ad inquirendum præbere poſſunt: in civilibus tamen cauſis admittuntur puberes. 2. Mulieres excluduntur ob inſtabilitatem & imbecillitatem judicii. 3. Inimici accuſati, ob periculum ſiniſtræ depoſitionis. 4. Aſcendentes & deſcendentes accuſatoris uſque ad quartum gradum. 5. Domeſtici accuſatoris; quia præſumuntur partiales. 6. Socii criminis; qui tamen in pluribus admittuntur. 7. Perjuri; quia reputantur nullius fidei. 8. Perſonæ viles & inopes; de quibus ſuſpicari licet, ne ſint corruptæ, vel inductæ ad deponendum falſum teſtimonium. 9. Infames infamia juris, ſeu de aliquo crimine damnati. Ita Henno *diſp. Acceſſor q. 4. Concl. 1.* Buſenbaum apud la Croix *l. 4. n. 1514.* Jura vero ſeu textus videri poſſunt apud Juriſconſultos paſſim; unde nolim eſſe in hoc longior.

Quæres quinto, utrum, vel quando quis teneatur agere teſtem?

717. R. Datur ordinarie obligatio ferendi teſtimonium 1. quoties quis legitime interrogatur, & 2. quoties id prævidetur neceſſarium ad avertendum grave malum Reipublicæ, vel etiam alicujus hominis privati. Ita *Doctores paſſim*. Ratio prioris eſt: quia Judici legitime interroganti, ceu ſuperiori juſta imperanti parendum eſſe, æquitas & recta ratio dictant.

Ratio autem poſterioris eſt: quia quodlibet membrum Communitatis non ſolum ex virtute charitatis, ſed etiam juſtitiæ legalis tenetur a Communitate avertere grande malum: a proximo vero ex virtute charitatis: ergo ſi videris teſtimonium tuum neceſſarium eſſe in hunc finem, eo quod aliter veritas detegi non poſſit, nec illud malum averti, teneberis reddere teſtimonium, & aperire veritatem, etiam non rogatus vel juſſus. Videantur de hoc Babenſtuber *n. 42. & 43.* Holzmann *n. 688.* Illſung *tr. 4. diſp. 2. n. 32.*

Quæres ſexto, quomodo peccet, & ad quid teneatur ille, qui ſcienter falſum teſtatus fuit?

718. R. 1. Talis per ſe loquendo & ex genere ſuo peccat mortaliter, & ſi tale

tale mendacium jurejurando confirmet (uti regulariter fieri amat) fit perjurus: & 2. si quidem ex tali mendacio sequatur proximo suo damnum grave, nedum tenetur revocare pro posse suum mendacium, sed & resarcire omne damnum proximo inde secutum. Ita Lessius *l.* 2. *c.* 30. *n.* 52. aliique Doctores *communissime*. Ratio clara est: quia omne mendacium graviter proximo perniciosum, ex suo genere est peccatum mortale: atqui tale mendacium supponitur graviter perniciosum; nam res, quæ coram Judicibus districte ventilari solent, non levis, sed gravioris momenti esse solent: & quia ex injuria formali & efficaciter damnosa consurgit obligatio justitiæ commutativæ reparandi damnum, hinc etiam talis pœnitens a Confessario serio ad id adhortari & urgeri debet: secus dicendum foret, si constaret, Judicem ex tali testimonio nil prorsus fuisse motum, vel quia fidem non adhibuit, vel quia aliorum falsis attestationibus jam totum damnum illatum fuerat. Dixi autem: *qui scienter falsum testatus fuit*; nam si solum ex ignorantia, inadvertentia vel oblivione inculpabili falsum testatus fuit, tenebitur quidem impedire damnum inde secutum, quantum moraliter potest, non tamen tenebitur ad restitutionem, tametsi reus damnetur; ratio est: quia neque tenetur ex re accepta, neque ex delicto formali injustæ acceptionis, aut damnificationis; uti sapienter notant Lessius *nu.* 55. & Filliucius *n.* 253.

Quæres septimo, an, vel quando Reus a Judice examinatus, teneatur fateri crimen?

719. R. 1. Ubi Reus non interrogatur legitime, non tenetur crimen fateri; bene vero, 2. quando legitime interrogatur a Judice, nisi prævideat, sibi ex tali confessione imminere periculum vitæ, vel alterius gravissimæ pœnæ &c.

Ratio primæ partis (quam Doctores communissime tenent) est: quia Judex non habet auctoritatem vel jus interrogandi aliter, nisi legitime, id est, secundum præscriptum legum: ergo si hoc non observat, cessat ex parte rei obligatio respondendi. Tunc autem merito censetur illegitime interrogare 1. quando Judex ipse non est legitimus seu competens; vel 2. quando a se ipso litis processum inchoavit sine prævia accusatione saltem virtuali. 3. si non præcessit semiplena probatio criminis, nec infamia, aut certa ejusdem indicia. Ita Azorius, Lessius, Lugo *disp.* 4. *num.* 1. Similiter quamdiu prudenter dubitare licet, an Judex legitime interroget, non tenetur Reus parere; quia manet in possessione suæ libertatis, qua cum periculo damni vel gravissimi incommodi, non tenetur se privare, & per consequens nec respondere interroganti. Sanchez *lib.* 6. *consil.* *c.* 3. *dub.* 31. Busenbaum apud la Croix *cit.* *n.* 1521.

720. Ratio autem secundæ partis (quam cum S. Thoma tenent Cajetanus, Soto, Navarra & alii communiter) est: quia ubi Judex legitime interrogat, vi sui officii habet jus interrogandi & inquirendi de veritate: ergo pariter ex parte Rei debet dari obligatio respondendi & fatendi veritatem; quia hæc sunt correlativa, & alias jus interrogandi foret inutile, nisi ex parte Rei daretur obligatio respondendi.

Dixi tamen: *nisi prævideat, ex tali confessione sibi imminere periculum vitæ &c.* Enim vero Sylvester, Navarra, Sa, Lessius *cap.* 31. *num.* 16. Filliuc. *tract.* 40. *num.* 266. KercKhove *in statut. gen. cap.* 6. *§.* 2. *num.* 125. *ac seqq.* & alii Doctores probabile censent, in tali casu Reum obligari non posse, ut in propriam suam perniciem cum tanto detrimento dicat veritatem, saltem si immineat spes evadendi mortem præcisa tali confessione. Et ratio est: tum quia tale mandatum videtur nimis durum, & humanam superans fragilitatem; tum quia regulariter loquendo leges humanæ non obligant cum periculo vitæ; ergo neque præceptum Judicis; tum denique quia nemo tenetur ad testificandum, seu dicendam veritatem contra sanguine junctos *l.* 4. *ff. de Testibus*, neque cum suo damno gravi: ergo similiter Reus non tenetur fateri veritatem contra se, cum nullus pos-

possit esse magis sanguine junctus, quam ipse sibi.

Quæres octavo, Utrum Reo liceat imponere crimen actori vel testi, eo fine, ut hoc modo ejus fidem vel testimonium labefactet?

721. R. 1. Nullatenus licet ei imponere crimen falsum; bene tamen 2. crimen verum de eo revelare, si reus hoc modo possit salvare vitam, vel evadere gravissimam pœnam. Ita quoad utrumque membrum *communissime Doctores*. Ratio primi est: quia nunquam fas est mentiri: atqui imponendo crimen falsum actori vel Accusatori mentiretur, & quidem perniciose: erga &c. Ex quo colligere licet, ab Innocentio XI. justissime proscriptam fuisse sequentem propositionem *n. 44. Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & bonorem defendat.*

Ratio autem posterioris est: quia cuilibet licet se defendere eodem genere armorum, quo oppugnatur: ergo si Testis vel falsum crimen, vel verum quidem, sed occultum testetur contra reum, poterit Reus pariter vera, licet occulta crimina testis detegere, ut hac via evadat, & labefactet fidem vel auctoritatem ejus: talia possent esse perjurium, mendacium, crimen falsi, & alia hujusmodi, per quæ redderetur infamis. Dixi tamen rursus: *si Reus hoc modo possit salvare vitam &c.* Nam si prævideret, se propterea nullatenus evasurum; eo quod adsint alii testes idonei; aut quia occultum crimen illius testis non posset sufficienter probare, neutiquam liceret hujusmodi crimen revelare; quia cum nihil juvet ad infirmandum testimonium, aut ad evadendam pœnam, profecto talis revelatio haberet potius rationem vindictæ, quam justæ defensionis, ut bene animadvertit Henno *ubi supra q. 5. concl. 2. prope finem.*

Quæres nono, Utrum reus a Judice legitime examinatus teneatur etiam prodere, seu manifestare complices criminis?

722. R. Si complices omnino occulti sint, nec aliis indiciis aut testimoniis convinci possint, non tenetur, immo secundum Petr. Navarr. *l. 2. cap. 4. num.* 173. ne quidem potest. Ita Busenbaum, Laymann *l. 3. tr. 6. c. 5. n.* 8. & alii. Ratio est: quia per se loquendo non licet manifestare occultum crimen proximi; tum etiam; quia Judex non interrogat legitime de testibus, nisi præcesserint indicia vel infamia &c. Excipiunt tamen Doctores casum, quo tale crimen cederet in grave præjudicium Reipublicæ, uti sunt crimen hæreseos, proditionis, falsæ monetæ &c. si tamen hujusmodi reus vi tormentorum adactus prodat complices etiam occultos, ordinarie non peccat; quia hoc non facit, nisi ex causa gravissima, ad se scilicet eximendum a tormentis. Videantur DD. citati.

Quæres tandem primo. An Reus teneatur acceptare sententiam contra se latam, ita, ut non liceat se opponere carnifici, vel aliis hujuscemodi Ministris justitiæ?

723. R. Sententiam re ipsa tam materialiter scilicet, quam formaliter justam tenetur reus acceptare, nec fas est ullatenus se opponere: at vero sententiam reipsa & materialiter injustam & iniquam, utpote falsis duntaxat probationibus ac fundamentis nixam, esto formaliter, id est, secundum allegata & probata justa censeatur, non tenetur acceptare, nec obedire in conscientia, sed potest se opponere pro viribus. Ratio hujus est: quia talis sententia se habet ad instar legis privatæ, vel potius præcepti: ergo quemadmodum legi aut præcepto justo subditus se tenetur accommodare in conscientia, non item legi vel præcepto injusto: ita & tali sententiæ. Ex quo bene infert Filliucius *cit. n.* 268. eum, qui ex falso allegatis ac probatis fuit condemnatus ad solvendum v. g. legatum (idem dic de alio quocunque debito) non teneri in conscientia ad talem solutionem, legatarium e contra obligari in conscientia ad illud restituendum, vel refundendum, casu quo jam fuisset solutum.

§. II.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Accusatore, Testibus, & Reo.

CASUS PRIMUS.

Titius Officialis Principis ob nimium erga subditos rigorem multorum offensam incurrit; unde tandem factum, ut plures una simul supplici libello Principi porrecto eundem (an vindictæ, an vero amotionis impetrandæ causa ignoro) accusarint, & primo quidem, quod sit acceptator personarum ac munerum. Secundo, quod potui nimium deditus non raro bene potatus ac crapulatus soleat misellos rusticos modo tyrannico tractare. 3. quod quandam honestam puellam tentaverit vi opprimere, licet ob hujus resistentiam non obtinuerit suum intentum; quarto denique, quod cum alia quadam fœmina vivat in perpetuo concubinatu, quæ præsentibus aliis mulieribus fassa fuit, se timere, ne actu sit ab eodem imprægnata. Titius desuper constitutus & examinatus a Principe, rotunde negavit omnia. Verum de acceptatione personarum & munerum nec non de excessibus in potu, indeque nasci solita duriore subditorum tractatione facile convictus fuit: quia tamen de attentata violenta oppressione puellæ aliter non constat, nisi ex sola attestatione ejusdem puellæ, & illa altera mulier omnino negat, se unquam habuisse commercium carnale cum Titio; hinc Princeps ceu Judex sciscitatur e suo Confessario 1. quidnam sibi de illa accusatione tenendum? 2. Utrum contra Titium possit procedere, vel potius debeat animadvertere in ipsos accusatores? Quid ad hæc Confessarius?

724. R. Ad primum dubium hujus Casus, accusationem illam videri legitimam; quia omnia de jure requisita ad eam concurrerunt, prout examinanti conditiones ad accusationem legitimam requisitas, & supra *n.* 710. recensitas patebit. Et certe si quid obstaret, illud unum foret, quod videantur ex affectu vindictæ vel inimicitiæ ad eam processisse: at neque hoc obstat; tum quia hæc inimicitia dici non potest capitalis: tum quia si inimico non liceret accusare suum inimicum, nullus posset accusare alterum ob grave vulnus, aut injuriam sibi, vel suis illatam; nam ex his plerumque oriri nata est inimicitia; at, sequela hæc est falsa & absurda, prout advertunt Mascardus *de probat. conclus.* 899. *a n.* 1. Menochius *de præsumpt. l.* 5. *præsumpt.* 43. & Reiffenstuel *l.* 5. *decret. tit.* 1. *n.* 26. ergo &c.

725. R. Jam ad alterum dubium ejusdem casus, nullatenus animadvertendum esse contra Accusatores, sed potius contra accusatum, Titium scilicet; tum quia hic in duobus prioribus punctis inventus fuit reus, & convictus; ideoque & juste accusatus; tum etiam, quia tametsi sola attestatio puellæ, de vi sibi illata, non sufficiat ad convincendum Titium; nihilominus servire potest in hunc finem, ut accedentibus aliis indiciis vel adminiculis de veritate rei, possit tali puellæ deferri a Judice juramentum suppletorium, prout sapienter animadvertunt Menochius, Reiffenstuel, Karg, & alii plures; præsertim cum hujusmodi crimina carnis, utpote in occulto, & nemine præsente committi solita, raro, vel vix unquam per plures testes de visu probari possint: atqui in nostro casu accedunt plura adminicula; utputa 1. quod Titius omnia sibi objecta crimina negaverit; cum tamen de primis duobus fuerit convictus. 2. quod potui excessivo sit nimium deditus: tales autem plerumque sunt etiam veneri dediti, calore vini vel potus eos inflammante &c. tertio, quod plures mulieres attestentur, se audivisse ex ore alterius fœminæ, quod timeat, ne sit imprægnata a Titio &c. hujusmodi testes autem etiam ex solo auditu, nequaquam sunt repellendi, præcipue, quando aliunde constat, quod inter hujusmodi personas intercesserit magna familiaritas, conventicula frequentia solius cum sola, præsertim in locis solitariis, vel tempore nocturno &c. &c. ergo in hoc casu Judex prudenter aget, deferendo puellæ juramentum suppletorium, reliquis vero mulieribus assertorium, quod ab ipsa fœmina, seu ex ore hujus audiverint dici, *se timere, ne sit imprægnata a Titio*, quo

quo facto Titius erit sufficienter convictus, in tantum, ut contra eum Princeps possit procedere, non quidem pœna ordinaria in stupratores lata; quandoquidem solum tentavit stuprare puellam: delicta autem puniri non possint pœna ordinaria, nisi intelligantur opere consumata &c. sed pœna quadam extraordinaria, v. g. amotionis non solum a loco, sed etiam ab eo, quod hactenus gesserat, officio &c. præsertim cum inconveniens prorsus videatur, ut talis præficiatur communitatis gubernio, qui, quod verbis docet, destruit exemplo &c. vel qui dum vitia punire deberet, vitiorum fit aliis Auctor &c. &c. vel Accusator.

Dices contra hanc resolutionem. Ubi actor nihil probat, Reo deferendum est juramentum purgatorium, *cap. ult. §. sane de Jurejur.* non vero actori suppletorium: atqui puella in hoc casu est actrix, vel potius accusatrix, & nihil probat: ergo non huic deferendum est juramentum *suppletorium*, sed potius Titio velut Reo *purgatorium*, & hoc semel præstito absolvi debet; præsertim cum secundum dicta superius *n.* 712. mulieres accusare non possint, nec admitti in testes, prout ipsimet fassi sumus supra *n.* 716.

726. R. Ad hanc instantiam, cum P. Stanislao Karg *part.* 4. *§.* 1. *n.* 98. tunc solum Reo deferendum esse juramentum & non actori, quando inter utrumque cetera sunt paria, prout haud obscure innuitur in capitulo allegato, & quando actor prorsus nihil probat: at vero in hoc casu nostro cetera non sunt paria: & falsum omnino est, quod actor seu etiam Accusatores nihil probaverint, prout constat ex dictis numero mox præcedente: falsum insuper est, quod mulieres non possint quempiam accusare, aut nunquam agere testes in causis civilibus; contrarium enim liquet ex dictis supra *n.* 713. licet verum sit, quod tam facile non debeant admitti in causis criminalibus. Videantur de hac materia Gobat *in Theolog. experim. tr.* 10. *n.* 95. *&* *append. seq.* Pirhing *lib.* 2. *decret. tit.* 24. *n.* 90. Pichler *in Candid. abbrev. eod. tit. n.* 9.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Titio centum florenos crediderat, ea lege ac conditione, ut elapso unius anni spatio nedum hanc summam, sed insuper interesse competens sibi restitueret. Elapso anni termino Titius dissimulavit solutionem, immo absolute negavit, se unquam vel unicum nummum credito accepisse, quam ob rem accusatur a Sempronio, qui jubetur id probare per testes, sed quia alios allegare non scivit, nisi domesticos numerationi pecuniæ tunc præsentes; hinc Judex eos, velut suspectos de fide audire noluit; sed mandavit, ut vel Sempronius alios adferret testes, vel Titius juramentum purgatorium (ad quod is sponte sese obtulerat) deponeret. Denique Sempronius nominavit alium quendam civem, incolam suæ domus, qui eidem numerationi præsens fuerat: mandat Judex in continenti illum civem vocari, & quia hic absque mora comparens jurejurando affirmavit, se vidisse Sempronium, dum præfatam summam Titio numeravit; hinc Titius nedum ad refusionem ejusdem summæ, & competentis interesse condemnatus, sed insuper velut infamis declaratus, ac officio, quod hactenus gesserat, privatus fuit. Quæritur jam ad hanc speciem facti 1. an Judex bene egerit, repellendo domesticos Sempronii a munere testium? 2. utrum ob depositionem juratam unius civis, qui & ipse supponitur fuisse inquilinus Sempronii, potuerit juste condemnare Titium?

727. R. Ad primum quæsitum hujus Casus, Judicem haud quaquam imprudenter egisse repellendo domesticos (id est, Uxorem, Filios-familias, vel servos, ancillam &c.) sub potestate Sempronii viventes, & ab eo dependentes. Ratio est: tum quia Sempronius asserti sui nullas alias probationes vel adminicula adducere potuit, saltem dum primo Judicem convenit; tum etiam quia similium domesticorum fides merito habetur suspecta, prout dictum fuit supra *n.* 716. id, quod haud obscure insinuat *l. Perficiendum* 11. *§. furta ff. de pœnis* proptereaque teste Felino apud Pirhing *l.* 2. *tit.* 20. *n.* 44. res hæc Judicis arbitrio relinquitur: ergo haud imprudenter, immo sapienter omnino egit, non admittendo testimonium domestico-

co-

corum, quamdiu non accederent alia adminicula. Videatur Mascardus *de probat. concl.* 533. *n.* 11. *& seqq.*

728. R. Jam ad secundum quæsitum hujus Casus, potuisse a Judice Titium condemnari, non quidem propter attestationem unius, vel solius præcise civis; quia unus testis non facit probationem plenam; *l.* 9. *§.* 5. *C. de Testib.* sed propter hujus attestationem simul junctam attestationi domesticorum; nam ubi testimonium domesticorum solum adducitur in subsidium, propterea, quod factum sit difficilis probationis, nec aliorum testimonio probari possit (prout fit in nostro casu) illud nullatenus rejici valet; immo nemo alius hoc factum, utpote in domo privata gestum, melius nosse possit, quam domestici; ideo horum attestatio, accedente alterius civis testimonio, magni prorsus ponderis censeri bebet *argum. c. veniens* 38. *in fin. de testib.* & ita tenent Mascardus *de probat. conclus.* 124. *n.* 48. Farinacius, Gabriel, & alii, quos citat & sequitur Pirhing *loc. cit. num.* 45. ergo Judex in hoc casu sapienter fecit, attendendo testimonia domesticorum, ut simul juncta testimonio alterius civis fide digni.

Sed quid, ais, si civis ille a Judice citatus noluisset comparere, nec reddere testimoninm de numerata pecunia, protereaque Sempronius velut injustus Calumniator tulisset repulsam simul cum jactura pecuniæ, peccassetne graviter, vel contraxissetne aliquam obligationem restituendi illam summam, quam Sempronius ob defectum hujus attestationis perdidisset?

729. R. Procul dubio peccasset graviter; quia, ubi accusatus est nocens, & accusatori ob defectum probationis pœna talionis, aut aliud grave damnum imminet, quivis idoneus testis, per se loquendo, tenetur ex præcepto charitatis se ultro & irrequisitum offerre ad testandum, prout probat Illsung. *tr.* 4. *disp.* 2. *n.* 32. ergo multo magis si a Judice legitimo in hunc finem citetur. Hinc juxta sententiam Henno, & aliorum multorum, talis a Judice jamjam citatus, & non comparens &c. tenetur resarcire omne damnum, quod ex defectu testimonii parti innocenti sequitur: quia subtrahendo se facit injuriam Judici, habenti potestatem & jus præcipiendi &c. Mihi tamen sententia negativa Lessii, Molinæ, Busenbaum, Mezger & aliorum videtur probabilior. Ratio est: quia talis civis subterfugiendo testimonium, & non comparendo coram Judice, solum peccat contra obedientiam respectu Judicis, & contra charitatem respectu actoris Sempronii: atqui obligatio restitutionis ex delicto, solum oritur ob læsionem justitiæ, minime vero ob læsionem solius obedientiæ, vel charitatis, prout ex communi Doctorum diximus *part.* 4. *Theolog. decalog. de Restit. Confer.* 1. *n.* 5. ergo, &c. secus dicendum existimarem, si civis ille comparens coram Judice positive contra dictamen conscientiæ suæ dixisset, se nihil prorsus scire de tali numeratione pecuniæ; quia per hujusmodi testimonium perniciosum Sempronio causasset damnum, vel certe positive impedivisset ab assecutione sui debiti; quod nedum charitati, sed & justitiæ adversatur. Videatur, si placet, Lessius *l.* 2. *c.* 30. *n.* 59. vel Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 8. *art.* 2. *n.* 46. Busenbaum apud La Croix *l.* 4. *n.* 1514.

CASUS TERTIUS.

Cajus a quodam malefactore ad extremum supplicium condemnato in banco juris nominatus fuerat velut complex cujusdam notabilis furti sacrilegi; quam ob rem nedum comprehensus, sed etiam torturæ gravissimæ Virgarum subjectus fuit: & quia unum vel alterum furtum leviusculum, & non qualificatum confessus, illud furtum sacrilegum constanter negavit; hinc post triduum rursus ad examen & Torturam vocatus fuerat. At vero Cajo mors ipsa tolerabilior visa fuit, quam reiteratio Torturæ, propptereaque ad evadendum hoc supplicium falso confessus fuit, se fuisse complicem illius furti sacrilegi, simulque idipsum affirmavit de quodam alio a Judice nominato, tametsi de hoc Cajo nihil prorsus constiterit; unde factum, ut & Cajus ad infame mortis supplicium condemnaretur. Paulo post Confessario (uti assolet) ad se vocato rem omnem aperuit. Unde jam

consurgit dubium practicum 1. *Utrum Cajus non peccaverit mortaliter, sibi & alteri falso imponendo tam grande crimen?* 2. *Utrum Confessarius non teneatur eundem adstringere ad revocationem hujus depositionis coram Judice?* 3. *An Judex revocanti teneatur adhibere fidem, vel vero possit procedere ad reiterationem torturæ?*

730. R. Ad primum dubium hujus Casus. Certum est, Cajum peccasse mortaliter (saltem per se loquendo, & in ignorantia vel simplicitas, aut timor pœnæ subeundæ excusaverit) affirmando, alium fuisse complicem delicti &c. Ratio est: quia commisit mendacium summe perniciosum proximo, forte non aliter, nisi sanguine diluendum, simulque gravissime illum diffamavit: at, hæc sine peccato mortali fieri non posse, fatebuntur omnes, vel modice tincti in Theologia morali &c. neque excusare Cajum potest periculum Torturæ subeundæ, vel spes hanc evadendi ob talem confessionem, quia non sunt ullatenus facienda mala, ut eveniant bona: neque tibi fas est alteri auferre bonam famam vel vitam, ut tu evadas Torturam. Quin etiam longe probabilissimum, & prope certum mihi videtur, Cajum mortaliter peccasse, dum metu Torturæ, vel spe potius hujus subterfugiendæ sibi hoc falsum crimen, propter quod morte plectetur, imposuit. Ita cum Covarruvias, Molina, & aliis tenet La Croix *l.* 4. *n.* 1523. contra Sylvestrum, Lessium, Azorium, & alios non paucos, oppositum ut probabile tenentes; eo quod nullus teneatur cum impendio tantorum Tormentorum vitam, vel membra sua conservare.

Ratio autem nostræ opinionis est: quia Cajus imponendo sibi tam grande crimen, ob quod prævidet, se morte plectendum, censetur moraliter se ipsum occidere, dum propterea movet Judicem ad ferendam sententiam mortis: atqui nulli licet se ipsum occidere ob evadenda tormenta: ergo &c. Verum equidem est, neminem teneri vitam suam defendere cum impendio magnorum tormentorum, quæ acerbiora videntur ipsa morte, sed posse permittere mortem suam: ast Cajus noster non solum non defendit, sed imponendo sibi falsum crimen censetur moraliter sibi vitam auferre, & non solum permittere mortem suam: ergo hoc faciendo peccavit graviter.

731. R. Ad secundum dubium hujus Casus, Confessarium per se loquendo teneri obligare suum pœnitentem Cajum ad revocationem confessionis seu falsæ depositionis factæ. Ita Tolet. *l.* 5. *c.* 66. *n.* 7. Tannerus *disp.* 4. *q.* 5. *dub.* 4. *n.* 103. P. Stanislaus Karg *in Manuali p.* 4. §. 1. *n.* 45. Ratio est: quia *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Reg.* 4. *J. in* 6. & *Cap. ult. de furtis cap.* 5. *de Usuris*: atqui Cajus fatendo, vel potius imponendo tum sibi, tum etiam proximo innocenti tam grande crimen, abstulit utrique famam, immo & vitam suo modo: ergo tenetur revocare; secus non poterit serio dolere aut pœnitere, ac per consequens neque absolvi. Hac de causa (teste Karg *l. c.*) in Rituali Diæcesano Frinsingensi *part.* 4. *art.* 3. §. 2. *n.* 11. præcipitur hujusmodi Confessariis, *ut moneant reum, si forte tormentorum acerbitate, aut quomodolibet alterius famæ detraxisset, seu falso quempiam accusasset, revocet coram Judice, testibus, sive quocunque potest modo.*

732. R. Ad tertium dubium 1. tametsi Judex Cajo revocanti non teneatur illico adhibere fidem; tenetur nihilominus rem diligenter expendere, & cum viris doctis ac peritis desuper conferre; unde 2. non potest ob hujusmodi revocationem illico Cajum revocare ad Torturam, multo minus sententiam mortis executioni mandare. Ratio primæ partis hujus resolutionis (quam tenent P. Spe, La Croix *cit. num.* 1476. Karg. *loc. cit.* ac major pars Doctorum) est: quia denuntiatio revocata fidem perdit; *arg. l. Eos de leg. Corn. de falsis cap. Præterea de test. cog.* ergo revocatione facta Judex non potest amplius vi prioris confessionis procedere ad executionem. Nec videtur ratio, cur potius deberet adhibere fidem Malefactori, qui Cajum velut complicem nominavit, quam ipsi Cajo revocanti suam confessionem. Confirmatur efficaciter ex *Constitut. Carolin. Crimin.* 91. ubi expresse dicitur, *quamvis revocatio ipso die judicii videre-*

deretur facta ad impediendum juris processum, tamen ejus habendam rationem, & ineundum consilium cum jurisperitis aliis: ergo a fortiori idipsum faciendum est, ubi talis revocatio fit non solum ad impediendum juris processum, sed potius ad manifestandam innocentiam, & rei veritatem. Ex quibus liquet

Ratio secundæ partis (quam cum Farinacio, Fichardo, Wesenbeec, & aliis tenet V. P. Karg *l. cit. n.* 55.) quæ amplius confirmari potest in hunc modum. Inquisitio severa, seu per Torturam ut fiat de novo, debent adesse indicia criminis valde urgentia, certa, ac concludentia contra reum, quibus fere nihil desit, nisi ipsius confessio *l.* 1. §. 1. *l.* 18. §. 1. *ff. de quæst. l.* 8. *C. eod.* ad executionem vero sententiæ judicialis maxime in criminalibus necessaria est prævia, ac plena causæ cognitio *l.* 2. 4. & 7. *C. de sentent. & inter locut.* atqui stante revocatione Caji in nostro casu non habentur hujusmodi indicia, multo minus plena ac perfecta causæ cognitio, prout liquet ex dictis; certe talem non faciunt sola illa nominatio malefactoris, vel confessio Caji de uno vel altero leviusculo furto: ergo nisi alia adminicula, & fortiora indicia accedant, contra Cajum procedi non potest ad novam Torturam, & multo minus ad ipsam executionem sententiæ.

Dices tamen contra resolutionem tum in hoc, tum etiam in priori numero datam. Revocatio a Cajo facienda tum de proprio, tum de alieno etiam delicto jamjam confesso, est prorsus inutilis; quia juxta *L.* 3. *ff. de S. C. Sylan.* standum non est tali confessioni, etiam si fiat in mortis articulo: ergo Cajus ad hanc non tenetur, & in cassum prorsus a Confessario, non sine periculo novæ Torturæ, ad hanc obligaretur; propereaque in *Constitut. Carolin. criminal. art.* 103. Imperator sapientissime monet illos, qui ad mortem condemnatis a confessionibus sunt, *ne eos ad delictorum confessorum revocationem instigent.*

733. R. Ad hanc instantiam *negando Antecedens*; quia ex constitutione criminali Carolina 91. proxime allegatâ constat, esse habendam rationem talis revocationis, propereaque ineundum consilium cum aliis peritis v. g. ponderando bene omnes circumstantias, ut puta 1. an præter confessionem illius malefactoris alia indicia pugnaverint contra Cajum, & quænam illa? an ille malefactor fortassis non ex mera passione, aut certe vi tormentorum adactus & compulsus nominaverit Cajum; quia fortassis Judex de hoc in individuo prius interrogaverat (quod tamen nullatenus fieri deberet:) 3. an, vel quomodo Cajus se disponat ad ingrediendam viam æternitatis, & quo animo revocet, aut detestetur confessionem factam de illo altero, quem modo dicit, esse innocentem? &c. 4. an, vel quinam testes, cujusve fidei contra Cajum deposuerint? &c. hæc & similia Judex tenetur bene ponderare, si tamen Deo, & suæ conscientiæ velit satisfacere. Et dato etiam, quod omnibus his bene ponderatis Cajus non absolveretur a pœna, nihilominus vi revocationis absolveretur a Deo ab illa pœna, vel culpa, quam propter falsam impositionem criminis innocenti imposito non sine dispendio salutis æternæ debuisset subire in altero mundo. Dum autem Imperator *in citata Carolina* 103. Confessarios monet, ne hujusmodi reos ad revocationem delictorum confessorum instigent, intelligit hoc de temeraria, & falsa revocatione, prout (teste Karg *cit. n.* 46.) ex textu liquet: in nostro autem casu non fit falsa, aut temeraria, sed vera, & coram Deo ac Mundo debita revocatio: ergo Confessarius bene agit, obligando Cajum ad talem.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

734. COlliges ex hactenus dictis primo, raro admodum, immo vix unquam emergere casum, in quo quis propter crimen aut injuriam sibi illatam teneretur offendentem accusare apud Judicem. Ratio est: quia cum homo sit Dominus illorum bonorum,

rum, in quibus injuriam patitur, potest hanc dimittere; quod & Christus Dominus suasit. Casu quo tamen tale delictum vel injuria redundaret nedum in detrimentum, aut infamiam hominis privati, sed aliorum etiam, vel totius Reipublicæ perniciem, tenebitur taliter injuriatus accusare offendentem ad præcavendum damnum; quia major est ratio habenda alicujus totius Communitatis, quam hominis privati, & quidem injuriosi, ac perniciosi. Pichler *in Candidato abbrev. l.* 5. *tit.* 1. *n.* 8. Babenstuber *tr.* 5. *disp.* 8. *a* 2. *n.* 38.

735. Colliges secundo, non cujuslibet testis depositioni illico esse acquiescendum, aut innitendum. Ratio liquet; quia homo nedum fallibilis est, sed & frequentissime fallere potest, & non raro solet, sive ex inordinato amore erga proximum, sive ex timore, aut respectu humano; quapropter nedum Judici sæculari in causa sanguinis, vel aliis criminalibus gravioris momenti, sed & Superioribus Religiosis, aut Judicibus Ecclesiasticis in causis civilibus quam cautissime procedendum, & bene ponderandum est 1. quænam, & quam verosimilia motiva contra reum pugnent? 2. cujusnam fidei sint testes? 3. an non ex aliqua passione timoris vel amoris inordinati, alteriusve impulsu regantur? 4. an non varient sive in substantia, sive in circumstantiis loci, temporis, numeri, occasionis &c. Ratio est: tum quia lumen rationis congenitum dictat, tanto consultius procedendum esse ad hujusmodi sententias, quanto gravius damnum ex opposito, id est, inconsulto ac indeliberato agendi modo in re magni momenti posset inferri proximo; tum etiam, quia, ut sapienter advertit Henno noster, non apparet justum, ut ille, qui sibi ipsi non est constans circa aliquam rem vel testimonium, faciat aliis de eadem constare &c.

736. Colliges tertio, quod, licet secundum nicta *num.* 717. testis, præsertim a Superiore aut Judice citatus ac vocatus, regulariter & ordinarie teneatur testimonium perhibere veritati; nihilominus dari queant casus, in quibus quis ab hoc onere eximatur; & primo quidem non teneris testari de delicto (quantumvis a Judice aut Superiore legitimo interrogatus,) si hujus notitiam non habes, nisi ex sola confessione sacramentali. 2. si eam accepisti sub secreto, seu sigillo naturali, ut Consiliarius, Medicus, Advocatus &c. nisi tale delictum vergeret in detrimentum Communitatis &c. 3. si in notitiam talis criminis solum venisti per injuriam v. g. aperiendo alterius litteras, vel hominem per vim aut fraudem inducendo ad hujus revelationem. 4. si prævideas hujusmodi testificationem vel tibi, vel tuis cessuram in grave præjudicium, aut detrimentum &c. nisi simul adverteris, hujus occultationem cessuram in perniciem totius Communitatis. Cujus salus vel bonum præferendum est bono privato &c. 5. denique, si tibi constet, alium non commisisse tale delictum in iis circumstantiis, in quibus Judex aut Superior putat fuisse commissum v. g. cum culpa Theologica, vel cum scandalo &c. &c. Videantur de his Laymann *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 4. *n.* 9. Illsung *tr.* 4. *disp.* 2. *n.* 31. La Croix *l.* 4. *n.* 1514.

737. Colliges quarto, Reo ad poenam mortis, vel mutilationis, aut carceris perpetui damnato licitum esse fugere, nisi forte juraverit se non fugiturum. Ita cum S. Thoma 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. Sayrus *l.* 12. *clav. reg c.* 18. *n.* 11. *& alii Doctores communiter*. Ratio est: quia Respublica non potest Reo prohibere, quo minus quærat conservare vitam suam, cum hoc sit juris naturalis: ergo neque prohibere potest media ordinata ad ejusdem conservationem: atqui inter hæc vel maxime est fuga e carcere: ergo &c. Et certe præceptum, ut talis reus sponte maneat in carcere perpetuo, vel usque dum ex eo abducatur ad mortis supplicium, videtur superare humanam conditionem; proptereaque receptissima praxi omnium Gentium semper solent adhiberi custodes, qui hujusmodi vinctos bene observent, ne effugere possint; quod, ut notant Filliucius, Lessius, & alii plures, signum est, reum retinere jus fugiendi: nec ullius malefactor mitti solet in carcerem, ut ibi sponte maneat, sed ut ibi detineatur, quantumvis invitus.

738.

738. Dixi tamen: *nisi forte juraverit* &c. quia tunc vi juramenti, & ob reverentiam divini Nominis invocati teneretur manere. Idipsum tenent Rodriquez *tom.* 2. *QQ. Reg. q.* 23. *art.*6. Sanchez *l.* 6. *moral. c.* 8. *n.* 12. & alii plures ab hoc citati, de Religioso, qui justa de causa a suis superioribus condemnatus fuit ad carcerem, etiam perpetuum; quia Religiosus, vi professionis suæ sese privavit libertate exeundi; ideoque tenetur manere in ea parte monasterii, in qua Prælatus justis de causis vult eum manere. Secus dicendum foret, si talis Religiosus revera innocens sine justa causa (quod tamen non nisi rarissime continget,) fuisset damnatus ad pœnam carceris; vel, si juste quidem damnato, necessaria ad sustentationem vitæ ob Superioris, aut Custodis Carceris inclementiam negarentur, prout limitat Sanchez *loc. cit. num.* 14. cum Navarra, Salzedo, & aliis; quia sicut Superior non habet potestatem quempiam ultra jus & æquum puniendi vel affligendi; ita & talis subditus non habet obligationem in foro conscientiæ hujusmodi exorbitantem, & injustam pœnitentiam subeundi.

739. Colliges quinto, Reum non peccare, si pecuniis vel aliis mediis licitis v. g. propinatione haustus liberalioris quærat sibi conciliare benevolentiam custodum, vel studeat eos alio divertere, ut hoc modo possit captare occasionem effugiendi: insuper alii Reo consulendo fugam, immo & in hunc finem offerendo media v. g. scalam aut funem quo sese demittat e custodia, vel aliud instrumentum, quo seram vel carcerem effringat &c. non peccant, nisi ratione Officii sui prohibeantur. Ita *ex communi DD.* Filliuc. *cit. num.* 274. & 275. Lessius *c.* 31. *num.* 41. Ratio est: quia secundum dicta Reo licita est fuga: ergo & apprehensio mediorum de se indifferentium in hunc finem: at, quod Reo licitum est, illud eidem licite suadetur: ergo &c.

740. Dixi tamen rursus: *nisi ratione officii sui prohibeantur &c.* uti prohibentur Ministri Justitiæ, qui, cum vi officii sui teneantur custodire reum, nequaquam sine violatione justitiæ possent eidem consulere fugam, & multo minus administrare instrumenta ad fugam, vel carcerem effringendum. Soli tamen reo fas est, effringere carcerem (ut advertit Sayrus, & Filliucius cit. n. 276.) eo quod soli reo ex custodia immineat maximum incommodum ac periculum: alii vero licite hoc non facerent; quia hoc cederet in magnum Reipublicæ damnum; hoc enim modo reis passim aperiretur via ad fugam, & vix aliquid esset tam firmum, ut satis tuto custodiri possent hujusmodi homines perniciosi.

Quocirca vel maxime oportet esse cautos Confessarios, qui ad hujusmodi captivos, & morte plectendos vocantur, ne eisdem vel fugam consulant, vel ad fugiendum adjuvent positive v. g. funem, vel simile quid offerendo &c. Ratio est: quia solum vocantur & admittuntur eo fine, ut ad beatam mortem eos pro possibili disponant, minime vero, ut eos liberent a vinculis: profecto si unquam Judici constaret de tali intentione Confessarii, nunquam admitteretur ad captivum; quod signum est, Confessarium saltem ex conventione tacita obligari ad non liberandum reum: nec dubium, quin hujusmodi Zelus indiscretus Confessarii posset cedere in maximum detrimentum nedum Religionis, sed vel maxime etiam animarum; quæ propterea subsidio hoc spirituali destituerentur. Videantur de hoc, quæ habet Busenbaum apud la Croix *l.* 4. *n.* 1531. Tannerus *disp.* 4. *q.* 5. *dub.* 4.

741. Colliges sexto, Reum, qui coram Judice vel in tortura sibi, aut alteri innocenti imposuit falsum & grave quidem crimen, ob quod innocens vel morte plectetur, aut alia gravi pœna afficietur &c. teneri tempestive, & quidem, quantum moraliter loquendo fieri potest, prius, quam sententia feratur, suam confessionem sinistram revocare, seu retractare. Ratio est: quia tenetur pro possibili & efficaciter quidem impedire injustum damnum ex falsa & injusta confessione sibi vel proximo imminens: at, nisi ante sententiam ferendam revocet, non satis efficaciter impediet; quia experientia multiplex docet, per-

permultos Judices post latam semel sententiam parvi, immo nihili prorsus pendere hujusmodi revocationes a reis factas: ergo &c.

742. Dixi tamen rursus: *quantum moraliter loquendo fieri potest;* enimvero si reus prævideat, se per hujusmodi revocationem nil amplius impetraturum, nisi ut iterato ad torturam revocetur, simulque credat, fore, ut doloribus superatus ac coactus rursus ratificet priorem confessionem, neutiquam obligabitur ad illico revocandum, sed potest talem revocationem differre usque post sententiam latam, & ut ita dicam, quasi ad ultimum instans vitæ suæ. Ratio est: quia *impossibilium nulla est obligatio. Reg. 6. J. in 6. L. Impossibilium ff.* de *R. J.* atqui revocatio in talibus circumstantiis foret moraliter impossibilis, utpote difficillima: ergo &c. deinde, ubi finis cessat, cessat pariter ratio agendi propter finem: atqui in hac suppositione cessaret finis: quia, ut supponitur Judex moraliter prævidetur nihil prorsus exinde movendus: immo vero ex ratificatione confessionis in nova tortura potius confirmaretur in sua opinione erronea, sicque hæc evaderet nociva, ac multum perniciosa tum Reo, tum aliis etiam innocentibus: ergo &c.

Quid ergo practice a Confessario suadendum est tali Reo, inquies?

743. R. Casu quo reus jamiam condemnatus ad mortem, Confessario aperit, se contra se vel alium innocentem falsum & magnum quidem crimen deposuisse, quod ob metum torturæ denuo subeundæ hactenus retractare ausus non fuit, Confessarius eidem suadere poterit sequentia.

I. Petat humiliter Judicem ad se vocari pro sua consolatione, eo quod habeat aliqua, quæ animæ corporisque salutem concernunt cum eo conferenda, vel si ipse comparere nolit, saltem suo nomine deleget alium cum duobus testibus audituris quid rei. Si Judex nec comparere velit, nec alium suo nomine mittere, & Reus scribere sciat, transmittat eidem suam revocationem in scriptis. Si vero Reus ipse scribere nesciat.

II. Confessario coram testibus committat, ut loco, & tempore commodis nomine rei revocationem, præsertim quoad alios innocentes Judici intimare velit. Ita Rituale Frisingense supra *cit. n.* 11. præscribit.

III. Denique poterit Confessario soli revocationem ad calamum dictare, & postmodum coram duobus aut tribus testibus clausam & signatam extradere, humiliter rogando, ut eandem postea Judici ad manus consignet, obtestando etiam, & protestando coram Deo & hominibus, rem ita se habere, prout in litteris continetur. Ita vix non in terminis R. P. Stanislaus Karg. *in Manuali part.* 4. §. 1. *num.* 50. Videatur de hoc Laymann *l.* 3. *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 23. *&* *seqq.* vel la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1841. *&* *seqq.*

CONFERENTIA

VIGESIMA SECUNDA.

De Advocato, Procuratore, & Notario &c.

SUMMARIUM.

744. *Quidnam intelligatur nomine Advocati.*
745. *Et quinam de jure ab hoc munere excludantur, vel non.*
746. *Recensentur breviter obligationes Advocatorum.*
747. *Non licet Advocato in se suscipere causam injustam defendendam, bene tamen vere, esto minus probabilem.*
748. *Causam pauperis in extrema, vel vere gravi necessitate constituti, tenetur gratis defendere, ubi non est alius, qui possit ac velit in se suscipere hujus defensionem.*
749. *Procurator quid sit.*
750. *Et quanam hujus obligationes.*
751. *Quid sit Notarius.*
752. *Et quanam hujus munera, vel obligationes.*
753. *Quidnam intelligatur nomine Assessoris;*

754. Et

754. *Et quid nomine Referendarii, quæve istorum sint obligationes.*
755. *Resolvitur Casus I. de quodam Advocato, qui relictis causis pauperum prius susceptis, totus quantus incubuit in unam cujusdam Prædivitis defendendam.*
756. *Et ab hoc præter salarium ordinarium decimam quotam litis sibi promissam merito prætendit.*
757. *Solvitur quædam instantia contra hanc resolutionem.*
758. *Resolvitur Casus II. de quodam Procuratore, qui inique protrahendo litem injustam, partemque adversam vexando, graviter deliquit.*
759. *Nec minus injuste egit, post causam jam desperatam, suo Clienti suadendo amicabilem compositionem, vel transactionem cum parte adversa.*
760. *Unde principalis Actor hujusmodi transactionem tuta conscientia acceptare non potuit.*
761. *Resolvitur Casus III. de quodam Notario, assueto protrahere expeditionem causarum.*
762. *Et nimis extenuare scripturas, solius majoris lucri gratia.*
763. *Male insuper egit, ob hujusmodi lucrum communicando parti adversæ instrumenta originalia.*
764. *Advocatus, qui sine competente scientia in se suscipit patrocinium, delinquit.*
765. *Qui in progressu animadvertit injustitiam causæ, tenetur ab hujus patrocinio desistere, & suum Clientem desuper admonere.*
766. *Qui culpabiliter causam justam sui Clientis perdit, vel injustam lucratur, tenetur ad restitutionem damnorum inde secutorum.*
767. *Et quid, si talis culpam levem duntaxat commisit.*
768. *Recensentur breviter peccata, a Notariis in suo munere committi solita.*
769. *Qui, si nedum contra fidelitatem, sed etiam contra justitiam commutativam agunt, tenentur ad refusionem omnium damnorum;*
770. *Sicuti etiam, dum pretium injustum extorquent.*
771. *De Assessoribus ferme idem est formandum judicium, quod de Judicibus quoad administrationem justitiæ?*
772. *Referendarius infideliter referens, peccat contra justitiam,*
773. *Et incurrit obligationem resarciend damnum inde secutum.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debite resolvendos Casus practicos, de Advocato, Procuratore, Notario &c. &c.

QUæres primo, quid sit Advocatus?

744. R. Advocatus est, qui litigantibus in judicio præsentibus patrocinium præstat, causam legitime deducendo secundum jura. Ita *ex communi DD.* Pichler *in Candid. abbrev. lib.* 1. *tit.* 37. *num.* 1. Dicitur autem 1. *litigantibus*, id est, uni parti litigantium; nam utriusque causam defendere non potest, ut de se liquet, nisi jura videantur paria, ut propterea potius ad transactionem induci oporteat. Dicitur 2. *in judicio præsentibus &c.* per quod differt a Procuratore judiciali, qui partes absentis sustinet in judicio, & agit ut dominus litis. Dicitur 3. *patrocinium præstat*, scilicet perorando, aut jura in favorem sui clientis deducendo; qua ratione etiam *Patronus*, vel *Causidicus* appellari consuevit.

Quæres secundo, quinam possint agere Advocatum in judicio?

745. R. Advocatum agere possunt omnes illi, qui competenti scientia sunt prædití, & aliunde non specialiter prohibiti *Argum. l.* 43. *ff. de Procurat.* quia nimirum hoc munus velut honestum ac honorificum est generaliter permissum. Verum, quia multi non habent debitas qualitates; hinc merito fuerunt prohibiti, & exclusi ab hoc munere sequentes 1. Minorennes, nondum habentes septemdecim annos ætatis. 2. surdi. 3. cæci. 4. fœminæ. 5. illi qui semel fuerunt Judices vel Arbi-

Arbitri in eadem causa. 6. Jurium imperiti. 7. qui ab aliqua civitate aut domino salarium recipit, contra hunc vel illam prohibetur agere Advocatum. 8. Religiosi sine consensu sui Prælati, & extra casum utilitatis Monasterii. 9. Clerici sæculares in majoribus constituti, coram Judice laico vel coram Ecclesiastico contra Ecclesiam. Quamvis hi Clerici omnes etiam in tribunali laico agere possint advocatum in causa propria, vel suæ Ecclesiæ, item pro personis sanguine junctis usque ad quartum gradum, & pro personis miserabilibus. Ita Pichler *lib. cit. n.* 2. ubi etiam notat, quod licet fœminæ, item cœci vel surdi non permittantur agere munus Advocati, nihilominus iisdem permissum sit *postulare*, id est, desiderium suum exponere, vel alterius desiderio contradicere in causa propria, vel alterius personæ valde propinquæ, id est, consanguinitate junctæ. Jura apud eundem Doctorem, & alios passim possunt videri.

Quæres tertio, quodnam sit officium, & quænam obligationes, ad quas Advocatus ex justitia tenetur?

746. R. Obligationes Advocati sunt sequentes 1. tenetur speciem facti cum omnibus suis circumstantiis sedulo rimare ac ponderare, inspicere jura, consulere libros, & omnia facere, quæ in utilitatem sui clientis serviunt, seu juvare possunt ad lucrandam causam justam, ut supponitur. 2. tenetur abstinere a fallaciis, & falsis allegationibus, a studiosa litis protractione, a conviciis & sarcasmis erga partem adversam. 3. a fraudulenta circumventione Judicis per blanda verba, munera &c. &c. 4. ab inductione sui Clientis ad falsum juramentum, falsas scripturas, vel productionem falsorum testium. 5. a collusione cum parte adversa, v. g. revelando eidem arcana causæ sibi creditæ, vel his semel cognitis omnino tenendo partem adversam &c. 6. tenetur insuper abstinere a *quota litis* sibi solvenda, aut de aliquo extraordinario ultra salarium debitum, in eventum victoriæ. 7. a susceptione vel defensione causæ certo injustæ. Ita *communissime* Doctores.

647. Dixi tamen a susceptione, vel defensione *causæ certo injustæ*; nam si causa appareat certo probabilis, esto fortassis minus probabilis, quam pro parte adversa, poterit adhuc tuta conscientia hujus defensionem pro possibili in se suscipere, prout contra Soto communissime tenent Doctores; & Ratio est: tum quia non semper ea, quæ probabiliora apparent, sunt eo ipso veriora: immo juxta effatum Aristotelis multa falsa apparent probabiliora veris; tum præsertim, quia quandoque inter disceptandum vel ventilandum nova inveniuntur fundamenta, quæ prius latuere: neque etiam Advocati munus est, causam ipsam decidere, sed solum pro suo cliente fundamenta; ac jura proponere, relicta ceteroquin potestate judicandi & auctoritate Judicis decidendi, cujusnam partis litigantium fundamenta sint verosimiliora &c. Advertunt tamen Henno aliique Doctores, quod in tali casu Advocatus, priusquam causam dubiam defendendam in se suscipiat, suo Clienti candide aperire debeat suam mentem, an scilicet appareat aliqua spes lucrandi causam, vel non, quatenus Cliens id inaudiens possit (si velit) desistere a contestatione, vel prosecutione litis. Lessius *l.* 2. *de J. & J. c.* 31. *n.* 54.

Quæres quarto, Utrum Advocatus aliquando teneatur in se suscipere defensionem causæ pauperis, tametsi prævideat, pauperem illum non esse solvendo, & ob id se nihil salarii recepturum?

748. R. Si prævideat, hujusmodi pauperem defectu advocati incursurum vel extremam, vel vere gravem necessitatem, utputa quia injuste damnaretur ad triremes, vel ad durum carcerem &c. nec adsit alius, qui velit & possit defendere causam pauperculi, tenebitur ipse etiam cum suo magno incommodo suscipere in se defensionem. Ita *communiter Doctores*. Filliuc. *tr.*40. *n.* 286. *& seqq.* Lessius *c.* 31. *n.* 45. *&* 46. Ratio est: quia lex charitatis ad hoc obligat, & talis defensio se habet ad instar eleemosynæ: ergo sicut in extrema, vel vere gravi necessitate constituto teneretur dare eleemosynam, non sine

sine suo incommodo, & sicut Medicus infirmo in tali necessitatis articulo constituto tenetur mederi &c. Ita & Advocatus patrocinari; id, quod adeo certum est, ut, si pars aliqua vel ob inopiam, vel ob potentiam Adversarii Advocatum habere nequeat, Judex idoneum dare teneatur, *cap. 1. de Offic. Jud. & Lib. 1. §. ait Prætor ff. de Postuland.*

Quæres quinto, quid sit Procurator, & quæ hujus obligationes?

749. R. Ad primam partem hujus quæsiti. Procurator est, qui aliena negotia mandato Domini administrat. Ita Reiffenstuel *lib. 1. decret. tit.38. n. 2.* Patet bonitas hujus descriptionis ex ipsa etymologia nominis; nam Pro Curator item sonat, ac *Pro alio Curator*, nempe pro Domino, cujus loco & nomine quantumvis absentis, res seu negotia gerit & administrat. Ceterum diversa munia, & divisiones Procuratorum relinquimus Jureperitis; unde ad nostrum forum.

750. R. Jam ad alteram partem ejusdem quæsiti. Procuratori eædem obligationes incumbunt, quas mox supra *n.* 746. diximus incumbere Advocato, propterea que in sensu latiori appellari solet Advocatus: singulariter autem Procuratori incumbit 1. ut petat justos terminos in causa, respondeatque præfixo termino, & appellet, si tamen appellandum censeat, debito tempore. 2. ut causas prius susceptas prius procuret, nec plures suscipiat, quam intra debitum tempus possit absolvere. 3. ut partes non inducat ad iniquam transactionem seu compositionem. Ita cum Sayro *c.* 24. Babenstuber *tr.* 5. *dis.* 8. *num.* 56.

Quæres sexto, quid sit Notarius, & quæ hujus munera?

751. R. Ad primam partem hujus quæsiti. Notarius (alio nomine Tabellio vocatur, eo quod olim in tabulis testamenta, aliaque publica conscribere debuerit) est ille, qui potestate legitima creatus est, ut acta annotet, ad faciendam fidem &c. Patet bonitas hujus descriptionis rursus ex etymologia nominis *Notarii*. Dicitur autem 1. *potestate legitima creatus*, id est institutus &c. uti in causis civilibus Imperator, Reges, aliique supremi Principes pro suis respective terris, nec non Comites Palatini (ut vocant) creare solent; in causis vero Ecclesiasticis S. Pontifex pro tota Ecclesia, Episcopus pro sua Diœcesi &c.

Dicitur secundo, *ut acta annotet &c.* cum enim humanæ vitæ conditio cursum habeat instabilem, hominumque memoria labilis sit; hinc sapienter omnino Majores nostri censuerunt, instituendos hujusmodi Notarios, qui ea, quæ per homines fiunt, nedum annotarent, sed & instrumentis publicis authentizarent, & æternitati quodammodo consecrarent: hunc in finem quivis Notarius deponere debet juramentum fidelitatis, quod scilicet velit omnia fidelissime annotare &c. quivis insuper habere debet proprium sigillum, quo res gestas muniat, eisdemque fidem ubivis locorum conciliet. Videatur Engel *lib. 2. decret. tit. 22. n.* 3. Reiffenstuel *eod. tit. n.* 8.

752. R. Ad alteram partem ejusdem quæsiti. Notarii munia sunt 1. annotare & quam accuratissime describere universa judicii acta, utputa citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, & quæcunque alia ad actum judiciarium pertinentia. 2. Item annotare contractus, testamenta, codicillos, legata &c. & alia hujusmodi sexcenta. 3. desuper conficere instrumenta authentica &c. quænam vero ad hujusmodi confectionem requirantur, videri possunt apud Canonistas passim, præsertim apud Reiffenstuel *cit. l. 2. decret. tit. 22, n. 17. & seqq.*

Quæres septimo, quidnam intelligatur nomine Assessoris, & quidnam nomine Referendarii?

753. R. Ad primam partem hujus quæsiti. Nomine Assessoris intelligitur ille, qui assidet, vel assistit Judici, suggerendo jura, & dando consilium; unde & Consiliarius nuncupatur *l. 1. C. de Offic. Assess.* In nonnullis locis etiam vocantur *consulentes*; qui quidem secundum diversitatem Dicasteriorum in nonnullis locis non habent auctoritatem decidendi, sed consulendi seu suggerendi duntaxat, in aliis vero sunt veri Judices, habentes

votum nedum consultivum, sed & decisivum.

754. R. Jam ad secundam partem hujus quæsiti. Nomine Referendarii intelligitur ille, cui a Judice committuntur acta litigantium discutienda, eo fine, ut postmodum quasi in compendio referat eorum fundamenta Judici, & Assessoribus, qui plerumque propter multitudinem causarum vel non possunt ipsimet, vel certe nolunt omnia rimari, & legendo percurrere, propterea que a Referendario petunt instrui in Ordine ad ferendam sententiam. Referendarius proin differt a Judice; quia non habet auctoritatem decidendi, sed referendi tantum; licet non raro hujusmodi causæ soleant committi cuipiam ex Assessoribus seu Consiliariis, qui postea suum quoque ferunt suffragium cum aliis secundum merita causæ, si tamen velint incedere viam justitiæ, uti supponi debet. Ex his autem facile liquet, quænam sint munia tum Assessorum, tum etiam Referendariorum: liquet insuper, in his omnibus præter competentem scientiam jurium, insuper necessariam esse fidelitatem, & pietatem Christianam; sine quibus raro, vel nunquam omnino attingent scopum justitiæ, ad quem vi sui muneris tendere maximopere obligantur.

§. III.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de Advocato, Procuratore, & Notario.

CASUS PRIMUS.

Titius Advocatus celebris quam plures causas in se susceperat, sed quia omnibus defendendis nec tempus, neque vires suppetiissent, hinc nonnullis causis pauperum, e quibus minus salarii vel recompensationis sperare licuit, in longum dilatis seu prætermissis, totus quantus in unam haud ignobilem incubuit defendendam, eo quod Actor principalis præter Ordinarium salarium decimam quotam litis, seu boni illius, de cujus dominio causa agitabatur, in recompensationem laborum, ac victoriæ reportandæ eidem promiserit; unde & contigit, ut indefesso labore causam feliciter lucraretur; quia tamen aliorum causæ jam prius susceptæ interim fuere protractæ, non sine novo dispendio, & detrimento pauperum; hinc Titius sciscitatur e suo Confessario 1. An non peccaverit tum suscipiendo, tum præcipue etiam differendo alias causas pauperum? 2. Utrum tuta conscientia possit præter ordinarium Salarium etiam prætendere illam decimam quotam litis, vel sponte sibi oblatam ab Actore principali acceptare? Quid ad hæc Confessarius?

755. R. Ad prius quæsitum cum distinctione. Vel enim prævidit, se non esse sufficientem pro defendendis tot causis, ideoque pauperes defectu defensionis necessariæ incursuros damna, vel non prævidit? si non; tunc neque peccavit; ut de se liquet. Si autem prævidit, prout de facili prævidere potuit, ac debuit, & tamen in se suscepit &c. peccavit, & incurrit obligationem recompensandi omnia illa damna, quæ pauperculi Clientes ob culpabilem hujusmodi dilationem incurrerunt. Ita *communissime Doctores*. Busenbaum apud La Croix *n.* 1506. *fin.* Pichler *ubi supra l.* 1. *tit.* 37. *n.* 4.

Ratio est: quia talis Advocatus sua incuria exstitit injusta causa damnorum. Et licet cuilibet liberum sit, hujus potius, quam illius causæ patrocinium in se suscipere: hoc tamen intelligendum est duntaxat, *nisi jam prius sese obligaverit ad defensionem alicujus*; nam hoc supposito non amplius manet ei liberum suscipere aliam cum præjudicio prioris. Unde talis Advocatus tenetur candide Clientibus patrocinium postulantibus dicere, quod ob defectum temporis nequeat illi statim servire: si dein sponte exspectare velint, & inde cogantur subire aliquam jacturam, hanc sibi imputare debent, & non alteri, sicut etiam sibi imputare debet, qui scienter & sponte assumit Advocatum in jure minus expertem, aut desidem, & propterea causa cadit, prout sapienter animadvertit Pichler *loc. cit.*

756. R. Jam ad posterius quæsitum hujus Casus posse Titium tuta conscientia acceptare illam quotam decimam ultra salarium, si supponatur Actor principalis ultro ac spontanee eam in reco-

gnitionem laborum, & extraordinariæ diligentiæ in defensione causæ adhibitæ obtulisse per modum palmarii: immo tametsi supponatur, illam quotam (præter ordinarium salarium) in pactum fuisse deductam, modo non sit excessiva, nec in fraudem promissa. Ita Pirhing. *l.* 1. *decret. tit.* 37. *n.* 21. *fin.* Laymann *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 26. *n.* 10. Navarr. *l.* 1. *Consil. consil.* 4 *de* pactis, *&* *in Manual. Prælat. c.* 25. *n.* 30. Wiestner *tit. de postuland. n.* 24. Sylvester *loco proxime citando*.

Ratio est: quia Actor principalis supponitur habere dominium illius quotæ; ergo hoc potest libere transferre in Advocatum gratitudinis causa, præsertim si hic supponatur adhibuisse diligentiam extraordinariam.

Confirmatur ex eo; quia posset actor principalis suo Advocato totam litem, id est, totam Summam, vel bonum illud, de quo controvertitur, ex mera & pura liberalitate donare, modo absit omnis fraus, prout conformiter ad *L. Per diversas ff. fin. & L. Anastasio C. Mandati* tenent Engel *lib.* 1. *tit.* 37. *n.* 11. & Reiffenstuel *eod. n.* 49. ergo a fortiori poterit eidem liberali donatione offerre quotam decimam litis, in signum gratitudinis, vel benevolentiæ: ergo & Advocatus non peccabit acceptando.

Dices fortassis contra hanc resolutionem. Hujusmodi pactum *de quota litis*, vel etiam de *palmario* Advocato per modum palmæ in signum victoriæ offerendo &c. gravissime prohibetur *l. sumptus* 53. *ff.* de *Pactis*, *& l. salarium ff. Mandati*, item *l. si qui C. de postulando*, ubi talia pacta reprobantur velut tendentia in grave damnum litigantium, & ipsi Advocati taliter paciscentes vocantur *deprædatores*, jubenturque a professione Advocatorum arceri, id est, officio advocatiæ privari; *l. si qui Advocatorum C. de postulando*: ergo male, immo temerarie dicitur, quod hujusmodi pactum de quota litis valeat licite deduci in pactum.

757. R. Negando *suppositum consequentis*; non enim dixi, valere pactum de quota litis, sed solum quod Advocatus possit NB. *acceptare* talem quotam, vel recompensationem laboris extraordinarii, esto etiam hæc supponatur fuisse deducta in pactum; cui profecto minime obstat, pactum illud fuisse invalidum; quod liquido a paritate constat; nam si quis cum Meretrice conveniat de dando v. g. dugato pro usu corporis, tale pactum velut bonis moribus repugnans, nullum est, ac irritum; quo non obstante Meretrix post factum promissam sibi mercedem potest licite accipere, & acceptam retinere, ita, ut juxta plerosque Doctores danti repetitio non detur; *tex. & DD. in l.* 4. *§.* 3. *ff. de condict. ob turp. caus.* ergo dato etiam, hoc pactum de quota fuisse invalidum, nihilominus Advocatus tuta conscientia poterit prætendere & acceptare mercedem extraordinariam sibi promissam. Hinc Pirhing. *loc. prox. cit.* recte ait, posse licite conveniri cum Advocato de certa quantitate pro justa laboris mercede solvenda: immo etiam licitum esse pacisci, ut præter justum salarium etiam certum præmium nomine palmarii detur Advocato, si victoria obtineatur, dummodo id moderatum sit, & speciali lege non prohibitum. Videantur *Doctores proxime citati*, præsertim vero Sylvester *Verb. Advocatus q.* 19. *num.* 12.

CASUS SECUNDUS.

Quidam Prænobilis affectavit summopere prædium quoddam, quod puella eidem consanguinea & Parentibus orbata cuidam Monasterio vi professionis sacræ loco dotis consignaverat: hunc in finem Prænobilis ille quendam calidissimum Juristam (nomine Sempronium) loco sui constituit Procuratorem. Sempronius, utpote jam a longo tempore familiarissimus nedum Judici, sed & aliis Assessoribus, de facili impetravit 1. *inhibitorium; vi cujus Moniales probibebantur prædium illud vendere,* 2. *prætendit loco sui Principalis (scilicet Prænobilis) tertiam quotam ejusdem prædii, tanquam debitam vi constitutionum municipalium; quia tamen pro se neque certam legem, neque unicum exemplum, multo minus consuetudinem exhibere potuit; hinc dilationibus callide expracticatis causam de*

anno

anno in annum protraxit, firmiter sibi persuadens, fore, ut, si ipse causam non lucraretur, saltem Moniales (utpote tenuibus provisæ mediis) molesta processus diuturnitate, & judicialibus sumptibus defatigatæ, tanto facilius induci ac permoveri possent ad amicam compositionem, seu transactionem.

Denique ubi advertit, nullam sibi superesse spem victoriæ, suo Principali suasit, ut offerret iisdem Monialibus amicam compositionem; quod & factum, licet multum invitis, & non, nisi propter lucra cessantia, & evitandas expensas ex tam longa protractione causæ identidem emergentes tandem consentientibus. Quæritur jam ad hanc speciem facti 1. utrum Sempronius Procurator non peccaverit, litem tam callide protrahendo? 2. An potuerit suo Principali, scilicet Prænobili suadere amicabilem transactionem cum Monialibus ineundam. 3. An ille Prænobilis vel Procurator salva conscientia potuerint hanc acceptare?

758. R. Ad primum dubium hujus Casus non ficti, sed facti, Sempronium procul dubio peccasse mortaliter protrahendo injustam litem vexationis, vel potius iniquæ compositionis gratia. Ratio liquet; tum quia omnis inique proximum suum vexans & damnificans, peccat mortaliter: at, hoc fecit Sempronius, ut constat ex specie facti: ergo; tum etiam, quia ad Officium Advocati pertinet dirimere ambigua fata causarum. *L. Advocati* 14. *C. de Advocat. divers. Jud.* atqui hoc minime intendit Sempronius, sed potius magis involvere, & involvendo inique vexare Moniales: ergo &c. Hinc *l. quisquis* 6. §. 4. *C. de postulando & l. Properandum* 13. §. *illo procul dubio C. de Judic.* expresse sub pœnis a Judice infligendis prohibetur, ne Advocatus sine rationabili causa ex industria protrahat litem: hoc autem fecit Sempronius, procul dubio ex nullo alio fine, quam turpis lucri gratia: ergo. Sapienter omnino de similibus scripsit Elizalde *l. 6. quæst.* 21. aliud vix agunt, quam jura confundere, & quod nemo habeat, quod suum est, aut sero habeat, & habeat quasi emptum, ac post tribulationes plurimas; quibus verbis Sempronium nostrum ad vivum depinxit. Sed væ! talibus. Videatur Konig *tit. de postulando num.* 33. Francisc. Schmier *Jurisprud. lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 2. *sect.* 3. §. 5. *n.* 210. vel Karg *part.* 4. §. 1. *n.* 109.

759. R. Ad secundum negative. Ratio est: quia transactio locum habere nequit, nisi ubi pro utraque parte manet res dubia de potiori jure, *l.* 1. *ff. de Transact.* atqui in nostro casu res non fuit dubia, quin potius supponitur Sempronius clare agnovisse injustitiam causæ suæ, & quod sibi vel suo Principali nulla prorsus supersit spes victoriæ, eo quod pro se nec legem, nec consuetudinem, neque exemplum, aliudve fundamentum potuerit adducere; merito proin concludit P. Karg. *cit. num.* 113. quod talis agat Advocatum diaboli; cum enim Sempronius supponatur unus e celeberrimis Juristis, fieri vix potuit, quin pridem agnoverit injustitiam causæ suæ, seu quod Prænobilis ille nullum habuerit jus ad prædium: qua conscientia igitur prætendere potuit tertiam quotam? qua conscientia suadere compositionem, vel callidissima illa protractione litis, non sine maximo præjudicio Moniales quodam modo cogere ad hujusmodi compositionem ineundam?

760. R. Jam ad tertium dubium pariter negative. Ratio liquet ex hactenus dictis; quia talis transactio est prorsus iniqua, utpote nullo jure fundata: & licet Moniales tandem in eam consenserint, talis tamen consensus fuit revera iniquissime extortus timore ulterioris protractionis litis, & damnorum, seu etiam expensarum declinandarum causa, & hoc ipso nullus; quorum omnium sola iniquitas Sempronii principalis causa existit. Hinc Moniales id, quod concesserunt tali Prænobili, de jure possunt repetere *arg. l.* 65. §. 1. *ff. de condict. indeb.* Quin immo non illud duntaxat, quod Prænobilis ille velut Actor Principalis vi hujus iniquæ transactionis a Monialibus obtinuit, tenetur in conscientia, & quidem sub dispendio salutis æternæ restituere pauperculis Monialibus, sed etiam omnia lucra durante lite cessantia, & alia damna emergentia, cum

cum expensis, intuitu hujus processus factis tenetur refundere, & in hujus defectu Sempronius velut Advocatus diaboli, immo & Judices mala conscientia hujusmodi dilationes, & causæ iniquas protractiones indulgendo, præter reatum peccati mortiferi sibimet imponunt obligationem in defectum Principalis vel Advocati compensandi hujusmodi damna innocentibus ob id illata, prout bene docet Van Espen *Jur. Eccles. part.* 3. *tit.* 7. *c.* 4. *n.* 34. eumque secutus P. Karg *l.cit. n.* 110. Nam dilationes judiciales non dependent præcise ex arbitrio Judicum, neque ullatenus permittendæ sunt ob solum interesse Advocati, vel ob iniquam vexationem partis adversæ; sed ob solam veritatem eruendam: ergo si secus fiat, nedum Principalis actor, sed etiam Advocatus, & in horum defectum ipsemet Judex & Assessores tenebuntur compensare omnia damna innocentibus inde secuta. Durus equidem multis videbitur sermo iste, sed nihilominus verissimus est, utpote fundatus in principiis Restitutionis ab omnibus receptis, prout videre licet ex iis, quæ diximus *Theolog. decalog. part.* 4. *de Restit. Confer.* 5. *n.* 127. Vid. Lessius *l.* 2. *c.* 31. *n.* 48. Karg. *l. cit. n.* 110.

CASUS TERTIUS.

C*Ajus Notarius naturæ donis opulentior, quam bonis fortunæ, haud infrequenter interesse solet testamentis condendis, & aliis contractibus, ac litibus diversis, unde & diversa cogitur vi sui Officii conficere instrumenta publica. Quia tamen animadvertit hisce temporibus augmentari notabiliter pretium annonæ, & omnia quasi cariori pretio distrahi; hinc & ipse pretium laborum suorum augmentandum censuit: quem in finem* 1. *expeditiones instrumentorum studio differt in longum, eo fine, ut partes cogantur horum citius obtinendorum causa vel sportulas offerre, vel majus salarium.* 2. *Scripturas suas ita dilatat, atque extenuat, ut, quod de facili posset conficere unico, hoc præstet pluribus foliis seu plagulis, & pro singulis novum taxat pretium.* 3. *Insuper lucri capiendi causa nuper cuidam Advocato partis adversæ documenta nedum in copia, sed etiam in ipsis originalibus communicavit; quia vero ex post facto animadvertit nova disturbia ac lites inter partes ortas, & alias nonnullas querelas pauperum, hinc conscientiæ stimulis nonnihil agitatus sciscitabatur ex arbitro conscientiæ suæ, an hæc praxis sit justa & tolerabilis? Quid ad hæc Confessarius?*

761. R. 1. Hanc praxin quoad primum punctum esse iniquam & intolerabilem. Ratio est: quia cum teneatur vi sui officii, & possit etiam causas vel instrumenta publica gestorum citius conficere, vi solius dilationis intendit vel sportulas, vel majus salarium extorquere; quod plane aliud non est, quam inique vexare proximum: quare cum illa dilatio pretio digna non sit, & aliunde teneatur citius expedire, quæ sua sunt, liquet profecto, hanc praxin esse prorsus iniquam. Et ita tenet Busenbaum apud La Croix *l.* 4. *n.* 1508. *IV.* Unde etiam *L. quisquis vult. C. de postulando* cavetur, *ut non ad turpe compendium, stipemque deforme in hæc arripiatur occasio - - nam si lucro, pecuniaque capiantur, veluti degeneres inter vilissimos numerabuntur.*

Secus dicendum putarem, si Advocatus, vel etiam Notarius hujusmodi causam solito citius expediret, adhibendo in gratiam sui Clientis extraordinariam diligentiam, frangendo somnum &c. &c. quia hujusmodi obsequium aliunde est indebitum; ergo cum sit pretio æstimabile, potest hujus intuitu exigi extraordinarium stipendium &c. &c.

762. R. secundo, etiam illam praxin de dilatanda scriptura præcise lucri majoris gratia videri iniquam. Ratio hujus est: quia sola illa dilatatio, utpote mere superflua, & ad nihilum prorsus deserviens, non videtur pretio æstimabilis, nec majori pretio digna: ergo quidquid ob hanc exigitur, sine justo titulo postulatur.

Et quamvis quilibet Advocatus, Causidicus aut Notarius nemini teneatur gratis servire, (nisi pauperibus in casu necessitatis, secundum dicta superius *num.* 748.) sed possit laborem

ſuum in patrocinando &c. &c. aliis vendere, ut docet S. Auguſtinus relatus *Can. Non licet Cauſ.* 11. *q.* 3. & *Can. Non ſane* 14. *q.* 5. debet tamen id fieri cum debita moderatione ſalarii, ſcilicet juxta taxam fori: ad hujus vero debitam moderationem S. Joannes a Capiſtrano *in ſpeculo conſcientiæ* §. *Reſtat. unicum. n.* 35. & 36. apud Reiffenſtuel *l.* 1. *tit.* 37. *n.* 42. ſapienter monet, eſſe quatuor præcipue conſideranda, videlicet 1. magnitudinem cauſæ, 2. quantitatem laboris, 3. facundiam Advocati, & 4. conſuetudinem fori, ſeu Regionis, & juxta hæc quatuor tenetur Advocatus ſervare competentiam in exigendo ſuo ſalario: & idem dic de Notario.

763. R. Jam ad tertium quæſitum hujus Caſus, Notarium male, immo peſſime egiſſe, communicando parti adverſæ nedum copiam, ſed etiam ipſa originalia inſtrumenta proceſſus. Ita cum Lugone Haunoldus *tom.* 5. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 548. Ratio eſt: quia agit contra juramentum fidelitatis, immo teſte Haunoldo *cit. n.* 547. non licet Notario partibus dare copiam actorum ſine conſenſu Judicis: ergo multo minus ipſa originalia inſtrumenta; quia ſubeſt periculum, ne hujuſmodi Inſtrumenta Originalia a parte adverſa corrumpantur. Ceterum an in hoc caſu peccaverit mortaliter, dependet ab ipſius judicio practico; nam ſi nullum prævidit periculum, adeoque bona fide proceſſit, dicendum, quod non peccaverit graviter; ſi autem periculum vel amiſſionis, vel falſificationis inſtrumentorum, vel novorum diſſidiorum (prout regulariter prævideri poteſt, ac debet,) animadvertit, & nihilominus turpis lucri gratia illa ſine licentia aut mandato Judicis communicavit, dicendum eſt, eum peccaſſe mortaliter, & velut degenerem meritum fuiſſe, inter viliſſimos numerari, juxta *l. quiſquis vult n.* 761. allegatam.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

764. Colliges ex hactenus dictis primo, peccare Advocatum 1. ſi ſciens & agnoſcens ſe non eſſe ſufficientem ad tale munus, nihilominus ſe ingerat & patrocinari præſumat, 2. ſi defendat cauſam injuſtam, ſive animo vexandi proximum, ſive lucrandi panem per fas & nefas. 3. ſi ob nimias dilationes, illicitas ſubornationes teſtium; vel frivola & fucata fundamenta notabiliter officiat parti adverſæ. 4. ſi in una eademque cauſa utrique parti ſerviat. 5. ſi ſua incuria, aut imperitia litem perdat, ab alio Advocato diligente ac perito lucrandam &c. Ita *communiter Doctores* Filliuc *tr.* 40. *c.* 10. Sylveſter *V. Advocatus q.* 2. *n.* 4. & *ſeqq.* Henno *ubi ſupra q.* 6. *concl.* 3. Ratio eſt liquida: quia in his omnibus agit nedum contra fidelitatem, ſed etiam contra æquitatem & juſtitiam, ideoque jure naturali tenetur ad reſtitutionem, ſi quempiam innocentem, ſive dein ſuum Clientem, ſive partem adverſam injuſte damnificaverit.

765. Colliges ſecundo, Advocato incumbere, ut ſi in progreſſu cauſæ iniquitatem ſui Clientis vel potius cauſæ quam deberet defendere, animadvertat, illico ab hujus ulteriori defenſione deſiſtat, ſimulque deſuper admoneat, ſeu etiam dehortetur Clientem; ſi ſecus fecerit, tenebitur ad reſtitutionem damnorum; Ratio eſt: quia Advocatus conductus ſtipendio ad defenſionem cauſæ juſtæ duntaxat, tenetur ex juſtitia admonere ſuum Clientem de rei veritate, de periculo damnorum vel injuſte inferendorum alteri, vel ſubeundorum &c. fere quemadmodum Medicus infirmum tenetur monere, vel Cuſtos v. g. vineæ precio conductus tenetur nedum arcere injuſtum damnificatorem, ſed & damna vineæ inferenda præpedire, ſaltem admonendo Dominum de periculo: ergo quemadmodum talis contrarium faciens graviter delinquit, cum obligatione recompenſandi damna; ita

& in nostro casu Advocatus, prout post S. Thomam & S. Joann. Capistranum tenet Reiffenstuel *l.* 1. *decret. tit.* 37. *n.* 29. Ex quo Sayrus *l.* 12. *c.* 23. *n.* 18. recte infert, non posse absolvi talem Advocatum, qui paratus est quasvis causas, sive justas, sive etiam injustas in se suscipere defendendas; quia ob hanc pessimam, & patenter iniquam voluntatem defendendi iniquitatem, & hoc ipso aliis injusta damna inferendi, versatur in continuo statu peccati mortalis; quo stante absolutionis procul dubio incapax est. Quæcunque autem hic de Advocato dicimus, pariter dicta intelligas de Procuratore.

766. Colliges tertio, nedum illum Advocatum, qui sua incuria, imperitia culpabili, aut desidia causam justam perdit, teneri in conscientia ad restitutionem, sed etiam illum, qui causam injustam sui Clientis perdit, nec eum monuit a desistendo, tametsi hanc injustitiam prius agnoverit; in hoc tamen casu solum tenebitur suo Clienti refundere expensas illas, quas fecit ab eo tempore, quo Advocatus agnovit injustitiam causæ; quia in his tantum, non vero in ipsa causa, utpote injusta, suum Clientem læsit: At vero si Advocatus causam injustam vel per allegationem falsorum testium, vel instrumentorum, vel per aliam circumventionem Judicis fuerit lucratus, tenebitur alteri parti injuste læsæ nedum restituere litem principalem, seu æstimationem litis, sed etiam expensas; quia utriusque causa iniqua scienter exstitit, ut bene advertit P. Pichler *ubi supra tit.* 37. *n.* 4. *fin.*

Sed quid, ais, si ego causam justam perdidi ex aliqua inadvertentia duntaxat, vel culpa levi, teneborne nihilominus meo Clienti resarcire æstimationem totius litis?

767. R. Probabilius non teneris; saltem in foro conscientiæ, & ante sententiam. Ratio hujus petenda est ex dictis *part.* 4. *de Restitut. Conf.* 3. *n.* 63. & 64. quia obligatio restituendi ex injusta damnificatione pro foro conscientiæ supponit culpam Theologicam gravem: ergo hac præcisa non teneris in conscientia & ante sententiam ad compensationem damni. At vero si Cliens tuus te accusaverit, & Judex agnoscens culpam politicam gravem, te condemnaverit ad hujusmodi restitutionem, teneberis profecto in conscientia te accommodare sententiæ justæ, prout dictum fuit *loc. prox. cit. n.* 46. &c. ita tenet Reiffenstuel *de Commodato n.* 23. *ex communi aliorum*. Videatur V. P. Stanislaus Karg *part.* 4. §. 1. *n.* 112.

768. Colliges quarto, Notarium peccare contra juramentum suum, & contra fidelitatem 1. si in depositione testium aliquid addat, vel detrahat non levis momenti. 2. si Ministro transcriptori cum erroris periculo examen committat. 3. si Protocolla & acta negligenter custodiat, cum damno partium, 4. si testamentum scribat hominis usu rationis destituti. 5. si scienter testes falsos admittat. 6. si solennitates necessarias ex ignorantia culpabili, vel malitia prætermittat. 7. si testimonium aliquod unius rogatu, & alterius damno non exhibeat. 8. si Secretum violet v. g. aperiendo parti adversæ dicta testium ante eorum publicationem. 9. si amisso instrumento publico vel testamento, aliud simile confingat. Ita Busenbaum apud la Croix *l.* 4. *n.* 1508. Navarra, Sylvester, & alii plures ab hoc *citt.*

Ratio liquet: quia hæc omnia pugnant contra fidelitatem, quam suscipiendo Notariatum jurejurando servaturum se promisit: ergo per se loquendo sunt graviter peccaminosa.

769. Colliges quinto, a Notario non minus, quam ad Advocato aut Procuratore contrahi obligationem restituendi, aut compensandi damna, si quæ pars litigantium ex hujusmodi subdolo agendi modo v. g. propter admissos falsos testes, falsa instrumenta, vel ob occultationem iniquam &c. cogatur subire damnum. Ratio est: quia in similibus nedum contra fidelitatem agit, sed etiam contra justitiam commutativam, quam velut pretio conductus ex officio tenebatur administrare: ergo contrarium faciendo peccat pro ratione materiæ, cum obligatione resarciendi damna, si quæ proximo innocenti emerserunt, sicut

etiam

etiam tenetur restituere, si conficiat instrumenta usuraria, vel pro confectis injustum & excessivum pretium ultra taxam per fas & nefas quasi extorqueat. Ita Filliucius *tr.* 40. *n.* 301. & sequitur clare ex dictis ad Casum tertium *n.* 762.

770. Dixi : *si ultra justum pretium aliquid quasi extorqueat* &c. Nam secus omnino dicendum foret, si quæ pars litigantium aliquid ultra omnino sponte ac liberaliter offerat; nam similia acceptando non agit contra justitiam : si tamen hoc aliunde foret prohibitum v. g. quia Princeps, aut Magistratus mandarunt, ut hujusmodi instrumenta vel testimonia gratis expediantur &c. ageret contra obedientiam quidem, sed absque onere restitutionis, ut advertit Filliucius *loc. cit.* Ex quo pariter colligi potest, quid judicii formandum de Notario vel scriba, qui studiosis haud quaquam meritis conficit testimonia splendida, cum magno plausu, & epithetis emphaticis, idque solius lucri captandi gratia; nam pretium acceptum restituere, tales non tenentur; quia hoc supponitur a studioso gratis oblatum : si tamen prævideant, fore ut inde alii graviter decipiantur cum damno, peccant contra justitiam, & non solum contra fidelitatem.

771. Colliges sexto, de Assessoribus ferme idem formandum esse judicium, quod de ipso Judice. Ratio est : quia Assessores sunt quasi conjudices, & in pluribus locis nedum gaudent voto consultivo, sed etiam decisivo, secundum dicta *n.* 753. Unde quemadmodum Judex ipse tenetur ferre sententiam pro ea parte, cui jura favent, juxta dicta *num.* 703. ita & Assessores tenentur suo consilio aut voto tali parti accedere : & sicut Judex inique quempiam condemnando, damnificando &c. &c. tenetur ad restitutionem & compensationem damnorum inde sequentium; ita & Assessor, qui suo consilio aut voto accedens Judici, efficaciter influxit in hujusmodi damnum: recte proin Innocentius XI. sequentem propositionem *n.* 39. proscripsit : *qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati*. Secus dicendum foret, si consilium aut votum a te datum non amplius fuisset causa efficax ejusmodi damni; eo quod res aliorum consiliis ac suffragiis jamjam fuerit decisa. Videantur de hoc quæ diximus *part.* 4. *de Restit. Conf.* 5. *num.* 119. vel quæ habet la Croix *l.* 2. *p.* 2. *n.* 30. Illsung *tr.* 4. *disp.* 3. *n.* 176.

772. Colliges septimo, Referendarium peccare 1. si vel defectu studii, vel per incuriam male referat, vel aliquid substantiale prætermittat, ut propterea Judex ferat sententiam saltem materialiter injustam. 2. si sit partialis, ita ut studiose quærat unius partis potius, quam alterius fundamenta de se minus firma præferre vel exaggerare, ut propterea sententia decidatur pro eo, cui jura minus favent. 3. si sententiam alterutri parti manifestet prius, quam evulgetur &c. ex quo dein parti alteri gravia incommoda sequentur, vel certe sequi sunt nata. Hinc bene concludit V. P. Karg *cit. part.* 4. §. 1. *nu.* 106. male egisse illum Referendarium, qui vi commissionis, seu officii sui, perlegendo acta animadverterat, præscriptionem, in qua Actor principale fundamentum suum collocaverat, fuisse mala fide inchoatam, atque hoc ipso nullius esse valoris, & nihilominus ex respectu humano, vel timore incurrendi disgratiam, inter referendum hoc punctum, e quo totius rei cardo pendebat, dissimulasse. Bene, inquam, laudatus Auctor concludit, hunc Referendarium male egisse; quia obligatio Referendarii eadem ferme est, quæ Judicis : ergo quemadmodum Judex ipse vi sui Officii tenetur (etiam alterutra parte non petente, vel ignorante) supplere ea, quæ sunt juris *l. un. C. ut quæ desunt Advocatis*; ita & talis Referendarius tenebatur supplere, seu aperire rem Judici, minime vero dissimulare. Et quia defectu hujus relationis sententia fuit a Judice lata in favorem Actoris præfati; hinc

773. Colliges tandem, & concludes octavo, hunc Referendarium tam in foro in quam externo manere obliga-

tum

tum ad omnia damna, ob defectuosam & injustam suam relationem, vi cujus sententia reipsa iniqua fuit lata in favorem actoris, alteri parti refundenda, & resarcienda. Ita rursus P. Karg. *l. c.* Et quoad forum internum seu Theologicum facile constare potest ex hactenus dictis; quia voluntarie præbuit causam hujusmodi damnis, velut non obstans, nec manifestans ruinosum fundamentum actoris: ergo tenetur hæc damna compensare, & quidem in solidum. Quod etiam in foro externo, habetur decisum *in Novell.* 124. *c.* 4. ubi dicitur de tali: *qui* (Referendarius scilicet) *tale aliquid egerit, ex sua substantia damnum læsæ personæ delatum per competentem Judicem restituere compelletur*.

En! Lector benevole, agendo de statu sæculari, de personis judiciariis, & in specie quidem de Referendario quodam infelice huic tomulo finem imponimus, tu quidem legendo, ego componendo; ut ergo nos melius fungamur Officio Referendarii, hunc nostrum, quemcunque demum, laborem una simul referamus ad majorem gloriam Jesu Christi, & ad animarum salutem, quo fiet, ut reponatur nobis *corona justitiæ, quam* suo tempore *reddet Nobis justus Judex*. Amen.



INDEX

INDEX ALPHABETICUS

Rerum, seu Materiarum in hoc opusculo contentarum.

Littera C. Conferentiam, n. vero cum cifra numerum marginalem denotat.

A

ABortum procurans, an fiat irregularis C. 5. n. 169.

Absolvere a censuris, quinam valeant c. 1. nu. 17. an absolvi debeat contumax, ibi. n. 21. quid si pœnitens absolvi petat, prius, quam effectus delicti, v. g. abortus fuit secutus. c. 1. n. 26. quænam in actu absolutionis sint observanda, & , an hæc semper dari debeat in ipso actu confessionis. c. 1. n. 33. & 34.

Absolvere a censura suspensionis, quinam valeant. c. 4. n. 118. & quinam ab Interdicto. ibid. n. 129.

Absolutio, quomodo differat a dispensatione. c. 8. n. 229. Censura per absolutionem tolli solet. ibid. n. 250. Quinam ordinarie, & quinam extraordinarie absolvere valeant a censuris. c. 8. n. 251. & 253. item n. 275. & 276. Quantum valeant Episcopi in censuras summo Pontifici reservatas. ibi. n. 253. quandonam casus reputetur occultus. n. 254. quid sit, absolvi pro foro interno duntaxat. c. 8. n. 255. Quantum valeant Prælati Regularium, & quantum Confessarii Mendicantium in casus reservatos, tum in, tum extra Bullam Cœnæ. ibi. n. 256. & seqq. item n. 266. & seqq. Gaudens potestate absolvendi a casibus vel censuris per jus commune inflictis, an eo ipso possit absolvere ab inflictis per sententiam particularem, n. 276. Quam caute confessariis in hoc passu procedendum, & quid observandum volenti absolvere aliquem impeditum adire Papam, c. 8. n. 278. 279. Negligens procurare absolutionem a censura, aut nolens satisfacere parti læsæ, quomodo peccet, c. 8. n. 280. 281.

Absolutio quadrupliciter dari potest, c. 8. n. 259. an ad valorem absolutionis requiratur certa verborum formula. ibid. n. 260. quænam requirantur ad absolutionem ex parte absolventis, & quænam ex parte absolvendi, c. 8. n. 261. & 262. an possit quis absolvi ab una, & non ab alia censura, præsertim ejusdem speciei, ibid. num. 263.

Accusationis nomine, quid intelligatur, c. 21. n. 710. quid nomine Accusatoris, ibidem n. 711. quinam accusare possint, n. 712. & quinam accusari. ibi n. 714. an aliquando detur obligatio accusandi quempiam, c. 21. num. 734.

Actor in judicio, quisnam dicatur, & quomodo differat ab Accusatore, c. 21. n. 711. an fas sit, actori vel accusatori crimen imponere, ad labefactandam fidem ejusdem, ibidem n. 721.

Advocati nomine, quid intelligatur, c. 22. n. 744. quinam possint, vel non possint agere munus Advocati, ibi. n. 745. Quænam sint obligationes Advocatorum, c. 22. n. 746. an licite suscipiat defensionem causæ minus probabilis, aut minus justæ, ib. n. 747. quid, si in progressu animadvertat, se suscepisse causam omnino injustam, ibid. n. 765. quid, si defectu studii, vel diligentiæ Advocatus

tus causam justam perdat, c. 22. n. 764. & 766. Quid, si suadeat compositionem, vel transactionem inter partes litigantes, num. 759. an, vel quando Advocatus teneatur compensare damnum suo Clienti illatum. n. 773. an teneatur gratis in se suscipere defensionem pauperis, c. 22. n. 748. Quid si neglectis causis pauperum, totus incumbat in defensionem divitis, c. 22. n. 755. & seqq. an a tali Divite præter salarium ordinarium possit prætendere, vel saltem acceptare certam quotam litis, c. 22. n. 756.

Amentes, an sint irregulares, c. 7. num. 216.

Apostata Religiosus, an licite caperetur a Judice sæculari, c. 16. n. 550. an talis jam captus debeat restitui Religioni sine refusione expensarum, in captura, vel custodia factarum, ibidem n. 551.

Archi Episcopi, quantum valeant quoad collationem Beneficiorum, cap. 9. num. 300.

Assessores in judicio quinam dicantur, c. 22. n. 753. & quænam horum sint obligationes. ibid. quomodo peccare possint contra justitiam ibid. n. 771. & consequenter condemnari ad compensationem damnorum illatorum, c. 22. n. 773.

Asyli jus, quidnam importet, c. 15. n. 502. quibus locis competat. ibi. n. 503. qui sint effectus asyli. n. 511. quinam jure asyli gaudere possint, & quinam non c. 15. n. 505. & seqq. quænam crimina privent hoc jure. c. 15. per tot.

Attentio ad recitationem horarum canonicarum quid sit, & quotuplex. c. 12. n. 400. & seqq. an sufficiat sola externa. ibi. n. 402. & seqq. item a n. 424. Utrum satisfaciat, qui inter recitandum fovet distractiones, & an teneatur ad restitutionem fructuum. c. 12. n. 425. Quænam remedia contra distractiones ingruentes deservire possint. ibid. n. 426.

B

Beneficiatus scienter, & culpabiliter negligens horas canonicas, an teneatur ad restitutionem fructuum. c. 12. n. 399. rursus n. 409. & seqq. quid, si habeat beneficium tenue duntaxat. ibi. n. 420. Canonici beneficiati, an teneantur ad recitandum officium divinum in choro. c. 12. n. 393. & c. 13. n. 438. Beneficiatus, an possit gravari tributis, gabellis, vel aliis oneribus. c. 16. n. 533. an vendens fructus e suo beneficio perceptos, teneatur solvere gabellas. ib. num. 554.

Beneficiatorum obligationes, quæ, & quot. c. 11. n. 356. & 357. Quæ eorum emolumenta. n. 364. quæ pœnæ non Residentium. c. 11. n. 365. Quid si dubium oriatur, ad quot Sacra Beneficiatus teneatur vi fundationis. ibi. n. 373. & seqq. item n. 385. & 386.

Beneficii nomine, quid intelligatur. c. 9. n. 288. Quotuplicis generis dentur Beneficia ibi. a n. 289. Quæ sit differentia inter Beneficium, & Canonicatum. c. 9. n. 294. Quibus modis Beneficia Ecclesiastica soleant conferri ib. a n. 295. Quantam potestatem conferendi Beneficia habeat S. Pontifex, n. 299. Quantam Archi-Episcopi, & Episcopi, aliique Prælati inferiores. n. 300. & seqq. item n. 310. & seqq. & n. 325. An idem Clericus capax sit plurium Beneficiorum. ibi. n. 304. Quid, si præsentatus ad Beneficium sciat, se incurrisse irregularitatem. c. 9. n. 317.

Beneficiorum resignatio, & permutatio, quid, & quotuplex c. 10. n. 326. & seqq. Quæ conditiones necessariæ sint, ut licite fiant. ibi. n. 336. & seqq. Ad quem pertineant fructus talis Beneficii. c. 10. n. 346.

Bigamia quid sit. c. 7. n. 219. & 220. rursus n. 239. & 240.

Bona Clericorum dantur in triplici differentia. c. 16. n. 530. An, vel quænam sint exempta a communibus oneribus, id est, Tributis, Accisis, Gabellis &c. ibid. n. 539. & seqq. n. 547. rursus n. 554. & seqq.

C

CAnonicis quanto tempore liceat abesse a suis Ecclesiis. c. 11. n. 361. an teneantur ad restitutionem fructuum, qui negligunt officium divinum. c. 12. n. 410. utrum Canonici teneantur officium divinum dicere in Choro. c. 13. n. 438.

Carnifex, an licite exequeretur sententiam mortis in eum, quem privata scientia certo novit innocentem. c. 20. n. 706.

Causæ excusantes a censuris, quæ. c. 1. n. 13. 14. item n. 32. Quænam causæ excusent ab incurrenda excommunicatione Canonis *si quis suadente &c.* c. 3. n. 103. & seqq.

Causæ excusantes ab incursu irregularitatis, quæ c. 5. n. 160. & seqq. Causæ, ob quas permitti solet resignatio Beneficiorum Ecclesiasticorum c. 10. n. 329. & 330. Causæ excusantes a Residentia Clericorum, quæ c. 11. n. 363. Causæ excusantes a recitatione Officii divini, quæ. c. 13. n. 441. & seqq. An sufficiat lassitudo, vel alia molestia. ibidem. n. 451. & 453. an, vel quæ infirmitas excuset a recitatione horarum canonicarum. c. 13. n. 461. & 463.

Cautelæ a secerdote tempore pestis, vel contagionis observandæ, quæ. c. 11. n. 382.

Censura quid. c. 1. n. 1. quotuplex. ibidem n. 2. & 3. quibusnam competat potestas ordinaria ferendi censuras, & quibus delegata. c. 1. n. 4. & 5. in quos ferri possit. ibidem n. 6. item n. 28. quale delictum sit necessarium ad hoc, ut quis possit puniri censura. n. 8. & 9. item n. 29. & 30. quis modus sit observandus in ferenda censura. c. 1. n. 10. 11. & 12. quænam causæ excusent ab incurrenda censura. ibidem n. 13. 14. & 31. Quomodo censura tollatur. n. 15. & quænam sint observanda circa absolutionem a censura. ibidem n. 16. Quinam valeant absolvere a censuris c. 1. n. 17. item c. 8. a. n. 249. Censuræ qualitas, unde colligenda, vel discernenda. c. 4. n. 142.

Cessatio a Divinis, an possit dici censura. c. 4. n. 130.

Clausura Regularium, quidnam importet. c. 19. n. 647. & 648. quomodo ingressus Mulierum in Monasteria Virorum, ac vice versa sit interdictus. c. 19. n. 649. & seqq. & n. 652. rursus n. 660. Quomodo peccent frangentes Clausuram Regularem exeundo &c. n. 649. 661. Utrum Mulieribus prohibitus sit ingressus in Residentias, seu domos privatas Religiosorum c. 19. n. 670. & 671.

Clericus chirurgiam exercendo, an incurrat irregularitatem. c. 5. n. 112. an pugnans in bello justo propriis manibus, vel vacans strepitosæ venationi, in qua homo occiditur, fiat irregularis. c. 6. n. 205. & 212. Quidnam proprie intelligatur

Clerici nomine. c. 9. n. 286. qualis vitæ honestas sit necessaria in Clerico. ibi. n. 277. an idem Clericus possit obtinere plura beneficia. c. 9. n. 304. quomodo peccet, inducendo Patronum ad præsentationem simoniacam. ibi n. 314. & 320. an teneatur dimittere Beneficium simoniace obtentum. ibid. n. 322. an tuta conscientia possit supplicare pro beneficio, tametsi sciat, alios se digniores pro eodem supplicare n. 325. ob quam Caussam Clerico permitti soleat Resignatio, aut Permutatio Beneficiorum. c. 10. n. 330. Quinam Clerici teneantur ad recitandas horas canonicas. c. 12. n. 390. & seqq.

Clericorum Immunitas, tam personalis, quam realis, quidnam importet. c. 16. n. 533. & seqq. An possint gravari tributis. ibi n. 542. an teneantur ad solvendas accisas, & gabellas. c. 16. n. 556. & 558. An Clericus teneatur ad compensationem, si Laicum adjuvet ad defraudationem gabellarum. ibidem. n. 557. an amittat hoc privilegium, ex eo, quod habitum & tonsuram Clericalem non portet. ibi. n. 553. an peccet, Clericatum suscipiendo ex eo præcise fine, ut possit gaudere privilegio immunitatis Ecclesiasticæ. c. 16. n. 558. An Clericus conveniri possit coram tribunali laico. ibid. n. 559. quid, si deli-

deliquerit cum persona laicali. c. 16. n. 560. An Judici sæculari fas sit, Clericum capere, vel ob commissa delicta punire. c. 16. num. 561. & 562.

Confessarius Malefactoris, quantum possit facere sine nota irregularitatis. c. 7. n. 245. Confessarii Mendicantium, quantum valeant in ordine ad absolvendum a censuris. c. 8. n. 257. quam caute in hoc sit procedendum, & quid observandum, ubi pœnitens nequit adire Papam. ibi. n. 276. & 279.

Confessarius, animadvertens, quod Malefactor vel sibi, vel alteri falsum crimen imposuerit, quidnam agere debeat, vel tali suadere. c. 21. n. 731. Quid, si prævideat, fore, ut revocatio non curetur a Judice, & reum de novo subjectum iri Torturæ. c. 21. n. 743.

Consuetudo recipiendi prandium solenne in die investitionis Novitii, an toleranda c. 17. n. 600.

Consuetudo non præstandi decimas, an possit extendi ab uno pago in alium. c. 14. n. 490. an consuetudine introduci valeat immunitas a solvendis decimis. ibid. n. 497.

Consulens homicidium, an vel quando fiat irregularis c. 6. n. 209. & seqq.

Crimina jure asyli privantia, quæ c. 15. n. 507. item n. 525. Quid, si dubitetur, an tale crimen sit exceptum, ibi. num. 526. Quidnam tali suadendum, casu quo certo constat, crimen esse exceptum, & privare jure asyli. c. 15. n. 529.

D

DEcimarum nomine, quidnam intelligatur. c. 14. n. 465. & 466. quid sint decimæ prædiales, & quidnam personales. ibi. n. 467. quinam teneantur ad solvendas decimas. n. 468. & 469. an etiam pauperes teneantur ad præstandas decimas. c. 14. n. 470. an debeantur ex novalibus n. 480. an ex pratis. ibi. n. 483. quid, si agri convertantur in prata, ac vice versa, & diversi sint decimatores. c. 14. nu. 485. an etiam decimæ debeantur ex carnaticis. n. 488. quid, si idem fundus vel gleba eodem anno sæpius fructificet. ibi n. 491. An debeantur, tametsi Decimator non exigat. c. 14. n. 494. An Emptor fundi teneatur præstare decimas a Venditore non solutas. ibi. n. 495. Quid, si animalia tempore æstivo in loco unius Parochiæ, tempore autem hyemali locentur in loco alterius Parochiæ. n. 496. Quibus debeantur decimæ. c. 14. n. 471. & 472. Quo jure. ibi. n. 473. quo tempore. ibi. n. 474. Cujus expensis in horrea deferendæ sint decimæ. n. 475. quomodo peccent defraudantes decimas. c. 14. n. 486.

Degradatio quid, & quomodo differat a censura c. 4. n. 131.

Depositio quid sit, & quomodo a censura differat, c. 4. n. 131.

Depositum habere apud Superiorem, vel alium Benefactorem, an, vel qualiter repugnet voto paupertatis c. 19. n. 658. & 659.

Dignitas in ordine ad Beneficium Ecclesiasticum, in quo consistat. c. 9. n. 302. An fas sit, præsentare minus dignum, relicto digniore. ibi. n. 310. & seqq. An minus dignus licite supplicet, in concursu dignioris. ibi. num. 325.

Dispensatio, quomodo differat ab absolutione. c. 8. n. 249. Utrum Episcopi dispensare valeant in irregularitatibus ex delicto ortis. ibi. num. 264. præsertim si orta sit irregularitas ex delicto homicidii. c. 8. n. 269. item num. 282. & seqq. Utrum Superiores Regulares dispensare valeant cum suis subditis in irregulatitatibus. ibidem num. 265.

Dispositio de bonis temporalibus, facta ab ingressuro S. Religionem, an valeat. c. 17. num. 588. quid, si talis denuo velit reverti ad sæculum. ibi. n. 589. & seqq. an, vel quo tempore Novitius valeat disponere de rebus suis c. 17. n. 578. & seqq.

Dubitans, an ex propinatione poculi venenati fuerit subsecuta mors, vel abortus, an teneatur se habere ut irregularem. c. 5. n. 168. rursus c. 6. n. n. 199. Dubitans, an non violaverit censuram, an sit habendus ut irregularis. ibidem n. 181. Dubitans, quot sacra

sacra vi fundationis teneatur legere vel applicare, quomodo se possit, vel debeat resolvere. c. 11. n. 375.

E

EPiscopi, quantum valeant in ordine ad conferenda Beneficia Ecclesiastica. c. 9. n. 300. an possit Episcopus dispensare cum Clerico simoniace promoto ad Beneficium. ibidem. n. 323. Quas ob causas liceat Episcopis resignare suum Episcopatum. c. 10. n. 329. Utrum Episcopus possit constituere pensionem in favorem Beneficiati resignantis. ibi. nu. 334. Quanto tempore Episcopis liceat abesse a suis Ecclesiis c. 11. n. 360. Utrum Episcopo debeantur decimæ. c. 14. num. 472.

Excommunicatio quid, & quotuplex sit. c. 2. n. 36. & 37. Cur nomine Excommunicationis simpliciter prolatæ, intelligi debeat major. ibi. n. 38. Recensentur breviter novem effectus Excommunicationis majoris. c. 2. n. 40. Quomodo privet usu tam activo, quam passivo Sacramentorum ibidem n. 41. & seqq. item n. 52. & 63. quomodo privet communibus Ecclesiæ suffragiis. n. 44. item quomodo usu divinorum Officiorum. c. 2. n. 45. 46. 64. & 65. Quomodo privet sepultura Ecclesiastica c. 2. n. 46. 60. 61. item n. 66. & 67. An etiam excommunicati tolerati sint privandi sepultura Ecclesiastica. 2. n. 47. Quomodo excommunicatus fiat inhabilis ad Beneficia Ecclesiastica. c. 2. n. 48. Quomodo privetur jurisdictione Ecclesiastica. ibidem n. 49. & 69. quomodo item privetur communicatione civili. n. 51. Quas ob causas liceat fidelibus communicare cum Excommunicato non tolerato c. 2. n. 52. Quid agendum, casu quo talis excommunicatus proprio motu sese vult intrudere, & interesse divinis. c. 2. n. 57. Excommunicatio velut odiosa debet stricte interpretari. ibi. n. 62. Excommunicatus, an teneatur saltem privatim recitare horas canonicas. c. 2. n. 65. Quot dentur Excommunicationes. c. 3. n. 70. Quænam, & quot comprehendantur in Bulla Cœnæ. ibid. n. 72. An, vel quando hanc incurrat, qui legunt libros hæreticos. c. 3. n. 89. & seqq. item n. 99. & seqq. Excommunicatio Canonis: *si quis suadente &c.* quidnam importet. c. 3. n. 78. quænam conditiones sint necessariæ ad hanc incurrendam, & quidnam intelligatur per violentam injectionem manuum. c. 3. n. 79. An hanc incurrant, qui solum suadent hujusmodi violentam injectionem ibi. n. 80. item n. 82. 93. & seqq. rursus n. 96. & seqq. An etiam fœminæ possint incurrere hanc excommunicationem. c. 3. n. 102. Quid, si mandans aut consulens supponatur revocasse suum mandatum, vel consilium. ibidem. n. 103. & 104. Utrum ignorantia facti aut juris excuset ab hac Excommunicatione incurrenda. c. 3. n. 105. 106. & 107. An Superior Religiosus, excedens modum in corrigendo, hanc incurrat. ibid. n. 109. & 110. Quænam Excommunicationes Summo Pontifici sint reservatæ in corpore Juris, & quænam non c. 3. num. 74. & 75.

F

FIlius, an neglecta vocatione sua ad statum Religiosum, teneatur manere in sæculo, ob sublevandam inopiam Parentum. c. 17. nu. 570. & 581. an ob hanc causam jam constitutus in S. Religione, teneatur regredi ad sæculum. ibidem. num. 582. & 583.

Fratres Minores, an satisfaciant suæ obligationi, recitando Breviarium alterius Ordinis v. g. S. Benedicti. c. 12. n. 408. An a Novitio ad sæculum reversuro possint prætendere solutionem alimentorum c. 17. n. 586. Utrum Fratres Minores ad omnia in Sacra Regula præcepta teneantur sub voto. c. 18. n. 605. An, vel quomodo teneantur abstinere a suspecto consortio. ibi. n. 615.

Fructus Beneficii, ad quem spectent; casu quo Beneficiatus resignat, vel per-

permutat suum Beneficium cum alio. c. 19. n. 346.

G

GAbellæ, an etiam a Clericis sint solvendæ. c. 16. n. 556. & 558.

H

HOmicidium perpetrantes, an, vel quomodo fiant irregulares. c. 6. n. 187. *Vid. Irregularitas ex delicto*. Utrum Episcopi, vel Prælati Regulares dispensare valeant cum hujusmodi homicidis. c. 8. n. 264. & seqq. item n. 274.

Horæ Canonicæ, quid sint, & quot. c. 2. n. 388. & 389. Quinam ad has teneantur. ibi. n. 390. & 391. Quomodo peccent, omittentes horas Canonicas, vel Officium unius diei, aut partem notabilem ejusdem. c. 12. n. 396. & seqq. Quid, si unum Officium mutetur in aliud. ibi. n. 406. & seqq. Omittens horas canonicas, an teneatur ad restitutionem fructuum c. 12. n. 399. item n. 409. & seqq. rursus n. 417. & seqq. Quid sit attentio, & qualis requiratur ad recitationem horarum canonicarum ib. n. 400. & seqq. item n. 422. & seqq. Quænam media deservire possint ad evitandas distractiones. c. 12. n. 426. Quomodo recitandæ sint horæ canonicæ. c. 13. n. 427. An integre, & sine interruptione, vel etiam mutatione Officii. ibid. n. 428. & 439. An statuto tempore, & quo n. 431. item n. 440. quomodo peccet, qui loco unius recitat aliud officium c. 13. n. 435. Qualis Ordo sit observandus in recitatione Officii divini. ibi. num. 437. An sit recitandum in Choro. ibid. n. 438. & 439. Quid de Surdastris, aut blæsam linguam habentibus. c. 13. n. 446. & 448. An satisfaciat, qui cum alio recitat Officium. n. 447.

I

IGnorantia, an, vel quænam excuset ab incurrenda censura. c. 1. n. 14. & 31. An, vel quænam ignorantia excuset ab excommunicatione Canonis: *si quis suadente* incurrenda. c. 3. n. 106. Utrum ignorantia vel inadvertentia delicti excuset quempiam ab irregularitate incurrenda c. 5. n. 161. & 167. Rebaptizans cum ignorantia juris, an incurrat irregularitatem. c. 6. n. 203.

Immunitas a solvendis decimis, an possit consuetudine introduci. c. 14. n. 497. Immunitas Ecclesiastica, quidnam importet. c. 15. n. 499. Quotuplex sit. ibi. n. 500. Quid sit immunitas localis. n. 501. Et quid jus Asyli ibidem n. 502. Quibus locis competat hæc immunitas. c. 15. n. 503. Quinam gaudere possint jure asyli, seu immunitate locali, & quinam non ibi. n. 505. & seqq. An etiam fur in ipsa Ecclesia depræhensus. ibidem n. 517. 518. & 519. An etiam Milites desertores, vel, qui postquam nomen militiæ dederunt, nolunt castra sequi. c. 15. n. 520. & seqq. An Malefactor e manibus satellitum elapsus, & ad Sacerdotem Venerabile Sacramentum portantem confugiens, gaudeat hoc jure asyli n. 523. & 524. Quid si talis non recipiatur in loco Sacro v. g. Ecclesia, vel Monasterio n. 514. & 515. Quid, si vir confugiat ad Monasterium fœminarum, vel fœmina ad Monasterium Virorum c. 15. n. 527. & 528. Quænam crimina privent jure asyli. ibi. n. 507. 508. & seqq. rursus nu. 525. Quid, si dubitetur, an crimen commissum non privet. c. 15. n. 526. Quænam cautelæ a Superioribus sint observandæ, dum petitur jus asyli. n. 528. Quid, si certo constet, crimen esse exceptum? n. 529. An talis casus sit referendus ad Episcopum n. 530. Quis modus sit adhibendus, dum Reus debet extradi curiæ sæculari c. 15. n. 512. Quot, & qui sint effectus immunitatis localis. c. 15. n. 511. Quomodo peccent, qui violant jus asyli, sive personale, sive locale. c. 15. num. 514. item num. 531. 532.

Immunitas personalis, quidnam importet c. 16. n. 533. item num. 544. & seqq.

seqq. rursus n. 559. Quid importet Immunitas realis. c. 16. n. 536. An, vel quænam bona Clericorum sint exempta a Tributis, Gabellis, & Accisis. ibi. n. 539. 540. item n. 547. rursus n. 554. & seqq. An Principi sæculari fas sit, Clericos, vel bona Clericorum gravare novis oneribus, utputa Collectis, Tributis &c. c. 16. n. 542. & seqq. rursus n. 547. & seqq. Quomodo peccent, & quas pœnas incurrant, qui Immunitatem Ecclesiasticam, sive personalem, sive realem violant. c. 16. n. 544. & seqq. n. 547. 550. & seqq. item n. 559. 561. & 562.

Impotentia physica & moralis, quomodo excusent a recitando Officio divino. c. 13. n. 442. & seqq.

Indiciorum nomine, quidnam intelligatur c. 20. n. 678. Et quænam sufficiant ad inquirendum contra Reum. ibi. n. 677. & 680.

Infamia, quomodo, vel ob quænam delicta incurratur. c. 6. n. 186. Quomodo infamia hominem reddat irregularem. c. 7. n. 221. & 241. An, vel qualis infamia debeat præcedere inquisitionem. c. 20. n. 676. & 677.

Infirmus, an vel quando possit resignare suum Beneficium c. 10. n. 337. & seqq. item n. 352. Utrum infirmus gaudeat fructibus, seu etiam distributionibus, esto non intersit divinis. c. 11. n. 376. Quid, si ob simulatam duntaxat infirmitatem non intersit. ibi. n. 377. & seqq. Qualis infirmitas excuset a recitando Officio divino c. 13. n. 443. & 461.

Ingressus in Monasteria Virorum, quomodo Mulieribus sit prohibitus. c. 19. n. 649. An, vel quænam causæ eum cohonestare possint. ibi. n. 650. & 651. An etiam ingressus in Residentias, vel domos privatas Religiosorum Mulieribus sit interdictus. c. 19. & 670.

Inquisitionis nomine, quidnam intelligatur c. 20. n. 675. Quotuplex sit. ibidem. Quænam sint necessaria ad hoc, ut Judici vel Superiori liceat procedere ad inquisitionem. ibi. n. 676. & 677. Qualis modus, vel Ordo in inquisitione sit observandus. c. 20. n. 680. 690 & 691. rursus num. 694. & seqq. An ad inquirendum sufficiat, scriptas fuisse litteras accusatorias, sed sine nomine Auctoris. c. 20. n. 701. & 702.

Interdictum quid. c. 4. n. 119. Quotuplex ibi n. 120. & seqq. Nonnullæ Regulæ ad genuinam Interdicti intelligentiam. ibidem. n. 122. Cuinam competat potestas ferendi interdictum. c. 4. n. 123. Quinam interdici valeant. num. 124. Quomodo Interdictum privet usu Sacramentorum, Officiis divinis, & sepultura Ecclesiastica c. 4. n. 125. & seqq. An, vel quomodo privet potestate absolvendi. ibidem. n. 138. & seqq. An tempore interdicti fas sit, sepelire mortuos, vel assistere Matrimonio. c. 4. n. 140. & 149. Quomodo peccent, qui Interdictum violant. c. 4. n. 128.

Interessentiæ nomine, quidnam intelligatur. c. 11. n. 366. An non interessentes gaudere possint fructibus, vel distributionibus. ibid. n. 368. & 369. Quid, si quis ob simulatam duntaxat infirmitatem non intersit. ibi. n. 378. Quid, si durante Officio celebret, vel SS. Sacramenta administret. c. 11. n. 381. & 382.

Irregularitas, quomodo differat a Censura c. 1. n. 27. item c. 5. n. 151. Quotuplex sit. ibidem. n. 152. & 153. Qualis debeat esse actus, ut propterea incurratur irregularitas ex delicto. c. 5. n. 154. an sufficiat culpa venialis. n. 160. & 175. A quo, & in quos ferri possit irregularitas. c. 5. n. 155. & 156. item n. 178. Quinam sint effectus irregularitatis. ibi. n. 157. an vel quomodo impediat a consecutione Beneficiorum Ecclesiasticorum. ibidem n. 158. An ab hac excuset ignorantia solius pœnæ. c. 5. n. 161. Quibus modis irregularitas tollatur, vel cesset. n. 162. An, vel quando hanc incurrat infirmarius, aut procurans abortum. c. 5. n. 163. & 168. item n. 171. Utrum hanc incurrat, qui exstitit occasio mortis. ibidem n. 166. & 167. An, vel quando hanc incurrat Clericus, artem Medicinæ extercens. n. 172. Et quandonam hanc incurrant Medici, vel Chirurgi ibidem n. 176. An eam incurrat

rat, qui infantem moribundum baptizandi gratia projeceret in flumen. c. 5. n. 177. Quomodo Irregularitas differat a censuris. n. 173. an incurratur in casibus jure non expressis. n. 174. Quomodo Irregularis peccet, in tali statu actum Ordinis exercendo. c. 5. n. 180. Quid, si quis dubitet, an non incurrerit irregularitatem. c. 5. n. 181.

Irregularitas ex delicto, quid, & quotuplex. c. 6. n. 182. Quid illa ex abusu Baptismi, vel Ordinis. n. 183. & 184. item n. 202. Quomodo incurratur ob infamiam ex delicto. ibidem n. 186. Quomodo, vel quando ob delictum homicidii. c. 6. n. 187. & seqq. item n. 193. 199. 205. 212. & seqq. An, vel quomodo incurratur ex mutilatione corporis proprii, vel alieni. c. 6. n. 191. 192. item n. 214. An, vel quomodo incurrat hanc irregularitatem Mandans homicidium. n. 196. 198. item 207. & seqq. An etiam ille incurrat, qui alteri subministrat gladium ad duellandum, vel occidendum. ibidem n. 199. Utrum incurrat Consulens homicidium. c. 6. n. 208. Quid, si plures eundem vulnerarunt. ibi. n. 210. & 211. An Clerici strepitosæ venationi vacantes hanc incurrant, si contingat, in tali venatione hominem occidi. ibidem n. 212. Quid, si solum dubitetur, an non fuerit aliquis homo occisus. c. 6. n. 201.

Irregularitas ex defectu, quid, & quotuplex c. 7. n. 215. & seqq. Quid sit irregularitas ex defectu corporis, ibi. n. 218. 228. & seqq. rursus n. 230. 237. & 238. Irregularitas ex defectu Sacramenti, quid. c. 7. n. 219. Quinam censeantur irregulares ex defectu famæ, ibidem n. 221. item n. 241. Irregulares ex defectu Natalium, qui. c. 7. n. 222. & 223. An infantes expositi sint irregulares. ibi. n. 224. Quinam sint irregulares ex defectu ætatis. n. 245. Et quinam ex defectu libertatis. c. 7. n. 226. Quinam ex defectu lenitatis. n. 227. n. 231. & seqq. rursus n. 234. & seqq. item n. 242. 243. rursus n. 246. & 247. Quomodo Irregularitas tollatur per dispensationem. c. 8. n. 249. An, vel quomodo Episcopus, vel etiam Prælatus Regularis cum suis subditis dispensare valeant in irregularitatibus. c. 8. n. 253. 269. item n. 282. & seqq. rursus n. 274. Quid, si irregularis præsentetur ad Beneficium Ecclesiasticum c. 9. n. 317.

Judex sæcularis, an licite capiat Apostatam, vel Clericum delinquentem c. 16. n. 550. & seqq. item n. 559. 560. & 561. An teneatur Religiosum Apostatam captum restituere Religioni. ibi n. 551. & 552. An licite Clericum traheret ad suum tribunal c. 16. n. 562. Quænam qualitates requirantur in Judice c. 20. n. 672. & 673. Quomodo contra Reum procedi soleat, ibidem n. 674. Quænam requirantur ad hoc, ut Judex contra Reum possit instituere inquisitionem. c. 20. n. 676. Quis modus in inquirendo sit observandus. n. 680. 690. & seqq. An Judici liceat condemnare illum, quem privata notitia certo novit, esse innocentem. ibi n. 684. An liceat condemnare non convictum, neque confessum ibidem. n. 683. An liceat incarcerare suspectum de crimine. c. 20. n. 697. An Judex teneatur ferre sententiam pro illa parte, cui jura magis favent. ibi. n. 703. & seqq. An Judici liceat torquere Reum c. 20. n. 682. Quænam cautelæ adhibendæ ante Torturam. ib. n. 698. An fas sit, sæpius torqueri Reum. n. 699. Quid, si Reus post Torturam revocet suam confessionem. ibidem n. 708. An, vel quomodo peccet Judex, excedendo modum Torturæ. ibi. n. 709. Judici an liceat acceptare munera, vel saltem sportulas, & Xenia. c. 20. n. 687. & 688. An tuta conscientia possit obligare Reum ad jurandum de dicenda veritate. n. 700. Quid, si Judex animadvertat, se errasse in suo munere c. 20. n. 689. Quidnam Judici sit agendum, casu quo Actor non potest probare crimen c. 21. n. 724. & seqq. An Judex teneatur admittere domesticos actoris in testes. ibi. n. 728. An teneatur adhibere fidem Reo, revocanti suam confessionem. c. 21. n. 732.

n. 732. An cujuslibet testis depositioni illico deferre debeat Judex . ibidem. n. 735.

L

LEgentes libros hæreticos, vel controversisticos, an incurrant excommunicationem . c. 3. n. 99. & 101. an eam incurrant, qui legunt Biblia Sacra n. 100.

Licentia vel consensus Superioris, in ordine ad licitum usum rei, quid sit, & quotuplex. c. 19. n. 638. & seqq. An sufficiat sola licentia præsumpta, ad evitandum peccatum proprietatis. n. 639. Unde colligi possit, aut debeat, sitne Superior invitus quoad substantiam, vel vero quod modum duntaxat. c. 19. n. 640. & 641.

M

MAlefactor e custodia, vel e manibus satellitum elapsus, & confugiens ad V. Eucharistiæ Sacramentum, an gaudeat iure asyli . c. 15. n. 523. & seqq. Quid, si talis Malefactor non recipiatur in loco Sacro. ibi. n. 514. Quidnam Malefactori suadendum, casu quo liquido constat, eum non gaudere jure asyli . c. 15. n. 529. & seqq.

Milites desertores, an gaudeant jure asyli . c. 15. n. 520. & 522. Quidnam Superiori locali in similibus circumstantiis agendum, præsertim si prævideat damnum, aut magna incommoda sibi, vel suis imminentia, nisi talem permittat extrahi . ibidem n. 521.

Monialis professa, an ob morbum Epilepsiæ possit ejici e Monasterio . c. 18. n. 619. quænam cautelæ in tali casu sint adhibendæ, ibidem n. 620. & 621. Quomodo Moniales teneantur ad observantiam Clausuræ Regularis. c. 19. n. 652. & 653. Quænam causæ possint excusare ingressum in clausuram . ibidem n. 651.

Mulieres, quomodo peccent ingrediendo in Clausuram Monasterii Religiosorum. c. 19. n. 660. an, vel quales propterea pœnas incurrant . ibidem n. 662.

Munera acceptare, an Judici liceat. c 20. n. 687.

Mutilans alium, vel se ipsum, an, vel quando fiat irregularis. c. 6. n. 192. item n. 214.

N

NOtarius, quid sit. c. 22. n. 751. quænam hujus munia, & obligationes. ibidem n. 752. Quid, si protrahat expeditiones causarum, majoris lucri gratia. ibidem num. 761. Quid, si extenuet scripturas ex eodem fine. c. 22. n. 762. Quid, si Notarius Instrumenta originalia communicet parti adversæ. ibidem. n. 763. Quænam peccata in suo Officio committere possint Notarii. c. 22. n. 768. An, vel qualiter teneantur ad compensationem damnorum Clientibus illatorum, præsertim si ipsimet pretium injustum quodammodo extorserint. c. 22. n. 769. & 770.

Novitii, quinam licite, ac valide suscipi possint. c. 17. n. 569. & seqq. Qualis debeat esse habitus Novitiorum, & qualis locus Novitiatus. ibidem n. 572. & 573. Utrum annus Noviatus debeat esse integer ac continuus. c. 17. n. 574. An, vel quandonam annus Novitiatus censeatur moraliter interrumpi. c. 17. n. 594. & 595. Utrum Novitii teneantur ad observantiam Regularum, & statutorum. ibi. n. 576. & 577. An, qualiter, vel quando liceat Novitiis disponere de rebus suis. c. 17. n. 578. & seqq. item n. 588. & seqq. An Novitius ob inopiam Parentum teneatur reverti ad sæculum. ibi. n. 582. & 583. An reversurus ad sæculum, teneatur solvere expensa pro victu & vestitu. c. 17. n. 584. Quid, si talis supponatur fuisse Novitius Fratrum Minorum. ibi. n. 586. Quidnam taliter reversuro suadendum sit a Confessario. n. 589. An reversuris ad sæculum omnia sint restituenda, quæ secum attulerunt ad Monasterium. c. 17. n. 599. Utrum Novitii cuilibet Confessario valide confiterentur. ibi. n. 596. & 597. Utrum, vel qualiter puniri possint propter defectus, contra

tra Regulam, vel disciplinam claustralem commissos. c. 17. n. 598. an in die investitionis approbanda sint, vel toleranda convivia. c. 17. n. 600.

O

OBlationum nomine, quidnam intelligatur. c. 14. n. 477. Utrum pertineant ad Parochum, vel Rectorem Ecclesiæ. ibidem. n. 478. & 479.

Obligationes Beneficiatorum quæ. c. 11. n. 356. & seqq. Quomodo Clerici obligentur ad recitandas horas canonicas. c. 12. n. 390. & seqq.

Officium divinum, quomodo recitandum. c. 13. n. 427. Qualenam Officium. ibi. n. 430. An, vel quomodo peccet, mutans unum Officium in aliud. c. 13. n. 432. & 435. Quale Officium recitare debeat, qui iter agendo peragrat diversas Diæceses. ibidem n. 449. & seqq. Error in recitatione Officii divini commissus, an vel quando sit emendandus. ibidem. n. 441. An a recitatione Officii excuset lassitudo, vel infirmitas. c. 13. n. 452. & seqq. item. n. 461. An huic obligationi satisfieri possit per alium. n. 458. An satisfaciat, recitans Officium cum alio, vel cooperans psallentibus v. g. pulsando Organum. c. 13. n. 458. & 460. An non potens recitare unam horam minorem, eo ipse excusetur a reliquis recitandis. n. 456. An peccet, qui Matutinum primum recitat post Missam. ibidem. n. 463. An, vel quando fas sit, dicere Officium divinum de Reliquiis Sanctorum. c. 13. n. 464.

P

PArochus vel cooperator, an gaudeant potestate absolvendi a censuris. c. 1. n. 18. & 19. Quid agendum Parocho, dum excommunicatus non toleratus sese vult ingerere, seu interesse Divinis. c. 2. n. 56. Quid, si talem deberet sepelire in loco sacro. c. 2. n. 60. & seqq. Quanto tempore Parochus possit abesse a sua Ecclesia. c. 11. n. 362. An tempore pestis seu contagionis teneatur residere in loco suæ Parochiæ. ibidem n. 370. An teneatur per se ipsum pestiferis administrare Sacramenta. c. 11. n. 383. Quid Parocho agendum, dum ex causa minime prævisa, cogitur abesse a loco sui Beneficii c. 11. n. 379. Parocho debentur decimæ. c. 14. n. 471. Habet jus fundatum ad illas ibidem n. 489. An possit propria auctoritate auferre decimas nolentibus persolvere. c. 14. n. 481. an teneatur contribuere ad solvendas expensas pro custode segetum. n. 492. An possit prohibere, ne sine sua præsentia numerentur manipuli. c. 14. n. 493. An decimæ debeantur Parocho etiam non exigenti. n. 494. An Parochus possit cuipiam condonare decimas. c. 14. n. 498. Parochus vendens fructus e suo Beneficio perceptos, an teneatur solvere gabellas. c. 16. n. 554.

Patronus Beneficii Ecclesiastici, an teneatur præsentare digniorem. c. 9. n. 320. Quid, si aliquem simoniace supponatur præsentasse. ibidem n. 322.

Pensio canonica, quid sit. c. 10. n. 332. An valeat resignatio Beneficii cum reservatione pensionis annuæ. ibidem n. 333. An auctoritate Episcopi pensio annua possit constitui in favorem resignantis. c. 10. n. 334. An hæc etiam a Successore debeat præstari ibidem n. 350. Quid, si Pensionarius postea obtineat congruam ex alio Beneficio. c. 10. n. 352.

Permutatio Beneficiorum, an fieri possit auctoritate privata. c. 10. n. 335. An licite fiat cum onere annexo. ibidem n. 343. & seqq. Ad quem pertineant fructus talis Beneficii. c. 10. n. 346.

Personæ Ecclesiasticæ, quinam censeantur. c. 16. n. 535. Quomodo gaudeant Immunitate Ecclesiastica. ibidem c. 16. *per tot.*

Pœnæ Ecclesiasticæ, quæ, & quot. Vide *Censura*, *Excommunicatio*, *Suspensio*, *Interdictum*. Pœna Beneficiatorum non residentium, quæ. c. 11. n. 365. Pœnæ frangentium Clausuram Regularium, quæ. c. 19. n. 649. & 662. Pœnæ Proprietariorum. ib. n. 668.

Potestas ferendi censuras quibus competat. c. 1. n. 4. & 5. Et quibus potestas absolvendi. ibi. n. 17.

Præ-

Præcepta alia secundum, alia supra, & alia infra Regulam. c. 18. n. 611. Ad quæ Religiosus teneatur. ibidem 612. & 613.

Primitiarum nomine, quidnam veniat c. 14. n. 476.

Principes sæculares, an licite imponant nova onera, vel tributa, Collectas &c. Personis Ecclesiasticis, earumve bonis. c. 16. n. 542.

Privilegio Immunitatis Ecclesiasticæ, an vel quinam gaudeant. c. 16. n. 533. rursus n. 553. 558. item. num. 561 & 562.

Procuratoris nomine, quidnam intelligatur. c. 22. n. 749. Quænam sint hujus obligationes. ibidem n. 750. Quomodo peccet, protrahendo litem injustam. ibi. n. 758. vel suadendo compositionem amicabilem, dum tamen agnoscit, se habere causam injustam. c. 22. n. 759. Quomodo teneatur ad compensationem damnorum inde secutorum. ibidem n. 766. & 773.

Professio Religiosa, quid, & quotuplex. c. 18. n. 601. & 602. Quænam conditiones necessariæ sint ad validam professionem, & quæ ad licitam. ibidem n. 603. & 604. Quænam sint impedimenta Professionem irritantia. c. 18. n. 608. An valeat Professio, facta ante completum annum Novitiatus. ibi. n. 625. An valeat, non acceptata a Superiore legitimo. ibidem. n. 626. An fas sit, reclamare contra professionem factam. c. 18. n. 607. & 616. Quid, si reclamans non audiatur. ibi. n. 617. & 618. An liceat semel professum expellere. c. 18. n. 603. & 619. Quænam cautelæ in tali casu observandæ. ibi. n. 620. & 621. Quid si reclamatio fiat contra professionem validam. c. 18. n. 627. & 630.

R

RAtificatio *Professionis* Religiosæ, quomodo facienda. c. 18. n. 628.

Reclamare contra professionem Religiosam, an fas sit. c. 18. n. 607. item n. 616. & seqq. rursus. n. 627. Quid, si Reclamans non audiatur. c. 18. n. 617. & 618. rursus n. 630.

Referrendarii nomine, quidnam intelligatur, & quæ sint hujus obligationes. c. 22. n. 754. Quomodo Referendarius peccet contra justitiam partialiter se habendo in causa sibi concredita. ibi. n. 772. Quomodo teneatur ad compensationem damnorum inde secutorum. c. 22. n. 773.

Regularium nomine, quinam intelligantur. c. 17. n. 564. Quomodo Regulares teneantur ad observantiam clausuræ. c. 19. n. 649. & seqq.

Religiosus status, quidnam importet. c. 17. n. 565. quotuplex sit Religio, vel status Religiosus. ibid. n. 566. & 567. Quinam Superiores Religiosi valeant suscipere Novitios, & quinam suscipiendi sint. c. 17. n. 568. & 569. item n. 593. An ad statum Religiosum necessum sit, profiteri tria vota substantialia. ibidem num. 591. An, vel qualiter peccet Religiosus, nolendo tendere ad perfectionem. ibi. n. 592. Ad quid Religiosus adstringatur vi voti obdientiæ. c. 18. a. n. 612. item n. 622. & seqq. Ad quid teneatur vi voti Castitatis. ibidem. n. 614. & seqq.

Ad quid Religiosus teneatur vi voti Paupertatis. c. 19. n. 635. & 636. Qualem debeat habere licentiam a suo Superiore, ne utendo rebus temporalibus delinquat in sanctam Paupertatem. ibi. n. 638. item n. 645. & seqq. rursus n. 657. & seqq. An Religioso liceat habere depositum. ibidem n. 658. 659. Ad qualem Paupertatem teneatur. ibi. n. 665. An saltem de licentia sui Superioris possit habere superflua ibidem. n. 666. An Religiosus peccet, appropriando sibi aliquid de bonis Communitatis, vel quidpiam de bonis Monasterii subtrahendo. c. 19. n. 667. & 669. Quomodo peccet, occultando Superiori suo, vel non manifestando fideliter ea, quæ accepit ab aliis. c. 19. n. 664.

Renunciatio Beneficii, quid sit. c. 10. n. 326. Quotuplex. ibi. n. 327. & 328. Quas ob causas permitti soleat Renunciatio Episcopis, aliisve Clericis. ibidem. n. 329. & 330.

Residentiæ nomine, quidnam intelligatur,

tur. c. 11. n. 358. Quinam teneantur ad Residentiam ibi. n. 359. Quanto tempore liceat abesse a Beneficio. ibidem. n. 360. & seqq. Quæ causæ excusent. ibidem n. 363. Quænam sit differentia inter Residentiam, & Interessentiam. c. 11. n. 366. Utrum non Residentes, aut non Interessentes fructus faciant suos. n. 367. & seqq. item n. 370. 380. 381. rursus n. 387.

Resignatio Beneficii cum clausula : *non aliter* an valeat. c. 10. n. 331. an valeat cum reservatione pensionis. ibi. n. 333. An Episcopus possit constituere hujusmodi pensionem in favorem Resignantis. ibidem n. 334. Quænam conditiones ad legitimam Resignationem sint necessariæ. c. 10. n. 336. & seqq. Quomodo fieri possit ab infirmo. ibi. a. n. 337. An liceat Beneficium resignare Consanguineo. ibidem. n. 340. & seqq. & n. 347. Quid, si Resignans intra viginti dies post resignationem moriatur. c. 10. num. 349. Quid, si Resignatio fiat ab eo, qui suo beneficio jam fuit actu privatus, vel certe proxime erat privandus. ibi. n. 353. 354. & 355.

Restituere fructus Beneficii, an, vel quando teneatur Beneficiatus ob neglectum divini Officii. c. 12. n. 396. 409. & seqq. item a n. 417. Quid, si habeat Beneficium tenue duntaxat. ibidem. n. 421. Restituendi, vel damna compensandi obligatio, an, vel qualiter contrahi possit a Judicibus, Advocatis, Procuratoribus, Referendariis. c. 22. n. 766. & seqq.

Reus, a Judice interrogatus, an, vel quando teneatur fateri crimen. c. 21. n. 719. 720. Utrum Actori licite imponat crimen, ad labefactandam fidem hujus. ibi. n. 712. An Reus teneatur prodere complices. ibi. n. 722. An teneatur acquiescere sententiæ latæ. c. 21. n. 723. Utrum Reo, vel potius Actori a Judice deferendum sit juramentum. ibi. num. 726. Quid, si Reus sibi, vel alteri imponat falsum crimen ad evitandam torturam, vel pœnam mortis. c. 21. n. 730. & 741. 742. & 743. An, vel qualiter teneatur Reus revocare hujusmodi falsam depositionem. c. 21. n. 731. & 733. Utrum Reo liceat fugere e carcere. n. 737. & 738. An fas sit, corrumpere Custodes carceris, vel alios, ut sibi opem ferant ad fugiendum. c. 21. n. 739. & seqq.

S

Sepultura Ecclesiastica, quomodo priventur Excommunicati. c. 2. num. 46. Quid, si talis deberet sepeliri in loco sacro. ibi. n. 60. Quomodo peccent, scienter sepelientes Excommunicatum in loco Sacro. c. 2. n. 66. & seqq. An sepelire liceat tempore Interdicti. c. 4. n. 127. & 140.

Sportulas acceptare, an Judici liceat. c. 20. n. 688.

Status Religionis, quidnam importet. c. 17. n. 565. & seqq.

Superiori Regulari quidnam observandum, dum contra subditum cogitat instituere inquisitionem juridicam. c. 20. n. 680. & rursus n. 694. & seqq.

Suspensio quid sit. c. 4. n. 111. quotuplex. ibi. n. 112. suspensus ab Officio, an eo ipso sit suspensus a Beneficio. c. 4. n. 113. & seqq. Qualem culpam supponat. ibi. n. 115. Quomodo ferri debeat. n. 116. Quomodo peccet violans censuram suspensionis. c. 4. n. 117. Quinam possint absolvere ab hac censura. n. 118. Utrum suspensus licite baptizet, aut Sacrum celebret. c. 4. n. 132. & 134. An suspensus ab Ordine eo ipso censeri debeat suspensus a jurisdictione. n. 144. & 145. An soli Clerici possint incurrere hanc censuram. n. 141. An peccent fideles, communicando cum suspenso. c. 4. n. 148.

T

Testis legalis quid sit, & quæ conditiones ad talem requirantur. c. 21. n. 715. Quinam sint inhabiles ad hoc munus. ibi. n. 716. Quandonam quis teneatur agere testem. ibi. n. 717. rursus n. 729. & 736. An etiam domestici Actoris possint, aut debeant admitti ad ferendum testimonium. c. 21. n. 727. & 728. An cujusvis testis depositioni sit acquiescen-

cendum. c. 21. n. 735. Quomodo peccet, qui falsum testatur. ibi n. 718.

Torturæ nomine, quid veniat. c. 20. n. 681. An licite adhibeatur. ibi. num. 682. Quæ cautelæ sint adhibendæ, & qualis modus torquendi sit observandus. c. 20. n. 698. & 699. item n. 707. 708. & 709.

Tributa, an, vel quando etiam a Clericis sint præstanda. c. 16. n. 542.

V

V*Isitator* Religiosus, quidnam habeat observare, dum in actu visitationis audit nonnulla delicta, c. 20. n. 644. & seqq.

Votum obedientiæ, ad quid obliget Religiosum. c. 18. n. 612 613. rursus n. 622. & seqq. Quidnam importet Solennitas Votorum. ibidem n. 631. Quomodo peccet Religiosus, transgrediendo obedientiam, seu mandatum Superioris. c. 18. num. 632. & seqq.


Votum Castitatis, ad quid obliget. c. 18. n. 614.

Votum Paupertatis ad quid obliget Religiosum. c. 19. n. 635. 636. & seqq. Qualis consensus Superioris sit necessarius, ne subditus utendo rebus temporaneis impingat in paupertatem. ibidem n. 638. & seqq. Quandonam Superior censeri debeat invitus quoad substantiam, & quando quoad modum duntaxat. c. 19. n. 640. & 641. Quæ quantitas sit necessaria ad mortaliter peccandum contra paupertatem. n. 646. Qnale peccatum sit violatio paupertatis Religiosæ, ibidem n. 647. Quantum a Religioso privato sine violatione paupertatis possit expendi, vel lusui exponi. c. 19. n. 654. & seqq. An paupertati repugnet, habere depositum apud Superiorem &c. ibidem n. 657. & seqq. Quo animo Religiosus debeat usurpare hæc temporalia, ne impingat in paupertatem. n. 663. & seqq. Ad qualem paupertatem quivis Religiosus teneatur. n. 665. Utrum paupertati non repugnet, habere superflua. ibidem n. 666. Quomodo contra paupertatem delinquat Religiosus, sibi appropriians bona Communitatis, vel de iis subtrahens. c. 19. n. 667. & 668.

X

X*Enia* acceptare, an Judici liceat. c. 20. n. 688.


FINIS.











R.P. BUS

THEOLO

MORALIS

TOM. III









... w butelkach do wypicia ... po obiedzie drugiey, to iest Melanka o 7. godz. o 8. go. y 9 god. co powinno wynosić trzy ... stołe. Po obiedzie ... drugą ... tylko o g. 4. 5. godzinie, to iest iyż ... każdy butelke trzeba wypić we trzy razy co godzina. Kontynuować ten dekokt 8 albo 10 dni.

1mo die 27. marz. Fer. 6.

2do Potym brać Szerwatkę z Ziołami ni Biemisowo antyskorbutycznemi, przez 10 dni, rownie brać butelkę rano, y butelkę po połudn. można wypić razem, albo nadwa razy ... cupstę.

X. Bauer

o Flaszke ... do picia ...

... Kurczęta y ... pić ... Mięsa ... cielęciny ... bez ... Piwo lekkie, lub wodą ... samey ... nie ... ani ... lub ...

4to Będzie pomocą ... boleć ... lub ... y ... chustkę lub papier ... bolesne ...

